

1
6
416







XII

in PLAT: BEN.


~~in PLAT. e~~

~~ARIST.~~

PAVLI BENII EVGVBINI
SACRAE THEOLOGIAE
DOCTORIS
IN PLATONIS TIMAEVM
SIVE IN NATVRALEM OMNEM
ATQVE DIVINAM
PLATONIS ET ARISTOTELIS
PHILOSOPHIAM
DECADES TRES.

EX QVIBVS TRES PRIORES LIBRI, QVONIAM EOS non Philoſophis modò, ſed & Theologis ac bonarum artium ſtudioſis omnibus cum vtilitatis tum honeſtiſsimæ voluptatis plenos fore ſperatur, ſeorſim quoque editi,

CLEMENTI IIX· PONT· MAX·
tanquam Religionis morumque propugnatori ac reſtitutori acerrimo; tum verò
CYNTHIO ALDOBRANDINO
S. R. E. Cardinali ampliſſimo, quippe CLEMENTIS Nepoti ac bonarum artium tutori ſplendidiſſimo, dicantur.



ROMAE,
APVD GEORGIVM FERRARIVM, 1594.
Cum Priuilegio, ac Facta à Superioribus poteſtate.

APPROBATIO.

Ego Lælius Peregrinus iussu Reuerendiss. Patris Bartholomæi de Mirãda Sacri Palatij Magistri legi tres anteriores prioris Decadis libros in Timæum Platonis à Paulo Benio Eugubino Doctore Theologo, viro doctissimo religiosissimoque compositos. Quos vt insignis eloquentiæ, multiplicis eruditionis, & eximiæ pietatis refertos comperi, ita in communẽ studiosorum diuinæ humanæque Philosophiæ vtilitatẽ typis dandos censui, In quorum fidem &c. Datum Romæ Idib. Decemb. 1593.

Lælius Peregrinus Sacræ Theologiæ
Doctor indignus.

PRIVILEGII SVMMA.

Ne quis ad decennium hos in Platonis Timæum, siue in naturalem omnẽ atque diuinam Platonis & Aristotelis philosophiam Commentarios siue coniunctim siue diuisim prætextu vllo sine ipsius Authoris licentia, aut imprimere aut impressos vendere audeat in Ecclesiastica ditione; Clementis VIII. Pont. Max. diplomare ac pœnis cautum est.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, Die 28. Ianuarij M. D. XCIV.

CLEMENTI. IIX.
PONT. MAX.

RELIGIONIS MORVMQVE
Propugnatori ac Restitutori Acerrimo.

Paulus Benius Eugubinus Perpetuam Fœlicitatem.

N*OVVM sanè ac varium P. B. atque à priscis vsque Peripateticorum temporibus optatum & à multis etiam tentatum in naturalem omnem atque diuinam Platonis & Aristotelis Philosophiam edimus opus ac monumentum. In quo quidem cum cætera omnia Christianæ Reipub. vtilia fore speramus & periucunda, tum illa in primis quæ in prima hac lucubrationum nostrarum parte ad bonas artes ac liberalia studia ab Catholicæ Ecclesiæ hostibus propugnanda sanctissimi atque fœlicissimi nominis tui authoritate munita ac splendore illustrata litteris consignamus. Id quod eò etiam libentiùs facimus, quòd in his libris eò maximè scriptiones nostras atque cogitationes intendimus, vt Christianis Philosophis rationem ac viam ostendamus, vnde Aristotelicæ Platonicæque Philosophiæ siue scopulis atque offensionibus declinatis; siue salebris et difficultatibus superatis, pulcherrima summorum Philosophorum decreta & monumenta sine vlla*

Religionis morumque iactura & offensione, immo cum pietatis questu & accessione, tractare possint. Qua quidē in re te inprimis B.P. tāquam Religionis, morum, optimarum denique artium propugnatorem restitutoremque appellant, ac suo quasi iure tutorem patronumque deposcunt lucubrationes nostræ. Eas igitur P.B. pro tua singulari pietate atque clemētia hilari fronte excipias. Et qui huic rerum Vniuersitati, maximè verò homini, pari sapientia & potestate imperas & moderaris, quæ de Vniuersitate atque homine inprimis diurnis nocturnisque multorum annorum vigilijs elaborata subinde edimus, ad publicam fidelium vtilitatem, Ecclesiæque splendorem ac dignitatem, augustissimi nominis tui authoritate foueas ac tuearis.

Vale P.B. teque diu Christianæ Reipub. ac bonis omnibus incolumem serua. Datum Romæ IV. Idus Februarij. M. D. XCIV.

CYNTHIO ALDOBRANDINO
S. R. E. CARDINALI
AMPLISSIMO,
ET
CLEMENTIS. IIX. PONT. MAX.
NEPOTI OPTIMO.

Paulus Benius Eugubinus S.

DICI vix poteſt (CARD. AMPLISSIME) quàm ingentem tui expectationem excitaueris apud omnes, cum ante quinquenniũ ex Polonia ac Germania Romam rediens, optatiſſimum Pontifici Max. nuncium attuliſti de pace inter Regios Principes conſtituta. Verùm longè aucta eſt apud me tui opinio & expectatio, cum in Germaniam rediturus vt Hippolyto Aldobrandino Cardinali, a quo ad Pontificem Legatus fueras, obuiam procederes; Patauij, hoc eſt in celeberrimo doctrinarum omnium domicilio, atque adeò ſapientiæ arce, menſes aliquot ſubſtitiſti. Etenim quã obſecro aliam de te opinionem ac ſpem concipere potuiſſem, cum viderem neminem eſſe ex florentiſſimæ illius Vrbis, ac propè dixerim Orbis, nobilitate (hanc enim ex Italiæ, Galliæ, Germaniæ, ac totius ferè Europæ flore collectam eſſe non te fugit) qui incredibilem comitatem humanitatemque tuam non celebraret: qui prudentiam rerumque gerendarum notitiam non admiraretur: qui optimarum artium doctrinarumque varietatem, maxime verò pietatem, reique diuinæ ſtudium non prædicaret: qui denique multas magnaſque virtutes tuas, ſuauiſſimoſque mores non extolleret? Huc accedebat quòd cum conſtans fama eſſet te adoleſcẽtem ab Iohannis Aldobrandini Cardinalis latere nũquam diſceſſiſſe: atque in clariſſimum hoc ſapientiæ lumen, integritatiſque exemplum intuentem, illius tum facta tum dicta

cta omnia diligenter obseruasse: paulò verò post Iohanne immatura morte nobis adempto, in Hippolyti sinum confugisse, in quo diuinæ humanæque virtutes mirificè elucere cœperant omnes, haud sanè poteras nisi magnificam ac propè singularẽ de te expectationem apud homines concitare. Verùm cum superioribus mensibus Romam ipse redijssem, vnde sexennio ante discesseram, teque animaduerterem HIPPOLYTO AD PETRI SEDEM EVECTO, tantam animi moderationem retinere: tam admirabilem in audiendis omnibus facilitatem, in iuuandis charitatem, & (vt semel dicam) in grauissima quæ tibi à Pont. Max. imposita est negociorum mole sustinenda, non modò constantiam, fidem, æquitatem; sed prudentiam, consilium, sapientiam adhibere, vt in hoc Orbis terrarum Theatro omnibus charus sis, in omnium oculis animisque verseris, tibique bona omnia omnium hominum ordines optent, incredibili sanè gaudio atque voluptate perfusus sum. Sed nouum mihi quiddã interim accidit, CARDINALIS SAPIENTISS. & inopinatum, quod me in dubitationem adduxit, nobilem eã quidem atque pulcherrimam, sed quæ distraheret in deliberando animum, ancipitemque curam afferret. Sed qualis tandem hæc fuit dubitatio? Ea sanè quam præ honesto pudore quodam exponere vix audeo: sed exponam tamen. Ego enim vt verè atque ingenuè fatear, eo planè consilio atque cogitatione Romam veneram hoc tempore, vt quos diurnis nocturnisque multorum annorum vigilijs atque lucubrationibus DE VNIVERSITATE, inprimis verò DE HOMINE libros conscripseram, ei dicarem vni, cui VNIVERSITATIS HOMINISQVE inprimis cura ab ipso VNIVERSITATIS AVTHORE ATQVE PARENTE commissa esset. Id quod eò libentiùs faciebam, quòd in ijs libris PLATONICAE ARSTOTELICAEQVE PHILOSOPHIAE scopulos omnes ac salebras longo studio exploratas & conquisitas commonstrarem, à quibus Christiano Philosopho cauendum esset ne fidei morumque iacturam faceret. contra verò decreta omnia explicarem, de quibus cum Christiana, hoc est certissima, quæque nullam in partem nutare potest, veritate, summi illi philosophorum proceres consensere. Quam sanè rem

tum

tum ijs omnibus frugiferam fore ſperabam qui humanæ diui
næque ſapientiæ ſtudia colerent: tum verò CLEMENTI iu-
cundiſſimam, qui de ſacroſanctis fidei decretis propugnandis,
deque Chriſtiana pietate ac ſanctitate retinenda & amplificã-
da diu noctuque cogitaret. Sed ecce tibi, CYNTHI ILLV-
STRISSIME, vix in te egregiasque virtutes tuas oculos
mentemque defigo, cum illorum inſtar qui in ſplendidiſ-
ſimum theatrum aliquod magnificentiſſimè ornatum, ac
mira rerum varietate & pulchritudine diſtinctum, ex inopina-
to inciderint, ornatiſſimo earum ſplendore, admirabilique pul
chritudine capior. Ita factum eſt, vt cum te in dies magis ac ma
gis mecum ipſe obſeruarem atque ſuſpicerem, ſumma quadam
cupiditate flagrare cœperim meam erga te obſeruantiam teſti-
ficandi. Id quod eam mihi mentem iniecit, vt interdum etiam
de prima vigiliarum mearum tibi parte nuncupanda cogitarẽ.
Quid plura? Bartholomæum Blondum, cuius tu non modò in-
tegerrimos ac ſuauiſſimos mores, ſed & Chriſtianam eloquen-
tiam pari cum pietate ſapientiaque coniunctam, tanti facis, ac
meritò quidem facis; conuenio. huic quo conſilio ad Vrbem
redierim, quid deinde in animum inciderit, quò inclinare co-
gitatio cœperit, hæſitãtiam denique omnem atque dubitatio-
nem aperio. Tum ille qua ſolet humanitate, Quid tu (inquit)
hac in re hæres ac dubitas, ac non potiùs & CLEMENTI
PONT. MAX. & CYNTHIO CLEMENTIS nepoti orna-
tiſſimo vigilias iſtas offers ac dicas? nonne animaduertis clariſ
ſimas ac propè diuinas CLEMENTIS virtutes in CYNTHIO
elucere: in eo authoritatem, gloriam, dignitatemque in dies
magis ac magis propagari: illum Chriſtianæ Reipub. iuuandæ
atque amplificandæ cupiditate exardeſcere: & (vt dicam
paucis) ſanctiſſimum illum ſenem veluti PHOENICEM
IN CYNTHIO renouari? Quid? an non meipſo non ſolùm
teſte, ſed ſponſore atque obſide propè dixerim, te illi totum
tradidiſti: cum afflicta quadam in cauſa ad eius opem confu-
giens ac patrocinium, ſingularem eius benignitatem atque
clementiam expertus es? Ergo lucubrationes iſtæ tuæ &
CLEMENTIS PONT. MAX. & CYNTHII CARDI-
NALIS AMPLISSIMI ſunto: id enim non hortor ſolùm at-
que

que suadeo, sed, si tantum authoritate apud te valeo, quantum prædicas & profiteris, præcipio & iubeo. Sic ille. Cui statim ipse omni hæsitatione deposita, libentissimo assensu animo: meque eius mandata curaturum recepi: idque eò libentiùs, quòd hac ipsa de re me iam antea commonuisset LAZARVS SORANZVS: vir sanè (quod non te fugit CARDINALIS SAPIENTISSIME) cum propter insignem familiæ nobilitatem, maiorumque splendorem; tum maximè ob egregia ingenij, doctrinæ, integritatis, vnde etiam AVVNCVLO TVO MAX. ATQVE SANCTISSIMO charus est; pietatisque ornaméta clarissimus. Is enim, vt te mirificè & diligit & colit; immo verò tanquã de cœlo ad nos delapsum admiratur, ac simul Christianæ Reip. de te fœlicissima sperat ac pollicetur, vix aliqua meorũ librorũ partem perlegerat, cũ CYNTHIVM, inquit, CARDINALEM ORNATISSIMVM ATQVE OPTIMARVM ARTIVM PATRONVM ACERRIMVM ET SPLENDIDISSIMVM habes tu Beni, cui tui libri secundùm Pont. Max. meritò ac iurè debentur. Ipse nanque est, qui quos Christianis Philosophis ac bonarum disciplinarum studiosis omnibus iuuandis labores ingentes exantlasti, optimè omnium non æstimabit modò, ac pro ea qua doctrinarum studiosos amplectitur charitate fouebit, verùm etiam perinde ac Sol colores, sui nominis splendore ac lumine illustrabit. Ergo vt horum ego voluntati obtemperem, meisque simul optatis satisfaciam; EN TIBI QVOQVE CYNTHI ILLVSTRISSIME ATQVE REVERENDISSIME NOVVM EXIMIVMQVE SACROSANCTI CARDINALIVM SENATVS LVMEN AC DECVS, PRIMAM HANC VIGILIARVM MEARVM PARTEM, QVOD BONVM, FOELIX, FAVSTVMQVE SIT, DONO AC DICO.

DE TOTIVS OPERIS RATIONE ET INSTITVTO:

DEQVE RERVM TRACTANDARVM OECONOMIA ET SERIE IN VNIVERSVM

AD LECTOREM.

TIMAEI Pulchritudo, vtilitas & difficultas: & quàm multi semper in eo versati sint.

PERDIFFICILEM atque pulcherrimum Platonis Dialogum de NATVRA explicandum aggredior. Etenim cum in eo de MVNDI ortu atque natura sic disputet eximius hic Philosophus; vt ab ipsis rerum initijs atque generibus summis ad indiuiduas vsque partes, per intermedias progressus, admirabilem huius theatri fabricationem, œconomiam, ornatum denique & pulchritudinem veluti ante oculos nobis proponat, incredibile est quàm ingens ad sapientiæ studiosos inde manare possit vtilitas. Quapropter non modò Crantor, Aristocles, Ptolomæus, Dercyllides, Atticus, Plutarchus, demum (ne in singulis recensendis molestus sim: bisdenos enim supra tricenos vnus Proclus enumerare † visus est: quorum tamen omnium iacturam fecimus) Philosophi alij plurimi in vberrimo huius Dialogi campo tanquam in Philosophorum Marathone versati sunt: verùm etiam Galenus, hoc est Philosophus ac Medicus longè eximius, in multis illius decretis explanandis desudauit: multósque labores ac † libros (qui tamen non extant omnes) ad hunc ferè vnum, siue potiùs ad huius partem quandam dilucidandam contulit. Quin etiam Iustinus, (vt de Philone,

† In Timæũ sparsim.

† Lib. de plac. Hip. & Plat. & lib. de his quæ medicè dicta sunt à Pl. in Timæo.

Origene & Eusebio sileam: qui vtinam moderatiùs ex eo hausissent & opportuniùs) Clemens Alexandrinus, Nazianzenus, Augustinus, Cyrillus, Theodoretus, veteres denique Patres fermè omnes tam præclara priscæ Hebræorum veritatis vestigia, ac veluti Christianæ sapientiæ semina in eo conspicati sunt; vt hoc vno varia Religionis nostræ instituta aduersus Christiani nominis hostes propugnauerint. Sed & incredibile est quantopere huius lectione libri delectatus sit, séque in eodem exercuerit acerrimus Græcæ sapientiæ æmulator M. Tullius. Vt enim in aduersarijs illis Aeschynis atque Demosthenis orationibus Atticæ eloquentiæ Ideam ac formam, ita in Timæo admirabilem sapientiæ thesaurum contineri arbitratus est. Denique vix ac ne uix quidem aliquem optimarum artium laude floruisse senties, qui nobilissimum hunc Dialogum tanquam clarissimum Philosophiæ lumen non suspexerit: atque ad eum quasi ad magnificentissimum sapientiæ theatrum non cupidè semper mentem animúmque conuerterit. Quanquam vbi tot tantorúmque iudicio & authoritate virorum ad Timæum nobilitandum careremus, vnus Aristoteles, quod attinet ad humanam sapientiam, instar omnium nobis esse posset. Hic etenim est qui ex Timæo naturalis Philosophiæ ordinem atque dispositionem ferè omnem, decreta quoque multa eaque integra, & (vt rem paucis complectar) initia & semina suæ Physiologiæ desumpsit. Quæ cum ita sint; operæpretium me facturum existimo, si omnem meam curam, operam, industriam, quicquid etiam ingenij atque doctrinæ in me erit (si quid tamen erit) ad hunc Dialogum quem dialogorum omnium principem iure optimo appellaueris, explicandum contulero. Qua in re, vt totius scriptionis nostræ, institutique ratio tibi extet CANDIDE LECTOR, illud primùm curabo, vt disputationem Timæi omnem de Græcis purè atque dilucidè, sed ritè inprimis fideliterque conuertam. Tum verò in suas illam particulas Peripateticorum librorum more tributam atque distinctam, commentarijs explanabo. quos si varijs sæpè dubitationibus cumulauero; hoc equidem appositè & opportunè faciam, vt spero; ac nusquam nisi re ipsa id penitus exigente. Sed & interim, quoniam Platonis Timæo Aristotelis Physiologia respondet, (quanquam longè lateque manat: ac pro rerum copia & varietate funditur Aristoteles. angustis finibus contentus est Plato: atque in exiguum gyrum tanquam in sacrarium suam ille doctrinæ vbertatem nititur compellere & reuocare) physica Aristotelis decreta cum naturali Platonis Philosophia comparabo: res ab ipsis initijs instituens atque pertexens. Quo sanè fiet, vt quibus in rebus hi summi Philosophi inter se consentiant aut dissentiant: quid a Platone Aristoteles mutuatus sit: quidue Plato ex alijs authoribus in Timæum retulerit, liceat animaduertere. Et quoniam nulli Philosophorum sectæ mancipatus aut addictus hanc scriptionem aggredior; sed solutus planè ac liber: immo verò quasi Ethnicorum arbiter ac disceptator: (id enim Christianum Philosophum decet) siue mauis tanquam animaduersor ac censor, (moderatus tamen, atque ad illos defendendos etiam excusandósue paratus vbi commodè possit) omnino indicare

QVAE PRAEstanda sint in hoc opere: ac sigillatim qua ratione & consilio Aristoteles cum Platone sit comparandus.

conabor

conabor vbi nam eorum doctrina cum Christiana veritate cohæreat, vel ab eâdem aberret. Sic enim scopulis cognitis atque perspectis, facilius erit magnum hoc Platonicæ Aristotelicaéque physiologiæ pelagus fœliciter emetiri. Verùm ne quis interim in reliquis Philosophiæ partibus quæ contemplatione continentur, nostrum hunc laborem, quantuluscunque sit; studiúmque requirat; dabimus operam vt quæ de Deo beatísque mentibus præcepit vterque, in his ipsis commentarijs declarentur: atque eodem planè more modóque inter se conferantur, atque ad extremum diiudicentur, quo physica decreta diiudicamus & comparamus. Vt propterea opus hoc nostrum non tam in Platonis siue Timæum, siue Physiologiam, quàm IN NATVRALEM OMNEM ATQVE DIVINAM PLATONIS ET ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM extare voluerimus. Nam quæ pertinent ad Mathematicas disciplinas, ea sanè, quoniam in Aristotelis Platonísque libris sparsim tractantur ac paucis: nec tam ratione ac via traduntur, aut concluduntur præceptis, quàm pro re nata ad multarum rerum notitiam ex Mathematicorum spatijs reuocantur; pro re nata tantùm, ac sparsim etiam paucísque attingentur a nobis. Priùs tamen, ne eorum querelas contemnere videar, † qui totum hoc philosophandi genus non modò spernunt, verùm etiam acriter reprehendunt in Christiano viro, disputabimus DE PLATONICA ET ARISTOTELICA PHILOSOPHIA in vniuersum: simúlque demonstrabimus magno cum Ecclesiæ bono, totiúsque humanæ societatis vtilitate retineri & coli posse, dum tamen debitam illi moderationem & cautionem, quam etiam perspicuam interim facere, ac ueluti in tabulam referre nitimur, adhibere ne grauemur. In quam sanè rem eò libentiùs incumbam: atque vt istorum querelis satisfaciam, neruos omnes ac vires intendam, quòd in alteram quoque Philosophiæ partem quæ ad vitam & mores pertinet, atque actione continetur, hoc ipsum laboris genus Deo benè iuuante susceperim. Quare satis me interim mihi prospexisse putauero, si dum philosophicas scriptiones multas edimus: multas etiam molimur & commentamur: &, vt dicam paucis, in Ethnicorum monumentis volutandis diu multúmque versamur, facti huius rationem, atque eam sanè Christiano viro non indignam lectori reddidero. Etenim præter quam quod interea Patrum quoque Theologorúmque nostrorum uolumina, ac sacros præsertim libros diu noctúque tractare cogimur dum ethnicorum Philosophorum errores, quod fidei reique Christianæ interest, agnoscere & diiudicare conamur, vno RELIGIONIS ATQVE PIETATIS studio philosophicos eiusmodi labores exantlamus. Hæc erit HVMANISSIME LECTOR vigiliarum lucubrationúmque nostrarum tum omnium, tum harum maximè quas in præsentia mandamus literis, ratio & institutum. In quo sanè quæ molimur tum per se singula ardua sunt & difficilia: tum illa pars maximè, in qua ea omnia de quibus Philosophorum Homerus Plato, solertissimúsque Naturæ genius Aristoteles inter se aut conueniunt, aut dissentiunt, atque (vt summatim dicam) philosophantur, explicanda recepimus. Quamobrem Sim-

† Post antiquos multos Agrip. lib. de vanit. scient. Viu. in pseudodialet. Picus in l. de van. gent. Lilius Gyr. in progymn. & alij de quib. Staphil. in epitom. trimẽ. sec. & Bozius Tom. 1. l. 12. cap. itẽ 12.

Quinam Aristotelem cum Platone siue conciliare siue conferre, aut polliciti aut aggressi sint: & quid effecerint.

plicium (quod attinet ad concordiam) liberalissimè † spopondisse, soluendo autem haud fuisse inuenies. nisi tamen pugnes ingenti ære isto tunc se omnino liberasse Simplicium, cum ex Platone etiam non minus frigidè quàm impudenter proferret motus, temporis, Mundique æternitatem: eidem nouum illud corpus siue quintam naturam ex qua cœlum constet, affingeret: eidem eorum omnium quæ mouentur, initium, non secus atque Aristoteli, motionis expers visum esse affirmaret: & si quæ sunt huiusmodi alia, quæ † venditare solet egregius iste conciliator. Boëtius quoque hanc ipsam concordiam in omnem Philosophiæ partem non † promisit solùm, verùm etiam (si quibusdam credimus) aggressus est aliquando. tametsi aut operis magnitudo, aut immatura mors obstitit quominus ad exitum illam perduxerit. Id quod fermè accidit Iohanni Pico: qui cum Platonem & Aristotelem facilè conciliari posse existimaret: ídque se se facturum magna cum omnium expectatione † recepisset (quanquam vt verè concilientur id ego in multis crediderim fieri nullo modo posse) suam ille fidem liberauit nunquam. Nam quod † Ficinus scribit rem perfecisse quidem, sed libros vsque adeo fœdè & inquinatè scriptos morientem reliquisse, vt ne legi quidem possent, demiror valde. siquidem Iohannes Franciscus Picus Iohannis Pici ex fratre nepos omnino † affirmat fuisse quidem ab eo promissam eiusmodi conciliationem: sed scriptam nullo modo. Porrò autem Paulus Schalichius Picum æmulatus hoc idem magnificis verbis † pollicitus est: licet vbi demum promissis steterit, non video. nisi forte aliquid ex istius Encyclopedia in medium afferas: in qua quidem, vt alia multa præteream in quæ sacrosanctis Ecclesiæ decretis iure optimo animaduersum est; prælusisse potiùs, aut etiam lusisse videri posset, quàm in arenam descendisse. Neque verò id non tentarunt Franciscus Diacetius & Symphorianus Camperius: quorum alter in Platonis Conuiuio pleraque Academicorum decreta cum Peripateticis coniungenda suscepit: tametsi dum pauca quædam, eaque sparsim, ac veluti per transennam attigit, quid effecerit aliorum sit iudicium. alter integrum librum scripsit, seu potiùs inscripsit de Platonis cum Aristotele, Galeni cum Hippocrate symphonia: quam tamen; quod attinet ad Platonem & Aristotelem, dolerem equidem exaudiri nusquam, nisi mearum tarditas aurium mihi suspecta esset. Sed longum esset, ac fortasse etiam inuidiosum de ijs omnibus sigillatim dicere, qui cum ad eiusmodi siue concordiam, siue comparationem animum appulerint, nos tamen visi sunt ieiunos ferè ac vacuos reliquisse. Quare tantùm dicam (etsi hoc etiam inuitus dicam) legi posse Sebastianum Foxium in eo commentario quem scripsit de consentione Platonis & Aristotelis: Gabrielem Buratelium qui in Simplicij vestigijs insistens eiusdem sententiæ confecit opus: Francisci Vicomercati librum de Platonis Aristotelisque dissensione & consensione in Philosphia vniuersa: (quanquam huius ego hac de re librum, etsi diu conquisitum, nunquam inueni: vt dubitem etiam an quemadmodum illum † pollicetur, ita mandauerit monumentis) Iacobum Mazonium in methodis de triplici vita, in quibus inter

† In proœm. prior. & alibi.

† Vide l. 8. phy. l. 1. de cæ. & alibi.

† In lib. perier.

† In Concl. & alibi sæpe.

† In Epist.

† L. 4. de vanit. gēt. ca. 2.

† In Concl. & al.

† Ad Card. Loth. in proœmio metaer. & al.

cætera hanc ipsam conciliationem molitur: Fœlicem Accorombonum in dilucidatione difficilium Aristotelis locorum: vbi hoc quoque argumentum sibi tractandum proponit: & si qui sunt alij. Hos enim optatissimi huius præclarissimique operis siue nobilem spem concitasse, siue incredibile desiderium reliquisse intelliges. Vt vel hinc percipere liceat quàm ingentibus difficultatibus & quasi vallis septus sit quem peragrare molimur campus pulcherimus & florentissimus. Quanquam cum illum peruadere, atque vndique perlustrare necesse sit seriò philosophantibus: cúmque ἀθυμοῦντας ἄνδρες (vt est apud † Platonem) οὔπω τρόπαιον sint consecuti, ingentes huiusmodi vallos superare, atque vniuersam difficultatum quasi aciem profligare nitendum est. Id quod longo tandem studio & diligentia, ac diurnis nocturnísque vigilijs effici posse desperandum non est: cum ab ipso rerum authore, qui præclara quæque difficultatibus interclusit, éadem diuturnis sæpè laboribus superari posse tributum sit. Quod hac ratione, si in horum Philosophorum comparationem intueamur; Iacobo Carpentario (concedat autem Petrus Ramus tantum nos huic tribuere, quantum ipsa postulat veritas) aliqua ex parte contigisse video, dum eruditis in Alcinoum digressioribus nonnulla eorum decreta recenset & comparat. Cui etiam rei eiusdem Carpentarij animaduerssiones in physicam descriptionem vsui esse vtcunque possunt: ita enim descriptam Aristotelis physiologiam explicat, vt interdum loca etiam indicet quibus Platonis ea de re opinio continetur. Neque verò Franciscus † Patricius, etsi Aristoteli infensus ac subiratus, inanem hac in re operam nobis nauasse putandus est, licet enim plerunque nuda potiùs vtriusque siue dicta, siue dogmata enumerando percenseat, quàm consensionis dissensionisue semina atque incrementa vestiget; ad hæc saltem non rarò vir eruditissimus tanquam digitum videtur intendere. Atque hoc quidem munus mutua Georgij Trapezuntij ac Bessarionis Cardinalis industria non inutiliter fortasse suscipi ac tractari potuisset, si ad tantorum Philosophorum causam, quasi in Areopago dicturi accessissent: nec se se tot contentionibus ac maledictis (quod † Trapezuntio in primis contigit) longiùs abduci passi essent. Sed & Aristotelis Platonisque dissensiones aliquas, tametsi breuiter & quasi aliud ageret, attigit † Georgius Gemistus, qui & Plethon dictus est. Id etiam fecit Bernardinus Donatus: sed pressè tamen, atque infensiore animo erga Aristotilem quàm decuisset: & ex Gemisto (ne quid dissimulem) vsurpatis quamplurimis. Atque hoc dudum etiam tum Taurum Berythium præstitisse constat, qui Suida † teste, περὶ τῆς τῶν δογμάτων Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους διαφορᾶς scripsit commentarios: tum Proclus in ijs perfecit quibus Aristoteles a Platonis Timæo dissentit: quemadmodum apud Iohannem Grammaticum aduersus eundem Proclum pro Mundi creatione pugnantem legimus. quamuis eiusmodi librorum (quod ego sciam) vestigium extat nullum: perinde atque illa omnia quæ Porphyrius de Platonicæ & Aristotelicæ Philosophiæ concordia septem libris † scripsit: quæque Plotinus totidem libris aduersus Taurum in eandem sententiam disse-

† In Critia post init.

† In Tom. 2. discuss.

† In lib. compar. Plat. & Arist.

† In libello de dogmat. Plat. & Ari.

† In Ταῦρος.

Ex Suida & alijs.

disputauit, temporis iniuria perierunt. Sed quoniam & de instituta ratione multa satis pro opportunitate diximus LECTOR ORNATISSIME; & rerum tractandarum œconomiam ac seriem in vniuersùm exposuimus · simúlque demonstrauimus quàm ingentibus difficultatibus septus sit campus hic pulcherrimus quem ingredimur, nunc distinctè ac sigillatim PRIMAE DECADIS œconomiam, quídque in singulis illius libris contineatur, paucis accipito.

PRI-

PRIMAE DECADIS OECONOMIA:

QVIDQVE IN SINGVLIS EIVSDEM LIBRIS CONTINEATVR.

IN PRIMO libro Platonicæ & Aristotelicæ Philosophiæ studium commendatur primùm, ídque breuissimè. Tum verò contra multis rationibus disseritur eiusmodi Philosophiæ decreta nec percipi posse; nec inter se vllo modo coniungi: nec denique sine iactura retineri. Ad extremum diluuntur eædem rationes: ac Platonis Aristotelísque decreta tum a nobis percipi, tum magna cum vtilitate retineri ac coli posse ostenditur. Quanquam argumentum illud, quo nonnulli pugnant hæc studia Christianæ pietati obesse; quoniam est amplissimum atque grauissimum; sigillatim ac præcipua quadam cura tractatur duobus proximis libris.

Hinc secundo & tertio quæritur an Platonis Aristotelísque lucubrationes quemadmodum continent alias vtilitates multas, ita ad pietatem (quod caput est) Religionémque tuendam atque amplificandam valeant. Atque idcirco ea loca omnia & argumenta quibus effici videtur eorum libros siue obesse, siue prodesse Christianæ pietati, notantur, certóque ordine explicantur. Statímque argumentis collatis, ac damni vtilitatísque rationibus quasi subductis, demonstratur cum vitæ &, moribus, tum Religioni vsui esse posse non mediocriter. Quanquam cum non desint qui vel ex eo velint Platonis Aristotelísque libros repudiandos esse, quòd Ethnicorum doctrinæ minimè attingendæ sint Christiano viro; refellitur priùs horum opinio; atque ostenditur Philosophiam, externásque doctrinas, si debita cautio & moderatio adhibeatur, cum magna sapientiæ ac virtutis accessione, Christianaéque rei bono tractari posse.

IN quarto variæ quæstiones explicantur de materia Timæo subiecta institutóque vniuerso. Vbi, quoniam Timæus in

omnium

omnium propè artium ac diſciplinarum campum pedem quodammodo poſuiſſe, ac diuina humanaque omnia attigiſſe viſus eſt quibuſdam, demonſtratur illum certo definitóque inſtituto ac materia contineri.

Quintus complectitur totius dialogi apparatum, œconomiam, partitionem, atque huiuſmodi alia quædam, quibus omnibus ſternitur aditus ad latiſsimum Platonicæ Phyſiologiæ campum. Quanquam in eo comparantur priùs Ariſtoteles & Plato in naturalis Philoſophiæ inſtituto ac materia: tum verò in phyſica œconomia & artificio: ſimúlque oſtenditur vter ad Chriſtianam philoſophiam congruentiùs iecerit fundamenta.

Sextus ac cæteri duo qui proximè conſequuntur, verſantur in ijs omnibus declarandis quæ ante naturalis Philoſophiæ tractationem tradit Plato tum de politicis inſtitutis, tum de alij multis, quæ non ſolùm ad Timæum, verùm etiam ad libros de Rep., Atlanticum, & Hermocratem pertinent.

IN nono explanantur ea quæ tum ponit Timæus ac ſtatuit tanquam fundamenta vniuerſæ ſcientiæ naturalis: tum in primis refert ad inuenienda conſtituendaque initia & cauſas Vniuerſitatis.

Denique in Decimo veluti digreſsione quadam oſtenditur vnde nam acceperit Plato fundamenta propoſita ſuaéque Phyſiologiæ ſemina & rudimenta: ac ſectæ authoréſque agnoſcuntur quorum decreta ſecutus eſt. Hinc etenim cum aliæ controuerſiæ multæ tollentur in commentariorum progreſſu. tum verò faciliùs intelligetur vbi nam in Mundi ortu conſtitutioneque tradenda ad Moſem veritatémque ipſam acceſſerit: vbi ab eàdem diſceſſerit & aberrarit.

HAEC SVMMATIM IN PRIMA DECADE.
Quæ autem contineant reliquæ duæ, ſuis quæque locis eodem ordine aperientur.

IN

IN PLATONIS TIMAEVM;

SIVE IN NATVRALEM OMNEM ATQVE DIVINAM PLATONIS ET ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM

DECADIS PRIMÆ LIBER PRIMVS.

SI quis est qui varias Philosophorum disciplinas atque instituta secum ipse reputet: nec tamen aliquem desse putet, qui in amplissimo humanæ sapientiæ campo fœliciùs quàm Plato & Aristoteles versatus sit, hunc sanè in augustissimum aliquem Philosophiæ antistitem, ac clarissimum sapientiæ lumen, quo reliqui mortales orbati fuerint, incidisse; aut certè quam longissimè aberrare necesse est. Etenim si omnem ingenij aciem ad Platonem intendas: eiúsque decreta diligenter æstimes & mediteris; hunc vnum esse intelliges, qui non solùm vniuersam Græcorum Barbarorúmque sapientiam accuratè ac splendidè ad suos dialogos retulerit: atque eandem, quod eius fuit ingenium, mirum in modum auxerit & illustrarit: verùm etiam omnes quotquot post eum præclarè de Philosophia meriti sunt, doctrinæ & eloquentiæ magnitudine excitatos, ad sui æmulationem imitationémque conuerterit. Vt quemadmodum inter innumerabiles humanæ sapientiæ negociatores ipse vnus diuini nomen inuenit: atque inter mortales † Philosophorum Deus est appellatus: cæteri verò omnes qui ab hu-

De Platonis & Aristotelis Philosophia.

Præcipua Platonis laus.

† *Cic. 2. de Nat. D. et ad Att. lib. 4.*

ius familia valde dissident, † plebeij existimati sunt: ita maiorum laudem imminuisse: æqualium splendorem (nisi tamen Peripateticorum principem excipias) obscurasse: ac posteris denique principatus spem ademisse fatendum sit. Quod si ad Aristotelem conuertas animum, hunc vnum inuenies inter tot Philosophiæ proceres, cuius siue ingenij vim & magnitudinem, siue optimarum artium studium, siue disserendi subtilitatem, siue doctrinæ copiam & varietatem, nunquam satis admirari valeas. Is enim est qui non modò regiam viam aperuit ac strauit ad Doctrinas omnes, & præterlabentem rerum naturalium veritatem quasi machinis retentam, coëgit inter mortales consistere; verùm etiam omnes penè ipsius Philosophiæ partes, tametsi apud alios plurimùm disiectas, admirabili quodam ordine contexuit: atque elaboratissimis literarum monumentis excoluit & illustrauit. Vt propterea non modò ingenij acumine superiorem non agnoscat: vixque æqualem sustineat: sed magni etiam Dæmonis nomen sibi vendicans, vel cum Platone de gloria ausus sit decertare. Quæ cum ita sint, quisnam ad lautam aliquam Philosophiæ supellectilem, splendidaque humanæ huius consuetudinis ornamenta sibi comparanda non temerè aspirabit, qui siue vtriusque, siue alterius dogmata non dicam spreuerit: sed diu noctúque euoluenda, ac toto pectore amplectenda minimè duxerit?

† Cic. in Tuscul.

Aristotelis commendatio.

De Platonis laudibus deinceps multa: præsertim ad finem huius libri.

De Aristotelis laudibus vide plura in proœmio nostro Moralium.

Platonis & Aristotelis disciplinas esse retinendas.

At esset profectò (dicat quispiam) cur & eorum nomen inter sapientiæ studiosos augustissimum semper haberetur: & nos præcipuè his tanquam ducibus in Philosophia vteremur; nisi tot tantísque difficultatibus ac quasi vallis sua obstruxissent monumenta, vt sæpè non tam de Philosophiæ decretis dilucidandis & explicandis cogitasse, quàm pro ijsdem occultandis, ac quibusdam veluti tenebris obtegendis laborasse viderentur.

Plurimum sanè, fateor, isthæc multaque huius generis alia negocij facessunt: quandoquidem de industria caliginem quandam suis decretis, atque adeo Philosophiæ ipsi offudisse visi sunt. Nam quod ad Platonem attinet, certum est ab ipso alia ænigmatibus ac fabulis, alia metaphoris translatísque rationibus, quamplurima mathematicis figuris ac numeris fuisse inuoluta: ac reliqua penè omnia Socratico illo disputandi genere contineri, ex quo quid non sit potiùs de qualibet re, quàm quid sit, comprehendas. Inter quæ multa etiam (quod maximè quidem refert) ijs nituntur doctrinæ fundamentis, quæ paucissimis tantùm auditoribus, domesticísque sermonibus patefecit. Nam si quid interim in suis dialogis paulo clarius tractat, ita sanè in exemplis atque inductionibus multus est, vt incredibilem quandam afferat satietatem. Quanquam neque tãtopere in multis defatigat animos ac satiat, quin eosdem interdum mira quadam pulcherrimarum rerum suppressione atque taciturnitate planè ieiunos relinquat. Vt quamuis ea omnia suis enodasse concedamus, nostris tamen incommodis non prospexerit, dum ea literis noluit consignari. Cum præsertim (id quod rei caput est) vix aliquas Philosophiæ partes, atque eas nullo penè ordine tractasse videatur. Huc illud etiam accedit, quòd tot tantásque hæreses & quasi spinas in illius doctrinam eius discipulus Aristoteles comportauit, vt mirum sit, si quid

Afferuntur rationes, vt ostendatur Platonis decreta non posse percipi.
Prima.
Secunda.
Tertia.
Quarta.
Quinta.
Sexta.
Septima.
Octaua.

si quid constanter in ea sentire, siue vllos fructus ex eâdem percipere valeas. Etenim cum Platonis † Academia magno Philosophorum concursu, sapientiaêque splẽdore indies percrebresceret, ecce tibi Aristoteles præceptoris gloria commotus, acutis quibusdam argumentis, quanquam fallacibus & captiosis, eum iam senectute penè confectum, memoriáque malè firmum adortus, ab Academiæ Peripato, vbi doceret, intra priuatos lares secedere primùm impulit. tum verò cùm Peripato liberè frueretur, ac sectatores non paucos nactus esset, inuidentiæ omnino indulgens, omnem ingenij vim ad Platonis doctrinam, retulit oppugnandam. Et quamuis Xenocrates deinde Speusippo, aliísque nonnullis suffragantibus, sese Aristoteli opposuerit: eundémque è Peripato eijciens, Platonem illuc ad docendum reuocarit; Aristoteles tamen cum ex aduersa parte in Lyceo gymnasium aperuisset, eandem doctrinam labefactare non destitit. vt nouis in dies querelis in eum excitatis, ijsdémque etiam crebris repetitionibus inculcatis, viam etiam quam in huiusmodi obtrectationibus innumeri penè persequuti sunt sectatores, amplissimam patefecerit. Sed quid ego Peripaticorum iniurias commemoro, cum ipsimet Academici in sui Principis doctrinam tot opiniones, atque eas è regione pugnantes disseminarint, tot controuersias suscitarint atque discordias, vt quam ipsi explicandam illustrandámque recepissent, labefactare potiùs, atque suis sedibus conuellere visi sint? Et quidem licet Platone ac paulo post etiam Speusippo eius successore vita functo, in vnum Xenocratem † Academia deuenisset, isque non omnino esset indignus cui tantæ disciplinæ patrocinium committeretur, postea tamen in tot sectas diuulsa est atque disiecta, vt vel de vna fœlicitate ex nouis Academicis & Cynicis trecentas fermè opiniones siue sectas emersisse locupletissimo † Varronis testimonio compertum sit. Et quanquam posterioribus deinde seculis Plotinos, Ammonios, Porphyrios, Atticos, Iamblichos, atque huiusmodi alios illustrioris notæ Philosophos inuenerit, qui nouorum spretis Academicorum inuentis, constantiùs veteri Academiæ, Platonique ipsi adhæserint; ij tamen, vno Plotino excepto, tot allegorijs, symbolis, & (vt veriùs loquar) portentis ac fabulis Platonis doctrinam cumularunt, vt quantum ex illorum fragmentis, † Proclóque in primis animaduertere licet, sæpe nouum potiùs Aesopum, ac quasi Proteum effingere ac moliri visi sint, quàm susceptum Academiæ patrocinium præstare. Quamobrem haud mirum videri debet Ficinum, Diacetium, ac recentiores denique multos, qui consimili quodam philosophandi genere delectati, trita horum vestigia sæpenumero persequuntur, seipsos nouis interdum difficultatibus ac nodis implicare potiùs, quàm cæteros expedire. Sed de Platonicorum vigilijs cum sæpe aliàs, tum præcipuè ad Timæi initium copiosiùs † disseremus.

NVNC ab Academicis ad Peripateticos diuertamus. nam haud multo aliter de Aristotelis Philosophia accidisse arbitreris. Hic etenim presso dicẽdi stylo, obscuróque orationis genere suã adeo inuoluit perstrinxitque disciplinam, vt quod Plato fabulis, allegorijs, mathematicis rationibus, ac

† Aelia. var. hist. lib. 3. Clem. Alex. Stro. lib. 1. et alij.

Nona.

† Aelia. lib. cit. Diog. in Plat. Cic. & alij.

† Ex B. Aug. 19. de ciu. D. c. 2. & 3.

Decima.

† In Tim. in Theol. elem. & in Theol. Plat.

† Vide Dec. 1. l. 5. Dec. 2. lib. 2. 3. & deinceps sæpè. consule etiam quæ habẽtur in pro œm. ad lect.

QVAE VIDEANTVR suadere Aristotelis doctrinam cõprehẽdi nõ posse. Primum.

cæteris id genus inuolûcris effecerat, vna sententiarum breuitate atque

Secundum.

obscuritate sit consequutus. Huc accedit quòd permulti Aristotelis libri desiderantur, atque ij sanè grauissimis de rebus conscripti: multi etiam, aut certè qui diuinam Philosophiam continent, præpostero ordine sunt collocati atque dispositi. Quamobrem si frequenter disserendi breuitate acuta etiam retunduntur ingenia, atque ita retunduntur, vt eius sententiam in vmbra potiùs intueri atque adeo vaticinari liceat, quàm constanti aliquo iudicio comprehendere: lucubrationum quoque iactura, praua ve colloca-

Tertium.

tio nostra studia in ipso meditationis cursu sæpissime interpellant. Neque hic tantis huius disciplinæ incommodis, etsi grauissimis, finis factus est: etenim cum in tanta rerum obscuritate atque ignoratione illud aliquando perfugium homines haberent, vt ad eorum scripta confugerent, qui aut ab Aristotele ipso fuerant instituti: aut ab ijs tanquam Aristotelicæ doctrinæ hæredibus hæc per manus quasi tradita suscepissent; iam cum hæc ipsa quoque interierint, maximum nobis præsidium ademptum est Peripateti-

Quartum.

cam doctrinam percipiendi. Quin etiam dum libri quos incolumes ex Aristotele adhuc habemus, multorum annorum spatio, ab Attalicis scilicet Regibus vsque ad Syllæ tempora; in terræ visceribus delituissent, cum ea vtilitate quæ ex multorum studijs hac in re ad nos permanere potuisset, caruimus; tum (quod multos vehementer commouit) eos non nisi laceros, & vetustate consumptos, ac denique † Apelliconis cuiusdam inscitia de-

Quintum.

prauatos excepimus. Quòd si temporum interuallo Andronicos, Alexandros, Ammonios, aliósque solertissimos viros habuimus, qui de Aristotelis disciplinis retinendis explicandísque cogitantes, multum operæ ac studij hac in re posuerunt, plurimúmque lucis posteritati attulerunt, hos quoque partim desiderari, partim diminutos ac mutilos, & magna fortasse ex parte adulterinos ad nos intelligimus peruenisse. Qui etiam apud multos peregrini ac propè incogniti ita diu iacuerunt, vt vnius Arabis patrocinio tanta Aristotelis doctrina fulciri ac sustentari visa sit. Iam verò (vt

Sextum.

paulo acriùs aduersariorum partes agam) incredibile est quàm valde hæsitet, quantísque æstuet dubitationibus Peripataticorum Princeps. Etenim nullum fermè locum tractat, quin eundem anteuertat ingenti dubitationum acie. Quarum plerasque, vbi aduenerit explicandi tempus, aut omnino supprimit: aut sic tractat, vt nullus exitus inueniatur: aut denique solennibus illis verbis ἐν τοῖς ὕστερον διωκυμένοις ἐροῦμεν, ὕστερον ἐπισκεπτέον, περὶ τούτων ἄλλος λόγος, atque his similibus postulans sibi tempus ad solutionem prorogari, nusquam tandem se debito ac promissis liberat. Quamobrem in aliorum sententijs oppugnandis, dubitationibúsque in eas congerendis tam profusus est ac multus: contra verò in suis decretis ferendis tam obscurus ac breuis, vt ad dubitandum potiùs quàm ad docendum fictus videatur: iustiúsque σκοτεινὸς cum Heraclito, aut, ἀσύστατος, cum Arcesila possit nuncupari. verùm mittamus in præsentia hæsitantiam istam. Etsi enim non facilè sit ei condonanda, qui cum lubricas quasque controuersias miris tergiuersationibus subterfugiat, minimè omnium dubius videri velit, libera-

liter

† Vide Athe. lib. 5. Strab. li. 13. & Plutar. in Sylla.

liter tamen cum illo agam, quòd ad eius inconstantiam mea festinet oratio. Et sanè dum varijs dubitationibus quasi fluctibus iactatus, in varias se partes versat, non ita ad latebrosos illos recurrit sinus, quin mirificè aliquando secum ipse dissideat ac pugnet. Immo verò in grauioribus quæstionibus nullum propè locum apud eum inuenies, in quo tutò consistere possis. Ex quo sanè factum est, vt sæpè vna de re non solùm innumeræ ferè sententiæ ortæ sint inter Peripateticos, verùm etiam quamplurimæ sectæ sibi è regione pugnantes emerserint. Quæ etiam sic indies magis ac magis excrescunt, vt iam nullus fermè terrarum angulus reperiatur, qui non suam enumeret. Atque hæ quidem sectæ sic inter se dissident, vt singulæ suas sententias in Aristotele ratas ac firmas prætexant: idque etiam reipsa ostendere videantur. Vt propterea verissimè dici possit Aristotelem dissidiarum fontem esse: nihilque in eo varietate atque inconstantia firmius reperiri. Quæ omnia, etsi ea sunt, quæ omnino deberent cogitationes nostras à Peripateticis studijs auertere, illud tamen potissimum restat quod Christiano Viro maximè præuidendum est atque præcauendum. Sed quid istud tandem? Illud sanè, quod de eo, qui in Christianorum manibus tantopere versetur, non sine pudore dicere audeo: sed dicam tamen. Extant enim multa in Aristotelis Philosophia, in quibus Philosophum peccare ac labi non solùm indignum est, verùm etiam flagitiosum ac turpe. Atque, vt ex ijs, quæ plurima quidem sunt, pauca quædam attingam, diuinam prouidentiam in suspicionem vocauit iste: DEVM ipsum certo globo affixit, quasi pistrino cuidam per omnem æternitatem damnatum: eiusdem virtutem nescio cuius corporis vel potiùs circuli finibus terminauit: illúmque verbotenus magis quàm reipsa rerum cælestium, ipsiúsque Vniuersitatis fecit authorem. Immo verò tam arcta eum naturæ necessitudine cum abstractis illis mentibus consociauit, vt (si ei credas) nullo ferè discrimine distinguantur: tantum abest vt infinito interstitio eas omnes superare confessus sit. Neque verò ab his valde dissentiunt ea quibus primæ materiæ, supernarum mentium, Mundi denique ipsius æternitatem introducit. Etenim tam liberali munificóque ingenio præditus fuit egregius hic Philosophus, vt ne ea quidem quæ sunt Dei propria, rebus mortalibus impertiri, & cum Mundo communia efficere dubitarit. Quid quod DEVM, si rerum ortum ac procreationem spectes; aut commentitium (id quod paulo ante dicere cœperam). Vniuersitatis authorem fecit, aut materiæ necessitati astrictum, nullúmque aliud efficientiæ genus tulit, nisi id quod artis ac naturæ finibus continetur? De humano vero animo mirum est quot quantásque errorum quasi ansas importarit in Philosophiam. Primùm enim de eius natura sic agit, vt quamuis interdum tentasse videatur eius immortalitatem statuere, apertissima tamen initia atque argumenta obtulerit, quibus eo authore, planè mortalis decerneretur Huc accedit, quòd si mortalitatis scopulos in eo deuitaris (quod tamen nisi aut dissensiones multas in illo admittas, aut τὴν θέσιν διαφυλάττης, nunquam feceris) in alios subinde non minus periculosos incidas necesse est. Nam statim præcluditur via atque ratio, qua eundem

Septimum.

Octauum.

dem

dem animum statuas aut cum corpore procreatum: aut pro hominum numero, sic vt suus cuique tribuatur, existere: aut corpori ipsi non motionem solùm, sed vitam etiam impertiri: ita vt perfectissima humani corporis forma, (quam Peripatetici vocant) dicendus sit. Ex quo sanè factum est, vt nullam in partem propendêre possis sine aperta pietatis atque Christiani nominis offensione. Nam quis est tam hebes, qui non videat hinc pietatem, religionem, iustitiámque vniuersam labefactari, seu potiùs funditus tolli: DEVMque ipsum (si Aristotelico more fingatur) omni prorsus diuinitate spoliari? Hinc grauissimæ sanctorum virorũ querelæ ab ipsis ferè Christianæ Ecclesiæ incunabulis excitatæ, extant in Aristotelem. Nam vt interim †Irenæum atque †Iustinum omittam, quorum alter clamat perniciosæ Gnosticorum dementiæ Aristotelem suffragari: alter integro libro eius insectatur errores: aureus ille eloquentiæ fons Chrysostomus Aristotelicam doctrinam veluti arma quædam detestari visus est, quibus impij hæretici Christianam veritatem non oppugnarent solùm, verum etiam exulare iussissent. † Ἀπόλετο *(inquit)* ἡ ἀλήθεια παρὰ τοῖς ἀσεβέσι, καὶ ἐκράτησεν ἡ Ἀριστοτελικὴ διδασκαλία. *Quocirca eorundem hæreticorum impietatem expostulans, quòd illi Aristotelica docti, Filij & Spiritus Sancti diuinitatem eleuare contenderent,* Ἀγανάκτισον *(inquit B. Paulum appellans)* ὑπὲρ τῆς πίστεως. ἀγανακτῶν εἰπὲ τοῖς αἱρετικοῖς. Πόθεν ἐδιδάχθητε τὰ Ἀριστοτελικά; *Atque hinc Chrysostomo antiquior* † Tertullianus, *cœlestes illas Apostoli voces, quibus Philosophiam, inanémque sapientiam increpauit, in Aristotelem conuertit omnes. Quamobrem cum dixisset Aristotelem, & versipellem esse, & in sententijs coactum: in coniecturis præterea durum, argumentis operarium, contentione molestum, etiam sibi ipsi omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit: præcipuè verò excellentem struendi & destruendi artificem, subiungebat* † Hinc illæ fabulæ & genealogiæ interminatæ, & quæstiones infructuosæ, & sermones serpẽtes veluti cancer: à quibus Apostolus nos refrenãs, nominatim Philosophiã, & inanem seductionem cauendã monet. *Hæc Tertullianus. Quid verò magnus ille Theologus, qui à singulari diuinæ Sapientiæ studio nomen inuenit, Gregorius? Quem alium nisi Aristotelem, eiúsque sectatores intelligit, dum† effrenatos illorum in disputando impetus arguit, qui quintum quoddã corpus, & à materia semotum, ac quodammodo incorporeum excogitarunt? Quem præcipuè† exagitat præter Aristotelem, dum obiurgat eos qui materiam æternam atque increatam confingunt?† Nonne Aristotelem idcirco etiam increpat, quòd versutum sectetur artificiũ: quòd nimis ieiunam atque angustam Deo tribuat prouidentiam: quòd denique humanum animum mortalem effinxerit?* † *vt meritò quidem clamet abiecta huius dogmata esse refutanda: eúmque Aegyptiacam veluti* † *plagam appellet, quæ in Ecclesiam perniciosè irrepserit. Atque hæc ferè omnia (si noua de Aristotelis impietate iuuat audire testimonia) quamplurimi adhuc ijdémque grauissimi testantur Patres. Dum enim de Deo loquitur ille, exclamant* † *Clemens Alexandrinus* † *Ambrosius &* † *Athenagoras,*

Nonum, in quo Patres varij testes proferũtur in Aristotelem: nimirum Irenæus, & Iustinus.

Chrysostomus

Tertullianus.

Nazianzenus.

Clemens Alexandrinus.

† *Iren. lib. 1. aduer. hær. cap. 24.*

† *Iust. lib. cõt. Ari. & orat. parenet.*

† ὁμι. εἰς τὸ ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος.

† *De præscri. aduers. hæreticos ferè ad initium.*

† *Ad Timot. 1. ad Tit. 8. 2. Tim. 2. ad Coloss. 2.*

† *Orat. 2. de The.*

† *Orat. 2. de The.*

† *Orat. 2. de The. in fine.*

† *Loco citato.*

† *De moder. in disp. seruã.*

† *Clem. or. hort.*

† *Ambr. ini. exam. l. 1. c. 1.*

† *Ath. in Apol. pro Christia.*

† Theod. lib. de Prou. ser. 1. suppresso Aris nomine.
† Nem. de an. saeul. c. 44.
† Ambr. l. 1. off. c. 13. Epi. 3. to. 2. c. vl.
† The. l. 5. de uran.
† Aeneas in Theoph. dial.
† Isid. orig. l. 8.
† Iust. in ad hor.
† Cyril. lib. 2. con. Iul. paulo post init.
† Tert. in lib. de an. & alibi.
† Chry. hom. 7 in c. 1. ad Co. & al.

Ambrosius. Athenagoras. Theodoretus. Nemesius. Epiphanius. Aeneas Gazeus. Isidorus. Cyrillus Alexandrinus.

goras. Dum eiusdem Dei prouidentiam attingit, clamat adhuc Clemens, vrget † Theodoretus, quæritur † Nemesius, ac cum ipso † Ambrosius iterum & Epiphanius. Dum de humano animo agit, detestatur eius furorem Origenes, ac † Naziãzenus rursum, † Nyssenus, † Theodoretus, † Aeneas, † Isidorus atque † Iustinus. Denique dum materiam atque Vniuersitatem ipsam æternam facit; sexcenti (ne te in illis recensendis detineam) de eius temeritate expostulant. Quæ etiam magna ex parte post Iustinum † Cyrillus Alexandrinus (vt interim alios nonnullos prætercam) vituperauit in Aristotele. Hæc præcipuè sunt quæ facilè existimes tum horum Philosophorum disciplinas difficiles atque spinosas reddere: seu potiùs omnes ad eas aditus intercludere: tum præsertim ab Aristotelicis contemplationibus Christianum virum arcere. Nam si † Tertullianum, † Chrysostomum, atque alios nonnullos audias qui Platonem etiam in veram pietatem plurima peccasse tradunt: atque errorum ansas præbuisse multis, vtrunque sanè fidei nostræ hostem, &, vt est apud sanctos viros, hæresum Patriarcham appellare poteris, atque à Christiana societate arcere.

Ad rationes quibus differebatur Platonis decreta nõ posse percipi. Ad Primam.

QVANQVAM si æquiores simus, neque tam grande exhibent negocium, quin horum Philosophorum decreta, si non omnia, præcipua certè percipere liceat, dum tamen summum in hæc studium, neruósque omnes intendamus: neque rei Christianæ illos sic obesse ostendunt, quin possint cum vera pietate coniungi: & cum Ecclesiæ vtilitate retineri. Nam vt de Platonis fabulis, allegorijs, huiusmodique alijs inuolucris primo loco dicam, hæc sanè, si artificio atque industria non careant, maiorem interdum vtilitatem habent, quàm quæ nudis sermonibus exponuntur. Etenim præterquam quod suis quasi imaginibus vehementiùs pulsant animum, résque ipsas memoriæ firmiùs consignant, nouitate atque festiuitate admirationem pariunt & voluptatem: quæ duo vt mirificè ad disciplinas alliciunt capessendas, ita de difficultate plurimum demunt. Huc accedit quòd allegoriæ ac fabulæ istæ non vsque adeo magnam Platonicæ Philosophiæ partem occupant, immo verò exiguam. Vt omittam eas si omnino abstrusæ videantur, nec alibi fiant ab eodem auctore perspicuæ, sæpè ad eorum cognitionem, cum aliunde perueniri posse, tum præcipuè, si quæ Aristoteles eâdem de re scripsit, cum Platonicis disputationibus conferantur. Etenim (vt rem exemplo aliquo illustremus) quis tandem neget pulcherrimam illam Timæi fabulam, qua Aegyptius Sacerdos Palladem, cum eam sibi regionem delegisset, quæ prudentissima ingenia esset editura, ex Tellure & Vulcano seminibus desumptis, Athenas condidisse, conditásque legibus exornasse ait, atque ita homines qui ex eo solo susciperentur, optimè ad belli pacisque munera tractanda informatos, præclara facinora edidisse; eò præcipuè spectare, vt optimum Atheniensis regionis temperamẽtum significetur: & proinde factum esse, vt gentes, quæ in ea degerent, cæteris populis ingenio ac fortitudine antecellerent? Quod si quis non id facilè inde intelligat, Critiam & Menexenum perlegat: ac tandem, si neque hæc loca ab omni eum dubitatione liberent, in similes enim quasdam allegorias

& ip-

& ipsa interdum reuolui videntur, quartum reipub. librum euoluat, tandémque ad Aristotelem confugiat, qui in sua † Politia rem hanc dilucidè est persequutus: docuit enim Europæ ac frigidarum incolas regionum robusti atque excelsi animi esse, seu potiùs eo multum abundare: ingenio autem humili existere atque demisso. contra verò Asiæ populos ingenio quidem & arte excellere; animi tamen fortitudine ac robore esse destitutos: ac proinde hos ad seruitutem, ad libertatem illos natos videri. Atque hinc sanè ostendere conabatur Græciam, Athenienséſque in primis, quippe qui medium locum sortiti essent, cum animi magnitudine atque ingenij gloria reliquis gentibus antecellere; tum etiam ad imperandum optimè esse à Natura conformatos. Quam quidem sententiam acerrimus Platonis imitator M. Tullius cum optimè (ni valde quidem fallor) percepit, tum ingeniosissimè † ad Patriæ laudem conuertit. Cùm enim Romanos cæteris gentibus non ingenij & sapientiæ solùm, sed belli etiam laude plurimùm præstitisse affirmet, Romámque ipsam virtutis, imperij ac gloriæ domicilium appellet; Græcos verò, quippe qui doctrinæ, rerúmque gestarum laudibus excelluisse, vel ipso interdum non repugnante, iudicarentur, non nisi in Europæ angulo floruisse condendat, animositateque prætere a ita fuisse destitutos, vt hostes ne viriliter quidem aspicerent; quis obsecro Platonico exemplo atque artificio patriam exornasse inficietur? Mitto quæ de auro in hominum animis insito, ac de Sirenis in Politia tradidit Plato: mitto quæ de cœlestibus illis sororibus in Epinomide: prætereo quæ de Ioue diuorum exercitu stipato, atque in currum imposito in Phædro: ac reliqua denique huiusmodi alia taceo, quæ vt sunt cum Philosophiæ præceptis coniuncta, ita etiam ab Aristotele tractantur fabularum sepositis inuolucris. Translationes verò aut ijs in rebus vsurpantur à Platone, quæ solidiorem probationem à nobis non expectant, quemadmodum aliqua ex parte & primæ materiæ, & intelligentis animi naturam præter alia nonnulla Aristoteles explicauit: aut ad dialogi splendorem festiuitatémque comparandam retinendám ve assumuntur: vt hæc legentis animum oblectare potiùs atque subleuare debeant, quàm retardare. Porrò autem Mathematicæ explicationes, quæ sanè ad res etiam pergraues à Platone referuntur, si difficultatem interdum præseferant, inertiam nostram magis euincunt, quàm Platonem arguāt obscuritatis. Nam cum Mathematicæ disciplinæ, vt magnam humanæ eruditionis partem continent, summis semper Philosophis, ac Platoni in primis in delitijs fuerint, quis méretur si nostri homines ad physicas diuináſque doctrinas liberalissimis illis studijs, aut leuiter degustatis, aut omnino neglectis accedentes, immo verò illotis pedibus, ac (quod Gellianus ille Taurus † conqueritur) ἀθεώρητοι καὶ ἄμουσοι repentè ad nobiliores Philosophos deuertentes, in maximas difficultates atque angustias sentiant se esse redactos? Et sanè dum Aristoteles cum Mathematicis exemplis, tum rationibus, quæ sanè tot tantáſque difficultates non plebeijs Peripateticis attulere, tam frequenter vtitur, atque in Physiologia integros ferè libros ad vnam aut alteram demonstrationem conficiendam in

† Geo-

Ad Secundam.

Ad tertiam.

† Lib. 7. c. 7.

† Ex varijs locis intercisè, vt 1. de orat. 2. Tusc. pro Flac. & alibi.

† Lib. 1. c. 9.

† lib. 6. & 7. phys.
† Lib. 8. de rep. ad initiũ.
† In Timæo.

Geometricis rationibus † consumit, nec tamen ingenuos animos à conquisitionibus illis deterret; cur nostros prosternet animos Plato, qui vix semel atque iterum (dum scilicet † circuitum humani ortus, ac † mundani animi naturam Pythagoreo more explicaret) pergrande aliquod negocium ob Mathematicas rationes facessere visus est? Nam Geometricæ rationes, quas ad primorum quatuor corporum naturam explicandam reuocauit, dum res physicas † Mathematicis figuris conflare visus est, non eæ sunt, quæ si accuratè expendantur, non facilè tandem percipi possint. Neque multo aliter de Socratico illo disputandi genere sentiet is, cui exploratum fuerit quid nam tentatiuæ (quas appellant) disputationes præstent: quod sit obstetriciæ artis munus: & quo denique consilio (vt rem complectar breui) Socraticam illam inquisitionem instituerit atque adamauerit Plato. Ita enim illud verissimum esse intelliget, quod doctissimi viri † Plutarchus & † Galenus hac de re docuere, dum significauerunt Socraticum hoc inquisitionis genus aptissimum esse quo tum longè lateque manantem Sophistarum ostentationem & superbiam frangeret, atque detegeret ignorantiam: tum iuuenum mentes inanibus Sophistarum disciplinis deprauatas corrigeret, ac quodam quasi medicamento perpurgaret. Sic etenim ad veram rerum cognitionem, honestiorisque vitæ officia, quorum omnium præceptiones reliquis dialogis temperatiore sermone complexus est, traduci posse, atque ad humanitatem ipsam informari, summus hic Philosophorum Princeps animaduertit. Quanquam, dum Aristotelem, qui ita diu in antiquorum sententijs commoratur, atque easdem tam apertis reprehensionibus insectatur, tanto cum applausu studióque complecteris; cum tamen sententiæ illæ (si æquiore animo considerentur) egregiæ interdum videri possint; cur Platonem non sustineas, qui captiosas fallacissimásque Sophistarum opiniones tam prudenter ac verecundè (huc enim præcipue ironiam illam spectare quis dubitet?) refellit: ibidémque optimarum artium vias indicans, tam multa præclarè tradit? Iam verò, etsi non dubito immo ex † Aristotele qui ἀγράφων τῶν δογμάτων Πλάτωνος non scriptorum, inquam, Platonis decretorum mentionem facit, perspectum habeo aliqua suos docuisse Platonem quæ licet scriptis quibusdam (vt idem Aristoteles indicat) circumferrentur, publicis tamen literis minimè consignauerit; ac multa etiam memoriæ prodidisse, quæ longè vberiùs lucidiúsque nonnulli ex plena eius oratione excepissent, ac præsertim vbi de Deo, de Dæmonibus, déque alijs nonnullis (id quod alibi ostendam) philosopharetur, non est tamen cur ex præsentibus scriptionibus quamplurima Platonicæ Philosophiæ decreta, atque ea præsertim quæ ad Naturæ rationem pertinent, omni ferè ex parte cognoscere desperemus. Quamobrem cum librum quem † Philopono, ac † Suida teste, de ijs conscripsit Aristoteles, quæ docuit quidem Plato, sed posteritati non commendauit, libentissimè (cautione tamen adhibita) perlegissem: attamen cum ea quæ extant, tam splendidis omnium planè rerum atque artium doctrinis contineantur, vt noua in dies & clariora introspicere liceat, si quid ex eius de-

† In quæst. Plat. q. 1. et lib. de decr. Plat.
† Li. de plac. Hip. & Pl.
† L. 4. phys. t. 15.
† 4. phy. com. 6.
† Li. de bono Dæmone.

Ad Quartam.

Ad Quinctam & Septimam.

cretis desideremus, vel non ita perspicuè fuerit explicatum, æquo animo ferendum est. At qui tandem (inquies) hæc nisi apud stolidos Philosophos de illo affirmare audeas, qui non modò vniuersas Philosophiæ partes complexus haud fuerit, sed nobiliores magísque necessarias prætermiserit? Nam esto in Timæo naturalem, in libris de Rep. ac de legibus politicam Philosophiam sit persecutus: esto etiam in varijs dialogis multa disseruerit quibus priuati homines ad virtutem informentur; vbi quæso egit de artificio disserendi, quod ad veritatis conquisitionem vsqueadeo est Philosopho necessarium? vbi de beatis illis atque à corporis concretione penitus abstractis mentibus, déque ijs omnibus quæ ad diuinam Philosophiam pertinent? cum præsertim veritus de Deo disputare, hunc & inuenire difficile, & enuntiari ἀδύνατον esse affirmarit? Nam Mathematicas disciplinas, siue eas spectes quæ attinent ad numerorum magnitudinúmue rationem, siue quæ ijsdem quodammodo fulciuntur, Musicem & Astrologiam, has sanè omnes à Platone prætermissas fuisse certum est. Quin etiam dum de vita & moribus, vt laudatissimis Socratis institutis planè imbutus videri voluit, tam frequenter verba facit, præterquam quod œconomica, hoc est optatissima atque humanæ Societati pernecessaria præterit instituta; ita dispersè ac sine methodo ea tractat, tam in bonorum ac malorum finibus statuendis anceps est atque ieiunus, sic denique ab virtutum ipsarum ordine, fine, vsúque commonstrando alienus, vix vt minimas germani Philosophi partes ac munera expleuisse videatur. Dicuntur ista quidem, atque à Peripateticis in primis: sed quàm aut dicantur verè, aut obijciantur iustè, propria disputatione conquiremus. Est enim cum grauissima, tum varia ac multiplex hæc dubitatio: immo (vt ingenuè fatear) totam fermè controuersiam continet: cum huc maximè aduersariorum, sed Peripateticorum imprimis, tela pertineant. Quamobrem ne interim prolixa vnius controuersiæ tractatione longiùs quàm par est nostra hæc protrahatur oratio, atque institutæ disputationis cursus in medijs spatijs obturbetur, grauissimam hanc quæstionem Euthyphroni dialogo, in quem modò scribimus commentarios, præfigemus. Cum enim omnino cupiamus, vt qui ad Platonis lectionem accedunt, his statim siue spinis, siue salebris perpurgatum aditum inueniant, Euthyphroni maximè qui primus inter Platonicos dialogos enumeratur ac legitur, iuremerito præfigetur. Iam verò ijs, qui Platonem aliquando multum esse affirmant: ac præsertim in inductionibus & exemplis, cauendum est sanè ne dialogi officia ignorarint. Etenim incredibile est quantum & exemplis & inductionibus gaudeat dialogus: atque in ijs præsertim quæ pertinent ad uitam & mores. Sic enim faciliùs non modò captamus assensionem, verùm etiam quid in vnaquaque re sit rectum aut prauum, verum aut falsum intelligimus: simúlque de rerum gerendarum ratione, déque totius vitæ officijs admonemur. Quamobrem cum in omnibus ferè Platonis dialogis, atque in ijs maximè in quibus frequens est exemplorum inductionísque vsurpatio, de virtutibus ac vitæ officijs disputetur, haud mirum videri debet, si tam libenter hac argumentandi

Ad Sextam.

ratione

ratione vtatur. præsertim uerò quòd sæpe insectatur Sophistarum opiniones: quarum falsitatem inductione, iteratisque rerum exemplis faciliùs deprehendi atque prosterni nemo est qui non videat. Huc etiam accedit, quòd ijs qui dialogis in rerum conquisitione vtuntur, illud inter cætera curandum est diligenter, vt eam disputandi rationem teneant quæ ad commune dicendi genus (vbi tamen res id patiatur) accedat. Sic enim in concertationibus verisimile ac decorum conseruatur rectiùs: commodiúsque explicantur ea de quibus instituta est disputatio. At communis hæc dicendi ratio maximè oritur ex eorum quæ indiuidua sunt inductione, atque rerum domesticarum exemplis: quæ ita demum vim suam obtinent, atque aduersarium vrgent, cum illustris fuerit atque accurata enumeratio. Quid quòd satietas illa in dialogis de Græco conuersis facilè creatur, quòd splendorem illum sermonis atque venustatem, in primis verò sententiarum ac partium elegantiam ac concinnitatem haud referunt? Quare si græcè doctus Platonem perlegas, sentias profectò tam suauiter, tantáque partium consensione eius orationem fluere vniuersam, vt (quod grauissimorum virorum testimonio constat) ne unum quidem verbum auferre ab ea possis, quin aliquid etiam de Attica illius venustate atque elegantia minuatur. Denique qui Platonicæ orationis vbertatem copiámque non probant, meminerint nimiam festinationem ac breuitatem solidæ eruditionis esse nouercam: videántque ne aut quorundam dumetis atque angustijs assueti agrorum amœnitatem atque vbertatem fastidiant: aut pulcherrimam Solis lucem oderint, quòd in caligine quadam sint educati. Sed ad Aristotelem propero, cuius quidem concertationes nostros erigere animos deberent potiùs, atque ad Platonis doctrinam capessendam inflammare, quàm vel minimum quidem de nostris studijs remittere. Etenim vehemens acerrimúsque disputator fuit Aristoteles, (fateor) ac magnitudine ingenij ad miraculum propè excelluit. Verùm vbi Præceptoris doctrinam insectatur, gloriæ cupiditate ductus est sæpius, æstúque inuidiæ, quàm ingenij doctrinaéque vbertate. Nam quemadmodum † Themistocles Milciadis trophæis excitatus, neque somnum, neque vllam partem quietis capere poterat; ita etiam Aristoteles Platonis gloria permotus, eiúsque nomini atque existimationi summopere inuidens, tantam doctrinæ copiam æquo animo nunquam potuit sustinere. Quanquam haud scio quàm accommodatè Aristotelicæ concertationis rationem ac vim hac comparatione explicauerim. Themistocles enim ita Milciadis commotus est gloria, vt eum deinde rerum gestarum magnitudine facilè superauerit: hic verò, etsi multùm quidem profecit, plurimúmque laudis est consequutus, frequentiùs tamen ad obtrectationes falsásque criminationes confugit, atque alterius ruinis, gloriæ quasi molem sibi erigere studuit, quàm honestiore sibi ratione prospexerit. Nam cum Platonis eloquentiam se imitari atque exprimere posse omnino † diffideret; eruditionem verò sublimiùs ferri animaduerteret, quàm parem se se illi præstare posset; totum se ad eius Philosophiam labefactandam, ac, si fieri potuisset, euertendam contulit. Quamobrem vt † Herostratus ille,

Ad Octauam.

† Plutar. in Thes. & in Themis. Cic. 4. Tusc.

† Similia de Phil. eloquentia habet Basil. epist. 161. quæ est ad Diodorum.

Stæri. lib. 4.

cum famam aliunde consequi minimè valeret, magnificum illud ac toto terrarum orbe celeberrimum Ephesiæ Dianæ templum incendio deuastauit, perpetuam se inde sui nominis famam apud posteros sperans esse propagaturum: ita Aristoteles, cùm nihil adeo illustre proferre ex sua officina posset, quod parem cum Præceptoris decretis dignitatem atque splendorem referret, ac legitimo marte, quem optaret locum, se obtinere posse desperaret; in ea re suas curas omnes cogitationésque defixit, vt ipsius Platonis lucubrationibus splendorem eriperet, ac quasi noctem quandam offunderet. Hinc factum est, vt ad Ideas quibus tantopere illustrari Academiam sentiret, non ex animis hominum solùm obliterandas, sed ex diuina etiam mente, si licuisset, penitus euellendas, tot retulerit concertationes. Hinc, ne rerum exemplaribus reiectis Naturam quasi cæcam in rerum molitione fateri cogeretur, priuationem, quæ appetitionibus quibusdam in materia excitatis, ad formam perfectionémque certa ratione eam impelleret, extollere, ac (si Deo placet) inter rerum principia collocare non dubitauit. Hinc tam acriter conatus est Mundi fabricationem, quamuis omnium facilè hominum ac seculorum consensu firmata esset; prosternere, eiusdémque æternitatem, quasi hanc Deo inuideret, introducere. Hinc puram illam cœli materiam detestans, peregrinum quoddam, immo nouum, ne dicam commentitium, ac monogrammis Epicureorum Dijs persimile corpus excogitauit. Hinc denique (ne in præsentia tot tantaque enumerando molestus sim) magna eorum pars sumpsit exordium, de quibus illum non verbis solùm, sed re ipsa a Præceptore discrepare non dubitarim. Atque hac de causa (ne quod est ferè caput) prætermittam; sæpe germanas verborum significationes dissimulare atque adeo peruertere solet: sæpiùs detorquere sententias, atque in germanis illius siue decretis siue rationibus conniuere. Vt interim omittam ita gloriosè aliquando exultare, si fortè suum Magistrum non ita dilucidè aliquid explicasse offenderit, adeòque frequenter, quas aduersus illum excogitauit rationes, inculcare: vt hoc unum summæ illum inuidentiæ coarguere possit. Neque verò tam pugnaciter affirmauerim Aristotelem omnem ingenij aciem eò defixisse, vt Platonis Philosophiæ obduceret tenebras, quin ijs surripiendis, quæ in suas lucubrationes conuenirent, furtísque ipsis occultandis operam nauarit egregiam. Quamobrem (vt immensum propè furtorum numerum hoc loco sileam, atque aliquid de artificio dicam, quo nouus hic Lartidius ad suam Philosophiam Præceptoris decreta conuerterit) mirum est profectò quàm bellè res decerptas, seu potiùs raptas ad sua transtulerit: quàm sapienter priorem earum ordinem permutarit: quàm callidè rerum signa & notas non inuerterit solùm sed permiscuerit: quàm uafrè denique ac malitiosè in his ipsis quæ vsurpauerat, aliquid exquisierit, vnde Platonem carperet, séque illius aduersarium potiùs quàm sectatorem ostenderet. Vt propterea non facilè statuas magisne artificium mirandum sit, quo furta occultauit, an reprehendenda audacia, qua pro suis aliena venditare ausus est. Quæ sanè dum ijs, qui accuratè Aristotelem ipsum cum Platone contulerint, tandem constare

† Gel. lib. 3. cap. 17.
† Maiorag. in Ari. Rhe. & Thelesius in sua phil.
† Theles. in sua phil.

stare est necessarium, qua licentia cum Speusippo Platonicæ disciplinæ successore actum putas, quando huius libros tam magno auri pondere † emere non dubitauit? quantas præterea rapinas exercuisse censes, si (quod vulgarunt † aliqui) multorum Philosophorum monumenta varijs terræ partibus conquisita in vnius propè Alexandri bibliotheca, atque ipsiúsmet Aristotelis manibus adseruabantur? Nam si, vt ijdem affirmant: hanc ipsam Alexandri bibliothecam igni de industria tradidit, & vt ille † cecinit,

Doctorem calamo, ingratus, Dominúmque veneno
Perdidit, igne patrum dogmata, nos tenebris,

id profectò quod ad concrematos libros pertinet; ne sua furta paterent, ac quasi plagij reus damnaretur, effecisse, nemo poterit dubitare. Quas itaque Aristoteles in summum hunc Philosophorum Principem tragœdias excitauit, atque in eiusdem doctrinam varias plerunque futiléque disseminauit opiniones, ad illius inuidiam, huiúsque sapientiam ostendendam faciunt potiùs, atque ad ingenuos animos in Platonis studia vehementiùs inflammandos, quàm vel leuissimè eorum conatus labefactare debeant. Quæ cum ita sint, quis reliquorum Peripateticorum inimicitias, quas hæreditario quodam odio persequuntur, telaque pertimescat? Quanquam cum ex ijs nec pauci, nec obscuriores, in ipsis Peripateticis contemplationibus illiberalem Aristotelis animum, calumniásque ipsas sæpenumero agnoscant & fateantur: illustriores verò, Ammonius, Simplicius, Philoponus, Eustratius, atque alij nonnulli longè plus Academiæ spatia probauerint quàm Peripatum, vel ipsi qui sub Aristotele stipendia meruerunt, nobis suffragabuntur. Nam, quod ad sexcentos propè alios recentioréque præsertim attinet, nihil est cur laboremus. Etenim si ij aliquid temporis ac studij in Academiæ decretis collocassent, legitimum profectò ius haberent in ea disputandi. verùm cum ipsam Academiam ne a limine quidem vnquam consalutarint, sed Aristotelis verbis inhærentes, ac tenuissimas planè vmbras sectantes, querelas querelis addere, atque clamoribus gymnasia complere gestiant; vereor ne risum potiùs, seu interdum etiam stomachum moueant, nedum vel minimùm, quod volunt, consequantur. Nunc ad intestinas inimicitias venio. Nam si in varias atque innumeras propè sententias disiecta, proprijs discordijs prostrata Academia videtur, hoc ad degeneres quosdam Academicos attinet potiùs, qui nouo quodam iure, suóque prorsus iudicio Philosophiam tractantes, nouísque indies inhiantes opinionibus, nihil præter nomen ex antiquitate conseruarunt, quàm Platonem nostrum vllo modo attingant. Etenim dum Speusippus & Xenocrates, qui primi Platonis rationem authoritatémque in Academia susceperant, ac post eos Polemo & Crates, Crantórque etiam diligenter ijs quæ à Superioribus accepissent, vterentur; Zeno primùm, siue quasdam verborum immutationes non probaret, siue certè nonnihil etiam in rebus ipsis à prioribus Academicis Platoneque dissentiret, corrigere disciplinam agressus, eam miscere cœpit. Tum eius æmulus Arcesilas, cum statueret nihil percipi posse, atque a rebus omnibus assensum cohiberet, vndique eam perturbare, seu potiùs euertere

Ad Nonam.

tere

tere conatus est. Neque perniciosissimo consilio est omnino frustratus: siquidem Lachidem sectatorem habuit, cuius opera nouæ huiusmodi opiniones, atque adeo commenta per Euandrum & Egesinum non longo temporis spatio ad Carneadem, ac denique ad Clitomachum transmißa sunt; qui vt eloquentia & ingenij acumine vigebant, ac diu magnáque existimatione floruerunt, insolens hoc philosophandi genus longè lateque disseminarunt. Quanquam non multo post in tota Græcia orbatum, omnique patrocinio destitutum, eò usque exulauit, quò Romanum hominem, † M. Tullium inquam, patronum inuenit disertissimum. Et quamuis Arcesilas in iudicio assensúque cohibendo, vel potiùs in Philosophia ipsa perturbanda in multorum antiquorum authoritate delitesceret, qui negassent quicquam percipi posse: atque inter hos non modò Anaxagoram, Empedoclem, ac Democritum †, sed Socratem Platonémque ipsum numeraret: ac Cicero dum ad desertam hanc nouæ Academiæ disciplinam patronus accederet, inter hos Platonem ea ratione referret, quòd in eius libris multa in vtranque partem disputari, nihil verò affirmari existimaret, atque hoc nomine tum nouam Academiam cum veteri eandem faceret: tum ijs assentiri nollet qui Socratem illo disserendi genere longè alio consilio vsum dicerent, quàm vt Democritum, alióSque huius hæresis authores consectaretur; attamen Arcesilas, si huius te authoritas commoueat quicquam; cum Zenoni obtrectandi, eiusdémque definitiones labefactandi studio ad Democritica dogmata tanquam tempestate delatus fertur adhæsisse: tum, quod rei caput est; vel a nouis Academicis Academiæ ac Socratis desertor calumniatórque deprehensus repudiatus est. Cicero autem, si me audias, adamauit hoc Philosophandi genus, tum vt varijs opinionibus expositis, iucundißimum legentibus quasi spectaculum præberet: tum præsertim vt dum de vnaquaque re dissereret in vtranque partem, vela panderet orationis, ac magnitudinem eloquentiæ suæ ostentaret. quæ sanè res, tametsi in multis probari potest; culpa tamen nullo modo caret vbi de Deo déque huiusmodi alijs agitur, de quibus ex animo nefas est dubitare. Interim tamen assensum non ab omnibus prohibere visus est, sed ab ijs tantùm quæ non sine temeritate (quod plerique faciunt) tanquam certa explorataque traderentur. Nam si eo me adhuc vrgeas argumento, quòd Cicero veris omnibus falsa quædam tanta similitudine adiuncta esse asseuerauerit, vt in ijs nulla insit iudicandi & assentiendi nota; iam ego, vt omittam & assensum ab omnibus prohibenti, hac quoque lege assensum non esse præbendum, & multa etiam prætéream quibus † S. Augustinus ac † Lactantius hac in parte illum acerrimè insectantur, ad ipsummet M. Tullium prouoco: nam in † Academicis quæstionibus, dum huic vniuersæ dubitationi clausulam imponit, apertè fatetur aliquando se assentiri, ac V. libro de finibus scribit, Peripateticos multa necessarijs Mathematicorum rationibus conclusisse. Vt propterea ipse inconstanti teste vtaris: Cicero autem hac in re aduersus nos disputandi ius habeat nullum: atque eò magis, quòd Platonem de omnibus dubitare, nihilque certi statuere falsissimum est. Etsi enim dum Anaxagoras & cæteri illi homines nihil cognosci, nihil percipi posse dicerent: dum

† Vide 1. de nat. Deo: ad initium.

† Vide Cic. in qu. Acad. S. Aug. con. Acad. Lact. de falsa sap. l. 3. & alios.

† Libris contra Academ.
† Lib. 3. Diu. instit. fusè.
† Lib. 4. siue in Lucul.

dum angustos sensus, imbecillos animos, breuia curricula vitæ contenderent: dum omnia abstrusa, omnia tenebris circumfusa, & (vt Democritus) in profundo veritatem esse demersam, huiusmodique alia clamarent, Plato quippequi non minus in rerum assertionibns moderatus erat ac verecundus, quàm excellenti quodam ingenio atque iudicio præditus esset, plurima esse perobscura, tenebrisque ac falsitatibus inuoluta, negare nullo modo potuit; multa tamen vera esse, & constanti interdum iudicio attingi, illustribúsque veritatis notis percipi ac teneri iudicauit. Hinc cùm de rebus quas sensibus expositas habemus, verba faceret, eas nihil certi, nihil constantis habere, nunquam intelligentia percipi posse, sed solis opinionibus institutisque teneri constanter asseuerauit. Contra verò de Deo, de Ideis, de animorum immortalitate, de virtutibus, ac de huiusmodi alijs ita constanter loquutus est, tantámque ipsis veritatem firmitatémque attribuit, vt illi nihil minus siue ascribere, siue affingere possis; quàm illiberalibus Arcesilæ atque huius gregis Philosophorum sententijs fauisse. Hi etenim a Deo ordientes, cætera deinde omnia non solùm in controuersiam reuocare, sed etiam tenebris omnino circumfundere studuerunt. Immo verò, vt Plato in ijs decretis quæ ad constans immortaleque rerum genus attinent, ab Arcesila nouisque Academicis grauissimè dissensit; ita, si rem totam paulo accuratiùs consideremus, in rerum caducarum contemplatione non omnino cum illis visus est conuenire. Etenim cum altera ex parte res quæ sub sensum cadunt, continuis mutationibus subiectas, proindeque nunquam verè esse alicubi statueret cum Heraclito; ex altera verò Ideas, quæ stabilis perennisque naturæ essent, ac sola intelligentia perciperentur, rebus omnibus præficeret, res ipsas mortales opinione tantùm attingi posse ea potiùs ratione pronuntiauit, quòd nunquam in eodem statu persisterent, quàm quòd eas contrarijs notis omnino conclusas, naturaéque obscuritate ac tenebris inuolutas cum Democriticis existimaret. Deinde Plato res mortales in opinione positas arbitratus, non vtranque partem excludit, atque refellit; quod Arcesilæ aliorúmque huius ordinis proprium erat Philosophorum; sed probabiles rationes sequutus, quod se etiam interdum facere M. Tullius profitetur; alteram infirmat, alteram probat ac sequitur. Quamobrem Timæus in quo vniuersæ Naturæ ratio continetur; libri quoque de Republica & de legibus, vbi Iustus effingitur, ac traduntur politicæ institutiones: Critias præterea in quo siue ad belli pacísque munera adhuc informatur Respublica, siue bellica munera strenuè obeuntes exprimuntur ciues, atque alij dialogi plurimi, continenti narratione maxima ex parte conscripti, assertionibúsque referti sunt. Critonem præterea, Phædonem, & Apologiam de animi immortalitate, de virtutibus, omninóque de statu animi ab huius corporis contagione seiuncti mira quadam constantia præcipere certum est. Denique in reliquis dialogis qui ad contentionem accedere magis videntur, non potest Socrates sæpe ex rebus ab aduersarijs concessis, variísque huiusmodi vijs atque rationibus multa non concludere & affirmare. Vt M. Tullium, qui in Platonis libris multa in vtranque partem disputari, nihil verò affirmari † contendit, grauissimè (quod

† In qq. Academ. & alibi.

eius

eius pace dixerim) lapsum esse appareat. Nam quod ad beatam vitam attinet (vt in aduersariorum exemplo persistamus) ita sanè philosophatus est Plato, vt cum nihil in eius dialogis exaggeretur altiùs, tum nihil constantiùs tradi potuerit: adeo perspicuè semper eam quæ in actione posita est, in triplici bonorum genere, animi scilicet, corporis, & fortunæ; eam verò quæ ex contemplatione pendet, in Dei atque Idearum cognitione, quam sanè paucissimis atque adeo exiliter in hoc mortali corpore concedi voluit, collocauit. Vt interim omittam ita splendidè de eo fœlicitatis genere loquutum esse, quod sanctis Viris post huius vitæ curriculum reseruatur, tâmque asseueranter docuisse in supremum cœli verticem pios animos euolare: ibidémque veritatis contemplatione summóque bono fruentes, beatissimam vitam degere, vt apud iustum Platonicæ doctrinæ æstimatorem nullus supersit dubitandi locus. Quæ omnia Platonis testimonijs ostendere idcirco supersedeo, quòd de perfecta fœlicitate copiosam disputationem instituerim in dialogis nostris.

Ad Decimam.

Iam verò (vt ad postremum veniam dubitationis caput) dubitari non potest quin ex Academicis nonnulli frequenter exposita verborum sententia vix primoribus labris degustata, interdúmque etiam neglecta, nouis quibusdam Symbolis, allegorijs, atque huiusmodi alijs abstrusis notionibus Platonis dialogos compleant: ac, quasi hoc philosophandi genus ipsemet Plato in Phædro non contempserit, magno cum temporis dispendio vsurpent. Perspicuum est etiam sanctissima fidei nostræ mysteria cum Platonis decretis ita miscere interdum, tantáque cum audacia confundere, vt, si illis credas; Areopagitam Dionysium in eiusmodi mysterijs explicandis impensiùs Πλατωνίζειν dicere queas. Verùm enimuerò Græcorum id otio vt condonetur partim abstepeterem: partim ijs quæ inter hæc præclare conscripserunt multi, compensandum affirmarem, nisi adulterinum hoc semen vel in nostræ tempestatis Academicos, quorum studijs multum iuuari potuissemus, supraquam ferri possit propagatum, altiorésque radices egisse cernerem. Sed de hoc quoniam ita res postulat, aliàs loquuturus fusiùs, ad Aristotelem me conuertam.

AD EA QVIbus differebatur Aristotelis doctrinam comprehendi non posse.

QVI sanè haud ita facilè reijciendus est, sed excipiendus potiùs. Nam, vt omittam non vbique Laconicum esse: multaque præterea satis perspicuo dicendi genere complecti: ac præsertim vbi aut eloquentiæ præcepta tradit, aut hominem cui priuatim publiceque officia vitæ præscribit, ad foelicitatem informat; certum est cum dicendi breuitate verborum proprietatem & candorem ita coniunxisse, adeóque purè significantérque loquutum esse, vt vix credi possit in sententia exprimenda maiorem ἐνέργειαν ac vim potuisse ex orationis proprietate comparari. Quamobrem vt accommodatè excogitatum ab antiquis existimarim, Platonis sermone loquuturum fuisse Iouem, si humana voce vti voluisset; sic ego (si tamen fingendi locus esset) Aristotelea oratione loqui debuisse contenderem, si acrem quandam absolutámque verborum proprietatem adamasset. Et sanè si M. Tullius hasce Aristotelis lucubrationes, quas ipsi retinemus, verè perlêgit, (quod vt in multis libris falsum esse sentiam, multa faciunt) nulla alia de causa scripsisse crediderim Aristotelem aureum orationis flumen fundere

Ad Primum.

dere, nisi ob candorem delectúmque verborum atque adeo vim efficacitatémque sermonis. Atque idcirco non dubito † φιλοπονώτατον (quod ei nomen alij aliam ob causam tribuere videntur) ob id vel maximè potuisse appellari. Sed & illud tanto huic orationis accedit nitori, quòd dum continuatione quadam admirabili res nectit, intra subiectæ ipsius materiæ fines ita ferè semper orationem concludit, vt si quid inter ratiocinandum de toto argumento prætereat, aut aliquid tenebrarum eidem offundat, ex continenti orationis ordine, constantique rerum de quibus agitur, serie, vniuersam sententiam faciliùs indagare atque comprehendere possimus. Adde non ita presso atque obscuro dicendi genere legentis ingenium labefactare, quin multo magis accuratum à nobis laborem ac studium eliciens, & subleuare memoriam, & ingenium ipsum excitare atque acuere soleat. Vt facilè mihi persuadeam Aristotelem non ob id solùm compressum dicendi genus affectasse, quòd cum intelligeret in Attico longiùs Platonem excellere, in Laconico sibi gloriam duceret conquirendam: verùm etiam, quia cum in suam familiam non nisi præstantia ingenia cooptaret, atque a Natura egregiè ad disciplinas informata, hisce difficultatibus segnia deterrenda, generosa verò inflammanda esse duxisset. Quòd si multa huius Philosophi monumenta desiderari contendas, equidem vt id ex grauissimis authoribus † Proclo, † Porphyrio, † Alexandro, †, Simplicio; præcipuè autem ex † Plutarcho, † Galeno & Athenæo, immo uerò ex eodem met † Aristotele non obscurè intelligitur; ita hac tecum de re nihil ommino pugnabo. Verùm ubi hæc tibi concessero, immo verò libros etiam quibus diuina Philosophia continetur, miras latebras atque offensiones habere assensero, perturbatoque ordine esse digestos, quid tandem effeceris? An aliquid erit quod in ijs siue artibus siue facultatibus quibus tum benè dicendi præcepta, tum differendi artificium tradit, non dicam infractum ac mutilatum offendas, sed perfectius absolutiúsque desideres? An verò quod in ijs libris, quos de moribus, déque ciuilis institutionis ratione scribit, mutilum sentias ac quasi decurtatum, unde tua studia interpellentur? Denique si Physiologiam diligenter euoluas, vix vnquam aliquid aut desiderari, aut præpostero ordine collocatum esse iure meritò suspiceris. Immo uerò tam apte partes inter se uniuersas cohærere, atque extrema primis respondere animaduertes, vt cum huiusmodi Physiologia quam latissimè pateat, ordinem uel maximè & cohœrentiam admireris necesse sit. Quod si ità est, quisnam aut eam sibi arroget uim ingenij, ac temporis diuturnitatem polliceatur, aut sexcentis uitæ curis ac perturbationibus quibus in dies distinemur, ita subtrahat mentem, ut posteaquam Platonis decreta (iam enim hæc retinenda esse demonstrauimus) absolutiorésque illas Aristotelis lucubrationes diligenter euoluerit, ad alia capeßenda studia aliquid sibi ocij superesse, seu potiùs ad vberiores fructus ex illis percipiendos multum & ingenij & temporis non deesse intelligat? Quanquam non me interim præterit Christiano uiro (id quod controuersiam omnem maximè continet) non in humanis doctrinis, sed in diuinis pollicitatio-

† Laert. in Arist. & alij.

Ad Secundum.

† In temp. Pl. in prooe. † In Ptol. musicam. † 1. Meta. com. suo. 59. † Cap. de oppos. com. suo 4. & 7. † In consol. ad Apoll. 3. Symph. & alibi. † 4. de diff. puls. & al. † L. 7. 10. & quinque sequentibus. † Multis in locis. His Cic. adde, Suidã, Clem. Alex. Macrobium & alios pluribus locis.

tationibus atque oraculis benè beateque viuendi rationem esse repositam, † sanctissimósque Ecclesiæ patres eo consilio iudicasse Ethnicorum disciplinas esse perdiscendas, quòd ad diuinas contemplationes aditus habere animaduerterent. Quapropter non ego ille sum, qui licet diuturno temporis spatio, magnáque vitæ tranquillitate mihi fruendum esset, in Aristotelis lucubrationibus, & in Philosophia ipsa alio consilio versandum existimem, quàm vt sacrarum literarum, quibus nihil propè hominum generi præstantius Dei munere tributum est; vberiorem scientiam consequi, atque in ea fœliciter conquiescere liceat. Quamobrem, vt ad cœlestem Philosophiam facilior nobis atque expeditior pateret aditus ex humana, vtinam nostris laboribus eorum vigiliæ non deessent, quibus & magni huius Philosophi sententias atque decreta ex pleno eius ore excipere licuit, eadémque syncerè ac dilucidè peruulgare. Sed quoniam † alij diuerso studio delectati, id efficere neglexerunt: alij cum id multis in rebus effecissent, temporis iniuria suas lucubrationes ad nos transmittere non potuerunt; reliquum est, & vt illos qui posterioribus seculis in ijs dilucidandis egregiè operam nauarunt, sectantes, & proprijs vigilijs atque laboribus, si quando eorum nobis industria non satisfecerit; nobismetipsis consulentes, tantam temporis iniuriam iacturámque omnem, vbi instituta comparatio atque explicatio postulauerit, resarcire studeamus. Quod eò nobis gratius ac fructuosius accidere poterit, quò nihil propè in literarum studijs, aut in memoria firmius hærere solet, aut magis oblectare animum, quàm quod propria diligentia fuerit comparatum. Licet itaque tam presso atque concluso orationis genere vtatur Aristoteles, & permulta etiam tum ex ipsius tum ex illustriorum Peripateticorum officina desiderentur, attamen in re tam præclara nullo modo animum abijcere debemus. Nam quod Aristotelis libri in terræ latebris diu occulti permanserint: indeque & vetustate penè consumpti, & Teij Apelliconis inscitia deprauati fuerint, frigidam hanc esse quorundam excusationem maxime suspicor. Quamuis enim Aristotelis bibliothecam ad Nelei, qui eam diu retinuisset, successores transmissam, ob Attalicos Reges in diuturna obscuritate atque ignoratione latuisse † Plutarcho ac Straboni crediderim, quis tamen Philadelphum Ptolemæum Aristotelis monumenta tot ex locis antea comportata, † tanta erogata pecunia excepisse, nec omnia citra controuersiam adulterina existimasse credat, si non nisi in Nelei bibliotheca (id quod Regem ãstum Aristotelis opera tam diligenter conquirentem, ac † Stratone qui Nelei fuit condiscipulus, præceptore vtentem, latêre non poterat) adseruabantur? Immo verò cum altera ex parte Philadelphum Aristotelis libros ex Neleo emisse: atque Alexandriam vna cum ijs, quos Athenis Rhodíque compararat, exportasse, † Athenæus, qui Alexandrinus & ipse fuit, tradiderit: atque id verum eße ex eo etiam intelligatur, quòd Alexandria à Cæsare capta, libros illos conflagrasse

Ad Tertium & Quintum.

Ad Qnartum.

† Vide Basil. hom. ad adol. Euse. l. 6. c. 18. & 20. & l. 3. c. 15. hist. Eccl. Hier. ad Mag. & Ep. ad Damasum de filio prod. Aug. l. 1. c. Cres. & 2. de doc. Chri. c. 40. Clem. l. 1. & 5. Str. Grat. dist. 37. & alios.

† Præcipui Hermias, Hipparcus & Eudemus, ex Suida, Laër. Simp. & alijs.

† Plut. in Sylla. Str. l. 13.

† Athen. l. 1. & Amm. in prooem. categoriarum.

† Laer. in Strato.

† Lib. primo.

grasse vniuersos † Plutarchus sit author : ex altera verò a Nelei successoribus ad Apelliconem deuenisse , tandémque Romam à Sylla translatos , grauissimi authores Plutarchus (vt dicebam) & Strabo referant ; quis varia fuisse librorum exempla , Neleúmque in primis bibliothecam , cum Ptolemæo illam traderet, priùs sibi describendam curasse, non libentissimè concedat ? Etenim cum Apelliconis Syllaéue temporibus, quibus illam è tenebris iam erutam ferunt, † Peripatetica Philosophia magnopere vigeret: cum præter Theophrastum qui Neleo bibliothecam commendasset, Menedemus etiam, Nicomachus, Eudemus, Clearcus, Phanias, aliíque sexcenti, atque ij insignes illius disciplinæ sectatores † Aristoteli successissent; cum † ἀκροαματικοὺς libros editos & quereretur Alexander, & fateretur Aristoteles: & exoterici præterea, quod & nomen indicat, antea vulgati essent; Aristotelicorum librorum exempla ante Syllæ tempora non in vnius sed multorum manibus fuisse, maximè verisimile, ne dicam necessarium videri debet. Denique (quod ad Apelliconem attinet) vix credi potest rudem, quod isti fatentur, hominem tot tantísque voluminibus manum admouere ita potuiße, vt non omnino eius appareret inscitia: nihílque fortaße præter obscuritatem quandam, quam tamen Aristoteles ipse de industria est consectatus ; aut ordinis perturbationem eius emendationes siue deprauationes redolerent. Quinimmo cum nostri libri a Laërtianis quam maximè differant , atque ipse Laërtius Andronicum , qui † Plutarcho teste , a Sylla per Tyrannionem libros acceperat : in illis enumerandis , indicibúsque proponendis sequatur, facilè intelligitur hos nostros nequaquam fuisse ab Apellicone deprauatos. Quod si inde vehementiùs vrgeas, quòd cum Laërtianos libros ab Aristotele ad Andronicum per Theophrastum, Neleum , Neleíque successores ad Apelliconem denique & Syllam constet esse transmissos ; nostri , si tam valde discrepant a Laërtianis , Aristotelis esse non possint ; equidem quò me vertam non satis video. Nam cum ipse Laërtius non modò in librorum numero , indicibus , ac serie nostris nullo modo consentiat , verùm etiam quamplurima recitet ex Aristotele , quæ in nostris codicibus nusquam reperiuntur: immo horum dogmatibus aduersentur potiùs : cum † Cicero scribat aureum eloquentiæ flumen suum Aristotelem fundere : atque orationis ornamenta in eo † admiretur , quæ cum nostro non congruunt : cum idem Cicero Aristotelis Topica suis se explicaturum professus , nihil ferè minus facere videatur : cúmque demum (quod maxime refert) maxima illorum pars quæ ex Aristotele citat (citat autem non pauca) non solùm in nostris codicibus non extent , sed ab illis valde discrepent , ac † Plutarchus , † Porphirius , † Athenæus , † Plinius, † Gellius, † Clemens Alexandrinus , atque alij non pauci , ijdémque grauissimi authores plurima ex Aristotele proferant , quæ nusquam ferè cum ijs consentiunt , quæ nos pro Aristotelicis legimus, profectò etsi multa , quæ dici in hac re possent , occurrunt : quibus tamē mihi ipsi satisfaciam, méque tanto vulneri bona salutis spe mederi posse

† In C. Cæs.

† Vide Plut. l. de exilio. Clem. 1. strom. Cic. 5. de fin. Strab. l. 14.

† Ex Ath. Stra. Amm. Gel. Simp. & alijs passim.

† Ex Gel. l. 20. c. 4. & alijs.

† In Sylla.

† In quæst. Academicis.

† In Topicis.

† In Symp. & alibi.

† In Ptol. Musica.

† l. 1. & sequentibus.

† l. 2. c. 25. & 98. & l. 7. c. 2. & alibi.

† l. 19. c. 4. & 5. l. 20. c. 4. & alibi.

† l. 5. & 6. Strom.

credam, non habeo. Nisi tamen quæ de Aristotelicorum librorum iactura, confusione, ac varietate ab Andronico & Strabone (ne antiquiorum suspiciones attingam) sunt dubitationes excitatæ: a Plutarcho, Athenæo, Adrasto & Magentio repetitæ: ab Olympiodoro, Ammonio, Philopono, & Simplicio auctæ; ab alijs denique multis, præsertim verò a Iohanne † Francisco Pico & Francisco Patritio † altiùs exaggeratæ, Homericis elementis, ac tripartitis literarum notis (id quod Georgius † Trapezuntius ridiculè moliri visus est, dum Aristotelicorum librorum numerum, ordinem ac iacturam propè ipsam & synceritatem hac instaurare ratione conatur) sedari & consopiri posse existimes. Vt proinde ipsa quam terimus doctrina potiùs, quæ peracuta est ac vehemens, præcipuè verò & summo studio elaborata, & ad ingenia limanda plurimum valet, nos permouere atque allicere debeat.

† Pic. l. 4. de vanit. gent.
† Patr. in disc. Perip.
† Lib. 1. de comp. Ar. & Pl. c. 8.

Ad Sextam.

Nam quod dicebatur omnia ferè dubitationibus anteuertere ac cumulare, id veriùs (ne debita laude fraudetur) acre illius ingenium solertiámque declarat, quàm proditæ Philosophiæ reum faciat hominem. Vt enim gubernator accuratus ac prudens dicendus est, qui dum soluit, scopulos omnes perspectos habet, quos in suscepta nauigatione vitare oportet: sic etiam accuratus ac solers censendus est Aristoteles, dum in disputationum exordio varias affert dubitationes; quas superare necesse est. At positas dubitationes miro deinde silentio supprimit: aut sic tractat interdum, vt nullum inuenias exitum: aut etiam in aliud tempus reijciens, soluendo nunquam est. Grauis profectò ac multiplex accusatio: quæque non ab vno eodémque fonte profecta est. Vt enim innnmerabilia penè sunt loca, in quibus Aristoteles videri potest vafer, lubricus, ac tortuosus; ita id non vnam, sed varias multásque causas habet. Ac primùm quidē haud dubium est maximam eorū partem quæ tractauit, variè fuisse ab antiquis agitata: multiplicésque pepperisse sententias. Constat enim ante Aristotelem multa de rerum initijs, de cœlestibus corporibus, de humano animo, de Mundo denique vniuerso fuisse ab illis tradita: quæ partim imprudenter ac temerè, partim etiam accuratè atque ingeniosè excogitassent: partim denique essent obscuritate atque suspicionibus plena. Quamobrem, cum Aristoteles ad certum ordinem adducere ac diiudicare illa tentaret, mirandum est potiùs in tam ingenti opinionum sylua, rerúmque anfractu, cursum tenere potuisse, quàm aliquid interdum minus explicatè tractare: cum præsertim, vt est facile obscuras rerum naturas contēplantibus hærere, ac veluti tempestate iactari: ita difficillimū sit, ab omnibus se dubitationibus liberare. Deinde quis est, qui si paulo attentiùs cogitet hæc ab ethnico homine esse profecta, hoc est ab eo, qui tenebris circumfusus, languenti ac penè extincto lumine immensum Vniuersitatis spatium perlustraret, non statim ignoscat illi si nonnunquam hæsitasse sentiat? Quod si id fecerit, cur non patietur etiam hominem gloriæ cupidissimum (etsi enim † Arnobio, Hieronymo ac Tertulliano teste fuit id ethnicis Philosophis commune crimen; Aristoteli tamen, si Iustinum † atque alios nonnullos audias, hæsit in visceribus ipsis) hac calliditate cunctantem, suo nomini ac gloriæ prospexisse? certum est enim in ijs præcipuè quæsisse latebras ac diuerticula, in qui-

† Arnob. l. 8. adu. gent. Hier. ep. ad Iul. Tert. l. de patien. sub initium.
† Iust. or. hort. ad gen. Laërt. in Xenocrate. Aelia. lib. 4. & alij.

bus

bus non satis intelligeret quid esset statuendum. Huc accedit quòd dubitationibus illis occasionem dedit multis conquirendi atque explicandi ea quæ ipse vnus non potuisset. Vt vbi nos in portum haudquaquam deduxerit, gratiam tamen illi habere debeamus, quòd nobis scopulos indicarit. Denique videndum est etiam ne interdum ingenioso ac solerti, si non apertè, latenter certè offerat explicationes dubitationum: vel commodè satis ex his quæ dixit, eas eruendas relinquat: & (vt rem complectar breui) ne tu idcirco aut silentio, aut nouis tricis inuolui eas dictites, quòd rem totam non versaueris ea diligentia & studio, quod Aristotelis flagitant monumenta. Et quoniam constat multos eius libros desiderari; animaduertendum est etiam ne dum varias quæstiones in alia reijcit loca, tergiuersationis, atque adeo ignorationis nomine eum oneremus, cum tamen verè ibi suam fidem liberarit. Nam cum plurima sint quæ cum reiecisset ad aliam contemplationem, explicasse tandem compertum sit; iniuriosum esset eius fidem in reliquis promissis culpare, quæ modò nusquam persoluta reperiantur. Dum verò eius inconstantia accusabatur, equidem hanc querelam (si eos exceperis quos docuit Spiritus Sanctus) neminem fortasse declinasse videas, qui ingentem aliquem librorum numerum scripserit, ac præsertim de rebus abstrusis ac lubricis. Neque enim fieri posse videtur, vt aliquis in tanta rerum varietate ac dubitationum tumultu eandem perpetuò sententiam seruet in omnibus: præcipuè verò in ijs quæ aut difficilia sunt ad explicandum, aut probabiles vtrinque rationes habent. Ac si quis seruet etiam, vix ac ne vix quidem contigisse videas, ut ita perspicuè explicarit sese, quin sæpe possit ad varias sententias trahi. Quæ cum omnia acciderint Aristoteli, vel hoc vno optimè excusari posset. At hic in rebus grauissimis, ac supra quàm ferri possit secum pugnat. Dicuntur ista quidem a multis. Sed dum alij conantur diluere quæ hoc nomine obijciuntur illi, nos nihil statuere debemus sine diligenti eorum locorum meditatione, in quibus huius criminis accusatur. Quanquam non est cur hæc loca, quæ innumera penè sunt, vnius dubitationis causa aggrediamur hoc tēpore: atque ἑσμὸν λόγων (vt loquitur Plato) ἐπεγείροντες, immensum penè πάρεργον breui disputationis ἔργῳ addamus. Cum præsertim ad positam dubitationem tollendam satis in præsentia videri possint, quæ mox subijciam. Vt enim semper importunos at pertinaces existimaui illos qui ita mordicus Aristotelis opiniones tuentur, vt summam in illis consensionem esse dictitent: ita etiam præcipites atque contumeliosos iudicaui eos, qui nihil constans ac perpetuum inueniri in eo clamant: passimque Aristotelem Aristotele coarguere nituntur. Quamobrem ij semper mihi visi sunt sapienter facere, qui non præiudicata opinione occupati, aut etiam certæ alicui sectæ mancipati philosophantur: sed vnam veritatem magna cautione quærentes, multa sectantur & laudant: multa repudiant ac damnant: séque etiam aliqua habere fatentur, de quibus non facilè audent constituere. Quocirca neque Aristotelem perpetuò sibi constare affirmant: neque passim aduersari: sed & scopuloso interdum loco salebrísque versari: interdum verò fœliciter nauigare. Quod si huiusmodi moderationem adhibeamus, quam æquus iudex ac moderatus facillimè

Ad Septimum.

cillime probabit: nósque suis locis ostendemus in Aristotele tenendam esse, in multis quidem iniuriosè accusari, in multis verò pertinaciter defendi statuemus. Quod si ita est, iam ea prorsus ratione, quam paulo ante afferebam, transigenda erit controuersia. Non grauatè scilicet eße ferendum eum qui tam preßè multa ac varia scripserit, in primis verò difficilia argumenta tractauit ac salebrarum plena, non rarò inconstantiæ suspicionem ac notam subire. Cum præsertim longè vberiores fructus referre possimus ex ijs quæ minus habent controuersiæ, ac paulo explicatiùs traduntur, quàm temporis iacturam in ijs facere quæ dissidijs implicata videntur & inconstantia. Nam si minus adhuc te placabilem Aristoteli præbeas, quod frequenter inuidentia atque impetu, quo in antiquorum decreta ferebatur, delatus sit ad dissidiorum scopulos, non (quod alijs facilè contigit) vna rerum difficultate ac multitudine; equidem, vt id † viris grauissimis placuisse video, ac reipsa facilè deprehendi potest, ita non magnopere tecum hac de re pugnabo. Verùm hoc pacto mutaretur controuersiæ status: cum æstus atque inuidentia illa effrenataque cupiditas gloriæ, personam potiùs culpent quàm decretorum augeant dubitationes. Quocirca quæ hac in parte de Aristotele expostulant † multi qui eum tradunt inuidum fuisse, procacem, ad adulationem compositum, multis denique vitijs affectum, cum eius vitam potiusquàm doctrinam perstringant, non ego hic attingam, vbi de vna doctrina disputatur. Sed iam tandem veniamus ad postremam dubitationem in qua turpium dogmatum fautor, immo impietatis patronus, Christianaéque fidei hostis declaratus est. Grauissima est autem (vt verè fatear) hæc quæstio: omninóque digna, quæ à Christiano Philosopho quam diligentisimè tractetur: vt re perspecta, vel Aristotelem valere iubeamus: vel eius doctrina (si cum pietate coniungi posse constet) retineatur. Verùm locus hic, vt est arduus ac grauis, ita etiam vberrimus ac copiosus: continet enim nobiliores totius Philosophiæ controuersias: neminémque propè dicam ex sanctis Ecclesiæ patribus, præsertim græcis non excitauit interdum. Quamobrem nihil ferè vnquam maiore cum animi voluptate perlegi; quàm quæ hac de re, etsi dispersè, scripta sunt. Ergo omnino statui disputationem hac de re instituere: ac nobile huiusmodi argumentum sigillatim accuratissimeque complecti. id quod si non proxima, altera certè disputatione faciam. Cum præsertim propositum crimen, vt paulo ante dicere cœperam, factum sit Aristoteli cum Platone commune: atque ita etiam commune, vt vterque Christianæ religionis hostis, hæresúmque architectus ac machinator renunciatus sit. Interim haud dubites Aristotelis Platonísque doctrinam cum ad acuenda ac perpolienda ingenia, tum ad liberales diuinásque disciplinas percipiendas plurimùm conferre: atque in præsentia magna cum vtilitate retineri. Quod si tot querelis excitatis, videor tibi callidè facere, atque adeo tergiuersari, qui rem in alium locum reijciam; conabor etiam meam fidem Deo bene iuuante non sine huius dilationis fœnore liberare.

Ad Octauum, & Nonum.

† Tertul. de an. c. 5. Eusstr l. 1. eth. c. 6. & alijs de quibus supra.

† Theod. Hiero. Tertull. Suidas ex Timæo, Aelia. & alij multi multis in locis.

SED Demus (inquies) ingeniosum hominem ac solertem non omnino frustra operam in Platone nauaturum, licet ænigmatibus, fabulis atque huiusmodi

iusmodi alijs inuolucris nonnihil sint eius Philosophiæ aditus interclusi: concedamus etiam magnos in Aristotele progressus effici posse, quamuis varijs nos sæpe rationibus atque vijs in angustum deducere, & aliquando etiam nobis imponere videatur. At si ad nobilem aliquem Philosophiæ gradum aspirare non licet, nisi vtriusque decreta diligenter euoluantur ac teneantur, quisnam ambos se speret persequi posse, nisi tamen nouerit eodem tempore & intra res aspectui subiectas, oculos mentémque defigere, & ijsdem corporatis rebus omnino neglectis, supra omnem humanæ naturæ conditionem in rerum diuinarum contemplatione versari? Nam quo pacto interpretum industria ab hisce nos difficultatibus atque angustijs subleuare possit, non satis video. Vt enim inpræsentia ex rebus paulò ante constitutis concedam & Peripateticos in Aristotelicis doctrinis nostra studia plurimùm posse promouere, Accademicósque etiam nonnihil præsidij nobis in Platonicis esse allaturos: profectò dum suum illi ducem secuti, tantopere nituntur sensibus, atque humi (vt ita dicam) plerunque serpunt: hi autem cum suo Principe magnifica quædam ac propè diuina commentari videntur, ac sæpe etiam attolli altiùs ac philosophari diuiniùs, vtrosque certè consequendi spem nobis adimunt vniuersam.

Dvbitatvr adhuc quia Plato & Aristoteles oppositis vestigijs sic incedunt, vt si alterutrum persequi liceat, vtrunque certè non liceat.

NON exiguam profectò, immo verò maximè arduam (vt verè fatear) isthæc habent difficultatem. Etenim dum nostros animos à corporatis rebus veluti ab imaginibus, & quasi vmbris ad diuinas traducere conaretur Plato; contra verò perennem in naturalibus constantiam statueret Aristoteles, atque in ijs certam absolutámque scientiam quæreret; Peripatetici sanè Aristotelis decretis religiosiùs hærentes, per res aspectabiles, non modò intimè atque ad ipsa vsque viscera pertinere, verùm etiam eas ferè vndequaque dimetiri nituntur. Hinc non solùm authoris institutum atque consilium passim requirere solent, atque ad illud Aristotelicæ orationis filum referre, (quod non exiguam sanè laudem meretur) verùm etiam sententias (quod dum multi eorum in his sunt ferè toti, culpa non caret) quantumuis breues in partes distribuunt, articulatímque secant, voculas ipsas Grammaticorum more perpendunt & librant, & quæstionibus denique planè alienis, ne dicam tricis, complentes omnia, sese mirificè lacessunt & insectantur. At verò Academici ita se gerunt in Platonis dogmatibus explicandis; vt non ab humilioribus solùm abstineant, sed sæpe etiam & germanum expositæ scriptionis consilium relinquant: & res certa serie ac lege coniungere, atque ad institutum referre, sententiásque ipsas explanare contemnant. Hinc frequentissimè a propositis sibi Platonis præceptionibus sermonem ad aliena traducere videas: hinc noua quædam, ac præter expectationem statim in medium afferre: nihilque denique tam subtile, nihil tam magnificum præ manibus habere, quin ad subtiliora quædam atque altiora mentibus assurgere atque euolare contendant. Atque hinc sanè factum est, vt cum inter Academicos hæc Philosophandi licentia grassaretur in dies magis, ad Aristotelis gymnasium, quòd scilicet eius disciplina videretur esse solidior, homines commigrarint; Platonísque decreta,

Ex varijs capitibus augetur dubitatio: ac tandem quis modus inter tot incommoda sit tenẽdus, decernitur.

decreta, quasi fictis quibusdam & commentitijs mysterijs continerentur; propemodum repudiarint. Quæ res magnopere sanè est deploranda: licet enim Aristotelis lucubrationes sint perutiles, magnósque in optimis quibusque disciplinis progressus habeant, ac demum nulla tam recondita aut ars aut scientia reperiatur, quæ ab Aristotele non fuerit vel subtiliter ingenioseque tractata, vel nequeat ab eius commentationibus magnum lumem accipere: Platonis tamen decreta, præterquam quod splendidè omnium disciplinarum specimen referunt, omnes ingenuas artes redolent; magnificum quid ac propè diuinum præseferunt, quod constat neque Aristotelem, neque vllum ex alijs Philosophis esse consequutum. Atque vt de eximia ac penè incredibili eius eloquentia aliquid dicam, quisnam post homines natos acrior Platonis insectator inuentus est, illiúsque gloriæ æmulator ardentior, quàm strenuus dicendi artifex Aristoteles? & tamen ornatæ atque disertæ orationis palmam (quanquam malitiosè quidem: cum doctrinæ quam interim extenuabat in eo, sibi principem gloriam quæreret) Magistro deferendam esse †significauit. Quis laudis auidior excogitari potuit, atque appetentior gloriæ, quàm Romanæ eloquentiæ parens Cicero? At hic Platonis in dicendo vbertatem ac suauitatem ita suspicit, vt omnium quicunque aut scripserunt aut locuti sunt, principem fuisse velit. Quis ferè inter Poëtas in dictione humilior & squalidior offendi potuit quàm Epicarmus? & tamē aliquem fore aliquando† prædixit, qui obscuros eius sermones coloribus purpuráque vestiret: cum interim dicendi laude cæteros superaret facilè, superaretur nunquam. quod totum paulo post a Platone Epicarmi studioso perfectum esse dicitur. Quis denique Timone mordacior fingi potuit, atque ad maledicum carmen procliuior? At hic perstringere illum haud nouit, quin eiusdem orationem maxima suauitatis laude cumularet, cum caneret,

2. Polit. c. 4.

† Laërt. in Plat.

† Τῶν πάντων δ' ἡγεῖτο πλατύςατος, ἀλλ' ἀγορητὴς
Ἡδυεπὴς, τέτλιξιν ἰσογράφος, οἵθ' Ἑκαδήμȣ
Δένδρει ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.

Hoc est.

Hos inter dux ille Plato celsissimus ibat,
Cuius ab ore melos manabat, quale Ecademi
Arbustis lepida modulantur voce cicadæ.

† Laërt. lib. 3. in Plat.

Quid plura? ita propter huius dicendi suauitatem atque eloquentiam in Græcorum animis siue percrebuit existimatio, siue exultauit ambitio, vt vno Platonis sermone Ioui vtendum affirmarent, si humana voce vti voluisset. Quamobrem nullum omnino orationis ornamentum, nullam dicendi virtutem fingi posse animaduertas, cuius imago in illius dialogis non adumbrata modò, sed omnibus expressa coloribus, perfectaque cernatur. vt futuram illius in dicendo suauitatem nec immerito † apes tanto ante monstrauerint, quæ in cunis paruulo in labellis consedisse dicuntur: nec temerè Socrates prædixerit, dum nouellum † cygnum, quem sibi per visum è gremio sublimem euolare,

† Cic. 1. de diuin. Valer. max. l. 1. c. 6. Guar. in Pla. apud Plut.
† Guar. ibid. & alij.

dulcissi-

dulcissimisque cantibus aërem complere inspexerat, Platonem, qui adhuc erat adolescentulus, designatum voluit: nec denique sine maxima ratione † Atheniensis populus funebrem sibi quotannis Platonis orationem recitari statuisset: tantum omnium aures, atque animos suauitate & admiratione compleuerat. Quod si tantopere excelluit eloquentia, quid de eiusdem eruditione ac sapientia existimabimus, qui cum dicendi artem ludicræ cuiusdam ac puerilis ferè exercitationis instar † duceret, déque vna Philosophia cogitaret, tot terrarum † spatia peragrauit: tot maria traiecit: tot sapientes adijt, sibique intima familiaritate deuinxit? Quid? an non is est Plato, qui tot annos Academiam illam toto orbe terrarum, omnibúsque seculis celeberrimam incredibili cum laude est moderatus? qui Aristotelem, Aristotelem inquam, quem ad miraculum propè & discendi cupiditate, & ingenij magnitudine exarsisse ac floruisse compertum est, viginti ipsos annos instituit ac docuit? qui vnus denique ad sese nobilium Philosophorum omnium studia mentésque conuertit? Quamobrem superioribus seculis apud egregios Philosophos, sanctissimósque Religionis nostræ Patres, atque (vt rem complectar breui) diuinarum humanarúmque rerum studiosos adeo augustum Platonis nomen semper fuit, vt quocunque te vertas, scriptorem ferè nullum inuenias alicuius nominis, qui ad hunc tanquam ad munificentissimam Philosophiæ arcem confugiendum, ex eiusdémue fontibus ardentem discendi sitim temperandam, ac propè explendam esse non duxerit. Quare ex huius tanti viri spatijs non modò Aristoteles, Xenocrates, Theophrastos, Demosthenes, AEschines, Tullios, Galenos, Plutarchos, atque alios planè huius ordinis viros, sed etiam Iustinum, Basilium, Nazianzenum, Clementem & Cyrillum Alexandrinum, Theodoretum, atque Augustinum extitisse intelligimus. Vt interim Dionysium Areopagitam, Philonem, Origenem, Cæsariensem Eusebium, atque huiusmodi alios nonnullos prætereãm, quorum prior ita de Deo, beatisque mentibus agit, vt cum multas Platonis sententias (castiores scilicet ac sanctiores) delibarit; tum præsertim in Platonis officina (id quod philosophandi ratio declarat satis) ingenium acuerit: reliqui verò tam facilè Platonem sectantur, sic ab illius dictis pendent, simúlque eius doctrinam vsque adeo cum diuinis literis coniungunt, vt fortasse viros istos Platonis suauitate atque doctrina supra quàm par erat delinitos fuisse iure optimo suspiceris. Ergo & hunc semper longè plures olim, quàm aut Aristotelem, aut alium quemlibet sequuti sunt: & post Christum natum, hoc est postquam veritas depulsis tenebris illuxit hominibus, hunc vnum inter omnes profanos Philosophos Catholici Patres minimè omnium à Christiana verissimáque doctrina recedere confitentur. Quin etiam † Augustinus vir acumine ingenij, morúmque sanctitate clarissimus, Platonis libros ad sacrarum rerum scientiam testatur esse perutiles: neque vllum esse ex veteribus, qui ad Christianam pietatem propiùs accesserit. Quamobrem huius maximè libris euoluendis (vt magnus ille † Basilius edisserit) olim Christianæ sapientiæ studiosi assequebantur, vt tanquam in aqua solem cernere assueti, faciliùs possent in veritatis Chri-

† Cic. in orat. ad Brut.

† Vide Menex. et Gorg.

† Laërt. in Plat. Hier. in Prol. galeato. & alij.

† lib. de vera reli. c. 4. l. 3. con. Academicos. l. 2. de C. D. c. 14. et l. 8. c. 4. 5. 8. 10. l. 4. con. Iul. ep. 56. quæ est ad Diosc. & al.

† In hom. ad adol.

ſtianæ radios mentis aciem, obtutúmque defigere. Sed ne in ſummas huius Philoſophi laudes excurrere potiùs mea videatur oratio, quàm inanem, atque adeo pernicioſum Academicorum, de quibus paulo ante dicebam, laborem atque licentiam expoſtulare, deprauatámque ſtudiorum commutationem redarguere, eam ſanè coërcebo: atque eò magis, quòd potiſſimam Platonicæ Philoſophiæ laudem atque dignitatem, ſeu potiùs eiuſdem caput ac fontem ab exordio indicauerim: atque ipſæmet Platonis diſputationes eæ ſint, quæ ſui authoris ſapientiam proprio ſplendore illuſtrare, opinionémque noſtram confirmare debeant. Iam verò, vt fidem meam præſtare aliquando poſſim, ac quod iam antea pollicitus ſum exoluere, finem faciam primæ huic diſputationi: ac Deo benè iuuante ad alteram me conuertam.

FINIS LIBRI PRIMI.

IN PLA-

IN PLATONIS TIMAEVM;
SIVE IN NATVRALEM OMNEM ATQVE DIVINAM PLATONIS ET ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM
DECADIS PRIMÆ LIBER SECVNDVS.

MAGNAM sanè atque difficilem, ac nescio an maximam & difficillimam disputationem aggredior. Disceptandum est enim atque constituendum an expediat Christiano viro Platonis & Aristotelis monumenta tractare: eorúmque decreta perdiscere. Quod studium an ad veram pietatem tuendam amplificandámque magis quàm ad labefactandam imminuendámq. valeat, non facile est iudicare. Et quidem Aristoteles (vt ab ipso exordiar) non modò priuatim ab eruditis Medicis atque Oratoribus diligenter euoluitur: à Philosophis verò aliisque viris liberali doctrina perpolitis mirificè colitur: verùm etiam in publicis Academijs legitur passim, ídque diligenti commentatione adhibita & studio. Quin etiam ab ijs diu noctúque teritur, & cum diuinis literis copulatur, quorum est sacrosancta Religionis mysteria aperire: populos ad pietatem instituere: Ecclesiam denique suis propè humeris sustinere. Ex quo fit, vt si hoc studium pietati obsit, longè latéque obsit: si vtilitatem habeat, vtilitas quoque in omnes Christianæ Reip. ordines deriuetur egregiè. Id ipsum ferè de Platone affirmari potest: etsi enim hoc tem-

An expediat Christiano viro perdiscere Platonis & Aristotelis decreta.

Propositæ quæstionis difficultas & vtilitas.

pore in publicis Gymnasiis non vsque adeo frequens est eius vsus atque tractatio: priuatim tamen nusquam non volutatur. Nam vt est suauitatis ac leporis plenus, multarúmque artium quasi floribus luminibúsque respersus, atque in primis eloquentiæ laude clarus, nemo est mediocris alicuius literaturæ vir, qui interdum in huius dialogos tanquam in pulcherrimum aliquod magnificentissimúmque theatrum oculos non defigat. Quin apud Gallos, Germanos, Transalpinósque penè omnes nostris quoque temporibus seriò ac diligenter euoluitur. Denique (vt semel dicam) cum ob anticipatam quandam opinionem magnam authoritatem habet apud omnes: tum à nonnullis qui se admirabilem quandam ac nobilem disciplinam consectari atque adamare profitentur, de manibus nunquam deponitur. Ergo vt certo ordine procedat oratio, illud ante omnia expendendum est diligenter ac statuendum, ex quo maximè pendet ipsa quæstionis explicatio. AN scilicet Ethnicorum Philosophia, externaéque disciplinæ excipiendæ sint in Christiana Republica: AN verò repudiandæ & explodendæ. Tum hoc cognito atque definito, ad Platonicam & Aristotelicam progrediemur. Atque vt priorem partem explicemus, proferantur priùs aliorum hac de re iudicia, ac quicquid potissimùm in vtranque partem occurrit, qua res difficillima tulerit breuitate, attingatur.

Disputationis ordo: ac priùs videndum esse inuniuersùm an humanæ disciplinæ excipiēdæ sint: tum de Platonica & Aristotelica Philosophia deliberādum.

EXTERNAS eiusmodi doctrinas, humanámque Philosophiam vniuersam ab Christiana Republica explodendas esse ij penè omnes censuisse visi sunt, qui in Ecclesia siue excellenti doctrinæ, siue pietatis ac sanctimoniæ laude floruerunt. Atque vt ab eo initium ducam qui cum admirabili rerum diuinarum scientia summam vitæ integritatem, ac propè inauditam eloquentiam coniunxit, † Chrysostomus sanè non modò Philosophorum verba cum euripis, atque opiniones cum sepulchris contulit: verùm etiam eorundem decreta seu potiùs errores, ex quibus enumerauit plurimos, hæreses innumerabiles peperisse, nec aliunde quàm à Philosophis hæreticos sua dogmata accepisse scribit. Hos quoque non sapientiæ sed superstitioni atque idololatriæ studuisse, non Deum sed saxa coluisse affirmat. Sed ne in obiurgationibus ac maledictis, quibus eos passim insequitur, recensendis sim longior, illud solùm addam, Philosophorum magistrum non alium ab eo denunciari quàm Dæmonem. Hinc † Tertullianus author sanè doctrinæ & eloquentiæ laude non vulgaris, non vno in loco appellare solet Philosophos hæreticorum Patriarchas. Atque idcirco non modò reprehendebat Hermogenem, qui in eorum studium incumberet: verùm etiam aduersus illorum doctrinas, tanquam in funestissimam Christianæ religionis corruptelam ac pestem, sic clamabat. Hæ sunt doctrinæ hominum & Dæmoniorum, prurientibus auribus natæ de ingenio sapientiæ secularis: quam Dominus stultitiam vocans, stulta Mundi in confusionem etiam Philosophiæ ipsius elegit. ea est enim materia sapientiæ secularis, temeraria interpres diuinæ naturæ & dispositionis: ipsæ denique hæreses à Philosophia subornantur. Inde AEones & formæ nescio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat.

Humanam philosophiā Ethnicorúmque disciplinas à Christiana Repub. explodendas esse qui videantur docere.

Chrysostomus

† Chrysost. homil. 7. in ep. ad Cor. hom. 65. in Io. & hom. 4. in epist. ad Rom.

Tertullianus.

† Tert. lib. de an. & l. adu. Hermog.

fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: à Stoicis venerat. & vti anima interire dicatur, Epicurus obſeruatur. & vt carnis reſurrectio negetur, de vna omnium Philoſophorum ſchola ſumitur. & vbi materia cum Deo æquatur, Zenonis diſciplina eſt. & vbi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus interuenit. Eædem materiæ apud hæreticos & Philoſophos volutantur: iidem retractatus implicantur. *Hæc Tertullianus: quæ omnia poſt pauca egregijs illis vocibus claudit,* Quid ergo Athenis cum Hieroſolymis? Quid Academiæ & Eccleſiæ? Quid hæreticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt: qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Chriſtianiſsimum protulerunt. *Qua in re pari ſanè ardore atque contentione vel ab ipſis propè Apoſtolorum temporibus in Philoſophos fusè inuectus erat vir ſanctiſsimus † Irenæus. Atque ab hac ſententia ne latum quidem vnguem videtur diſceßiſſe Nazianzenus, Euſebius & Auguſtinus. Quorum † primus hæreticos appellat Philoſophorum diſcipulos: Iulianúmque in primis, hoc eſt infenſiſsimum pietatis hoſtem, ab illis venenum impietatis hauſiſſe ſcribit. † Alter inutile iudicat Philoſophorum ſtudium: illóſque ſtatuit non modò eſſe plenos inconſtantia, diſſenſionúmque artifices, ac ſibimetipſis exitioſos, verùm etiam Chriſtianæ doctrinæ ac veritati aduerſari. † Poſtremus literatis huius Mundi curioſitatis, fraudis, infidelitatis denique inurit notas: ac Chriſtiano viro qui diuinis ſit literis eruditus, Philoſophos ne de nomine quidem agnoſcendos eſſe arbitratur. Quin † alicubi cum eos qui ſeſe liberalium diſciplinarum ac Philoſophiæ ſectatores profiterentur, libidinum ſeruos appellaſſet, denique tanquam ab Apoſtolo excitatus in eos exarſit his verbis.* Non ergo illæ innumerabiles & impiæ fabulæ, quibus vanorum plena ſunt carmina Poëtarum, vllo modo noſtræ conſtant libertati. non Oratorum inflata & expolita mendacia. non denique ipſorum Philoſophorum garrulæ argutiæ: qui vel Deum prorſus non cognouerunt: vel cum cognouiſſent, non ſicuti Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. *Ac paulo poſt:* Abſit omnino vt iſtorum vanitates & inſaniæ mendaces, ventoſæ nugæ, ac ſuperbus error, rectè liberales literæ nominentur: hominum ſcilicet infœlicium, qui Dei gratiam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qua ſola liberamur de corpore mortis huius, non cognouerunt: nec in eis ipſis, quæ vera ſunt, ſenſerunt. *Iam verò, ſi placet, Hieronymi quoque ſententiam exploremus. Ergo † hic eſt, qui non à Poëtarum ſolùm, ſed Dialecticorum etiam Philoſophorúmque nos lectione arcet quòd in obſcuritate & vanitate ambulent: hic Philoſophos gloriæ mancipia, eorundémque decreta modò Idola, modò AEgyptiorum primogenita iubet nuncupari. hic denique Philoſo-*

phiam

Margin notes:

Irenæus. — † Iren. lib. 2. adu. hær. c. 19.

Nazianzenus. — Naz. in lib. de fide. & orat. 1. con. Iulianum.

Euſebius. — † Euſ. l. 15. de præp. Euan. in proœm. & l. 14. c. 1. in orat. Conſtan. & alibi ſæpe.

Auguſtinus. — † Aug. l. 1. de act. con. Fœl. Manich. l. 8. de ciu. c. 7. et ep. 131. quæ eſt ad Memorium. † Epiſt. 131. ad init.

Hieronymus. — † Hier. in c. 4 ep. ad Eph. in c. 20. Ezech. in ep. ad Fabiol. de mãſion. mãſ. 1. in epiſt. ad Col. c. 2. & in c. 10. Matt. ad Pama. de obitu Paulinæ, & al.

phiam atque Rhetoricam à Christo omnino reprobatas fuisse ait, dum eligeret piscatores, ac proinde Christianis interdici eas attingere. Verùm inter tot Patres quid obsecro sensit eruditissimus ac disertissimus author Lactantius? An non is est † qui nos grauissima oratione admonuit idcirco viros plurimos, atque eos alioquin eruditos nutasse in fide, quòd ex Poëtarum, Rhetorum, Philosophorúmque scriptis venenum vna cum melle hausissent? Sed quo pacto hanc ipsam quæstionem aduersus eloquentissimum Philosophum disseruerit, ex ipsomet audiamus. Nam cum in M. Tullium incidisset in Philosophiæ oppugnatores insultantem † his verbis: Quisquam ne vituperare vitæ parentem, & hoc paricidio se inquinare audeat, & tam impiè ingratus esse? † Nos ergo (*exclamauit continuò*) paricidæ sumus M. Tulli & insuendi, te iudice, in culeum, qui Philosophiam negamus parentem esse vitæ? At tu qui aduersus Deum tam impiè ingratus es (non hunc cuius effigiem veneraris in Capitolio sedentem: sed illum qui Mundum fecit, hominémque figurauit: qui Sapientiam quoque ipsam inter cætera cœlestia beneficia largitus est) Magistram tu virtutis, aut parentem vitæ vocas, ad quam si quis accesserit, multò fit incertior necesse est, quàm prius fuerit? cuius enim virtutis? quam vbi ipsa sita sit, adhuc Philosophi non expediunt. Cuius vitæ? cum ipsi Doctores ante fuerint senectute ac morte confecti, quàm constituerint quomodo viui deceat. Cuius veritatis indagatricem profiteri potes? qui sæpe testaris cum tanta fuerit multitudo Philosophorum, sapientem tamen extitisse adhuc neminem. Quid ergo te Magistra illa vitæ docuit? *Et paucis verbis interpositis.* Studuisti Philosophiæ: & quidem sic, vt nullus vnquam diligentiùs: quippe qui omnes cognoueris disciplinas, sicut ipse gloriari soles: eámque ipsam latinis literis illustaueris, imitatorémque te Platonis ostenderis. Cedo igitur quid didiceris: aut in qua secta veritatem deprehenderis. In Academia scilicet quam secutus es, quam probasti? at hæc nihil docet, nisi vt scias te nihil scire. Tui ergo te tui libri arguunt, cum nihil à Philosophia disci posit ad vitam. *Hæc inter cætera aduersus summum Philosophiæ laudatorem author disertissimus. Nam si quis omnia recensere velit, quæ is in Philosophos scripsit, huic sanè longiùs quàm par est producenda erit oratio. Sed & hos ipsos rei Christianæ obesse plurimùm, non obscurè profectò significarunt Leo Magnus & Ambrosius: dum † ille Apostolorum Principi Philosophicas opiniones conculcandas fuisse diceret, ac dissoluendas terrenæ sapientiæ vanitates: † hic verò testaretur Astrologiam, Geometriam, & huiusmodi alia Christianis fuisse despecta, quòd nihil valerent ad salutem, sed raperent in errores. Quanquam altiùs adhuc exaggerat vir clarissimus Philosophiæ notas ac detrimenta. † Scribit enim non à Deo, sed ab humana imbecillitate atque adeo inscitia esse profectam: commentitijs rationibus contineri: diuinæ prouidentiæ aduersari*

Lactantius.

† *Lact. li. de falsa relig. nō vno in loco. & l. 3. de falsa sap. fusè.*

† *l. 5. Tusc. quæs. ad in.*

† *Lact. lib. 3. de fal. sap. c. 14.*

Iam non proposita verba, sed alia his affinia oppugnat, quæ habētur in Tusculanis disputationib. li. 5. ad init.

Leo Magnus.

Ambrosius.

† *Leo ser. 1. in nat. Apos. Petri et Pauli.*

† *Amb. in ep. ad Col. c. 2.*

† *In ps. 108. & in ep. ad Col. c. 2.*

aduersari, à Deo auertere: elementis tribuere diuinitatem: animísque in varios errores adductis, inani quadam suauitate implicatos detinere mortales. Atque ob id phaleratam eam esse dicit, versare lutum, denique (vt cum Apostolo concludat) apud Deum meram esse stultitiam. Quid quod † Cyprianus, qui (si Augustino credimus) fuit externarum studiosissimus doctrinarum, Philosophos sæpe lacerat, insimulátque stultitiæ. Clemens verò Alexandrinus qui nonnullis acerrimus Philosophiæ propugnator, ac laudator summus videri solet; Philosophiæ incommoda ac damna non agnouit solùm, verùm etiam interdum apertè confessus est. † Nam (vt omittam Græcos Philosophos reprehendisse quòd ad veritatem obsurdescerent) nonne scriptum reliquit eam nugis contineri, ac (quod est longè grauius) cum zizanijs esse permistam, atque hæresum fuisse seminarium? Age verò si celeberrimum eruditissimúmque Clementis discipulum, † Origenem inquam, consulamus, quid tandem responsurum esse arbitramur, nisi humanas doctrinas multis magnísque erroribus, quos etiam sæpe coarguit, esse refertas, neque externæ Philosophiæ esse fidendum, cum alioqui mendax sit, & fallax? Quin etiam non hæc docet solùm, sed & planè fatetur Valentinum, Basilidem, atque alios multos qui peruersas opiniones in Ecclesiam introduxere, ex Philosophorum scholis eas arripuisse. Neque verò interim prætermittendus est magnus ille ac planè Regius fidei propugnator ac propagator † Basilius: hic etenim præterquam quòd miram in Philosophorum sententijs notauit inconstantiam, eorúmque decreta cum aranearum telis conferre non dubitauit, vera rerum initia sustulisse ait Philosophos, atque in diuinam prouidentiam, Deúmque ipsum peccasse turpiter. Nam quid ego de clarissimo atque sanctissimo Philosopho dicam, qui ab martyrio cognomentum accepit? Etenim verissimè dici potest huius scripta perpetuis fermè Philosophorum vituperationibus contineri: passímque in eorum decretis detegere impuritatem aliquam ac labem. Sed & eosdem non minus acutè & eleganter quàm breuiter prudentèrque perstringit ac damnat † Prudentius, dum canit,

> Quid non libido mentis humanæ struat?
>   Quid non malorum pruriat?
> Statum lacessunt omnipollentis Dei
>   Calumniosis litibus.
> Fidem minutis dissecant ambagibus,
>   Vt quisque lingua est nequior,
> Soluunt ligántque quæstionum vincula
>   Per syllogismos plectiles.
> Veh captiosis Sycophantarum strophis.
>   Veh uersipelli astutiæ.
> Nodos tenaces recta rumpit regula,
>   Infesta disertantibus.
> Idcirco Mundi stulta delegit Deus
>   Vt concidant Sophistica.

Déque

† In lib. de bono patien. & in lib. de Spir. sancto, & alibi.

† lib. 6. Str. l. 8. ad init. & alibi.

† Hom. 7. in Ios. & 14. in Gen. & alibi

† Bas. hom. 1. in Exa. ad init.

† Prud. hym. in infideles scripto.

Cyprianus. Clemens Alexandrinus. Origenes. Basilius. Iustinus Martyr. Prudentius.

Déque imbecillis subiugauit fortia,
Simplex vt esset credere.

Hilarius. Arnobius. Adrianus Pontifex. Epiphanius.

Mitto autem † Hilarium & † Arnobium, quorum alter Philosophos fidei irrisores appellat: alter rerum causas ignorasse ait, nihilque constantiæ seruasse. Taceo † Epiphanium & † Adrianum Pontificem summum, quorum posterior Ethnicorum (inquit) Dialectici sunt non astruendi sed destruendi Magistri: prior verò conqueritur quòd homines vanæ sapientiæ cognitione occupati, Deum syllogismis conarentur concludere. Prætereo † Athanasium qui Philosophorum sapientiam, statim atque Dei sapientia apparuit in terris, ait infatuatam esse. De † Beda etiam nihil dicam qui dominicum illud verbum, Qui non intrat per ostium in ouile, sed ascẽdit aliunde, fur est & latro, *ad Philosophos retulit, quòd oues, hoc est eos quos instituendos suscepissent, non modò non conseruarent, sed deciperent & necarent. Hos inquam omnes, atque alios non paucos ex patribus missos facio. Cum præsertim † Concilium Cartaginense pro his omnibus satis esse possit. Neque enim externarum disciplinarum lectionem vetaret Episcopis, nisi illæ apud sanctissimos atque grauissimos Patres propter pietatis offensionem malè audissent. Sed quoniam testimonium quod ab aduersarijs ipsis sumimus, solet esse firmissimum, age Ethnicos atque adeo ipsos Philosophiæ, liberaliúmque (quas ipsi vocant) artium architectos ac machinatores consulamus. Et vt silentio inuoluam multa, quæ ab iisdem scripta sunt aduersus Philosophos, scitè profectò ac verè de iis artibus & facultatibus, quæ in contemplatione versantur, pronunciasse videtur † Plato, cum eum qui has* κομψότητας *(tu versutiam vel potiùs ornamenta fastu plena dixeris) appellauerit, rectissimè (inquit) appellauerit. Sed & lepidum ac peracutum est illud quod in Platonis Phædone contra eos scriptum reperitur. Etenim cum moneret Socrates Philosopho semper esse moriendum, ac per omnem vitam sedulò commentandam esse mortem.* Mihi quidem *(inquit Simias)* haud multum ridere cupienti, risum expressisti. Nam multos arbitror fore, qui id si audierint, aptissimè in Philosophos dictum putent, Philosophos dignos esse morte: ídque ne ipsos quidem latere. *Quibus verbis non obscurè impietatis notam inussit illis. Atque hunc quidem non paucorum fuisse sensum, neque ex plebe haustum, sed eorum inprimis, qui Respublicas moderarentur, profectò vel ex † Celso intelligitur, qui vt nascentis Ecclesiæ gloriæ inuidebat, cum cerneret eos qui Christianam fidem amplecterentur, alacriter commentari mortem: séque ad martyrium fortiter comparare,* Id verò (*aiebat ipse*) Philosophi etiam propter impendens vitæ discrimen fecerunt. *quibus verbis satis indicat, Philosophos, quod pertinet ad pietatem & religionem, malè audisse apud antiquos. Sed ne † Senecam prætereæm tacitus, quem à laudatissimo viro Hieronymo tantopere laudari video; quot aduersus Geometriam, Astrologiam, Physicam, dicam paucis, in omnes propè Philosophiæ partes is excitauit tragœdias, vt superuacua huiusmodi studia (sic enim appellat ea) doceat esse repudianda atque exterminanda?* A

Athanasius. Beda. Concilium Cartaginense. Quid senserint Ethnici ipsi. Plato. Celsus. Seneca.

† Hilar. in psal. 63.
† Arnob in l. 2. adu. gent. ad init.
† Epiph. adu. Aria.
† Adr. dist. 37. c. 6.
† Athan. de hum. ver.
† Beda in c. 8 Ioh.
† Conc. Cart. c. 16. & refertur etiam dist. 37. c. 1.
† Ep. 10. vbi vide Marsilium.
† Cel. apud Orig. con. Cels. lib. 1. par. 2.
† Sen. ep. 89.

tu existimas (*inquit*) reprehendendum, qui superuacua sibi comparat, & preciosarum rerum pompam in domo explicat, non putas eum qui occupatus est in superuacua literarum supellectile, plus scire velle quàm sit satis? Intemperantiæ genus est. Quid quod ista liberalium artium consectatio molestos, verbosos, intempestiuos, sibi placentes facit, & ideo non discentes necessaria, quia superuacua didicerunt. *Et paulo post*, Philosophi quantum habent superuacui: quantum ab vsu recedentis? Ipsi quoque ad syllabarum distinctiones & coniunctionum ac præpositionum proprietates descenderunt. Quicquid in aliorum artibus superuacuum erat, transtulere in suam. sic effectum est, vt diligentiùs sciant loqui quàm viuere. Audi quantum mali faciat nimia subtilitas, & quàm infesta veritati sit. Protagoras ait de omni re in vtranque partem disputari posse ex æquo, & de hac ipsa, An omnis res in vtranque partem disputabilis sit. Nausiphanes ait, ex his quæ videntur esse, nihil magis esse, quàm non esse. Parmenides ait, ex his quæ videntur nihil esse in Vniuerso. Zenon Eleates omnia negocia de negocio deiicit: ait nihil esse. Circa eadem ferè Pyrrhonij versantur, & Megarici, & Critici, & Academici, qui nouam induxerunt scientiam, nihil scire. Hæc omnia in illum superuacuum studiorum liberalium gregem conijce. Illi mihi non profuturam scientiam tradunt: hi spem omnem scientiæ eripiunt. Illi non præferunt lumen per quod acies dirigatur ad verum: hi oculos mihi effodiunt. Si Protagoræ credo, nihil in rerum natura est nisi dubium. Si Nausiphani, hoc vnum certum est, nihil esse certi. Si Parmenidi, nihil esse præter vnum. Si Zenoni, ne vnum quidem. Quid ergo nos sumus? Quid ista quæ nos circunstant? alunt, sustinent? Tota rerum natura vmbra est, aut inanis & fallax. Non facilè dixerim vtrum magis irascar illis, qui nos nihil scire voluerunt: an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, Nihil scire. *Hæc Seneca inter cætera. Nam si illud te interim commoueat quòd Senecæ eam saltem Philosophiæ partem sentias probari quæ pertinet ad mores, audi † M. Tullium, qui tametsi Philosophiæ studiosus, quas illa vtilitates attulerit sectatoribus, declarauit his verbis:*

† Tul. 2. Tus. non longè ab initio.

Quotus quisque Philosophorum inuenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus vt ratio postulat: qui disciplinam non ostentationem scientiæ sed legem vitæ putet, quíque obtemperet ipse sibi, ac decretis suis pareat? videre licet alios tanta leuitate & iactatione, ijs vt fuerit melius non didicisse: alios pecuniæ cupidos, nonnullos gloriæ, multos libidinum seruos, vt cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio: quod quidem mihi videtur esse turpissimum. *Sed vtinam eorum scripta ac monumenta*

extarent, qui in Hortensio tantopere exercuerunt eundem M. Tullium, intelligeremus enim ex Ethnicis etiam plurimos fuisse Philosophiæ vituperatores, eósque prudentia & eruditione præstantes. Sed pro his omnibus ij esse poterunt quos subijciam. Nam si grauissimi quoque Senatus ac Principis audire lubet sententiam, nonne Romani, vt est apud † Gellium, ad Philosophos ac Rhetores tanquam iuuentuti ac Reip. perniciosos pellendos Senatusconsultum promulgarunt? † Vespasianus autem, qui vnà cum filio Christianos vsque adeo benignè tulit, vt ea tempora si cum antecedentibus aut consequentibus conferantur, Alcionei veluti dies visa sint, quibus inter sæuissimas Neronis Domitianíque tempestates suos Ecclesiæ fœtus ederet ac propagaret; nonne cum Philosophis agens, omnem placiditatem exuendam censuit, cum (Dione teste) in Philosophos grauiter excandescens, edicto decerneret vt exularent ab Vrbe? At diuinorum fortasse oraculorum testimonia desiderantur. Immo verò in promptu sunt omnibus, eáque perspicua & luculenta. Nam † Salomon occupationem pessimam appellat huiusmodi doctrinas, easdémque sub nomine meretricis insectatur ac damnat. Apostolus verò † Perdam (inquit) sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Hinc vt eas funditus tollat † Videte (inquit) ne quis vos seducat per Philosophiam. Et rursus: Si quis non acquiescit ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum. Et alibi: † Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius Mundi? Atque ob id etiam clamabat † scientiam inflare, † sapientes à Deo confundi, & alia id genus non pauca. Et præclarè quidem ac planè diuinè. Nam (vt ait † Tertullianus) fuerat Athenis, & istam sapientiam humanam affectatricem & interpolatricem veritatis de congressibus nouerat. Ipsam quoque in suas hæreses multipartitam varietate sectarum inuicem repugnantium. Hæc aduersus humanas disciplinas ex sacris profanísque authoribus. Quamobrem (vt ipse etiam horum personam ac partes tantisper sustineam) si sapientissimus rerum author ac moderator Deus hæreticos illos ab inferis excitaret, qui præ cæteris Christianæ Reip. nocuerunt: iuberétque illos, quoniam humanarum doctrinarum incommoda ac detrimenta iam nouerunt optimè; rem vniuersam vel inuitos aperire, nósque simul de discrimine admonere, cui vltro propter huiusmodi studia nos ipsos obijcimus, talia profectò vno ore exclamare omnes audirentur.

QVOVSQVE tandem fucatis Oratorum blandimentis pertentari animos vestros sinetis? quandiu medicatis Poëtarum poculis, captiosisque Dialecticorum præstigijs illudi vos patiemini? quem ad finem sese effrenata ista perniciosæ sapientiæ iactabit cupiditas? Nihilne tenebricosæ mutuóque pugnantes Philosophorum sententiæ, nihil theatralis Oratorum ostentatio, nihil mendacia, ac turpitudines Poëtarum, nihil contracta ex istorum omnium inuentis labes, nihil sanctorum virorum isthæc execrantium atque detestantium voces, vos commouebunt? Videte, videte per Deum immortalem ne ijs studijs Christiani homines in Dei Ecclesia gloriemini, quibus maximè

Ethni-

Romanus Senatus.
Vespasianus Imperator.
Afferuntur scriptores sacri. Salomon. Apostolus.
Author pro eadem sententia.

† Gell. l. 15. c. 11.
† Dio in Vesp.
† Salo. Ecclesiastes c. 1. & Prou. c. 5.
† 1. ad Cor. c. 1.
† ad Col. c. 2.
† 1. ad Cor. c. 1.
† 1. ad Cor. c. 8.
† 1. ad Cor. c. 2.
† Tertul. lib. de prosc. hær.

Ethnicorum sapientissimi iam apud inferos erubescunt. animaduertite ne pietatem religionémque ijs artibus tueamini, quibus nos ad omnem impietatem prolapsi sumus. cauete ne inde vobis aditum aperiri existimetis in cœlum, vnde nobis omnibus exitium patuit sempiternum. Etenim quid quæso tam dissimile inueniri potest quam Philosophus & Christianus? Græciæ discipulus & Cœli? gloriolæ negotiator & æternæ vitæ? verborum & factorum operator? rerum euersor & ædificator? veritatis oppugnator & propugnator? inimicus & amicus erroris? Dæmonis, Dæmonis (nobis credite) sunt adumbrata ista sapientiæ inuenta & lenocinia. Nam quemadmodum Mithridates olim ab Romano Imperatore profligatus, ac patrio regno in Armeniam pulsus, maximam auri vim atque argenti, ingentémque eorum omnium copiam quibus mortalium oculi præstringi solent ac capi, obuijs exposuit hostibus, vt ijs, dum pro libidine oblectarentur, victoriam è manibus eriperet: ita infensissimus Christiani nominis hostis, dum ab Ecclesiasticæ militiæ DVCE deuictus, in suas ille latebras conijceretur, pulcherrima eloquentiæ, cæterarúmque huiusmodi artium semina, hoc est curiositatis, & ambitionis incitamenta, atque (vt fateamur ingenuè) illecebras iuuentutis, animorúmque corruptelas disseminare cœpit, disseminátque per suos satellites indies magis: nimirum vt vos adumbratis eiusmodi bonis, adulterinísque voluptatibus captos, à diuinæ sapientiæ perceptione retardet, atque immortalibus religionis fructibus priuet. Quanquam leuissimè quidem & obscurè quod iubebamur attigimus. Itaque rem omnem complectemur clariùs sicque complectemur, vt diuinis maximè exemplis ac documentis vtamur. Ergo quod olim Dei populo capta Ierichо accidisse legimus, vt † Achan auream linguam, coccineum pallium, argenti denique Siclos plurimos de anathemate cum tulisset, vniuersam gentem polluerit ac macularit, vindicémque sceleris iram prouocarit; idipsum maioribus nostris inter Christianos cernimus contigisse. Etenim profanis studijs atque doctrinis, seu potiùs oblectamentis ac lenocinijs deliniti, auream linguam, hoc est eloquentiam, coccineum quoque pallium, nimirum poësim: quamplurimos denique argenti Siclos, id est multiplices Philosophorum opiniones vsurparunt, quibus si non Ecclesiam, at certè se ipsos, aliósque propè innumeros contaminantes, Christianæ fidei desertores, hæresúmque authores, atque propagatores effecti sunt. Vt quemadmodum humanum genus vix conditum propter curiosam sciendi cupiditatem, sexcentis detrimentis affectum, immo verò prostratum & perditum est. ita etiam vix erectum atque restauratum nouis calamitatibus oppirmeretur. Et sanè si diuinorum oraculorum sensus paulò intimius exploremus, quid aliud significare existimabimus lutulentas † Siliquas quibus vescebatur prodigus ille filius, nisi impurissimas Ethnicorum doctrinas? quid † Ciniphes, quibus percussi sunt Ægyptij, præter Dialecticos? quid Ranas nisi loquacissimos Poëtas? Sed & † Sycera, dum eius potatio interdicebatur Nazaræis, quid aliud obsecro præmonstrabat, nisi ab humana sapientia abstinendum esse ijs, qui Christo sunt mancipati? Impudentissimus verò † Abimelech, qui sanctissimo Patriarchæ Isaac aduersabatur:

† Vide Tul. pro lege Manilia.

† Iosu. c. 7. Vide Orige. homil. 7. in Ex.

Humanarum disciplinarum Symbola ex diuinis literis: de quibus vide Aug. ser. 87. de tēp. Orig. hom. 14. in Gen. & fusiùs hom. 4. in c. 7. Exo. Cl. Alexan. 1. Str. Chrysost. hom. 65. in Io. Hier. in ep. ad Damas. de filio prodigo, & alibi alios. Decr. etiam dist. 37.

† Lucæ c. 15.
† Exodi c. 8.
† Iud. c. 13.
† Gen. c. 26

an non appositè Philosophi personam expresit? quin & † AEgyptium à quo Hebræus ille oppugnabatur, nonne fatebimur indicare Ethnicorum Philosophiam pietati reluctantem: & idcirco veluti de medio tollendam esse, quemadmodum à Mose interfectus est AEgyptius ille? Atqui † meretricis mercem, quæ in Sanctasanctorum induci haud poterat: canisque pretium quod altari offerri prohibebatur, quis non videt ad externas doctrinas esse referenda? Denique vniuersas † AEgyptiorum plagas ipsissimam humanarum disciplinarum imaginem esse nemo sanè qui rectè sentiat dubitabit. Declarant hæc antiqua illa superiorum ætatum monumenta: quæ si cum Christianis conferantur, nihil nisi densissimas tenebras, ac cæcorum mortalium somnia præseferunt. Quamobrem lustrate obsecro priscorum sapientium Academias, adite AEgyptiorum sacraria, conscendite Babiloniorum turres, penetrate Indorum fines, legite Gallorum versus, percurrite Romanorum annales, Græcorum fabulas ac libros Philosophorum diligenter euoluite, eisdémque splendidissimam Euangelij lucem obijcite, ac statim ipsius veritatis ruinam & incendium esse intelligetis. Nec mirum. Sunt enim sensus, insidiosi administri, infidi satellites, tardi nuntij, impuri fontes, errorum denique ianuæ atque magistri. vt propterea nisi Philosophia contempta auocemus animos à sensibus, & à corporis caligine, quamlongisime discedamus, in perpetuis erroribus versandum sit; tantum abest vt pucherrimum sapientiæ aspectum liceat intueri. Quocirca mirentur sanè alij, ac toto animo commoueantur, cum audiunt Salomonem Regem, qu diuinitùs hauserat sapientiam, tandem posthabitis diuinæ legis præceptis, † meretricijs delitijs atque adeo Idolis seruisse. Nos enim Christianos potiùs demiramur, & obstupescimus, qui aspersi Christi sanguine, Spiritu Sancto imbuti, diuinis mysterijs initiati, sacrosanctas edocti Euangelij doctrinas, Christo, Christo inquam refecti, Deique ipsius domicilium ac templum, vel supra omnem beatarum mentium conditionem effecti; humanarum tandem artium oblectamentis, quasi veneficijs & cantionibus sic occupantur, vt pietatem, castimoniam, virtutes denique omnes deserant: hæreses consectentur turpissimas: Dæmonis efficiantur administri: omnium vitiorum labe, omnium scelerum cœno fœdentur. Testes sunt Nicolai, Cherinti, Basilides, Valentini, Marciones, atque Nestorij: testes etiam Apelles, Arrij, Pelagij, Vuiclefi, Lutheri, Caluini, atque alij innumeri, quos Superis licet & Inferis inuisos huc Dei iussu cernitis aduenisse. Hos enim Hesiodi nox, ac Theogonia vniuersa, hos Thaletis Oceanus, Homeri Theomachia, Anaxagoræ homœomeriæ, Democriti atomi, Orphei orgia, Pythagoræ metempsycosis, Superstitiosique numeri infatuarunt. Hos Empedocles, Anaximandri, Platones, Epicarmi, Aristoteles, Antistenes, Zenones, Tullij, Ethnici denique fabulatores, nouatorésque omnes, seu stellionatores manis & impostores (neque enim tantam temeritatem, nisi magna nominum insolentia complecti possumus) suis carminibus atque commentis deceptos, sensim in errores innumeros induxerunt; dum Chaos, Cupidinem, Thetin, litem & amicitiam, fluentes imagines, abstracta exemplaria, infinitatem,

† Exo. c. 2.

† Deut. c. 23.

† Exo. c. 27. & deinceps.

† Reg. lib. 3. c. 11.

tem, Parcas, præposterum fatum, Necessitatem, Casum, decidentia è cœlo semina, æternam materiam, varios Mundi opifices, multiloquia, mille denique blandiendi atque fallendi vias, artésque patefecere. Quæ omnia exemplis planissima vobis reddere haud grauaremur inpræsentia, nisi alij plurimi, atque inprimis sanctissimi viri † Irenæus & † Epiphanius hæc suis scriptis explicassent diligenter. Quanquam, ne in tanta exemplorum vbertate exarescere videatur oratio, illud vnum attingemus quod vt perpetuis lacrymis dignum est, ita Christianos omnes, atque inprimis rerum sacrarum administros ab Philosophiæ humanarúmque artium studijs penitus abalienare deberet. Sed quale tandem est hoc exemplum? Flagitiosissimum ac nunquam satis execratum Nouatiani facinus. Etenim cum vsque ad Cornelij Pontificis Romani tempora diris Tyrannorum carnificinis, funestissimis hæreticorum facibus, sexcentis denique Diaboli machinis grauiter oppugnata fuisset Ecclesia: atque ita oppugnata, vt intra ducentos ac viginti annos (tot enim fluxerunt à Petro ad Cornelium) vix aliquam quietis partem cepißet vnquam; nunquam tamen discissa est: nunquam diro schismatis mucrone appetita, quo veluti iugulari, aut etiam capite ipso truncari solet. Cum ecce tibi Nouatianus, hoc est orator disertissimus, ac Philosophus summus, quíque non ex Epicureorum, Cynicorúmue officina, sed ex laudatissimis Stoicorum spatijs extitit; pernitiosissimam illi schismatis cladem importauit. Nam cum fortissimos Christi athletas, quos Decius incassum inauditis tormentis pertentauerat, dicendi copia ac pietatis specie captos, à Cornelio, solidáque petra distraxisset primùm: tum se ijs Paulo ipso sanctiorem (si Deo placet) ac doctiorem ostentasset; horum denique ope atque præsidio aduersus Petri cathedram nouum solium apud inferos machinatus erexit, statuítque: è quo etiam egregius tum Philosophus tum hæreticus ingenti clade affecit Christianam Remp. vniuersam. Hi Philosophiæ fructus, ac theatralis sapientiæ quæstus. Quamobrem vt dicendi finem faciamus, sic habetote. SACRAS literas Christianámque Theologiam quippe quæ sunt Dei virtus & sapientia, perfectam doctrinam continere eorum omniū quæ Christiano conducunt homini ad benè beatéque viuendum. Contra verò profanas artes quippe quæ ab humana temeritate & corruptela, ídque non sine dæmonis impulsione profectæ sunt, esse omnium illecebrarum atque libidinum seminarium. Vt propterea vobis præuidendum sit diligenter ne profanis literarum studijs diuina violetis. Quin potiùs summopere elaborandum, vt ex hominum animis quantum fieri posit externa eruditio euellatur omnis: maximè verò Iapponijs, Mexicanis, Sinis, ijs denique vniuersis quibus iamiam affulgere cœpit Euangelij lumen humanarum disciplinarum aditus (nisi tamen quos ex densissimis superstitionis tenebris, atque adeo ex Orci faucibus eripitis, eosdem venenatis Poëtarum fabulis ac veternosis Philosophorum contentionibus, ad omnem impietatem impuritatémque reuocandos esse existimatis) penitus intercludatur. Hæc pro eiusmodi opinione.

† Iren. lib. 2. c. 19. & al. † Epiph. non vno in loco. Tert. lib. de præs. & al. alij.

QVAM tamen nolim equidem ingenuo Philosopho, ac Christiano inprimis

primis

HVMANAS disciplinas perdiscendas esse, ac non sine Ecclesiæ vtilitate retineri qui senserint.

primis probari vnquam: sed potiùs ab eodem repudiari ac reijci: contrariámque demum, ea quam deinde referam, cautione, atque moderatione adhibita, retineri. Contrariam verò sententiam (ne præclarissimis carere videar Patrum testimonijs, quibus interea aduersaria exultauit oratio) sequitur Clemens Alexandrinus: eámque cum alibi tuetur sæpe, tum præsertim libro I. & VI. Stromatum: vbi docet Philosophiam hanc esse ipsum studium veritatis: humanásque disciplinas omnes à Deo profectas esse: ac propterea iure optimo cum à Deo manent, recipi ac tractari. Quin etiã pugnat diuinam prouidentiam quippe quæ singula admirabili consilio distribuit & artificio, Iudæis legem, Græcis ac Barbaris Philosophiam tradidisse, quæ legis instar esset ac fœderis: vt vtrique, si rectè vterentur illis, esset Christianæ Philosophiæ fundamentum. Hinc etiam (vt sæpe solet) Dialecticam cum Lidio lapide, Philosophum cum Trapezita comparat: subindéque humanarum artium Reginam ac dominam, Theologiæ vallum, virtutis ac vitæ viam, diuinæ sapientiæ radium appellat Philosophiam: mirísque eam laudibus extollit, quas recensere longum ac propè infinitum esset. Neque à Clemente discessit eius auditor Origenes, qui varijs in locis, in primis verò in his quæ disserit contra Celsum, disertè ostendit huiusmodi eruditionem, veritati, prudentiæ, virtuti denique ipsi, ac Dei cognitioni inseruire: ac propterea nihil aliud aut existimandam, aut appellandam esse quàm veritatis cognitionem, rectéque viuendi rationem, ac denique diuinæ sapientiæ administram. Quocirca Abimelech duósque illius socios, qui tandem cum Isaac ineunt fœdus, atque ab eodem excipiuntur conuiuio, eleganter † transtulit ad tres Philosophiæ partes quæ cum Theologia coniunctæ, cœlestibus diuinorum oraculorum dignantur epulis. Sed de huiusmodi symbolo alias. Nunc ad Theodoretum venio, qui sanè in libro de fide tradit nulla alia in re, quàm in boni veríque scientia versari Philosophiam: ob ídque non solum omnium humanarum virtutum vias, atque adeo virtutem ipsam continere, verùm etiam ad diuinas virtutes ac disciplinas sternere aditum. Atque hac de causa ijs planè laudibus eam ornat quibus à Platone varijs in locis ornata ac celebrata fuerat. Sed nullo modo prætermittenda sunt, quæ de ea scripsit † Damascenus. Hic etenim præterquam quod improbat illos qui Philosophiam à Christiano viro respuendam esse dicerent; eam sanè tum Dei donum appellat, ac diuinis illis B. † Iacobi verbis commendat, quibus quæ proficiscuntur à patre luminum, perfecta esse dixerat omnia: tum rerum diuinarum & humanarum cognitionem continere, nósque Deo similes reddere, grauissimis verbis testatur. Neque verò ab his dissentiunt † Clemens Romanus atque Boëtius: quorum alter licere ait ex humanis disciplinis depromere argumenta ad Ecclesiæ decreta confirmanda, hæreticósque ipsos refutandos: alter verò Philosophiam † docet, tum ad Theologiam perdiscendam, tum ad oppugnatores aduersariósque redarguendos valere plurimùm. Nunc ad Augustinum venio: qui sanè tanti æstimat Ethnicorum disciplinas Philosophiámque ipsam, vt prædicet † torpentes animos excitare, atque à terrenis fluxisque rebus ad diuinas & sempiternas attollere. Id quod sibi vsu venisse scribit Ciceronis

[Margin notes: Clemens Alexandrinus. — Origenes. — Theodoretus. — Damascenus. — Clemens Romanus. — Boëtius. — Augustinus.]

[Marginal references: † Hom. 14. in Gen. — † In lib. qui Dialectica inscribitur, c 4. — † Iac. c. 1. — † Clem. li. 7. et 10. recog. & ep. 5. — † Locis infra citan.]

ceronis Hortensio lectitanti, in quo Philosophiæ laudes continerentur. Et idcirco etiam eos qui Philosophiam fugiendam putant, nil aliud sibi velle ait, quàm vt ne sapientiam amemus. Et egregiè quidem ac propè diuinè. Posuit enim Deus immortalis in conspectu hominis lucentem hunc Mundum, tanquam pulcherrimum diuinæ artis ac sapientiæ spectaculum, atque vberrimam admirationis segetem, vt opificis sapientiam contemplantes illum perpetuò diligamus ac veneremur. Sed ne ineptus sim ego, qui breui disputatione concludere enitar ingentem sententiarum quasi syluam, quibus Philosophiæ cæterarúmque humanarum disciplinarum vtilitatem ac dignitatem extollunt Patres, ad ea saltem loca digitum intendam, in quibus apud eos id fieri animaduerti. Ergo humanas disciplinas & laudarunt, & retinendas esse docuerunt copiosissimè Augustinus libro I. contra Cresconium: II. de doctrina Christiana: XIII. contra Faustum: libro I. contra Academicos, & alibi sæpe. Basilius in aurea oratione illa qua docet, quo pacto ex profanis authoribus vtilitas sit capienda. Hieronymus in epistola ad Magnum, & in altera ad † Paulinum. In primum quoque caput Danielis, & in secundam Epistolam ad Titum. Adde etiam in XI. Isaiæ caput, vbi Stoicos cum Christianis decretis consentire in plerisque testatur. Idem etiam fecit Eusebius non vno in loco: nam præterquam quod in II. libro de præparatione Euangelica, Platonis quem mirificè extollit, Romanorúmque testimonijs aduersus alios Ethnicos Christianæ fidei hostes decertat: & libro VI. Stoicorum fatum oppugnat varijs Philosophorum argumentis, in X. fusè docet præclaras quasque artes atque doctrinas ab Hebræis mutuatos esse Græcos Philosophos. Vt propterea etiam toto libro XI. ac XII. præcipua nobiliorum Philosophorum decreta ab sacris literis excepta, maximè verò Platonis doctrinam cum diuinis oraculis consentire pugnet. Vt interim omittam quæ scribit libro VI. † Ecclesiasticæ historiæ: vbi tum Clementem Alexandrinum laudat hac in parte, quòd externas doctrinas egregiè coniunxerit cum diuina; tum Origenem celebrat propter eximiam Philosophiæ cognitionem multiplicémque eruditionem. Quo etiam nomine commendatur a † Theodoreto Dydimus, & Iustinus à † Socrate. His addi potest Gregorius Nyssenus in libro de vita Mosis, Cassiodorus in proœmio diuinarũ institutionum, Beda in IX. caput II. libri Regum, Isidorus † libro III. de summo bono, † Constantinus Imperator in oratione ad Sanctorum cœtum, ac Rhabanus in II. caput Matthæi. Quin Nazianzenum quoque & † Ambrosium cum ijs percensere possis: nam licet interdum Philosophiam vehementer proscindere uisi sint: hic tamen in proœmio in Lucam nonnihil agnoscit illius vtilitatem: ille verò cum alibi, tum præsertim in orationibus quas habuit in laudem Basilij & Heronis, liberales disciplinas, Philosophiámque vniuersam commendauit non vulgariter. Idem planè affirmare licet de Iustino & Chrysostomo: quorum alter adulterinas quidem sectas passim insectatur acerrimè: Philosophiam tamen (vt legere est in dialogo quem habuit cum Triphone) diuinis penè laudibus extollit: immo Philosophos etiam ac Poëtas multos laudat, vt perspicuum fiet non multo post: alter verò (id quod demonstrabi-

Marginalia (left): † Est ep. 103. — † Eus. c. 11. & 13. — † Theod. l. 5. hist. Trip. c. 8. — † Soc. lib. 3. hist. c. 15. — † Isid. c. 13. — † Const. c. 9. & 10. apud Euseb. — † Amb. citatur etiam d. 37. c. 9.

Marginalia (right): Basilius. — Hieronymus. — Eusebius. — Gregorius Nyssenus. — Cassiodorus. — Beda. — Isidorus. — Constantinus Imperator. — Rabanus. — Ambrosius. — Nazianzenus. — Iustinus. — Chrysostomus.

ſtrabimus infra) non paucis Philoſophiæ declarauit vtilitatem. Sed & Cyrillus Hieroſolymitanus qui Catecheſi XIIX. ſcribit humanis rationibus non diuinis ſcripturis cum Ethnicis eſſe agendum, atque idcirco etiam Philoſophicis argumentis eos refellit, eidem fauet ſententiæ. Denique vix fortaſſe aliquem ex Eccleſiaſticis ſcriptoribus reperias, qui interdum aliquam Philoſophiæ laudem non tribuerit. Sed pro his omnibus eſſe poterunt Dionyſius Areopagita in epiſtola ad Polycarpum, ac ſummi Pontifices Eugenius II. Leo IV. Gregorius VII. atque alij multi, qui ſuis decretis ſanxerunt Philoſophiam cæteraſque humanas diſciplinas retinendas eſſe atque colendas. Iam verò expectet fortaſſe aliquis vt Triſmegiſti etiam, Platonis, Pythagoræ, Ariſtotelis, M. Tullij, Galeni, Plutarchi, Ethnicorum denique omnium qui eximiam Sapientiæ laudem adepti ſint inter mortales, ſententias exponam: ac magnificas illas liberalium diſciplinarum laudationes, ijs ſaltē quas ex ethnicis Philoſophis percenſui doctrinarum vituperationes opponam. Verùm dies me deficiat ſi obſignatas horum tabellas excipere ac proferre velim. Quamobrem hos omnes prætermittam tacitus: eóque magis, quòd cum ij Philoſophiæ non modò fautores, ſed etiam amplificatores, atque adeò parentes viſi ſint: & eorundem propè cauſa orta ſit huiuſmodi controuerſia, ſuſpecti eſſe poßint. Quin pótius ad ea ſuffragia confugiam, in quibus nulla poteſt eſſe ſuſpicio. neque enim diuinarum literarum approbationibus ac teſtimonijs caret hæc ſententia. Nam Salomon cum in † Sapientiæ libro loqueretur de naturali Philoſophia, vocauit illam Dei ſcientiam. idem etiam in † Eccleſiaſtico monuit, à Domino omnem ſapientiam eſſe profectam. atque in † Prouerbijs nos hortatur vt intelligamus ſermones prudentiæ, verſutiáſque verborum, parabolas, & obſcurum ſermonem, dicta ſapientum, & ænigmata. Quæ ſanè (ſi † Hieronymo credimus) propria ſunt Dialecticorum atque Philoſophorum. Atque huc pertinet diuinum illud lumen quod ſanctiſſimus † vates affirmabat in nobis impreſſum eſſe. Huc quod Deus excellenti ſapientia ornauit † Adamum, † Salomonem, & † Beſeleel: quorum priores rerum naturalium ac ciuilium, poſterior rerum fabrili opere gerendarum notitiam perfectè callebat. huc quod † Moſes omni AEgyptiorum ſapientia dicitur imbutus, † Daniel omni eruditionis genere inſtructus, cautus in omni doctrina ac diſciplina memoratur: qui ſanè ſi huiuſmodi diſciplinas, aut pernicioſas, aut vtilitatis expertes reperiſſent, vitaſſent ſanè illas, quemadmodum, tum reliquas eius gentis ſuperſtitiones, tum delitias ac regias epulas vitarunt. Huc etiam multa pertinent quæ attigit Apoſtolus in epiſtola ad Romanos, dum loqueretur de Ethnicorum ſapientia: cum præſertim ex his quæ ſub aſpectum cadunt, inueſtigari ac percipi ea velit, quæ ſolo cernuntur animo: atque hac ipſa ratione (vt optimè inter cæteros oſtendit B. † Auguſtinus) Deum à Philoſophis cognitum fuiſſe teſtetur. Quod ſi eos quoque percenſere velimus, qui cum prudentia ac ſanctitate excellerent, externarum diſciplinarum ſtudium adamarunt, aditum quidem ampliſſimum, exitum verò nullum reperiemus. Quis enim neſciat Dionyſium Areopagitam, Clementem Romanum, Iuſtinum Martyrem,

Cle-

Cyrillus Hieroſolymitanus

Dionyſius Areopagita.

Decreta Pontificum.

His adduntur diuinarum literarum authoritates.

Eccleſiæ vſus.

† Sap. c. 13.

† Eccles. c. 1.

† Prou. c. 1.

† Hier. in ep. ad Mag. orat. ad init.

† Pſal. 4.

† Gen. c. 2.

† li. 3. Reg. c. 3. & 4. & Sap. c. 7.

† Exod. c. 31.

† Act. c. 7.

† Dan. c. 1. et Act. 7.

† Aug. 8. de ciuit. c. 9.

Clementem Alexandrinum, Basilium, Nazianzenum, Hieronymum, Augustinum, innumeros denique alios iis disciplinis non dicam informatos, sed altius imbutos excultósque fuisse? Hinc egregiæ illæ † *Augustini voces rem hanc edisserentis*. Nonne aspicimus quanto auro & argento & veste suffarcinatus exierit de AEgypto Cyprianus doctor suauissimus, & martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? vt de viuis taceam, quanto innumerabiles Græci? Quod prior fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat. *Hinc etiam* † *Hieronymus*, (*neque enim prætereundus est qui in re perdifficili Ecclesiæ vsum præclarè & copiosè ostendit*) Iosephus (*inquit*) antiquitatem approbans Iudaici populi, duos libros scripsit contra Appionem Alexandrinum Grammaticum, & tanta secularium profert testimonia, vt mihi miraculum subeat quomodo vir Hebræus, & ab infantia sacris literis eruditus, cunctam Græcorum Bibliothecam euoluerit. Quid loquar de Philone, quem vel alterum, vel secundum Iudæum Platonem Critici pronunciant? Curram per singulos. Quadratus Apostolorum discipulus & Atheniensis Pontifex Ecclesiæ, nonne Adriano Principi Eleusinæ sacra inuisenti, librum pro nostra religione tradidit? & tantæ admirationi omnibus fuit, vt persecutionem grauissimam illius excellens sedaret ingenium. Aristides Philosophus, vir eloquentissimus, eidem Principi apologeticum pro Christianis obtulit, contextum Philosophorum sententijs: quem imitatus postea Iustinus & ipse Philosophus, Antonino Pio & filijs eius, Senatuíque librum contra Gentiles tradidit, defendens ignominiam Crucis, & resurrectionem Christi tota prædicans libertate. *Et paulò post*, Pantænus Stoicæ sectæ Philosophus ob præcipuæ eruditionis gloriam à Demetriano Alexandriæ Episcopo missus est in Indiam, vt Christum apud Brachmanas & illius gentis Philosophos prædicaret. Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, meo iudicio omnium eruditissimus octo scripsit Stromatum libros, & totidem ὑποτυπώσεων, & alium contra gentes, pædagogi quoque tria volumina. Quid in illis indoctum, immo quid non è media Philosophia est? Hunc imitatus Origenes, decem scripsit Stromateas, Christianorum & Philosophorum inter se sententias comparans: & omnia nostræ religionis dogmata de Platone & Aristotele, Numenio, Cornutóque confirmans. Scripsit & Miltiades contra gentes volumen egregium. Hippolytus quoque & Apollonius Romanæ vrbis Senatores propria opuscula condiderunt. Extant & Iulij Africani libri, qui temporum scripsit historias: & Theodori, qui postea Gregorius appellatus est, viri Apostolicorum signorum atque virtutum, & Dionysij Alexandrini Episcopi: Anatolij quoque Laodicenæ Ecclesiæ

† *Aug. lib. 2. de doct. Chr. c. 4.*

† *in epist. ad Magnum.*

clesiæ sacerdotis necnon presbyterorum Pamphili, Pierij, Luciani, Malchionis, Eusebij Cæsariensis Episcopi, & Eustathij Antiocheni, & Athanasij Alexandrini: Eusebij quoque Emiseni & Triphillij Cyprij, & Asterij Scythopolitæ, & Serapionis confessoris: Titi quoque Bostrensis Episcopi: Cappadocúmque Basilij, Gregorij, Amphilochij: qui omnes in tantum Philosophorum doctrinis atque sententijs suos refarciunt libros, vt nescias quid in illis primùm admirari debeas, eruditionem seculi, an scientiam scripturarum. Veniam ad Latinos. Quid Tertulliano eruditiùs, quid acutiùs? Apologeticus eius, & contra gentes libri, cunctam seculi obtinent disciplinam. Minutius Fœlix Causidicus Romani fori, in libro, cui titulus Octauius est, & in altero contra Mathematicos (si tamen inscriptio non mentitur authorem) quid gentilium scripturarum dimisit intactum? Septem libros aduersus gentes Arnobius edidit: totidémque discipulus eius Lactantius: qui de ira quoque & opificio Dei duo volumina condidit: quos si legere volueris, dialogorum Ciceronis in eis ἐπιτομὴν reperies. Victorino Martyri in libris suis licet desit eruditio, tamen non deest eruditionis voluntas. Cyprianus quod Idola Dij non sint, qua breuitate, qua historiarum omnium scientia, quorum verborum & sensuum splendore perstrinxit? Hilarius meorum confessor temporum & Episcopus, duodecim Quintiliani libros & stylo imitatus est & numero: breuíque libello quem scripsit contra Dioscorum Medicum, quid in literis possit, ostendit. Iuuencus Presbyter, sub Constantino historiam Domini Saluatoris versibus explicauit, nec pertimuit Euangelij maiestatem sub metri leges mittere. De cæteris vel mortuis vel viuentibus taceo: quorum in scriptis suis & vires manifestæ sunt & voluntas. Nec statim praua opinione fallaris, contra gentes hoc esse licitum, in alijs disputationibus dissimulandum: quia omnes penè omnium libri, exceptis his, qui cum Epicuro literas non didicerunt, eruditionis doctrinaéque plenissimi sunt. *Hæc inter cætera Hieronymus. Nam si quis reliquos Ecclesiæ Patres percensere velit, qui ad hæc vsque tempora per tot sæcula eandem consuetudinem in Ecclesia conseruarunt, is profectò vix vnquam finem vllum enumerandi faciet. Quamobrem vt quod authoritatibus nitebatur argumentum concludamus; vnum iterum Theologorum Principem adducam in medium, qui sanè non modo non contempsit externarum disciplinarum vsum, verùm etiam ex illis quædam vsurpauit alacriter. Nam cum Titum de Cretensium moribus admonere vellet, Epimenidis illud vsurpauit.*

† Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. † ad Tit. 1.

Corinthios verò vt à prauis sermonibus audiendis auocaret, Menandri senario vrgebat ex Thaide.

† Θαΐδι

† 1. ad Cor. c. 15.

† Φθείρουσιν γὰρ ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.

Atque apud Athenienses in Areopago disserens tum profanam illam aræ inscriptionem.

† Act. c. 17.

† ΑΓΝΩΣΤΩ ΤΩ ΘΕΩ

in fidei argumentum conuertit: tum heroici clausulam scitè arripuit ex Arato

† Act. c. 17.

† Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

Rationes ex Basilio.

Quod si quis rationibus rem confirmari cupiat, audiat magnum Basilium, id in homilia quadam disertissimè ac grauissimè disserentem. Ἕως γε μὴν, ὑπὸ τῆς ἡλικίας, ἐπακούειν τοῦ βάθους τῆς διανοίας αὐτῶν οὐχ οἷοί τε, ἐν ἑτέροις οὐ πάντη διεστηκόσιν, ὥσπερ ἐν σκιαῖς τισι καὶ κατόπτροις, τῷ τῆς ψυχῆς ὄμματι τέως προγυμναζόμεθα, τοὺς ἐν τοῖς τακτικοῖς τὰς μελέτας ποιουμένους μιμούμενοι. οἵ γε ἐν χειρονομίαις, καὶ ὀρχήσεσι τὴν ἐμπειρίαν κτησάμενοι, ἐπὶ τῶν ἀγώνων, τοῦ ἐκ τῆς παιδιᾶς ἀπολαύουσι κέρδους. καὶ ἡμῖν δὴ οὖν ἀγῶνα προκεῖσθαι πάντων ἀγώνων μέγιστον, νομίζειν χρεὼν, ὑπὲρ οὗ πάντα ποιητέον ἡμῖν καὶ πονητέον εἰς δύναμιν. ἐπὶ τούτου παρασκευὴν, καὶ ποιηταῖς, καὶ λογοποιοῖς καὶ ῥήτορσι, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμιλητέον, ὅθεν ἂν μέλλῃ πρὸς τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν ὠφέλειά τις ἔσεσθαι. ὥσπερ οὖν οἱ δευσοποιοὶ παρασκευάσαντες πρότερον θεραπείαις τισὶν ὅ, τι ποτ᾽ ἂν ᾖ τὸ δεξόμενον τὴν βαφὴν. οὕτω τὸ ἄνθος ἐπάγουσιν ἄν τε ἁλουργὸν, ἄν τέ τι ἕτερον ᾖ. τὸν αὐτὸν δὴ καὶ ἡμεῖς τρόπον, εἰ μέλλοι ἀνέκπλυντος ἡμῖν ἡ τοῦ καλοῦ παραμένειν δόξα, τοῖς ἔξω δὴ τούτοις προτελεσθέντες, τηνικαῦτα τῶν ἱερῶν καὶ ἀπορρήτων ἐπακουσόμεθα παιδευμάτων. καὶ οἷον ἐν ὕδατι τὸν ἥλιον ὁρᾷν ἐθισθέντες, οὕτως αὐτῷ προσβαλοῦμεν τῷ φωτὶ τὰς ὄψεις. *Hoc est, vt nos interpretamur.* Dum per ætatem haud nobis licet arcana literarum mysteria percipere, in alijs quibusdam non planè diuersis, tanquam in vmbris ac speculis defigimus animi aciem: in ijs interim nos ipsos exercentes, quemadmodum ij facere solent, qui vmbratili exercitatione sese comparant ad rem militarem. ij nanque, cum satis instructi fuerint gestus atque saltationis arte, ludicræ exercitationis fructum ex veris certaminibus referunt. Ergo existimandum est certamen nobis maximum esse propositum, cuius causa pro viribus laborandum sit atque certandum. ad quam rem dum præparamur, cum Poëtis, Historicis, Oratoribus, atque omnibus denique agendum versandúmque est, ex quibus aliqua vtilitas ad animum excolendum possit deriuari. Quapropter vt infectores quibusdam inficere lanam consueuerunt medicamentis, antequam aut purpureum, aut quempiam alium colorem inducant: sic etiam nos vt perpetua in animis nostris honestatis opinio, atque virtutis quasi color qui elui nunquam possit, inhæreat, vbi profanis externísque doctrinis initiati fuerimus ac præparati, tum demum sacras illas atque arcanas hauriemus: ac tanqam in aqua solem inspicere assueti, faciliùs in immensum splendorem illum oculos defigemus.

† ὁμιλ. πρὸς τοὺς νέους.

gemus. *Hæc magnus Basilius: qui earundem disciplinarum fructus vsúmque ad diuinas percipiendas mox etiam egregiè demonstrauit his verbis.*

Τίνι μὲν τοι καὶ παρεικάσας τὴν παιδεύσεων ἑκατέραν τῆς εἰκόνος ἂν τύχοις; ἤ που, καθάπερ φυτοῦ οἰκεία μὲν ἀρετὴ τῷ καρπῷ βρύειν ὡραίῳ, φέρει δέ τινα κόσμον καὶ φύλλα τοῖς κλάδοις περισειόμενα, οὕτω δὴ καὶ ψυχῇ, προηγουμένως μὲν καρπὸς ἡ ἀλήθεια, οὐκ ἄχαρί γε μὴν οὐδὲ τὴν θύραθεν σοφίαν περιβεβλῆσθαι, οἷόν τινα φύλλα, σκέπην τε τῷ καρπῷ καὶ ὄψιν οὐκ ἄωρον παρεχόμενα; λέγεται τοίνυν καὶ Μωυσῆς ἐκεῖνος ὁ πάνυ, οὗ μέγιστόν ἐστιν ἐπὶ σοφίᾳ παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις ὄνομα, τοῖς Αἰγυπτίων μαθήμασιν, ἐγγυμνασάμενος τὴν διάνοιαν, οὕτω προσελθεῖν τῇ θεωρίᾳ τοῦ ὄντος. παραπλησίως δὲ τούτῳ, κἂν τοῖς κάτω χρόνοις, τὸν σοφὸν Δανιὴλ ἐπὶ Βαβυλῶνος φασὶ τὴν σοφίαν Χαλδαίων καταμαθόντα, τότε τῶν θείων ἅψασθαι παιδευμάτων. ἀλλ' ὅτι μὲν οὐκ ἄχρηστον ψυχαῖς, μαθήματα τὰ ἔξωθεν δὴ ταῦτα, ἱκανῶς εἴρηται. *id est,* Iam verò quid afferre simile possis, vnde vtriusque vim naturámque liceat intueri? An vt in arbore, tametsi præcipuum illius est munus, vt pomis iísque pulchris ac tempestiuis abundet; frondes etiam quæ agitantur in ramis afferre ornatum solēt: ita sanè proprius atque germanus animi fructus est veritas, haud tamen indecorum est externa quoque sapientia, quasi frondibus præditum esse, quæ & tuetur fructus, & aspectum præbeat non iniucundum? Hinc Magnus ille Moses cuius nomen omnium sermone celebratur, tum demum sese ad eum QVI EST, contemplandum contulisse dicitur, cum AEgyptiorum literas percepisset. Cui sanè haud est illud de Daniele Sapientissimo, quanquam posterioribus seculis, longè dissimile. Hunc enim ferunt non antea diuinam sapientiam attigisse, quàm Babylone Chaldæorum imbutus esset sapientia. Sed satis opinor, demonstrauimus hactenus externas hasce profanásque disciplinas nequaquā esse inutiles. *Hæc rursus Basilius. Quicum optimè consentit is qui tam acriter insectari Philosophos visus est Chrysostomus: nam oratione II. aduersus Iudæos fusè ostendit humanas doctrinas negligendas non esse: cum ad refellendos Christianæ fidei hostes magnum momentum habere soleant. Id quod Apostoli exemplo inprimis confirmat, qui Athenienses non sacris Euangelij, prophetarúmue testimonijs aggressus est, sed profanis. Atque huc etiam spectasse asserebat, dum sese Iudæis quidem Iudæum, ijs verò qui sine lege sunt, perinde ac sine lege esset, factum prædicaret. Neque verò ab his dissentiunt, quæ hac de re, tametsi aliud agere videretur, scripsit Augustinus lib. II.† de ordine, vbi qui vel præ animi caligine nullum ordinem vident in rebus, vel abditissimas causas sibi dilucidè patefieri volunt, cuiusmodi sunt ij qui quærunt CVR Itali semper serenas hyemes orent, Getulia verò misera semper sitiat, hos disciplinis omnibus erudiendos esse dixit. Nam aliter (subdit) ista sic intelligi, vt luce clariora sint, nullo modo possunt. Quo etiam in loco Philosophiam scribit nos de rerum omnium principio, déque eiusdem sapientia docere, ac denique non modò non contemnere diui-*

Chrysostomo

Augustino.

† cap. 5.

na mysteria, sed etiam efficere ac cogere, vt non aliter quàm veritas ipsa postulet, intelligantur. Sed copiosissimè id ipsum docet libro II. de doctrina Christiana à trigesimo ad quadragesimum secundum vsque caput ferè perpetuò. Vbi sanè acutè (vt solet) liberales disciplinas sigillatim enumerat penè omnes: ac quem quaèque habeat vsum & vtilitatem multis magnisq; e rationibus demonstrat, quas ne prolixitate orationis sim molestior praeterire cogor. Atque hinc cum in Philosophum incidisset, monuit huius de reta non modò non esse formidanda, vbi veritati, Christianaéque fidei assentiri eam inueniremus, sed in vsum nostrum esse conuertenda, perinde atque Israëlitae aurea atque argentea AEgyptiorum vasa, vestésque ad rectum vsum retulere. Et sanè cum liberales Ethnicorum disciplinae (vt idem egregiè disserit) aptissimae sint quibus veritatem consequamur, cum moribus quoque humanaéque societati perquam vtilia contineant multa, cum demum vel de vno Deo colendo nonnulla inueniãtur apud eos, haec profectò ab illis tanquam ab iniustis possessoribus transferre Christianus debet ad iustum Euangelij vsum. Atque eàdem fermè disciplinarum enumeratione longè ante Augustinum vsus fuerat Clemens Alexandrinus: qui in VI. libro Stromatum, cum ad arcae, tabernaculi, ac templi cognitionem, quae sanè in diuinis literis est pulcherrima ac necessaria; tum ad aedificationem, quae ad humanam societatem tuendam plurimùm valet, perbellè refert Geometriae vsum. Psalmodiae verò docet, diuinísque laudibus, moribus praeterea componendis, ornandísque animis magnopere conferre Musicam: si tamen non impudica sit, non lymphata, & insana, sed pudica & moderata. Astrologia quoque mirum est quàm magnas (vt ipse ostendit) vtilitates afferat. nam & nauigationi, & agriculturae conducit, quibus carere haud potest humanum genus: & ad percipiendas anni, tempestatúmque varietates, opportunitatésque momentum habet maximum, & caelestium corporum interuallis, Mundi figurae, ratis denique Caeli astrorúmque conuersionibus intelligendis peraccommodata est: quibus nisi desipimus, mirificè ad diuinam sapientiam ac prouidentiam agnoscendam attollimur. Idem censet de Dialectica, quippe quae docet rectam diuidendi, definiendi, captiosásque Sophistarum argumentationes diluendi rationem, & (vt dicam paucis) ad veritatem quam tantopere expetimus, siue demonstrandam, siue tuendam vias tradit. Denique longiùs sanè quam institueram protrahatur oratio, si fructus enumerare velim quos (vt ipse disserit) ex reliquis Philosophiae partibus tum agendo, tum contemplando capimus: huc enim tam ex profanis literis quàm ex diuinis ingentem congerit argumentorum vim. Sed & alias rationes tum ex † Philone (qui vnus pro Hebraeis esse posset: quanquã Iosephus † quoque cũ doctrinas omnes, tũ Mathematicas mirificè laudat) tum ex Hieronymo, Cyrillo, alijsque sanctissimis Patribus afferrem, nisi adnimaduerterem me in ijs recensendis ad immensum illum campum reuocari à quo declinaueram dum eorundem sententias attingerem. vix enim vnquam (mihi crede) exitum inueniret oratio. Nam siue spectes conditi hominis finem, qui nos à rebus mortalibus ad caelestia Deúmque ipsum contemplandum aduocat: siue propensionem

Clemente Alexandrino.

Philone & Iosepho.

Ad ratiocinationũ omnium prolixitatem vitandam argumentorum sedes indicantur

curlim.

† Ph. lib. de agricul.

† l. 1. Iud. ant. c. 4. 8. 15. 16. & al.

nem quam ad omnes disciplinas rerúmque notitias habemus: siue lumen, ingeniúmque quo ad res tum gerendas tum contemplandas ab opifice Deo præditi sumus: siue splendorem ac decus quæ in ijs ipsis elucent, qui liberalibus disciplinis exculti sunt: siue artes varias quibus hominum saluti ac dignitati & priuatim & publicè prospicitur: siue vtilitatem atque momentum quod eædem nobis afferunt tum ad verum & falsum discernendum, tum ad vitia fugienda, amplectendásque virtutes: siue vim ac pondus quod habent non modò ad instruendos tyrones aut rudes, sed Ethnicos & Idololatras expugnandos, ad curiosos, pertinaces, hæreticos denique coarguendos, aut etiam eos qui in fide nutant atque æstuant confirmandos: hominésque ipsos barbariè, ac mutorum propè animantium stupiditate & feritate exuendos: siue commoditates (vt rei caput ac summam complectar) & facultates quas nobis præstat ad diuina decreta percipienda, explicanda, communicandáque; profectò humanam Philosophiam, cæterásque liberales disciplinas retinendas, colendásque esse intelliges. Vt interim iucunditatem omittam, honestissimámque voluptatem quam percipimus ex huiusmodi studijs: quæ sanè talis est ac tanta, vt nostros non modò animos sustentet ac recreet, verùm etiam turpi interim ocio, vitiorúmque illecebris nos subtrahat summa cum vtilitate ac laude. Hinc nonnulli tria munera à † Magis oblata, ad tres referunt Philosophiæ partes, quibus illi excellerent: ídque ea de causa, quòd hæ quoque offerendæ sint diuino Regi. aurum etiam & argentum quibus expoliari † Ægyptios iussit Deus, eleganter transferunt ad Gentium eloquentiam & sapientiam, quæ à nobis vsurpanda, & in meliorem vsum transferenda sint. Alij per † fermentum ac mel quorum primitias non adolere in sacrificium, sed offerre tantùm iubebantur Hebræi, Ethnicorum eloquentiam atque doctrinas intelligunt quas Domino offerre deceat. Nonnulli etiam acutum gladium ex † Goliæ manu extortum à Dauide, Philosophiæ aptant, qua insultantes hæretici confodiendi sint: ac tres puteos, † visionis scilicet † abundantiæ, † iusiurandíque, triplicem in Patriarchis sapientiam, quæ naturæ, morum, differendíque rationem tradit, designare existimant. Hinc etiam & † Oseam ex fornicaria muliere, & Abraham ex † Agar antequam ex Sara, liberos suscepisse; hoc est ex profana Philosophia priusquam ex sacra, fructus collegisse monent. & Moysem † alienigenam, humanam scilicet eruditionem, in vxorem accepisse, quæ ad liberalem educationem habet vtilia multa. Sed & illud accommodatum est ac scitum, quod † captiuam mulierem, tametsi alienigenam, in vxorem duci permittebat Deus, abrasa tamen cæsarie, abscissis vnguibus, mutata denique veste: id quod externam sapientiam significare autumant, quam superfluis resecatis, externóque fastu in Christianam humilitatem conuerso, à nobis excipi volunt. Eodem quoque nomine † Moabitidem mulierem ad Dei populum adductam affirmant, quò nimirum Ethnicorum Philosophia non repudiaretur aut exularet, sed cum diuina intimè coniungeretur. Comparant etiam Philosophiam cum admirabili † Scala illa quam per visum Iacob aspexit, eam videlicet ob causam, quòd per ipsam tanquam per gradus ascendamus ad rerum diuinarum con-

tem-

Adduntur postremò symbola ex sacris literis. de quibus vide Cl. Alex. var. in loc. August. 2. de doct. Chr. Orig. var. in loc. Hier. in epist. ad Mag. Naz. in orat. in laud. Bas. Amb. proœ. in Luc. Nyss. in l. de vita Mosis. gl. or. & Isichium in c. 2. Leu. Cass. in psal. 15. & psal. 6. & alios.

† Matt. c. 2.
† Exo. c. 12.
† Leu. c. 2.
† 1. Reg c. 21
† Gen. c. 24. & al.
† Gen. c. 26.
† Gen. c. 46. & al. tres tamen alio nomine Gen. c. 26.
† Os. c. 1.
† Gen. c. 16.
† Exo. c. 2.
† Deut. c. 21.
† Ruth c. 1.
† Gen. c. 28.

†Prou. c. 9.
†Ps. 44.
†Lib. 1. de ordi. c. 2.
†In Str. passim.

templationem. Quibus omnibus addunt nihil aliud significari † ancillarum illarũ nomine, quæ (vt plerique exponunt) vocãtur ad arcem, nisi humanas doctrinas, quæ tanquã ancillæ ministrant cœlesti Philosophiæ: nihil demonstrari uarietate illa, qua diuinus† Psaltes ornari vidit deauratũ Reginæ vestimentũ, nisi liberales Græcorũ artes ac disciplinas. Hæc pro altera sententia, quã sanè nisi sapientiæ studium (vt egregiè disserit † Augustinus & † Clemens) amari uetemus, ac rõne omni ex parte abiecta, belluarũ propè in morem degendũ putemus omnino probemus atq; amplectamur necesse est. Nã quæ illi obijciebantur, diluẽtur omnia ac facile etiã diluẽtur, si quæ subijciã diligenter spectẽtur.

Ad quæstionẽ explicatiùs declarandam ostenditur origo querelarum omnium, quas in Philosophos excitarunt plerique sanctorum Patrum.

EVANGELII promulgatio, qua latissimè dispertitis Apostolis personare cœpit terrarum orbis, non modò perculit Dæmones, qui in humanum genus tyrannidem exercebant; verùm etiam eos omnes exulcerauit, qui ab impietate, Mundique illecebris sese auocari grauarentur. Hinc Synagogæ omnes varijs sectis instructæ, Pseudoprophetæ etiam, Magi, Haruspices, Idolorum ministri, Tyranni, Monarchæ, Philosophi denique plurimi, humanarúmque cultores disciplinarum, veluti signo dato ad Euangelium tanquam ad patrium incendium restinguendum, Christianósque quasi humanæ societati exitiosissimos delendos confluxere: quibus cum etiam transfugæ iniquissimi, hæretici inquam & Apostatæ conspirarunt. Quamobrem Philosophi (de ijs enim horúmque similibus dicendum est hoc tempore: de cæteris vbi opportunior sese obtulerit occasio) pro suis quique institutis aculeatas argumentationes atque sophismata contorquere in Christianos: hos phaleratis ac theatralibus vituperare inuectiuis: varia ijs veneficia atque præstigias affingere: inauditas ac tetras de ijsdem disseminare calumnias: quasi penates, fœdera, leges, religionem, diuina humanàque omnia cœlo, terra, marique violarent, infestarent, labefactarent, euerterent. Quamobrem Arnobius (vt aliquod extet calumniarum specimen) cum ijs respondere instituisset, qui in nascentem Ecclesiam (vt ipse appositè scribit) insanirent ac bacharentur, terrarúmque orbem perijsse dictitarent statim ac gens Christiana cœpisset, AC PRIMVM (*aiebat ipse*) ab his illud perquirimus: postquam esse nomen in terris Christianæ Religionis occœpit, quidnam inusitatum, quid incognitum, quid contra leges principaliter institutas aut sensit, aut passa est rerum ipsa, quæ dicitur appellatúrque Natura? Nunquid in contrarias qualitates prima illa elementa mutata sunt, ex quibus res omnes consensum est esse concretas? Nunquid machinæ huius, & molis qua vniuersi tegimur, & continemur inclusi, parte est in aliqua relaxata, aut dissoluta constructio? Nunquid vertigo hæc mundi, primigenij motus moderamen excedens, aut tardiùs repere, aut præcipiti cœpit volubilitate raptari? Nunquid ab occiduis partibus attollere se astra atque in ortus fieri signorum cœpta est inclinatio? Nunquid ipse Syderum Sol princeps, cuius omnia luce vestiuntur atque animantur, calore exarsit, intepuit, atque in contrarios habitus moderaminis soliti tempe-

†Lib. 1. adu. gent.

ramenta corrupit? Nunquid Luna desiuit redintegrare se ipsam, atque in veteres formas nouellarum semper restitutione traducere? Nunquid frigora, nunquid calores, nunquid tepores medij inæqualium temporum confusionibus occiderunt? Nunquid longos habere dies bruma, & reuocare tardissimas luces nox cœpit æstatis? Nunquid suas animas expirauerunt venti? emortuísque flaminibus neque cœlum coarctatur in nubila, nec madidata imbribus arua succescunt? commendata semina tellus recusat accipere? aut frondescere arbores nolunt? sapor frugibus, esculentis, exustis liquoribus mutatus est? olearum & bacculis cruor teter exprimitur? nec lumini subministratur extincto? Animalia terris sueta, atque in aquis degentia non esuriunt, nec concipiunt? Fœtus non in vteris sumptos suis moribus, & sua lege custodiunt ipsi homines? Denique quos per inhabitabiles oras terræ sparsit prima incipiénsque natiuitas, non copulant nuptiarum sollennibus iustis? non dulcissimos procreant liberorum stirpes? non negocia publica, non priuata, & familiares res agunt? non (vt cuique libitum est) per diuersas artium, disciplinarúmque rationes ingenia dirigunt, & studiosè referunt natiuitatis vsuras? Non regnant? non imperant quibus sors rerum attributa est? Talibus non auctiores quotidie dignitatibus, & potestatibus fiunt? iudiciorum discrepationibus præsunt? leges interpretantur & iura? Nonne omnia cætera quibus vita succingitur & continetur humana, suis omnes ingentibus patriorum celebrãt institutionibus morum? Cum igitur hæc ita sint, neque vlla irruperit nouitas, quæ tenorem perpetuum rerum dissociata continuatione diduxerit: quid est istud, quòd dicitur inuectam esse labem terris, postquam religio Christiana intulit se Mundo & veritatis absconditæ sacramenta patefecit? Sed pestilentias, inquiunt, & siccitates, bella, frugum inopiam, locustas, mures, & grandines, résque alias noxias, quibus negocia incursantur humana, dij nobis important iniurijs vestris atque offensionibus exasperati. *Hæc Arnobius. Quicum alij quamplurimi consentiunt, varia calumniarum maledictorúmque genera referentes. Ergo huiusmodi hostibus pro iustissima Christi causa fortiter resistendum esse censuerunt Maiores nostri. Atque idcirco cum Apostolus veluti Coryphæus defensionis rationem indicasset generosis illis verbis.* † EVANGELIVM DEI NON ERVBESCO: Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est, Iustus autem ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei de Cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis.

† *Ad Rom. c. 1.*

illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius, a creatura Mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque eius virtus & diuinitas : ita vt sint inexcusabiles. Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt : sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse Sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis. Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt & seruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, *Ecce tibi ad demonstrandam non modò Christianorum innocentiam atque candorem, verùm etiam aduersariorum impuritatem atque furorem, contulere sese Quadratus Apostolorum discipulus, Aristides qui floruit eodem tempore, Hegesippus deinde, Iustinus, Theophilus Antiochenus Episcopus, Miltiades, Hippolytus Apolloniúsque, vterque Romanus Senator, Athenagoras atque alij propè innumeri. Etenim si in Ecclesiasticos scriptores intendas animum, qui ab vno Hieronymo recensentur, triginta fermè Patres apud eum inuenias, quorum alij contra Gentes, alij contra Idola, alij contra Porphyrium, Celsum, Autholicum, aut alium quenpiam Christianæ fidei calumniatorem edidere libros. Nec pauciores fortasse post Hieronymum, tametsi Christiana Republica iam altiùs confirmata, idem argumentum sunt prosequuti. Quin etiam innumeri extitere siue ante Hieronymum, siue post, qui licet titulos atque indices à propositis diuersos suis præfixerint libris, non tamen in campum alium quàm hunc nobilissimum atque pulcherrimum, quem propterea Christianorum Marathona dicere possis, excurrerint. Nam vt taceam quamplurimos patres ijsdem quos in hæreticos scripsere libris, Philosophos vrgere atque exagitare, vt de Melitone & Dionysio, Sardentium altero, altero Corinthiorum Episcopo, Apollinario presbytero, Bardesane & Tatiano testatur Hieronymus, atque de Irenæo, Epiphanio, Athanasio, aliisque plurimis ipsi quotidie legimus; Petri disputatio cum Appione quam Clemens Romanus mãdauerat monumentis Quadrati & Aristidis pro Christiana religione editi commentarij, Asiani Sardensis Episcopi Apologeticum, Apollonij Romani Senatoris ac martyris de fide disputationes, Iulij Firmici Materni de mysterijs & erroribus profanarum religionum liber, Hermiæ Philosophi gentilium Philosophorum irrisio, Zachariæ Mytilenensis Episcopi commentarius aduersus Mundi ac materiæ æternitatẽ, Theodori Carũ Episcopi Christianæ disputationes, Pionij martyris sanctißimi Apologiæ, immo verò quæ Aristobulus, Demetrius, Eupolemus, Dionysius Alexãdrinus Episcopus, Orosius, et Heliodorus presbyteri, Commodianus, Niceas & Vigilius tradidere, hæc verò gentes vel maximè coarguebant. Atque eodẽ pacto quæ siue Tertullianus de anima (quanquam*

hic alibi † aperto marte in Gentes intulit arma) siue Augustinus de ciuitate Dei (hîc enim cum Arnobio ferè consentit in argumento) siue Eusebius de Præparatione, aut etiam de demonstratione Euangelica(tametsi Porphyrium inuasit apertiùs, ac triginta in eum conscriptis libris) atque alij huiusmodi scripserunt, perpetuæ fermè sunt Philosophorum & Gentium Christianæ fidei obtrectantium reprehensiones: & cum Clemente Alexandrino, Iustino, Theophilo Antiocheno, Hermia, Theodoro, Lactantio, Athenagora, Cypriano, Origene, Minutio, Nazianzeno, Cyrillo, Chrysostomo, Damasceno, aliísque huiusmodi, quos quotidie terimus, quíque ad Gentes atque Idololatras, siue etiam fidei calumniatores prima ipsa aliquorum librorum fronte oppugnandos ac notandos sese aggredi profitentur, materiam habent, institutúmque commune. Quo pacto tum Phileas deinde & Vitalis, tum Methodius, Eusebius rursus & Apollinaris (nam in Proclum quoque fidei causa scripsisse dicuntur ij tres) tum alij multi, quorum scripta interiere, apertè aduersarios Idololatras indicibus ipsis librorum notantes, Christianæ causæ defensionem suscepere. Vt interim sileam ea quæ Iosephus scripsit contra Appionem, fidei nostræ quippe quæ cum Mosis ac Prophetarum oraculis maximè coniuncta est, defensionem aliqua ex parte continere: cum præsertim ab eo authore profecta sint, qui tandem de Christo testimonium dedit præclarissimum. Nam quæ Philo Iudæus apud Græcos περὶ βίου θεωρητικοῦ ἱκετῶν *mandauit monumentis, magnificam esse Christianæ fidei laudationem, Ethnicorúmque reprehensionem non est quod dubitemus.*

† *In Apol. l. de pallio, ad Scapulam. de testim. an. aduersus Ido. & Idololat. & al.*

SED *quanquam vno omnes spiritu ducti fuisse videantur, veruntamen non eandem planè rationē tenuere omnes. Fuerunt enim aliqui, qui superstitiosas Gentium ceremonias, mysteria, sacrificia, theomanias, idolomanias, turpitudines denique erroresque huiusmodi vniuersos diligenter conquisiere: atque ijs Christianæ fidei candorem, integritatem, soliditatem, pulchritudinémque opposuere: virtutes interim probatásque de Deo aliísque rebus sententias quas apud illos inuenissent, nonnihil dissimulantes: ea, opinor, cogitatione, quòd ad coërcendos aduersarios non ea valerent, quæ sapienter Philosophi statuissent, sed quæ peccassent. Atque idcirco eo etiam nomine exagitarunt illos, quòd Philosophiam ad popularem auram quæstúmque retulerint, contentionibus, inuidiæque seruierint: omnibus denique voluptatum illecebris irretiti, atque deprauati fuerint. Alij tamen paulò aliter. Nam quæ præposterè statuisse viderentur illi, exagitarunt acriter: quæ rectè, agnouerunt quidem: sed ne locus relinqueretur aduersarijs vnde attollerent supercilium, ad priscam mortalium Philosophiam ac veritatem reuocare conati sunt: quasi ex Hebræis à quibus Philosophiam manasse volunt, ea furati essent. Ac priorem quidem viam non modò secuti sunt Tertullianus, Lactantius, Chrysostomus, Nazianzenus, atque alij multi, ex ijs quos paulò ante recitauimus, verùm etiam complures alij, quorum libri ad nos minimè peruenere. Nam Apollinarius Episcopus Laodicenus qui triginta integros libros scripsit in Porphyrium, Apollonius item, Hegesippus, Phileas, Methodius, & eiusmodi alij, qui aduersus Porphyrium adhuc atque Idolorum cultores di-*

ſputarunt, acriter (quantum ex Euſebio, Hieronymo, Epiphanio, & alijs colligere poſſum) vrſere aduerſarios. Poſteriorem autem viam iniere Euſebius, Cyrillus & Clemens Alexandrini, Auguſtinus atque alij, tum ex ijs qui extant, tum facilè ex ijs qui interiere non pauci. Nam in quam tandem claſſem referendi ſint nonnulli ex antea dictis, ac præterea Victor Romanus Pontifex, Bardeſanes qui Syriacè atque egregiè ſcripſit in Gentes (tametſi tum ipſe, tum alij quidam pauci, quos interim recenſeo, hæreſi fœdarunt ſe miſeri) Brabianus, Photinus, Candidus, Muſanus, Euſebius Emiſſenus (alter eſt hic ab eo quem terimus, atque longè antiquior) Gregorius, Boëtius, atque alij multi, quorum ſcripta ad nos tranſmiſſa non ſunt, mihi non facilè coniectare licet; nam pro fide tantum in Philoſophos decertaſſe ſcimus. Quanquam poſterioribus ſæculis cum iam Ethnicorum deferbuiſſent calumniæ; immo verò iam viderentur euanuiſſe, alij quidam in antiquiores, clarioréſque Philoſophos intuentes, quandam conciliandi rationem adinuenerunt: atque idcirco oſtendere conati ſunt veteres Philoſophos fidei noſtræ minimè aduerſari, ſed fauere potiùs: atque eorum dogmata ex eodem eſſe hauſta fonte, ex quo noſtra cœleſtis hæc Philoſophia. Tametſi huiuſmòdi dogmata apud illos tenebricoſa ſint in multis & deformata: apud nos verò pura, ſyncera, ac planè diuina perſeuerent. Atque hanc ſanè viam inijt Auguſtinus Eugubinus ciuis meus, vir ſanè eximiæ eruditionis, ac linguarum ſcientiſſimus: qui decem integris libris, quos de perenni Philoſophia inſcripſit, oſtendere conatus eſt Chriſtianam Philoſophiam eandem fermè eſſe, quam veteres Poëtæ, atque Philoſophi, ac priſci propè mortales omnes coluere: licet paulò obſcuriùs, aut minùs intelligenter ſæpe locuti ſint. Et ideo non modò de Deo ſingulari, déque creatione rerum, & animi immortalitate, verùm etiam de Deo Trino, de Angelis atque Dæmonibus, de extremo hominum iudicio, & exitio Mundi, déque futuræ vitæ, ſiue præmijs, ſiue ſupplicijs, beatáque vita in vniuerſùm, eadem fermè tradidiſſe illos, quæ nos profitemur. vt propterea perennis (vnde etiam libri inuenere nomen) ſit Philoſophia vniuerſa. Quanquam hoc ipſum argumentum antiqui etiam, licet variè atque inter ipſas Apologias magna ex parte complexi ſunt. Quin Origenes, qui, Hieronymo teſte, decem Stromatëis libris Chriſtianorum ac Philoſophorum ſententijs collatis decreta noſtra omnia ex Platone, Ariſtotele, Numenio, Cornutóque confirmare conatus eſt, hoc ipſum argumentum copioſè tractauit. Quæ res his quoque poſterioribus ſeculis Platonicos excitauit multos, qui minimè dubitarunt Platonem & Ariſtotelem non inter ſe ſolùm, verùm etiàm cum Chriſtiana veritate conciliandos ſuſcipere. Quo Philoſophandi genere ex Academicis etiam delectatus eſt Philo; qui vniuerſam Platonis Philoſophiam ac Theologiam (quanquam ſine delectu vllo, ac ſupra quàm ferri poſſit liberiùs) ad Moſis Geneſim reuocauit. Quamobrē ſapienter mea quidem ſententia B. Thomas, qui quod Philo in Platone audaciùs, parciùs in Ariſtotele præſtitit. Nam dū plerique Ariſtotelica decreta (vt erant dubitationum ſalebrarúmque plena) opinarentur à Chriſtiana veritate penitus diſſentire; ipſe vſque adeo commodè expoſuit

ferè omnia, vt quod pertinet ad doctrinam, aut nulla, aut certè leuissima impietatis vestigia in eo reliquisse videatur. Cum enim in libris quos scripsit contra Gentes, Christianæ fidei mysteria atque decreta vallasset tum aduersus Ethnicos, tum aduersus hæreticos qui Ethnicismum saperent: atque hac de causa, quæ naturalem intelligentiam rationémque haud superare viderentur, humanis confirmaßet ratiocinationibus: quæ superant, ab infidelium propugnasset telis, atque in primis ostendisset pugnantia nullo modo continere; Aristotelis quoque Philosophiam tanquam acutissimum telum, sed à furiosis hostibus iamdiu occupatum, atque in nos conuersum; ex Ethnicorum hæreticorúmque manibus extorsit. neque id solùm, verùm etiam eodem Philosophiæ telo Christianos ad Religionis arcem tuendam, truculentósque hostes confodiendos armauit. Nam quæ de diuinis rebus scripserat ille, contemplatiuæ Theologiæ, quæ de moribus, morali accommodauit vir sanctissimus. Denique Aristotelea omnia siue ad nostra dogmata confirmanda, siue ad contraria refellenda, siue ad Christianas præceptiones explicatè ritéque tradendas ac certo constantique ordine disponendas, retulit. vt verissimè dici poßit ad arcem vocasse ancillas: varias, inquam, Philosophiæ partes reuocasse ad Theologiæ vsum.

SED quorsum Ecclesiasticæ defensionis, variaéq. illius rationis tam altè repetita oratio? eò nimirum, vt intelligatur apud Patres idcirco malè audire cœpisse Philosophos, quòd Philosophorum nomine Idololatras maximè ac superstitiosos Christianæ fidei oppugnatores intelligerent. Cum enim ij Philosophiam profiterentur, hócque præcipuo ariete, quo suam expugnare debuissent superstitionem, appeterent fidem, Apostolus ac Patres haud grauatè huiusmodi illis reliquerunt nomen quod apud homines sustinerent. Et idcirco videas Eusebium, Iustinum, Lactantium, Nazianzenum, atque huiusmodi alios, dum Ethnicorum Philosophos perstringunt, horum Theologiam, seu potiùs Matheologiam suis phaleris denudare, atque ostendere illam ex superstitiosis fabulis, sacrilegis ritibus, fallacissimis oraculis & theogonijs (dicam paucis) idolomanijs teterrimis fuisse conflatam: insanas quoque de Mundi, hominísque ortu sententias, quin Deorum bella, adulteria, turpitudines denique innumeras continuisse. Atque ex his etiam constare satis potest, cur maiores nostri cum eius ætatis hostibus dimicantes, in antiquos etiam Poëtas ac Philosophos intulerint arma. Tametsi enim ij in Christianam legem quippe quæ multo postea nata est, nihil scripsissent: veruntamen calumniatorum religio instituta, ac Philosophia ipsa cum veteribus erat communis: vsque adeo vt cum robustam aliquam machinam in nos vrgere vellent, illam ex Peripateticorum maximè Academicorúmue, aut Stoicorum officina proferrent; siue etiam in abditis Homeri, Orphei, alteriúsue Poëtæ penetralibus molirentur. Id quod apertè satis ex Patrum Apologijs intelligitur, præsertim verò ex his quæ Celsus, Porphyrius, Iulianus atque huiusmodi alij apud Origenem, Hieronymum, Cyrillum, Nazianzenum, atque huius ordinis viros nobis obiecisse legimus. Quanquam in Philosophis oppugnandis

dis hæreticorum quoque habita est ratio, ac fidelium etiam multorum insolentiæ ac temeritatis. Nam cum ij, licet quædam è medijs Philosophorum spatijs desumerent, plura ex eorundem doctrinis præposterè deriuarent, & vsurparent: quin secretiora fidei mysteria humanis rationibus ac minutis Dialecticorum interrogatiunculis concludere ac definire conarentur; miris denique inuentis sacrosancta fidei mysteria miscerent atque confunderent, acriùs in illos inuectum est à Maioribus nostris. Quæ cum ita sint, iam ad contraria Patrum argumenta diluenda, seu potiùs eorum sententias explorandas, communia initia atque rationes apparebunt.

Vt eorum qui Philosophiam damnare visi sũt, explicetur sententia, fundamenta quædam iaciũtur. Primum A plerisque adulterinos phi losophos oppugnari non philosophiam in uniuersùm.

AC PRIMVM magna eorum authorum pars non germanos, sed adulterinos Philosophos impugnat: falsáque decreta quæ cum veris permista sunt, damnat, non vera. Etenim quemadmodum eò processit humana temeritas, vt multi per speciem pietatis falsa dogmata in Hebræorum legem primùm, tum in Christianam Religionem importarint: ita etiam multi per speciem sapientiæ falsas opiniones & decreta inuexerunt in Philosophiam. Atque hinc commentitiæ illæ, ac profanæ de Deo, de Mundo, de animo, déque huiusmodi alijs manarunt opiniones. Hinc præclarè docebat † Origenes totius sapientiæ fontem atque originem fuisse Deum: humana tamen ignoratione & temeritate factum esse, vt & honestissimum Philosophiæ nomen tot erroribus esset denigratum: & quæ in vtilitatem tributa fuerant, in perniciem conuerterentur. Et hoc ipsum est quod grauissimis verbis Hieronymus docuit † tum in illud Apostoli. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. *vbi monebat Deum non omnem sapientiam improbasse: cum se interim ex creatis rebus cognoscendum præberet, atque omnis sapientiæ author diceretur; sed curiosam & fallacem: cum improbi ingenio perinde ac diuitijs malè vterentur: tum in illud Danielis*, Tradidit Dominus in manus Nabuchdonosor partem vasorum domus Dei. *vbi*, Si cunctos (*inquit*) Philosophorum reuoluas libros, necesse est, vt in eis reperias aliquam partem vasorum Dei: vt apud Platonem fabricatorem Mundi Deum: vt apud Zenonem inferos & immortales animas, & vnum bonum honestatem: sed quia iungunt mendacium veritati, & Naturæ bonum, multis perdunt malis, ideo partem vasorum domus Dei, & non omnia vasa integra atque perfecta cepisse memorantur. *Id quod fusiùs confirmant † Clemens ac Theodoretus: quorum prior cum dissereret proposita Apostoli verba, asserebat non veros sapientes, sed Sophistas reprehendi; quíque non vtilia & solida, sed curiosa & superuacanea sectarentur.* Neque enim (*inquit inter cætera*) omnes sapientes intelligit Apostolus, sed qui sibi sapientes viderentur, quia intelligit Dominus eorum cogitationes vanas esse. Quare Cratinus de his cecinit.

† *Orig. hom. 18. in Num.*

† *Hier. in ep. 1. ad Cor. c. 1*

† *Clem. lib. 1. Strom.*

Vobis Sophistarum examen quid profuit?

† Poste-

† *Posterior verò ex Platonis ipsius confessione, quam tum ex libris de Rep. ac de legibus, tum ex Politico & Theæteto profert; demonstrabat Philosophos erroribus etiam fuisse implicatos. Sed neque Chrysostomus longè abfuit ab hac sententia: nam † alicubi fatetur inter cætera quæ rectè statuerunt quidam ex Philosophis, sapienter tradidisse animum esse immortalem: virtutem nulla re externa indigere: & ex necessitate aut fato non esse vt quis euadat bonus aut malus. Quamobrem sapienter, vt solet, Nyssenus,* † Habet (*inquit*) Philosophia seculi, humanáque disciplina carnale quoddam præputium, quo circunciso, quod relinquitur, Israëliticæ inuenitur esse nobilitatis. Nam dum perhibent immortalem esse animum, id pium est: dum de corporibus in corpora transire volunt, id tanquam præputium est circuncidendum. Deum esse non negant, creatorémque omnium à quo pendeant cuncta: verè asseuerant: sed materiam creatori veluti egenti supponunt: id falsò. sic multa sunt veris excogitata rationibus: sed absurdis postea maculata. *Hæc Nyssenus. Quæ sanè ante illum Origenes quoque complexus fuerat copiosè. Cum enim & dissidium & fœdus perpenderet Abimelech cum Isaac, sic disserebat.* Philosophia neque in omnibus legi Dei contraria est, neque in omnibus consona. Multi enim Philosophorum vnum esse Deum, qui cuncta creauerit, scribunt: in hoc consentiunt legi Dei. Aliqui etiam hoc addiderunt, quòd Deus cuncta per Verbum suum et fecerit et regat: et Verbum Dei sit quo cuncta moderentur. In hoc non solùm legi, sed etiam Euangelijs consona scribunt. Moralis verò et Physica quæ dicitur Philosophia, penè omnia quæ nostra sunt sentiunt. Dissident verò à nobis cum Deo dicunt materiam esse coæternam. dissident cum negant Deum curare mortalia, sed prouidentiam eius supra lunaris globi spatia cohiberi. dissident à nobis cum vitas nascentium stellarum cursibus pendunt. dissident cum sempiternum dicunt hunc Mundum, et nullo fine claudendum. Sed et alia plurima sunt in quibus nobiscum vel dissident, vel conueniunt. Et ideo Abimelech secundùm hanc figuram aliquando in pace esse cum Isaac, aliquando dissidere describitur. *Hæc & alia multa quæ longum esset recensere hac de re Origenes. Quicum B. Augustinus cum sæpe alibi consentit, tum præsertim libro primo † in Genesim: vbi egregiè nos admonet multa verè ac sapienter statuisse Philosophos de natura rerum: atque hæc nullo modo pugnare posse cũ diuinis literis: ideóque ne aut simulatæ religionis superstitione à vera Philosophia recedamus, aut falsæ Philosophiæ loquacitate seducamur; id sine vlla dubitatione falsissimum censendum esse quod diuinis literis aduersatur. Quam sententiam ne quid amplius exoptari posset, in libris † de ciuitate Dei ex ipsiusmet Apostoli explicauit doctrina. Quocirca cum vera falsis permista sint in Philosophia, adulterina dogmata (vt dicebam) damnant plerique istorum Patrum, non vera atque germana.*

† Theod. l. 1. de fide.

† Hom. 7. in ep. 1. ad Cor.

† Nyss. in li. de vita Mos.

† l. 1. in Gen. ad lit. c. 8.

† lib. 8. c. 9.

Secundum. Sæpe non studium externarum disciplinarum, sed temerariam philosophandi rationem reprehendi.

DEINDE sanctissimi illi viri sæpe non studium externarum doctrinarum reprehendebant, sed temerariam illorum philosophandi rationem, qui passim diuina mysteria quantumuis humanā superarent intelligentiam, humanis rationibus, (vt nuper dicere cœperamus) examinare, metiri, ac manibus propè ipsis (si Deo placet) tractare niterentur: fide interim quæ vna debet esse fundamentum, vel repudiata & spreta, vel certè humanis persuasionibus posthabita. Atque huc spectabat † Apostolus, cum traderet non in humanis rationibus & persuasionibus, sed in virtute & sapientia Dei fundari ac niti fidem nostram. id quod clariùs expressit cum nos hortaretur ad mancipandos animos in obsequium fidei. Atque hoc consilio aiebat † Hieronymus sacrilegium esse humanas rationes transferre ad diuina. hoc † Epiphanius monebat reuelari Spiritum Sanctum non ijs qui de ipso, humano sensu argumentantur; sed ijs qui piè ac legitimè credunt. hoc † Ambrosius clamabat auferenda argumenta & disputationes vbi quæritur fides. hoc † Athanasius, Quæ fide traduntur (inquit) curiosæ inuestigationi peruiæ minimè sunt. hoc † Chrysostomus periculosum esse affirmabat curiosè examinare, & inuestigare Dei mysteria: fide & simplicitate opus esse ad eorum comprehensionem, non Philosophia: † obedientiam denique exigere à nobis Deum, non curiositatem. Hinc præclarè etiam † Cyrillus Alexandrinus. Id (inquit) quod est fide susceptum, non vlteriùs inuestigationibus audaciùs est peruestigandum: etenim quod vltra inquiritur, non est fides. Sed & egregiè † Bernardus quoque cum diceret, Dum paramur de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt supra rationem & contra ratione præsumimus & contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quàm rationem ratione conari transcendere? & quid magis contra fidem, quàm credere nolle quicquid non possit ratione attingi? Atque huc pertinent magnificæ illæ voces ab Salomone & Apostolo profectæ, ab † Irenæo repetitæ, à † Tertulliano, Epiphanio, Cyrillo sæpiùs confirmatæ atque exaggeratæ altiùs. Institutionem nostram esse de porticu Salomonis. DOMINVM in simplicitate cordis esse quærendum. PROCVL releganda à fidei rebus ea verba, Quare & quomodo? Vnde malum, & quare? Vnde homo & quomodo? denique vnde Deus? Atque aduersus temerariam horum philosophandi rationem disserunt cum alij multi, tum verò Iustinus Martyr in oratione Parænetica ad gentes, Clemens libro I. & V. Stromatum, Lactantius libro tertio † diuinarum institutionum, Theodoretus libro primo de curandis Græcanicis affectionibus, † Eusebius libro I. de præparatione Euangelica, Diadocus Cap. XXII. Cyrillus libro de recta fide. † Tertullianus libro de præscriptione hæreticorum. Neque verò hæc eò spectare existimes, quòd vbi sancita sit fides ac persuasa, humanis rationibus (ne si id quidem fieri commodè possit) ad eam confirmandam non sit vtendum: nam (vt disserit † Clemens) cognitio quæ supra fidei fundamentum habetur, splendida est ac magnifica; ac propterea Patres curiositatem semper & audaciam reprehendunt, non moderatam cognitionem atque fidelem.

† 1. ad Cor. c. 7.
† Hiero. in c. 30. Hierem.
† Epiph. hær. 66. in confut. 3. c. Aetij.
† Amb. l. 1. de fide c. 5.
† Athan. in ep. ad Serap.
† Chrysost. in hom. 2. in ep. ad Rom. & hom. 4. in ep. 1. ad Cor.
† Hom. 17. in ep. ad Rom.
† Cyr. dial. de Trin. l. 2.
† Ber. ep. 190
† Iren. lib. 1. adu. hær. c. 1.
† Tert. lib. de præscr.
† Cyr. & Epipha. cnon vno in loco.
† Lact. c. 3.
† Euseb. c. 2. & 3.
† Tertu. c. 8. 9. & 10.
† Clem. lib. 5. Strom.

Sed

Sed eò spectant vt intelligatur, si res humanis rationibus peragatur, aut vanis, aut maximè, ac demonstrationes, omninóque exploratæ rationes quærantur, id verò (cum fides ex † Apostolo sit substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium) infidelitatis esse. Quocirca qui hoc tempore fide semper retenta, ac tanquam splendidissima face omnibus proposita philosophantur, scitè atque prudenter philosophantur.

† ad Heb. 11

Tertium. Damnari eos etiã qui nimij sunt in profanis doctrinis: ac sine delectu vnàque voluptate ducti aut curiositate philosophantur, spernentes interim veræ sapientiæ fructus

DENIQVE certum est Patres non modò reprehendere instituisse eos Philosophos de quibus diximus, verùm etiam Christianos multos, qui Philosophos legerent: sed tamen eiusmodi Christianos non alio reprehendebant nomine, nisi quod nimij essent in profanis doctrinis, & ad nauseam vsque philosopharentur. cum præsertim sine delectu vllo id facerent, atque vna voluptate ducti, aut curiositate; non solidæ eruditionis, honestaéue vtilitatis studio; in Agar interim ancillaéque amore, hoc est in profana doctrina conquiescentes, Sara, id est diuina sapientia, neglecta. Nam (vt egregiè monebat † Ambrosius) alia legenda sunt ne negligantur, atque huiusmodi sunt diuinæ literæ, harúmque persimiles: alia ne ignorentur, vt humanæ disciplinæ, alia vt refellantur, qualia sunt scripta hæreticorum, Sophistarum, & huiusmodi aliorum. Et idcirco de his postremis Hieronymus cum de Daniele ac socijs loqueretur, aiebat, Discunt non vt sequantur, sed vt iudicent & conuincant. quomodo si quisquam aduersus Mathematicos velit scribere imperitus mathematices, risui pateat, & aduersus Philosophos disputans si ignoret dogmata Philosophorum. Discunt ergo ea mente doctrinam Chaldæorum, qua Moses omnem sapientiam AEgyptiorum didicerat. *Hæc Hieronymus. Quanquam si quid veri complectiebantur AEgyptiorum & Chaldæorum literæ discebant non modò ad refellendos illos, sed vt erudirentur etiam: ac veluti Dei populus ex AEgyptiorum spolijs ditarentur: nam hoc ipso eruditionis nomine hæc éadem Mosis, Danielis, ac sociorum exempla vrgent Basilius, Augustinus, Beda, & plerique alij. Hinc scitè profectò † Cassiodorus.* Veruntamen (*inquit*) nec illud Patres sanctissimi decreuere, vt secularium literarum studia respuantur, quia non exinde minimùm ad sacras scripturas intelligendas sensus noster instruitur: si tamen diuina gratia suffragante notitia ipsarum rerum sobriè ac rationaliter inquiratur; non vt in ipsis habeamus spiritus prouectus nostros, sed per ipsa transeuntes, desideremus nobis à patre luminum proficuam salutarémque sapientiam debere concedi. *Cui sententiæ mirificè etiam fauet Beda dum † sic scribit,* Turbat acumen legentium, & deficere cogit qui eos à legẽdis secularibus libris omnibus modis existimat prohibendos, in quibus si qua inuenta sunt vtilia, quasi sua sumere licet, alioquin Moses & Daniel sapientia & literis AEgyptiorum Chaldæorúmque haud passi essent se erudiri: quorum tamen superstitiones simul & delitias horrebant. Nec etiam ipse Magister Gẽtium aliquot versus Poëtarum suis

† refert. dist. 37. c. 10.

† in proœ. diuin. inst.

† in li. 2. Reg. c. 9.

vel ſcripturis vel dictis indidiſſet. Cur ergo legi prohibentur quæ tam rationabiliter legenda probantur? *Hæc iſte: quæ omnia tradidit † Baſilium, † Auguſtinum, atque alios ſapientiſſimos ſequutus Patres, quorum ſententias partim attigi ſupra, partim, quoniam in re non obſcura verſamur, libenter prætereo cauſa breuitatis. Quanquam aurea illa † Damaſceni verba, quibus rem totam non minus breuiter, quàm eleganter ac ſcitè expreſſit, prætereunda non ſunt. Sic ergo loquitur.* εἰ δέ τι παρὰ τῶν ἔξωθεν χρήσιμον καρπώσασθαι δυνηθείημεν, οὐ τῶν ἀπαγορευμένων ἐστί. γενόμεθα δόκιμοι τραπεζῖται, τὸ μὲν γνήσιον χρυσίον σωρεύοντες, τὸ δὲ κίβδηλον παραιτούμενοι. λάβωμεν λόγους καλλίστους, θεοὺς δὲ γελοίους καὶ μύθους ἀλλοτρίους τοῖς κυσὶν ἐπορρίψωμεν. πλείστην γὰρ ἐξ αὐτῶν ἰσχὺν κτίσασθαι δυνηθείημεν. *Hoc eſt,* Si quod ab externis decerpi à nobis poſsit, non eſt quod deſpiciatur. Quin potius probati inſtar trapezitæ legitimum purúmque aurum coaceruemus, refutemus adulterum. Excipiamus honeſtos optimóſque ſermones: ridiculos autem Deos, alienáſque fabulas canibus proiiciamus. Ita enim fiet vt aduerſus illos ex eorundem ſcriptis vires magnas colligamus. *Hæc ſanctiſſimus author Damaſcenus, qui idcirco etiam alicubi monebat ſe in profanis libris non niſi apis more (quæ etiam fuerat Baſilij ſimilitudo) verſari, atque vt ab inimicis ipſis caperet ſalutis fructus. Hæc ad prioris ſententiæ rationes explicandas, communia initia. Quibus illud etiam addendum videtur, hyperboles quas in diuinis literis Hieronymus, Auguſtinus, aliique ſapientiſſimi viri ſine vlla dubitatione agnoſcunt, in patribus reperiri non rarò: ídque præſertim dum de Philoſophorum vanitate agitur. Etenim cum viderent Philoſophos plurimos obfirmato animo ſua decreta retinere, ac fidei myſteria quippe quæ ſibi non paterent, reſpuere, quin etiam hæreticos interdum philoſophicis rationibus (quanquam præpoſterè vſurpatis) ſuos errores tueri, ita vt Philoſophia quæ erat iſtorum iniquitas, iam Chriſtianæ fidei aries videretur, clamabant Patres Philoſophorum decreta eſſe vanitatis falſitatiſque plena: a Sophiſtis Dæmonéque ipſo fuiſſe Philoſophiam inuentam: miras errorum anſas præbere fidelibus: denique repudiandam eſſe & exterminandam. Atque hoc pacto iuſtiſſimo quodam impetu ducti, ac Zelo ſuccenſi, in adulterinos iſtos Philoſophos, humanam ſapientiam ab Chriſtiana Repub. eliminabant in vniuersùm.*

† Baſil. in or. ad adol.
† Aug. 2. de doct. Chriſt.
† Dam. l. 4. de fi. ort. c. 18

QVAE cum ita ſint, iam ſi quis rem totam expendat diligenter, animaduertet profectò nullum prope locum atque argumentum ſaltem ex Patribus fuiſſe à nobis allatum contra Philoſophiam, quod vna aut altera tripartitæ huius, ſeu potiùs quadripartitæ rationis via non facilè cum poſteriori ſententia concilietur. Quanquam ne aut muneri deeſſe videar, aut cauſam ſuſpectam reddere ſi cominus congredi cum iis recuſem, qui Philoſophiam, humanáſque diſciplinas niſi ſunt laceſcere, age iis omnibus ſigillatim reſpondeamus.

Iam diluuntur Argumenta, quæ allata fuerant pro contraria ſententia: ac ſigillatim exponuntur Patres.

Chrysostomus.

AC primùm Chrysostomo Chrysostomum oppono: atque ab ipso in fidei obtrectatores exardescente ad pacatiorem prouoco. Qui sanè, vt intelligeremus adulterinos Philosophos non Philosophiam in vniuersùm à se damnari, † conqueritur sapientiam in malum vsum fuisse conuersam: ac propterea comparat illam cum vino, corporísque robore: quæ natura bona sunt; præpostero vsu mala. Deinde cur obsecro vir sanctissime, tot Philosophorum volumina peruolutasti? tot eorum decreta didicisti? Ego verò vt eos refellerem atque exterminarem. At hac saltem ratione Christiano viro concedere debes eorum vsum. Quanquam si tot clarissimorum virorum sententias, tot etiam rationes vrgeam, quibus efficitur cautis ac moderatis Philosophiæ studio nullo modo esse interdicendum, an non libenter fateberis non modò ad Ethnicos qui diuinis oraculis fidem haud præstant, refellendos, immo & erudiendos valere plurimùm; verùm etiam imbecillis, rudibus, in fide etiam nutantibus iuuandis confirmandísque, mortalibus denique omnibus, prudentia atque artibus quibus publicis priuatísque rebus consulamus, perpoliendis, esse pernecessariam? Ita sanè: nam id planè Apostolum fecisse video, dum infideles Areopagitas ad veritatem, fidelem Titum ad prudentiam, imbecillos Corinthios ad moderationem informare ac prouehere niteretur. Atque hac ipsa ratione illum Iudæis Iudæum, Græcis Græcum, omnibus omnia factum esse † opinatus sum. Quo consilio diuinum quoque Psaltem cum Hebræis egisse monui aliquando. Quinetiam iam minimè † repugnarem, quæ ad Naturæ atque Vniuersitatis cognitionem pertinent, vbi sacris literis explicandis vsui esse possint, ex Philosophorum fontibus meritò hauriri: ac proinde verissimè tradi cœlum globosum esse atque rotundum, varijs quoque orbibus variari ac distingui. sydera etiam suis esse infixa sedibus, ac potiùs ad circulorum conuersiones quàm per se ipsa conuerti: atque huiusmodi alia doceri, de quibus † aliquos apud nostros, méque interdum addubitasse memini. Neque enim veritas pugnat cum veritate: aut recta ratio, moderatáque inuestigatio diuinorum mysteriorum assensioni obesse vllo modo potest. Hæc Chrysostomus. Qui sanè hoc pacto tum secum ipse, tum cum posterioris sententiæ authoribus optimè congruit.

Tertullianus.

Tu verò Tertulliane qui passim Philosophos proscindis ac damnas, atque inprimis † clamas esse Patriarchas hæreticorũ: ex Philosophorum ingenio † hæreses omnes animari: à † Philosophia hæreses subornari: subtiloquentiaéque † ac Philosophiæ regulis hæreses omnes constare, vnde tandẽ (vt innumeras hæreses prætermittam quibus vniuersæ Philosophorum sectæ refragantur: tantum abest vt faueant) tuas illas collegisti hæreses, quibus Vatiniano odio insectaris secũdas nuptias: pœnitentibus mœchis claudis Ecclesiæ gremium: & (vt prætercam cæteras quæ sunt plurimæ) Montanum, cuius etiam sectator factus es, Paracletum fecisti? An tu hos errores (miser) è Philosophorum fontibus hausisti? si negas, iam calumnias abs te in Philosophos conflatas ipsemet dissoluis ac destruis. si affirmas; hos obsecro mihi fontes apud Philosophos ostende. Quanquam cùm non Philosophorum decretis, sed diuinis scripturis, præposterè tamen à te expositis, tuas istas hæreses tueri conatus sis aliquãdo, ac vel illud Iohan-

nis

† hom. 7. in c. 1. epist. ad Cor.

† orat. 2. adu. Iudæos.
† loco citato.

† Lact. Orig. & alij.

† lib. de præscr. hær. c. 3.
† lib. 1. adu. Marc.
† lib. de præscr. loco cit.
† lib. 5. adu. Marc.

† Ioh. c. 8.

nis, † Cum venerit Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, *insanissimo Montano, de cuius cupa perpotasti, turpissimè aptaueris, subterfugium tibi superest nullum. Deinde illud mihi respondeas velim, cur tantopere Ethnicorum scripta, Philosophorúmque decreta euolueris. Etenim illud verissimè affirmari potest, neminem ex Patribus, si tamen vnum atque alterum exceperis, reperiri, cuius lucubrationes plus aliquid quàm tuæ oleant ex Ethnicorum disciplinis, ac præsertim ex Academia. Nam ingens quidem rerum externarum copia cernitur in Nazianzeno, maximè verò vbi obruit Iulianum: incredibili etiam earundem varietate sparsus est Clemens, Iustinus, & Eusebius: à quibus etiam haud longo interuallo superatur Lactantius: nam Origenem (si quæ extant tantùm spectemus opera) inter hos ægrè retulerim. At tu, si tua scripta attentè legantur, quod attinet ad externam eruditionem, cum his omnibus decertasti: aliquos etiam superasti. Iam itaque cur perniciosa (vt tu vocas) horum librorum lectione fatigari tandiu volueris, respondeto. At verò me † philosophari coëgerunt hæretici, quemadmodum & rhetoricari, atque ad istos refellendos id feci. Accipio excusationem tuam: atque eodem quo tu in Philosophia versatus es nomine, statuo idem studium esse retinendum. Quanquam tu quidem iniquus Philosophorum fuisti iudex, eorúmque scripta toruo inspexisti oculo: qui falsa dogmata non modò curiosiùs vestigas improbásque liberiùs, recta verò dissimulas libenter ac præteris (id enim esset tolerabile) verùm etiam hæc ipsa interdum aut detorques, aut etiam immeritò repudias ac culpas. Nam id vel errores in quibus de Deo, dêque humano animo disserens, lapsus es, declarant luculenter. Sed de his deinde in Timæo opportunè. Ergo si tu quidem verè atque ex animo statuis, à Christiana societate omnino explodendam esse Philosophiam, ego sanè libentiùs tot Catholicorum Patrum sententiam amplector quàm tuam. Si verò hyperbolicè te sæpe locutum esse fatearis, ac quoniam hæretici Dialectica ac Philosophia abutentes, in Christianam fidem nimis iniuriosi viderentur, Philosophiam etiam nedum hæreticos hac vna de causa ab Ecclesia exterminandam esse censuisti, nō magnopere improbo. Quinetiam cum non potueris non sæpisimè vti Philosophiæ initijs atque decretis, Platonisque interdum, & aliorum quorundam sententias in tuum vsum (quancunque tandem illis retuleris gratiam) conuertere, video te non rarò factis tua dicta refellere. Hæc ad Tertullianum. Irenæus verò non Philosophiam ipsam damnat, aut Philosophos in vniuersùm, sed eos tantùm perstringit qui Gnosticorum dementiæ quoquo modo materiam ministrassent. Ex quibus etiam multi non Philosophi fuerunt, sed Poëtæ. Quanquam tanta etiam moderatione perstringit eos, vt etiam significet non pauca rectè ab illis fuisse tradita, quibus tamen Gnostici præposterè vterentur. Denique hæreticorum errores insectabatur Irenæus. quare vt hæretici in omnibus abutebantur Philosophia, aut etiam cum Philosophis peccabant, habuit vnde aliqua Philosophorum errata reprehenderet, atque in crimen vocaret. Philosophorum autem virtutes, quæque rectè ac sapienter pronunciarentur, cur prosequeretur, haud valde habuit. Vt non mirum sit*

† ex Tert. in l. de resurr. carnis.

Irenæus.

Nazianzenus. si alicubi in eos vir sanctissimus inuectus sit. At verò Nazianzenus non veros Philosophos, sed ementitos tantùm respuit ac temerarios: vanáque ac perniciosa dogmata damnat quæ eo tempore Iulianus inter cæteros in Christianam fidem impudentissimè iactabat, non solida atque germana. Atque hoc nomine Philosophos appellat Patriarchas hæreticorum: nimirum quod Hæretici huiusmodi decretis quorũ turpitudines etiam attingit, vti non dubitarent. Nam quanti fecerit veræ Philosophiæ studium, tum ijs laudibus declarauit, quibus ob excellentem humanarum doctrinarum notitiam celebrat Basilium: tum suimet ostenditexemplo: cum externa sapientia ad miraculum propè fuerit excultus. Quocirca Apostatam, quicum non sacris, sed profanis ratiocinationibus fuit agendum, ijs ipsis quibus ille Christianis insultabat, Ethnicorum armis non oppugnauit solùm, sed expugnauit ac fregit. Quod si interdum Philosophos omnes carpere visus est, atque humanæ Philosophiæ authoritatem in vniuersùm eleuare, id sanè accidit partim, quòd illorum mores ac vitam spectaret potiùs quàm præcepta: partim quòd eam conferret cum diuina Philosophia, apud quem ceu stellæ coruscante Sole splendorem omnem ac decus amittit. Nam idcirco in Iambis † asserebat rem bonam secutos Philosophos, sed non benè: eosdémque ostendebat humanæ gloriæ ac libidini seruisse: cum tamen ibidem ex varijs Philosophorum sectis copiosè demonstraret nihil virtute melius atque præstantius reperiri. Quid plura? Nazianzenum diligenter euoluas: atque eum intelliges ex Ethnicorum scriptis, præsertim verò ex Platone, innumera propè non dicam ad Philosophos refellendos, sed ad pietatis dogmata explicanda & illustranda deriuasse in suos libros. Ego enim hoc labore in præsentia supersedeo, quòd commentarijs in Timæum, hoc est proprijs locis id reseruauerim. Nunc venio ad Eusebium, quocum agam paucis. hic enim primò Ethnicorum sapientiam confert cum Christiana: quod dum fit, eam sanè non inferiorem esse solùm, sed ne legitimè quidem conferri posse, & fateor & prædico, vsque adeo longo relinquitur interuallo. Deinde in ijs libris in quibus exagitat Ethnicos aut vna aut maximè spectat ea quæ ad eorum cerimonias ac religionem seu potiùs superstitionem attinent: vt nimirum huius fœditate ac portentis patefactis, Ethnicis qui Christianis quasi auitæ religionis desertoribus calumniam creassent, impurissimum os obstrueret. Nam alioquin Eusebius externam sapientiam, atque Academicorum inprimis, plus satis interdum suspexit: vt † libro X. in Timæum atque alibi declarabimus fusè. Iam verò cæteris facilè est respondere. Nam Augustinus luculenter sententiam explicauit suam: ostendit enim moderatum externarum doctrinarum vsum, & opportunum, Ecclesiæ non modò non obesse, sed prodesse plurimùm. Quamobrem ipse illud vnum monebo in præsentia, Epistolam illam in qua tam ardenter Philosophiæ obtrectare videtur ad Memorium Episcopum esse scriptam, qui lucubrationes quasdam de medio profanarum doctrinarum ab eo peteret, ac curiosiùs peteret. Ergo Augustinus Episcopalis oneris, Ecclesiasticarúmque curarum memor, in quas incumbendum esset

[Margin: Eusebius. — Augustinus. — † Iambo 18. — † vide li. 10. Dec. 1. fusè. & lib. 1. Deca. 2. & alibi.]

vtri-

vtrique, nõ inopportuna sanè occasione arrepta, liberales disciplinas extenuat vehementer, immo verò illiberales esse docet, Christianásque solùm hoc nomine cẽsendas esse. Quamobrẽ cum Ethnicos qui liberaliũ disciplinarũ gloriarentur, libidinũ seruos appellasset, grauissima illa, liberalique viro planè digna intulit verba. Quid enim aliud dicendum est ijs qui cũ sint iniqui & impij, liberaliter sibi videntur eruditi: nisi quod in literis verè liberalibus legimus. † SI VOS filius liberauerit, tunc verè liberi eritis: per eum nanque præstatur, vt ipsæ etiam quæ liberales disciplinæ ab eis qui in libertatem vocati non sunt, appellentur, quid in se habeant liberale noscatur. Neque enim habent congruum libertati, nisi quod habent congruum veritati. Vnde ille ipse filius, & veritas (inquit) liberabit vos. *Hæc Augustinus. Quare vbi humanæ doctrinæ cum diuinis conferuntur, non illiberales modò appellentur: verùm etiam insanæ, tenebricosæ, omnibus denique flagitijs coopertæ censeantur. Nam cum beatæ etiam mentes, quæ ab omni corporis concretione seiugatæ sunt, vbi de Deo agitur, corporeæ dicantur, quid mirum si hominum sapientia quæ apud Deum est stultitia, reputetur illiberalis? Adde si alibi vnquam hoc certe in loco hyperboles fuisse vsurpandas, vt vanitates, superbúsque error dicerentur humanæ doctrinæ: nam hoc maximè amicum Episcopum à profanis studijs ad sacra reuocare, déque officio appositè admonere poterat. Hieronymus etiam nullum dubitationi reliquit locum: etenim ad refellendos aduersarios externas literas esse necessarias tradit in epistola ad Magnum: ac propterea etiam Origenem, Methodium, Eusebium, & Apollinarem celebrat, qui hac ratione infensissimis Christiani nominis hostibus Celso atque Porphyrio fortissimè restitissent. Contra verò testatur Cyprianum hac in parte minimè fuisse laudatum, cum aduersus Demetrium, hoc est Idololatram, Prophetarum et Apostolorũ testimonijs vsus fuißet potiùs quàm Philosophorũ, & Poëtarum. Sed ad veritatẽ discendam ijsdem vti licere, in ipsis diuinorum oraculorum cõmentarijs (loca enim iam antea obseruauimus) tradit non semel. Immo verò in epistola quoque ad Damasum, vbi profanas doctrinas nonnihil improbare visus est, tandẽ vt quã alibi docuerat veritatẽ omnino retineret, sic scripsit.* Huius sapientiæ typus & in Deuteronomio sub mulieris captiuæ figura describitur, de qua diuina vox præcipit, vt si Israëlites eam habere voluerit vxorem, caluitium ei faciat, vngues præsecet, & pilos auferat: & cum munda fuerit effecta, tunc transeat in victoris amplexus. Hæc si secundum literam intelligimus, nonne ridicula sunt? itaque & nos facere solemus quando Philosophos legimus: quando in manus nostras libri veniunt sapientiæ secularis: si quid in eis vtile reperimus ad nostrum dogma cõuertimus. Si quid verò superfluum, de idolis, de amore, de cura secularium rerum, hæc radimus, his caluitiũ inducimus, hæc in vnguium morem ferro acutissimo desecamus.

Marginal notes: † Ioh. c. 18. — Hieronymus.

Hæc

Hæc Hieronymus. Vt propterea dum reprehendit non modò Rhetorum ac Poëtarum, sed Dialecticorum Philosophorúmque lectionem, partim in corruptos istorum mores inspexerit, qui (vt est apud B. Paulum) humanam gloriam sectarentur, libidinique & auaritiæ seruirent: partim obiurgare illos voluerit fideles, qui curiosiùs ac sine delectu vllo philosopharentur: quíque his studijs deliniti, spernerent sacrarum literarum studium: partim Ethnicorum audaciam reprimendam censuerit, qui tenuissimæ humani ingenij, ac Philosophiæ luci temerè præfidentes, clarissimam Christianæ fidei lucem negligerent. Sed inprimis præposterum Philosophiæ vsum, ementitósque Philosophos appetijt suis telis: cum ij Philosophiæ nomine ac studio abutentes, mirificè obessent fidei propagationi. Vt interim omittam inter eos Philosophos extitisse neminem, qui non fuerit varijs erroribus implicatus: ac proinde non iniuriosè eorũ authoritatem in vniuersùm eleuari. Lactantius autem accommodatè fortasse premit M. Tullium, qui cum tãtopere extolleret Philosophiã, assensionem tamen prohibebat, atque Idololatriam quæ cum Philosophia pugnat, sectabatur. Sed quoniam ad vnã M. Tullij, aut ad summum ad nouorum Academicorum instituta traducit generalem quæstionem, haud satis video quo pacto cæteras sectas, Philosophiámque in vniuersùm attingat. At enim id facit dum ait, multos idcirco nutasse in fide, quòd ex Poëtarum, Rhetorum atque Philosophorum scriptis venenũ vnà cum melle hausissent. Facilè dicuntur ista: sed quod Poëtarum interest ac Rhetorum, non tam facilè ostenduntur. A Poëtis enim quippequi obscœnitatibus referti sunt penè omnes, magnam sanè morum corruptelam profectam esse non inficior. Fateor etiam per Rhetores qui plerunque popularem auram captarent, aut auaritiæ mancipati essent, aliqua incommoda fuisse humanæ societati importata. At quo pacto hæreses ex illis hauserint fideles, incompertum habeo: nisi tamen Gnostici aliqui, aut huius farinæ homines proferantur, qui ex Poëtis chaos atque alia quædam perpauca siue proferre siue obtendere solebant, vt suas ineptias, si quo modo possent, adornarent. At verò si non ex Poëtis vsqueadeo & Oratoribus, ex Philosophis saltem expressæ sunt hæreses non paucæ. Esto, sed vel ex ementitis Philosophis vel veris: si ex prioribus, iam hos vbi Christianæ fidei aduersentur, repudiandos esse non fatemur solùm, sed profitemur. si à posterioribus, id verò non ipsorum culpa, sed legentium improbitate ac temeritate factum est. si enim ex diuinis literis quæ è regione cum hæresibus & falsitate pugnant; hæreses innumeras ab improbis ductas videmus, quid mirum si ex humanis etiam nonnunquam per improbitatem sint deriuatæ? Nam tu certè Lactanti, qui erroribus atque hæresibus non cares, has non tam ex Philosophis quàm ex sacris voluminibus, tuo tamen arbitratu expositis, collegisti. Ergo tua bona cum venia, peruersa dogmata eliminabimus, excipiemus vera. Atque hoc pacto Philosophiam, quoniam veræ sapientiæ indagatricem esse volumus, retinebimus. Tametsi interim non negabimus, te etiam qui Arnobium præceptorem secutus, Ethnicos fidei oppugnatores oppugnasti, non mediocrem pietatis & eloquentiæ, immo & sapientiæ interdum laudem mereri. Iam verò Leo Magnus eas Philosophorum

Lactantius.

Leo Magnus.

rum opiniones ab Apostolis conculcandas esse intelligebat, quæ pietati, & vero Dei cultui aduersarentur: atque has ipsas (vt ibidem satis declarat) appellabat terrenæ sapientiæ vanitates. Neque enim spectabat Physiologiæ errores atque eorum similes, sed Religionis. Et idcirco etiam asserebat Romam quæ Magistra fuisset erroris (Idololatriæ nimirum & superstitionis) per Apostolos effectam esse discipulam veritatis. Ambrosius autem partim damnabat Philosophos eorum temporum, qui non nisi fallacia insanáque dogmata promerent ex suis scholis: atque hoc nomine in Astrologos maximè & Mathematicos inuehebatur: partim improbabat curiosum ac præposterum philosophandi modum, quo fiebat, vt aëris spatia, (sic enim est apud illum) metirentur; aut aliena curiosiùs inquirerent: cum virtutem interim séque ipsos ac Deum ignorarent: partim denique impietatem arguebat quam Idololatræ illi honestissimo Religionis & sapientiæ nomine celabant. Huc enim pertinet quod eorum Philosophiam tum phaleratam, externo scilicet cultu ac fallaci splendore fucóque corruptam, tum versare lutum, hoc est luteis Idolis occupatam fuisse dictitabat. Nunc de Cypriano dicam: qui sanè Philosophos propter improbitatem morum perstringit potiùs, quàm doctrinæ causa. Nam quòd illos notat stultitiæ, id sanè facit ex Apostoli sententia, intuens in adumbratam inanémque eorum sapientiam, quæ miserè Idolis cupiditatibúsque seruiret. Hinc Philosophos laudat † quòd tum alia quædam rectè docuerint de Deo, tum verò illi rerum creationem administrationémque tribuerint. Quid plura? Nititur vir sanctissimus ab Ethnicorum spectaculis auocare Christianos: idque vt assequatur, duo illis spectaculorum genera † proponit honestatis ac suauitatis plena. At quæ obsecro? Totius Naturæ est alterum, ac pulcherrimæ huius Vniuersitatis quam ab ornatu & pulchritudine Mundum appellant. Alterum rerum quæ sub aspectum non cadunt, ac diuinarum, quo altissimas causas, ipsúmque Vniuersitatis opificem contemplamur. Illud oculis, hoc animo, illud ratiocinatione, hoc fide attingendum atque percipiendum. Quamobrem HABET CHRISTIANVS (*inquit suauissimus author*) spectacula meliora, si velit: habet veras & profuturas voluptates, si se recollegerit. & ut omittam illa quæ nondum contemplari potest, habet istam Mundi pulchritudinem, quam videat atque miretur. Solis ortum aspiciat, rursus occasum mutuis vicibus dies noctésque reuocantem: globum Lunæ temporum cursus incrementis suis, decrementísque signantem: astrorum micantium choros, & à summo de summa mobilitate fulgentes: anni totius per vices membra diuisa, & dies ipsos cum noctibus per horarum spatia digestos, & terræ molem libratam cum montibus, & proflua flumina cum suis fontibus, extensa maria cum suis fluctibus atque littoribus. Interim constantem pariter summa conspiratione nexibúsque concordiæ, extensum aërem medium, tenuitate sua cuncta vegetantem, nunc imbres contractis nubibus, profundentem: nunc serenitatem refecta raritate reuocantem: & in

Marginal notes: Ambrosius. — Cyprianus. — † In l. de Spi. sanct. ad in. — † in li. de spect. ante fi.

in omnibus istis incolas proprios in aëre auem, in aquis piscem, & in terra hominem. Hæc inquam & alia opera diuina sint Christianis fidelibus spectacula. Quod Theatrum humanis manibus extructum istis operibus poterit comparari? magnis licet lapidum molibus extruatur, crusta sunt montium, & auro licet tecta lacunaria reluceant, astrorum fulgore vincentur. Nunquam humana opera mirabitur quisquis se cognouerit filium Dei. *Hæc de priore spectaculorum genere: quod sanè in Physiologia Naturaéque contemplatione positum est totum. De posteriore verò sic disserebat.* Videbit instituentem Deum Mundum suum, & cum cæteris animalibus hominis illam admirabilem fabricam melioremque facientem. Spectabit Mundum in delictis suis: iusta naufragia, piorum præmia, impiorúmque supplicia: maria populo siccata, & de petra rursus populo maria percepta: spectabit de cœlo descendentes messes, non ex areis: inspiciet flumina transitus siccos refrenatis aquarum agminibus exhibētia: videbit in quibusdam fidem cum igne luctantem, religione superatas feras, & in mansuetudinem conuersas. intuebitur & animas ab ipsa morte reuocatas. Considerabit etiam de sepulchris admirabiles ipsorum consummatorum iam vitas corporum redactas: & in his omnibus iam maius videbit spectaculū, Diabolum illum qui totum detriumphauerat Mundū sub pedibus Christi iacentem. Quam hoc decorū spectaculum fratres? quam iucundum, quam necessarium intueri semper spem suā: & oculos aperire ad salutē suam. Hoc est spectaculum quod videtur etiā luminibus amissis. *Hæc de de posteriore quod Theologiam continet. Quamobrem qui humanam Philosophiam putat damnari à Cypriano, ac non potiùs cum Augustino asserit eā mirificè ditatū esse, vehemēter decipitur. Iam verò cū Clemente non est quòd multis agam: hic enim vsque adeo pugnat pro Philosophia, ac tam eruditè & copiosè celebrat studia doctrinarum, vt meritò Philosophiæ patronus dici possit ac propugnator. Quamobrem eorum nomine quos obsurduisse ait ad veritatem, superstitionum magistros, Christianaéque fidei hostes, corruptos denique ac perditos sophistas intelligit, quibus veritas stultitia, stultitia veritas visa est. Quos verò in Philosophia errores notat Origenes (si iure tamen notat) omnino reijcimus, atque vnà cum eorum sectatoribus, præsertim hæreticis detestamur. quæ verò idem apud Philosophos probat (si meritò probat) cum eodem amplectimur libentissimè. Nam Origenes (quæcunque huius rei fuerit causa) Philosophis, Platonéque inprimis ita sæpe videtur abusus, vt si quando aliquos iure optimo reprehendit, ipse certè culpa, iustáque reprehensione non semper careat. Basilius autem satis ipse suam sententiam aperuit. Docuit enim in Ethnicorum scriptis vera cum falsis; virtutes cum vitijs esse permistas. quare quæ notauit ad degeneres quorundam opiniones pertinet non ad germanam Philosophiam. Nam alioquin incredibile est quantopere vir sanctissimus cum Philosophiæ liberalium*

Hic locus, vt etiam notauit Pamelius, videt mendosus.

Clemens Alexandrinus.

Origenes.

Basilius.

lium

liúmque disciplinarum studijs excultus, tum præsertim Platonis studiosus fuerit. Id quod vel ex aurea oratione illa intelligi potest, cuius supra mentionem feci. Dum etenim verbis docere conaretur, qua ratione ex profanis authoribus vtilitas sit capienda, id sanè eodem tempore re ipsa demonstrauit egregiè. Nam ad hanc vnam orationem ex vna Platonis Politia viginti fermè loca (ea enim memini me obseruasse ac contulisse omnia) mirificè imitatus est. Inter quæ (vt aliquod admirabilis artificij extet exemplum) quis non Basilij ingenium extollat, dum Platonico artificio ad studia doctrinarum instituit adolescentes? Nam cum Plato policiti custodis animum ad leges suscipiendas dum præpararet, scriptum reliquisset, † Οὐκοῦν οἶσθα ὅτι οἱ βαφεῖς ἐπειδὰν βουληθῶσι βάψαι ἔρια, ὥστ' εἶναι ἁλουργά, πρῶτον μὲν ἐκλέγονται ἐκ τοσούτων χρωμάτων μίαν φύσιν τὴν τῶν λευκῶν. ἔπειτα προπαρασκευάζουσιν οὐκ ὀλίγῃ παρασκευῇ θεραπεύσαντες ὅπως δέξωνται ὅτι μάλιστα τὸ ἄνθος, καὶ οὕτω δὴ βάπτουσι, καὶ ὃ μὲν ἂν τούτῳ τῷ τρόπῳ βαφῇ, δευσοποιὸν γίγνεται τὸ βαφέν, καὶ ἡ πλύσις, οὔτ' ἄνευ ῥυμμάτων οὔτε μετὰ ῥυμμάτων δύναται αὐτῶν τὸ ἄνθος ἀφαιρεῖσθαι· ἃ δ' ἂν μή, οἶσθα οἷα γίγνεται ἐάν τε τις ἄλλα χρώματα βάπτῃ, ἐάντε καὶ ταῦτα, μὴ προθεραπεύσας, *Hoc est,* An non animaduertisti infectores, vbi uelint lanas purpureo colore inficere, primùm quidem ex tanta varietate vnum deligere colorem album: tum verò hunc non mediocri cura præparare, vt quammaximè suscipiat florem: atque ita demum purpureum colorem inducere, qui idcirco purgationibus vllis elui ac flore priuari non possit? Nam quæ his præparata medicamentis haud fuerint, nosti cuiusmodi tandem euadant, siue ijs illa coloribus aspergantur, siue alijs. *Cum inquam hæc ita dissereret Plato, ecce tibi Basilius, qui, vt ostenderet qua ratione præparandi sint animi ad diuinas doctrinas percipiendas, nobilem Platonis ocum in rem suam sic conuertit.* Ὥσπερ οὖν οἱ δευσοποιοὶ παρασκευάσαντες πρότερον θεραπείαις τισὶν ὅ, τι ποτ' ἂν ᾖ τὸ δεξόμενον τὴν βαφήν, οὕτω τὸ ἄνθος ἐπάγουσιν, ἄν τε ἁλουργόν, ἄν τέ τι ἕτερον ᾖ. τὸν αὐτὸν δὴ καὶ ἡμεῖς τρόπον, εἰ μέλλοι ἀνέκπλυτος ἡμῖν ἡ τοῦ καλοῦ παραμένειν δόξα, τοῖς ἔξω δὴ τούτοις προτελεσθέντες, τηνικαῦτα τῶν ἱερῶν καὶ ἀποῤῥήτων ἐπακουσόμεθα παιδευμάτων. *Id est.* Quemadmodum igitur infectores quibusdam medicamentis lanam sufficere solent anteaquam siue purpureum, siue alium quenpiam colorem inducant: ita etiam vt perpetua in nostris animis insideat virtutis & honestatis opinio, vbi externis hisce literis initiati ac præparati fuerimus, tum demum sacras illas, arcanásque disciplinas hauriemus. *Hæc Basilius: qui etiam in huius loci imitatione mirificè conuenit cum M. Tullio. hic etenim vt erat acerrimus Platonis imitator, locum in Hortensio sic expressit.* Vti qui pur-

† *l. 4. de rep. ante med.*

puram volunt, sufficiunt priùs lanã medicamentis quibusdam: sic literis talibúsque doctrinis ante excoli animos, & ad sapientiam concipiendã imbui ac præparari decet. *Vt mihi propterea Basilij locum Ciceronis propè verbis conuertere licuerit. Nunc cum Iustino agendum esset paulò vberiùs: is nanque in Philosophis arguendis est ferè totus. Verùm ne longiùs progrediatur oratio nostra quàm postulet instituta ratio, illud solùm dicam in præsentia, nihil ferè esse cur Philosophiam ab eo labefactatam nedum euersam putemus: tum quia Græcorum Theogoniam Theologiámque vrget inprimis, quam nos etiam superstitiosissimam ac mendacissimã esse monuimus: tum quia, vt pro Christianis Apologias scribebat, atque hostes refellebat, illorum errores, corruptique mores redarguendi erant: non virtutes, quaéque rectè decreta ab illis essent, persequenda. Quanquam multa etiam interdum, vt Ethnicos calumniatores Ethnicorum refelleret scriptis, ex Poëtis & Philosophis affert, quibus ostendit eos de Deo, Mundíque creatione, de prouidentia præterea, extremo iudicio, præmijs, supplicijs, aliísque huiusmodi multis, multa tradidisse, quæ cũ Christiana fide nõ parùm congruũt. Sed de his omnibus in Timæo copiosè. Neque verò Philosophos insectatur Prudentius carminibus illis, sed Christianæ fidei hostes: & idcirco non in Philosophos, sed in infideles inscripsit carmen. Nec sanè aliter de Hilario & Arnobio esset sentiẽdum. nam alter fidei irrisores appellabat Philosophos, intuens in Philosophos eorum temporum qui fermè omnes Euãgelium procacissimè irridebant. alter verò contentiosos, mendaces, & inconstantes damnabat, cuiusmodi apud ambitiosissimos Ethnicos fuerunt semper plurimi. Adrianus etiam non moderatos Dialecticos reprehendebat, sed vafros, ac perpugnaces, qui disserendi artificio abutentes, nihil minùs sectabantur quàm veritatem. Idem statue de Epiphanio, nam eos insectabatur, qui impudentibus argumentationibus ea demonstrare ac quasi coërcere niterentur, quæ partim egerent fide, partim non nisi probabilibus atque adeo obscuris rationibus, quæ est humani ingenij imbecillitas, attingi possent. Sed & Athanasius, qui Philosophorum sapientiam infatuatam esse dicit, statim ac Dei sapientia apparuit in terris, superstitiosam religionem intelligit illius nomine, atque Philosophiam illam idololatriæ seruientem, Ex quo etiam fiebat (id quod sibi voluit Beda) vt quos suscepissent instituendos deprauarẽt, tantùm abest vt iuuarent. Denique Concilium Cartaginense ideo vetat Episcopis profanarum doctrinarum lectionem, quòd vigilias curámque omnem transmittere debent diuinarum literarum studio ac Dominico gregi. Cùm præsertim Episcopus quẽ oportet cæteris Christianorũ ordinibus sapientia non minus quàm pietate ac probitate antecellere, iãdiu peregisse debeat Philosophiæ humanarúmque disciplinarum curricula. Atque hac de causa Augustinus cum se videret à Memorio, hoc est Episcopũ ab Episcopo, ad humanarum literarum studia prouocari, pulcherrimam Epistolam illã eidem rescripsit, qua diuinarum literarum nobilitatẽ, humanarum obscuritatẽ obiecit. Ac consimili de causa Hieronymus reprehendebat Sa-*

Iustinus. Prudentius. Hilarius. Arnobius. Adrianus Epiphanius. Athanasius. Beda. Cõcilium Cartaginense.

cerdotes, qui missis Euãgelij Prophetarúmque lectione, non profana solùm legerent, sed vana etiam & obscœna. Alioquin Gregorius VII.† atque alij multi nõ iuberẽt, vt Episcopi curarẽt liberales artes doceri in suis ecclesiis.

† refer. d. 37 c. 12. et can. Dominis. 1. q. 1.

VENIO ad testimonia Ethnicorum. Ac primùm quid si Plato, qui cõstãtiæ, fidelitati, ac synceritati ἄλλας τε ϗ εἰς ἄλλα τεινούσας σοφίας τε ϗ δεινότητας, alias inquam facultates, ac cætera sapientiæ genera quoquo modo opposuit, atque illas veram Philosophiam, hæc κομψότητας censuit esse appellandas, id fecit rei benè gerendæ causa, & vt seruiret tempori? nimirum vt Aristodorum in Dionis, quém vnicè diligebat, amicitia ac fidelitate contineret? certè ipse sexcentis in locis docet, non actione solùm sed & cõtẽplatione contineri Philosophiam, immo verò hoc ipso in loco, si acutiùs intuearis, id dũ negat, (si tamen negat) fatetur simul. nam dum ait ἄλλας σοφίας dicendas esse κομψότητας, an nõ alia quoque præter synceritatẽ ceteràsque huiusmodi virtutes sapientiæ appellat nomine? Deinde dum asserit eas virtutes quæ pertinent ad mores, esse veram Philosophiam, illud ipsum sibi voluisse crediderim quod ab eius præceptore tantopere decãtatum legimus: hic enim dum vnas virtutes sectaretur quæ pertinent ad mores, cæteras quæ in siderum Mundique totius contemplatione versantur, sperneret, ac propterea Philosophiam è cœlo in vrbes deuocasse diceretur, dictitare solebat vnam iustitiam, synceritatem, aut huiusmodi alia, esse veras solidásque virtutes. Denique (quod rem maximè continet) dum cæteras facultates atque sapientiæ genera vocat κομψότητας, ego sanè existimo animi ornamẽta intelligi, non astutiam ac fastum illum, quem nullo alio adducti exẽplo, comminiscuntur aliqui. atque hoc pacto Plato, quippe qui virtutes quæ ad vitam & mores pertinent, commendare atque extollere instituerat, eam Philosophiæ partem, quæ vnam intelligentiam perficit, extenuat quidem, non tamẽ vllo modo reprobat ac damnat. Quòd autẽ Platonicus ille Simias ac Celsus significant impietatis notã à multis fuisse interdum inustã Philosophis, id verò cum de Ethnicis loquatur iste et Idololatris, Philosophiæ dignitati fauet quammirificè: intelligitur enim eos qui nõ temerè sibi vindicarent Philosophi nomen, Ethnicorũ Dijs ac Religioni (id quod de Anaxagora & Socrate, immo verò de Platone etiã & Aristotele inter cæteros proditũ est) haud habuisse fidem. quæ sanè res apud iustum rei æstimatorẽ pietas potiùs quàm impietas censenda est. Venio ad Senecam: cui sanè, tametsi septẽ integros libros cõsumpserit in Physicis quæstionibus, incõstantiã minimè obijciam hoc tẽpore. quinetiã, vt perhumaniter cum illo agã, libenter fatebor Socratis partes acuratè ipsum egisse, dũ grauissima disputatione illa, quam referre cœperã, liberales artes, earúmque munera enumerat, & illarum eleuat authoritatẽ. Sed ne in singulis cogamur insistere, sat sit eũ fateri illis animum saltẽ præparari ad virtutẽ; nam post longas illas querelas sic scribit, Quare ergo liberalibus studiis filios erudimus? nõ quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem præparant. Quemadmodum prima illa (vt antiqui vocabant) literatura, per quam pueris elementa traduntur, non docet liberales artes, sed mox percipien-

Ad Ethnicorũ testimonia.
Ad Platonem.

Ad Celsum.

Ad Senecam.

dis locum parat: sic liberales artes non perducunt animum ad virtutem, sed expediunt. *Hæc & alia multa prudentissimus Philosophus. Quamobrem cum eam Philosophiæ partem quæ mores instituit ac vitam, diuinis propè laudibus celebret, cæterarum verò disciplinarum tractationem virtuti inseruire fateatur, sententiæ nostræ fauet non mediocriter. Nam si acriter etiam insectatur Philosophos quòd scientiam assensionémque planè negarent, aut curiosiùs philosopharentur, id sanè minutos quosdam Philosophos, vel potiùs Sophistas attingit, non veram Philosophiam. Idque ipsum decernendum est, dum postremò verbosos illos facit, intempestiuos, sibi placentes, quique vana consectentur, ac plus scire velint quàm sit satis. Quæ sanè ita cum Apostoli doctrina consentiunt, vt ex hoc quoque eius familiaritate vsum fuisse confirmari posse videatur. Quæ verò M. Tullius malè moratis Philosophis obijciebat, ea nihil planè obsunt Philosophiæ: id enim ipsemet Tullius ostendit statim agrorum similitudine:* Nam vt agri (*inquit ipse*) non omnes frugiferi sunt qui coluntur, falsúmque illud & improbè,

Ad M. Tullium

Etsi in segetem sunt deteriorem datæ
Fruges, tamen ipsa suapte natura enitent.
Sic animi non omnes culti ferunt.

Atque vt in eodem simili verser, vt ager quamuis fertilis sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus. ita est vtraque res sine altera debilis. Cultura autem animi Philosophia est, quæ extrahit vitia radicitus & præparat animos ad satus accipiendos, éaque mandat his, & (vt ita dicam) serit, quæ adulta fructus vberrimos ferant. *Hæc Cicero. qui sanè vt alibi appellat Philosophiam animi medicinam, vitæ ducem atque parentem, artium matrem, vitiorum expultricem, virtutis indagatricem, magistram morum ac disciplinæ: munus inuentúmque Deorum: útque eandem contendit caliginem pellere ab animo, vitæ tranquillitatem largiri, terrorem mortis auferre, & (vt alia multa prætercam) totam frugiferam & fructuosam esse: ita etiam hoc in loco mira consensione negat animos sine Philosophiæ cultura frugiferos esse posse. Vt propterea quamuis magnum sui desiderum reliquerit nobis Ciceronis Hortensius, in quo copiosissimè defendit, ornauítque Philosophiam, grauissimè tamen suã sententiam testatam reliquerit. Porro Senatusconsultum, quo Rhetores atque Philosophi ab Vrbe (id quod Lacedæmone etiam accidisse † legimus) sunt pulsi, id, eodem Gellio teste, ea tantùm de causa decreuit, quòd adolescentes earum disciplinarum cupidi, viderentur auocari ab armis, atque in otio quodam modo degere. quod sanè temerè factum est, perinde ac temerè Lacedæmones imitati sua studia referrent ad arma potiùs & ad nationes omnes subigendas, quàm ad pacem ac moderatum Imperium. Quocirca vehementer mirarer Romanos, qui nullam propè sapientiæ curam habuerunt, omníque superstitionis ac libidinum cœno inquinati erant, totius penè orbis terrarum imperio tandiu potitos esse, nisi sanctissimos viros audiens omnino persuasum*

Ad Senatuscõsultum.

† *Test. Apologet. c. 47. ib. de Thebanis & Argiuis idem significat.*

sum haberem id summo Dei consilio factum esse: nimirum vt varijs terrarum prouincijs ac Regnis, vno eodémque fœderatis imperio, quæ ciuitas Diaboli fraude fuerat Magistra erroris, Dei sapientia ac benignitate fieret Magistra veritatis. Age uerò de Vespasiano dicamus, qui sanè expulit Philosophos, non quòd apud eum malè audiret Philosophia, sed propter tumultus & errores, qui à Demetrio Cynico, atque alijs non bonis Philosophis disseminarentur: quibus etiam in Principem, atque Vrbis perniciem vulgus solicitasse dicebantur. Nam alioquin Philosophorum contumaciam (si Suetonio credimus) leuissimè tulit. Quanquam quæ magna illi esse potuit laus, qui Philosophos pellens, Musonium Babylonium quem alterum propè Apollonium Tyanæum dixeris, retinuit? Certè Nero ac Domitianus qui virtutes ipsas cònabantur exscindere, et in Philosophis pellendis, perinde atque in ciuibus necandis mirificè consenserunt, hoc vno visi sunt quàm Vespasianus cordatiores, quòd eos qui Magicas artes tractarent, haud passi sunt in Vrbe versari. Posterior enim Musonium quoque Babylonicum, qui tamen fuerat Vespasiano charus, ab Vrbe exulare iussit: prior Magos omnes ac diuinos, vt tandem aliquando se illorum artibus delusum sensit, exagitauit atque profligauit. Quanquam haud magnoperè mirarer in Philosophos etiam, dum sine delectu eos expulit omnes, non sine temeritate aliqua animaduertisse, qui in innocentem Dauidis stirpem crudeliter desæuisset, ac, quod fuit omnium flagitiosissimum, Messiæ affectaret nomen, ídque vel miraculis confictis turpissimè. Denique sic habeto. Quemadmodum Aristophanes, Pacuuij, Timones, Luciani, Iuuenales, Rhetores denique, Comici, Satyricique multi in Philosophis ridendis, ridendi sunt: ita etiam Nerones, Vespasiani, ac Domitiani, quin & † Spartiates, Argiui, Thebanique in ijsdem Philosophis explodendis, explodendi sunt ac despiciendi. Nam quod ætate hac nostra, & superiore etiam doctrinarum splendore apud Catholicos vndique corruscante, non † Agrippa solum, sed hæretici quoque multi eas † detestentur: ac Philosophos non modò Vrbe, ut a Domitiano factum est, sed orbe pellendos esse clament, nil mirum. Nam præterquam quod † Donatistas, atque huiusmodi alios quosdam sui similes imitantur, quid est quòd miremur lupos id machinari vt caulæ euertantur, & canes ab ouium custodia submoueantur?

De eiectione Philosophorũ per Vespasianum.

† *Vide Tert. in Apologet. c.47.*

† *Agr. lib. de vanit. scien.*

† *Luth. Caluin. & alij, de quibus vide Staphilũ in epit.*

† *Vide Aug. l.1. cõtra Crescon.*

NVNC venio ad authoritates diuinarum Scripturarum. Et quidem Salomon per occupationem pessimam seu malam (nam Hebraicè est עִנְיַן רַע *hinjan rah) vel intelligit occupationem laboriosam, vt existimant quidam, vel afflictiuam (vt ita dicam) tristem atque molestam (id enim* רַע *Rab significat nonnunquam in diuinis literis; & ideo † legimus,* viderunt se בְּרַע *Berah* in afflictione, *& rursus* †, nosti quia populus iste בְּרַע *Berah* in afflictione est, & † dies peregrinationis meæ parui, & רָעִים *Rahim* tristes) *vel denique (quod in idem fermè recidit) in præsentia significat malum pœnæ vt vocant. nam cum hæc vox* רַע *Rab apud Hebræos è vestigio opponatur voci* טוֹב *tob quæ*

pro-

Explicantur testimonia Scripturarum. Salomon.

† *Exo. c.5. v. 19.*

† *Exo. c.32. v.22.*

† *Gen. c. 49. v.9.*

pro quocũque bono vsurpatur: ad quodcunque malum referri potest. Et verè Salomon in libro illo difficillimo videtur vniuersa huius vitæ bona iudicare mala, quia (vt ipsemet satis indicat) sunt laboris & afflictionis plena. Neque verò Philosophiam meretricis nomine damnauit Salomon: nam eo in loco de vera meretrice loquitur: idque in litera ipsa planum est, in qua ad viuum exprimit meretricis mores. Quòd si metaphoricè etiam velis exponere locum, ad carnis quidẽ illecebras non incommodè poteris meretricem illam referre, & ad voluptates humanæ vitæ: ad Philosophiam verò frigidè omninò & importunè. Atque idcirco ex huiusmodi tropologia non solùm infirmum, sed falsum ducetur argumentum. Vt interim omittam in proposita sententia, Ne attendas fallaciæ mulieris: fauus enim distillans labia meretricis: *illud* fallaciæ, *temerè omnino coniungi cum fallacia quam inani Philosophiæ ascribit Apostolus. quid enim siue malæ mulieri Salomonis (nam φαύλης γυναικὶ habent Septuaginta) siue etiam fallaciæ mulieris (sic enim legimus ipsi) cum κενῆς τῆς ἀπάτης cum vana inquam fallacia Apostoli quas tam facile permiscent isti. Quare ruinosa est ac vana coniectura illa. Illud autem,* Perdam sapientium sapientiam, *Sapientiam huius Mundi, atque adeo astutiam significauit Apostolo, iuxta illud,* † Comprehendit sapientes in astutia ipsorum, *vel etiam Sophistas, quique sibimet viderentur sapientes: hi enim speciosum sibi sapientis nomen vsurpabant, cũ ostentationis fallaciæ essent pleni. Adde veram quoque Sapientiam intelligere potuisse: sed qua tamen abuterentur illi, vt dicam paulò post. Per Philosophiam verò à qua cauendum monet (si Clementi, Hieronymo, & Chrysostomo credimus) non veram intelligit Philosophiam, sed inanem atque fallacem: nam idcirco quasi seipsum explicãs subdit,* & inanem fallaciam: *quanquam nihil prohibet quo minus aliquo pacto intelligere potuerit vel Philosophiam in vniuersum, quæcunque ea esset: vel etiam germanam ac veram; idque ea de causa, quòd videret à nonnullis per fraudem vsurpari ad refellenda decreta fidei. Consimilique consilio damnabat quæstiones & pugnas verborum. intelligebat enim has non ex vera Philosophia, sed curiositate, fastu, ac temeritate deriuari: cum præsertim ijs mysterijs adhiberent eas, in quibus fide opus erat, nõ quæstionibus & contentione. Et hac ipsa de causa clamabat alibi.* † Qui videtur esse sapiens, fiat stultus vt sit sapiens. *Nam quoniam in abditissimis fidei mysterijs versabatur, quæ humanam intelligentiam superant quamlongissimè, nos sapienter admonebat, ne nostris doctrinis fidentes, diuina humanis temerè metiremur: sed captiuaremus mentem in obsequium fidei. Stultam verò appellat sapientiam huius Mundi, siue quòd stultitiæ speciem referat, si cum cœlesti conferatur, siue quòd eius sectatores nimium suæ sapientiæ tribuentes, stultissimè laberentur: siue quòd temerè insipientérque iactarent Philosophi humanæ sapientiæ præsidijs insitam ignorantiam prauásque cupiditates penitus euelli posse, cum diuinæ sapientiæ, atque Euangelij faces illis admouere necesse esset.*

Apostolus.

† Iob c. 5. v. 13.

Clem. 1. Str. Hierony. & Chrys. loc. cit.

† 1. Cor. c. 3.

Quan-

Quanquam si quis pugnet hoc etiam in loco ementitam sapientiam] qualis in Sophistis cernebatur passim, non synceram, stultitiæ nomine notari ab Apostolo, id sanè me minimè repugnante faciet, quin potiùs assentiente. Vt propterea etiam dum clamaret scientiam inflare, ac sapientes à Deo confundi, in superbam illam pietatíque aduersantem sapientiam intueretur.

Ad ea quæ Author ipse obijciebat.

IAM verò tragicis querelis illis, quæ postremo loco excitabantur, ea fermè satis esse possunt, quæ dicta sunt hactenus. Nam ingentes illæ Christianorum ruinæ ac damna, magna ex parte ab falsis mendacibúsque Philosophis profecta sunt: aut etiam ex præpostero veræ sapientiæ vsu. Vera etiam Philosophia, quæ vna Philosophiæ nomen meretur, à munificentissimo bonorum omnium authore Deo in beneficij loco humani generis parenti primùm, tum cæteris mortalibus concessa est, tantum abest vt à Dæmone malorum omnium architecto ac machinatore, inuenta sit atque disseminata. Symbolis quoque illis alia plurima, éaque illustriora fortasse pro Philosophia opposuimus. Vt omittam, quæ ab illis ducuntur argumenta, perexiguam habere firmitatem, eádémque interdum facilitate refelli qua asseruntur: cum præsertim Delphici instar gladij contrarijs peræquè aptentur sæpe. Atque idcirco ab istis non sine aperta calumnia varia illa tot gentium decreta atque doctrinæ, falsitatis plena, atque adeo veritatis ipsius incendium appellantur: cum præsertim sexcenta propè ex ijsdem colligi possint, quæ verè ac sapienter apud illos decerni, Euangelium ipsum declarauit: vt Mundum à Deo esse conditum: Deum prospicere mortalibus: animum non interire: ad bene beatéque viuendum Pietatem cæterásque virtutes aut vnas, aut maximè esse sectandas: iniuriã ferre præstare longiùs quàm inferre: subeundam potiùs mortem, quàm turpiter aliquid faciendum, & huiusmodi alia, quæ apud Platonem sunt perspecta ac certa. At verò de varijs illis hæreticorum classibus, quæ suis illis æonibus sexcentísque huiusmodi portentis ex Poëtarum Philosophorúmque officinis prodijsse visi sunt, sic habeto. Hæreticos suarum opinionum, seu potiùs somniorum prætextus quæsisse semper: hósque ex diuinis literis primùm, quòd apud fideles in omnem æternitatem ratæ essent, & immutabiles. tum ex Philosophis: nam his etiam suus est honos: denique ex Poëtis, quòd ipsi etiam apud veteres nomen aliquod obtinuissent sapientiæ. Quocirca si quæ impiè asserebant ij, non temerè ducebantur ex Philosophorum initijs atque decretis, sed aptè & congruenter, profectò eiusmodi decreta atque initia digna sunt, quæ vnà cum hæreticis explodantur: cum ab illis tanquam à malis ouis corui pessimi orti sint. Quòd si repugnanter, aut ineptè id fecerint atque præposterè, hac sanè de causa non Philosophi, sed vni hæretici sunt à nobis exterminandi. Nam alioquin non humanæ solùm artes atque doctrinæ, sed diuinæ etiam disciplinæ, præsertim verò Sacrosancta Apostoli monumenta atque decreta

idem

idem subirent crimen: cum hæc quoque vsurpent hæretici importunissimi, ac maximè omnium vsurpent. Vt propterea qui tradunt hæreticos suas illas delirationes ac nugas ex Philosophicis decretis exprimere conatos esse, haud tamen statim Philosophos ipsos mendacij impietatisque coarguere possint, nisi congruenter id hæreticos fecisse constiterit. Cuius rei conquisitio, quoniam infiniti penè operis esset, prætermittenda à nobis est. Tametsi non potero non multa in hanc sententiam attingere in Timæo, vbi ἴσως μὲν γάρ τι δικαίως (vt Platonis verbis vtcunque vtamur) ἴσως δέ τι ἀδίκως Philosophis acceptum referunt hæretici. Interim, quod ad Nouatianum attinet scelestissimum Schismatis authorem, ac Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ violatorem, sic planè habeto. Fuit ille quidem disertus (fateor) atque egregiè versatus in Stoicis veruntamen venenum non † ex Philosophia hausit, sed ex Montani potiùs Cathaphrygúmque, ac Tertulliani cupa: siue (vt ad initia intendam digitum) in superbissimi Luciferi sorbuit caupona. Nam cum Cornelio summopere inuideret, iniquissimóque animo ferret illum sibi in Romana Sede anteponi, multa falsò vnà cum Nouato, iactare de eo cœpit: ac disseminatis libellis gloriosum illius nomen fictis criminibus lacerare. Hinc ambitionis æstu eò vesaniæ delatus est, eò temeritatis audaciaéque processit callidissimus veterator, vt multis rerum nouarum cupiditate excitatis: multis etiam à Cornelio per fraudem abalienatis, Episcopos quosdam, sui nimirùm similes, clam Romæ coëgerit. Quid multa? horum tandem opera è portis inferi inauditum portentum, dirúmque monstrum emergere ac prodire visum est, quod Romani Pontificis titulum sibi arrogaret. Vt non immeritò cum derepente aduersus Cornelium, hoc est sanctissimum Pontificem, extitisset monstrosum caput ac portentosum, elogio illo † ROMAE NOVATIANVS DOMINICAE CONCVLCATOR MARGARITAE, PORCVS NIGER, PATRIAE INGERIT VIOLENTER MANVS: NON TAM DIGNVS VENERABILIBVS ARIS, QVAM FLAMMIS INFERNI VLTRICIBVS, execrandum facinus Ecclesia detestata sit. Hæc Nouatiani schismatis initia: hæc furoris incrementa: quem sanè vltrò, quæ illius erat in Catholicos rabies, in Montani aliorúmque huiusmodi hæreticorum scopulos irruens, ad summum prouexit. Nam cur obsecro aut sustulit secundas nuptias, aut denegauit Ecclesiæ dimittendorum facultatem peccatorum, aut se suique similes καθαροὺς haberi voluit, reliquos impuros atque profanos, nisi Tertulliani Cathaphrygúmque dementiam hæresésque secutus, atque egregio illo Montani Paracleto percitus ac dementatus? At enim (dixeris) dum fideles quoque lapsos quantumuis pœnitentiam egissent, negabat esse in Ecclesia vnquam recipiendos; nonne Stoicorum illud vrgebat Virum bonum constantissimum esse debere atque infractum? Esto vrgeret. Sed quis, obsecro, non intelligat quàm impudenter

† Vide Cypr. epist. 40. 42. & 52. Eus. Eccl. hist. l. 6. Pacia. ep. 1. 2. & 3. ad Symphoros. Theod. hær. fab. lib. 3. Aug. de agone Christ. c. 31. Soc. l. 6. c. 20. & al.

† vide Gildã Sap. in Bibl. Sanctorum Patrum.

ter

ter ac frigidè hunc errorem tueretur suum? cum id quod Stoici ad virum probum summa quadam constantia & fortitudine effingendum proferebant, hoc Nouatianus ad Christianos qui huiusmodi fortitudinem deseruissent, ab Ecclesiæ gremio quantumuis resipiscerent, ac factum deflerent suum, perpetuò arcendos referret? Quamobrem hæc summa sit. quòd huiusmodi lapsos ab Ecclesia arceret, ex Tertulliano priùs, tum ex egregio comite Nouato Montani sectatore absorbuerat: quorum ille mœchis, alter lapsis omnibus Ecclesia interdiceret. quòd verò eloquentia ac Philosophia tegere niteretur hæresim, eius furoris fuit & impudentiæ, per quam optimis artibus abutebatur. Neque verò interim Theologiæ dignitas violatur, si cum omnibus numeris, quod illius interest, perfecta sit, externas tamen doctrinas excipit Christianus, easdémque etiam ad illam interdum refert. Nam humani imbecillitas ingenij, atque adeò ingens quæ peccatum consecuta est, ignoratio, multorum quoque improbitas, ac denique aliæ causæ multæ omnino effecere, vt ijs adminiculis egeat Christiana societas. Quin etiam ea quæ pertinent ad cognitionem rerum naturalium, haud extant in diuinis literis explicata: sed omnia veluti in semine aut fontibus continentur: cùm Naturæ authorem totiúsque Vniuersitatis ortum ponant ante oculos: cætera Philosophiæ relinquant tanquam ancillæ. Atque eodem nomine tum cæteras Philosophiæ partes, quibus de uita & moribus, déque Mathematicis disputatur, amplectitur Christianus: tum reliquas externas disciplinas perdiscit & consectatur: Rhetoricam scilicet, Dialecticam, Poëticen, Historiam, ac, quæ primo loco fuerat recensenda, Grammaticam, & linguarum, quibus in primis diuina mysteria continentur, studium & cognitionem. His enim omnibus sic indigemus, vt si quis his neglectis diuinarum Scripturarum sensa percipere, ac diu cursum in illis tenere posse speret, temerè sanè (nisi tamen diuinitùs illustretur) atque insipienter speret. Qua in re, quoniam eam à multis obseruatam, à † Clemente uero, & † Augustino copiosè explicatam esse video (id quod nos etiam paulò ante, breuissimè tamen, fecimus) non immorabimur in præsentia. Nam quod † Ambrosius & † Hieronymus pari consensione docent, omnes Philosophiæ partes in diuinis uoluminibus inueniri, id verò ea ratione asserunt, quòd in Genesi rerum naturalium causæ ortúsque per genera summa proponantur: Prouerbia verò, atque alij quoque libri de vita & moribus præcipiant multa: Apostoli denique Epistolæ (vt cætera taceam) disserendi artificio non careant: ac propterea speciem quandam præseferre videantur tripartitæ illius Philosophiæ, quæ in Naturæ obscuritatem, disserendi subtilitatem, & vitam ac mores distributa fuit à M. Tullio: non quòd hæc ibi explicatè ac per genera singula, germanóque Philosophiæ more modóque tradantur.

† Cle. l. 6. Str

† Aug. 2. de doct. Christ.

Ambros. in proœ. in Luc.

† Hier. in ep. ad Paulam Vrbi.

Clem: etiam 1. Strom. sed paulò aliter.

QVAE cum ita sint, qui omnino volunt humanas doctrinas ex Christianorum animis euelli, aut saltem, quoniam iam illos occuparunt altiùs, earundem aditus obstrui iubent in posterum, falluntur grauissimè,

Nam homo vt est ingenio et ratione præditus, atque ortus ad contemplandum, nisi omnem humanitatem exuat, non potest non ratiocinari, atque inuestigare rerum causas & naturam, ac veritatem denique ipsam & sapientiam non sectari & colere. Quinetiam vbi tot tantaque mysteria vna fide percipere videtur, ratione maximè vtitur: neque enim fidei mysterijs assentitur nisi multis magnìsque de causis adductus: miraculis scilicet, certissimis prædictionibus, aliisque huiusmodi rationibus, quibus omnino persuasum habet ea nisi à Deo, qui decipere nullo modo potest, non prædici ac tradi. Quanquam vt sine vlla veneni suspicione aut fece haurirent fideles, non negarim magnopere optandum esse ne ad Ethnicorum monumenta confugere cogerentur. Quod apud nos optandum est magis, quàm sperandum, apud quos Ethnicorum maximè industria comparatæ atque excultæ sunt. Quòd si qui inueniuntur apud Indos, qui dum Euangelium excipiunt, vnà cum auita religione sectis institutísque omnibus tanquam superstitionum plenissimis nuncium remittant, ijs fortasse ad Ethnicorum monumenta intercludendus esset aditus. Res tamen authoribus egeret industrijs ac nauis, quíque varias ac graues difficultates possent ingenij ac sapientiæ magnitudine superare. Nam primò non video quo pacto humanæ diuinaéque artes atque doctrinæ, maximè verò ratio diuini cultus Ecclesiasticaéque disciplinæ, nisi latinis literis communicari & asseruari possint. Tradenda itaque ac discenda erit Latina lingua. Itaque M. Tullius saltem concedendus videretur, qui, præterquam quòd ad viuum refert libidines, corruptósque mores suorum temporum; superstitiosos ritus, ac varias Ethnicorum opiniones concertationésque continet, cum Christiana fide ac religione pugnantes, quæ fortasse Ecclesiæ candidatis, sine magna pietatis ac sanctimoniæ iactura concedi minimè possent. Deinde aliqua Medicinæ, Philosophiæ, Iurisprudentiæ, ac liberalium artium præcepta & monumenta tradenda & communicanda illis erunt, quibus politica societas excolatur, ac vitæ incommodis prospiciatur: qua in re, mea quidem sententia, diuino propè ingenio opus erit. nam si Hippocrates, Galeni, Platones, Aristoteles, Vlpiani, cæteri denique omnes quibus nos vtimur, humanarum artium magistri negentur, sexcentis prememur incommodis: si concedantur, res erit offensionum plena. etenim non modò ingenti profanarum doctrinarum mole ac studijs occupati indies magis, pietatis exercitationes remittent facilè: ac curiositati, ambitioni, auaritiæ denique seruient; verùm etiam rursus de animi immortalitate, de prouidentia, de Mundi ortu, déque huiusmodi alijs liberiores excitabunt quæstiones. rursus idololatriæ superstitionúmque offendent incitamenta. Quid plura? Num Tertulliani, Lactantij, Origenes, Eusebij, immo verò Clementes, Hieronymi, Basilij, Augustini, cæterorum denique Patrum, quibus sacrorum quoque Canonum, Conciliorúmque volumina complector, tractationes illis negabimus, vel potiùs concedemus? si negemus (quanquam vix fortasse obtineri id poterit) priuabimus fideles Magistris, ac veluti pulcherrimis

rimis

rimis Ecclesiæ facibus. Si concedantur, iam quoniam inter hæreticorum atque Philosophorum, quibuscum ijs certandum fuit, errores adoleuit Ecclesia, statim obijcientur illis Gnosticorum, Arrianorum, aliorúmque huiusmodi, siue sophismata, siue superstitiones, siue denique monstra ac vitia, quæ sunt innumera, à quibus fidelium animi auré sque abhorrere debent. Quo circa (vt vnde digressus sum mea reuertatur oratio) quamuis Deo bene iuuante non omninò desperem rationem aliquam iniri posse, vnde Iapponijs, aliísque gentibus succurratur quæ proximè amplexæ sunt Euangelium, immo verò inter commentandum (vt fieri solet) visus sim mihi saltem rudem aliquam huius rei formam ac speciem intueri; veruntamen constat eos, qui in præsentia non Indis, sed Europæ gentibus interdici velint externis disciplinis, rem partim absurdam iubere, partim etiam quamdifficillimam.

FINIS LIBRI SECVNDI.

IN PLATONIS TIMAEVM;

SIVE IN NATVRALEM OMNEM ATQVE DIVINAM PLATONIS ET ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM

DECADIS PRIMÆ LIBER TERTIVS.

Tertiae huius Disputationis occasio & necessitas.

EXPEDIVIMVS *priorem quæstionis partem, eámque difficilem sanè ac grauem: sed quam tamen difficilior ac grauior consequatur. Nam si huius partis explicatio in contrarium cecidisset, deprehensúmque fuisset Philosophiæ externarúmque doctrinarum studium Christiano Viro nullam vtilitatem afferre, iam quæstio absoluta esset vniuersa: satis enim supérque constaret Platonis Aristotelisque Philosophiam, quorum causa instituta erat disputatio, non modò non esse colendam, sed explodendam à Christiana Republica. Sed quoniam constitit has disciplinas, Philosophiámque inprimis, si tamen vera sit, non adulterina; magno nobis esse vsui & ornamento, ac propterea omnino retinendam esse; iam videndum est ad quam classem redigenda sit Platonis Aristotelisque Philosophia. NVM scilicet vera censenda sit ac solida: an è contrariò vana, fucata & fallax, & (vt dicam breui) Philosophiane an Pseudophilosophia existimari appellaríque debeat.*

Præcipua capita disputationis.

Ergo tribus capitibus complectar rem vniuersam. nam primùm rationes omnes afferam quibus censeam ostendi posse pietati officere, Platonis

Aristotelisque decreta. Deinde contrarias proferam: ac quemadmodum Christianæ rei inseruire posse videantur, explicabo. Denique argumentis collatis, ac damni vtilitatísque rationibus quodammodo subductis, aperiam quid statuendum esse putem in hac re grauissima. Ac si forte retinenda erunt, ostendere conabor quo pacto vitari debeant vitia, quo hauriri virtutes. Nunc igitur aggrediar quod posui primo loco: ac Platonis Aristotelísque decreta laxatis habenis (vt ita dicam) ac quasi aduersarius infensissimus oppugnabo.

QVAENAM præcipuè cũ Christiana veritate ac vitæ honestate pugnãtia statuerit Plato

De Deo.

QVAE apud Platonem cum Christiana religione pugnant, ac veræ pietati & sanctimoniæ aduersantur, cum magnitudine ac numero patent quamlatissimè, tum perspicuitate apud iustum veritatis æstimatorem omnem sibi locum præcidunt defensionis. Atque vt ab ijs ordiar quæ egregius iste Philosophus in Deum ipsum bonorum omnium authorem peccat, quis ferre possit ingentem illam monstrorum cateruam, quam passim in Deorum numerum refert? Etenim Cœlos primùm, Saturnos, Ioues, Apollines, Veneres, sexcenta denique æternis ignibus deuota capita donauit diuinitate. Tum verò, ne cum vno Hesiodo, Homero, aliisque stultissimis Poëtis illis errasse videretur; Lunam astraque omnia, & cœlestia corpora, Mundum denique ipsum Deos fecit: tametsi eadem animantes esse & crederet & prædicaret. Ad extremùm eò processit insaniæ, ut elementa, ac ne terram quidem excipiens, in diuina numina retulerit: eadémque referserit ingenti Deorum turba. Vt quemadmodum apud AEgyptios ne ipsas cepas à Dijs discernere licebat: ita apud Platonem pisces, uolucres, saxa denique ipsa (si Deo placet) ac stirpes (his enim referta uideo elementa quæ Dijs ipse replet) uix ac ne uix quidem à Platonicis Dijs secernere valeas. Quamobrem minimè mirum uideri debet si † Antisthenes deinde, Xenocrates, Speusippus, Heraclides Ponticus, Strato, aliíque plurimi, qui ex Academiæ spatijs extiterunt, tam absurdas de Dijs sententias protulere: dum alij populares naturaléSque, alij tum infixos cœlo tum uagos Deos introduxerunt: alij denique pro arbitratu puerilibus fabulis, dum de Dijs uerba facerent, libros repleuerunt. Quòd si hoc declinare coneris argumentum ac crimen, quòd passim uideatur Plato † Homerum, Orpheum, aliósque huiusmodi carpere, qui Saturnum, cæterósque illos introducunt Deos, utinam ne id fecisset, unquam: nam dissidia, bella, adulteria, aliásque consimiles turpitudines reprehendit Plato, quas illi de Dijs uulgauerant: Deos uerò ipsos ex albo minimè radit, sed purgat potiùs, atque castissimos fingit. Quocirca optaßem, vt eos, quoniam scelestissimos homines conuerterat in Deos superstitiosa illa natio, suo illo libidinis ac scelerum cœno deturpatos atque adeo demersos reliquisset, quò deinde infames essent apud posteros: uel etiam eosdem irrisisset, ac maledictis cumulasset & probris: nedum ab illis notis eosdem studuisset vindicare. At id alia ratione fecit: nam Socrates † apud Platonem, si rem paulò attentiùs intueamur; uulgares illos Athenensium Deos contemnebat, aliósque cole-

Eorum quæ hic obijcimus Platoni, loca è regione non collocamus omnia. quia hæc argumẽta ex locis suspiciosis pleraque, nõ apertis, & ex varijs authoribus paulò interdum detorta, huc retulimus. in eorum tamẽ explicatione suis quæque locis notantur.

† ex Tul. l. 1. de Nat. Deo. post init. & Plat. ipso 4. de leg. & al.

† l. 2. & 10. de Rep. et alibi sæpè; licet Ironicè nonnũquam.

† In Apolog. & al.

colebat augustissimos atque sanctissimos: immo uerò singularem Deum faciebat, quem etiã infinita sapientia & probitate, cæterisque omnibus uirtutibus Deo dignis ornabat: pro quo denique mortem non dubitauit occumbere. Quid plura? suum Deum sic descripsit Socrates, vt eum assereret in manibus scriptum gessisse LARGIOR: in fronte MEMINI: in corde DILIGO: in pedibus MOROR. Quamobrem cum augustissimis eiusmodi, ac planè diuinis symbolis eius diuinitatem Christianum penè in morem effingeret, nefas est profectò arbitrari intimum Socratis discipulum ac sectatorem Platonem, castissima ac sanctissima de Deo opinione repudiata, profanam atque impiam amplecti uoluiße. Verùm dicuntur ista quidem à nonnullis, ac magnificis etiam laudibus celebrantur: sed (si me audias) sunt sibilis ac risu dignissima. quis enim hæc credat, qui, uel ipso Platone teste ac laudatore, Socratem uideat morti proximum, ac de rebus grauissimis disserentem, per Iouem, quid uerò Iouem commemoro? immo per † Canem AEgyptiorum Deum iurare, ac sua decreta confirmare: iubere † etiam AEsculapio gallum suo nomine sacrificari: in Apollinis honorem carmen condere: sêque hausto ueneno ad Deos quos innumeros propè statuit, migraturum, tam insolenter iactare? Nam quæ de suo illo Deo siue Dæmone † comminiscitur, qui nunquam hortaretur, sed prohiberet, ab anilibus fabulis non longè videntur abesse. Atque ijsdem veluti sordibus inquinata sunt quæ de Dæmonibus & Heroibus commentatur. Nam alicubi primos † Dæmones ex Terra Cœlóque ortos facit: reliquos ex his deinde propagatos. Alibi tamen eos spurios esse dicit, Dijs Nymphísque natos ex adulterio. Eosdem præterea de nomine (quasi verò eorum ortui interfuisset: & imposita illis nomina suis ipse auribus excepisset) recensens vir mirificus, non modò † Saturnum, Iouem, horúmque filios fratrêsque ac nepotes, verùm etiam Thetin, Rheam, & Iunonem enumerat. Vtque confusio gigneretur maior, ac fabula esset obscurior, hos modò Deos, † modò Dæmones (cum tamen Dæmones à Deorum classe dissociasset, ac medios inter Deos & homines collocasset) modò diuina animalia appellat: modò aspectabiles fieri ait: modò delitescere: & non solùm Amorem quem interdum fecerat Deum, immò & Deorum beatissimum, transformat in Dæmonem, uerùm etiam quem Deorum principem appellauerat, atque hominũ Deorúmque parentem, in Dæmonũ ordinem redigit Iouem. Vt propterea summus rerum omnium opifex Dæmone natus sit, à summóque opifice, atque adeo a seipso tertio gradu, intermedijs scilicet Oceano, & Saturno, distet. Neque verò errore atque impietate carẽt, quæ de admirabili suo illo Verbo tradidit, déque diuina mente, quibus sacrarum literarum Verbum ac sapientiam expressa dictitant Platonici multi. Nam dum Verbum summo bono, Mentem Monadi inferiorem facit, & huius generis docet alia, hoc ipsum est, quod † Arrianorũ impietati materiã ministrauit, dum verã Christi diuinitatem negarẽt, ac Filium à Patre multũ abesse contẽderent. Sed et ea omnia quæ de Mundi initijs ac natura, déque tẽporum ratione dißerit, cum secum ipsa

†in Apol. & al.

†in Apol. ad finem.

† de hoc in Alcib. 1. & al. passim.

† ex Tim. 4. de leg. in Crat. Conu. in Socr. or. et al.

† in Timæo.

† locis supra citatis.

† vide Cyr. l. 1. cõtra Iul. ad fin.

De Dæmonibus.

De Verbo, & diuina mente.

De Mundo ac temporum ratione.

non

non rarò, tum cum Christiana veritate quammaximè pugnant. Etenim (vt omittam beatum animantem† fecisse Mundum, optimum item ac sapientissimum) si quæras an in certi alicuius ac definiti temporis exordio incœperit hic Mundus, an verò ab omni fuerit æternitate (id enim apud nos diuinorum oraculorum caput est ac fundamentum) rem planè controuersam reliquit. Nam † Plotinus, Simplicius, Proclus, ac magna denique Platonicorum pars æternum; contra verò Seuerus, Atticus, Plutarchus, & nonnulli alij certo temporis initio conditum esse affirmant. Quòd si rursus † quæras, an ex materia conditus fuerit, an verò nulla materia subiecta, materiam (contra quàm Christiana veritas docet) omnino subijcit eius molitioni. Quòd si de materia scisciteris adhuc, vtrum procreata fuisset necne, idque siue ab omni æternitate, siue ab initio temporis, profectò nihil certi audies à Platonicis, sed in varias opiniones discessisse intelliges. Denique longum esset enumerare errores omnes. Nam in Timæo decem fermè annorum millia in AEgyptiorum antiquitatibus agnoscit: iisdémque pares facit commentitios quosdam Athenienses, quos supra nouem millia annorum belli laude claruiße scribit. Miras etiam ac varias eluuiones, exustiones, terrarum vastationes † introducit, quæ definita quædam annorum curricula, statásque cœli conuersiones consequantur: cum tamen interim non minus impiè quàm imperitè AEgyptum ab huiusmodi iniurijs liberam † asserat fuisse semper. Idem tamen generales quasdam cœli conuersiones, interdúmque etiam magni cuiusdam anni mentionem facit, vnde ad Chaos (quasi beato illi Deo, nam talem fecit Mundum; nihil obesset interitus) recurrant omnia: atque alicubi etiam infiniti temporis meminit iam exacti, tempúsque æui & æternitatis appellat imaginem: cum tamen ibidem, ne vlla in re secum ipse diu consentire videatur, tempus vnà cum cœlo aliquando incœpisse fateatur. Iam verò longum esset commemorare, quot de † prouidentia & administratione Mundi, immo verò, quod iandiu referre oportuerat, de tota conditæ vniuersitatis ratione disseminauit errores. Neque enim affirmare † dubitauit summum opificem non omnes huius Mundi partes, ac rerum genera procreasse, sed potissimas tantùm: imperfectásque interim, quæque ob materiæ defectum ad interitum vergerent, ac malum aliquod turpitudinémque referrent, demandasse iunioribus quibusdam Dijs. Quæ res Manichæis occasionem facilè præbuit duos illos Deos commentandi, quorũ alter bonorum, alter malorum author fuerit & procreator. Atque huc etiam pertinet (si rectè animaduertas) quòd Mundum generat ex intelligentiæ ac Necessitatis coniunctione. Qua etiam in re ita videtur sapientissimus ille Platonis fabricator cum minoribus Dijs quos ad molitionem accersit, permisceri atque occupari, vt facillimè existimes in Hebræorum illorum somnium incidisse, qui Deo Mundum procreanti, Angelos dedere comites atque administros: hoc enim in hominis constitutione, id quòd Triadis desertores moliũtur apud Hebræos) docuisse meridiana luce clariùs est. Ex quo etiam facilè accidere potuit vt Simon, Menander, at-

que

Marginalia (left):

De eluuionibus & exustionibus.

De prouidentia ac tota moliendæ Vniuersitatis ratione.

Marginalia (right):

† In Tim. & al.

† de his vide Dec. 2. l. 2.

† Vide lib. et dec. cit.

† In Tim. Atlan. & in Ciuili.

† In Timæo.

† vide S.Th. p.p. q. 22. a. 3.

† In Timæo.

que alij plurimi, qui vel ab Angelis, vel ab alia quadam virtute (quam illi uocant) à summo Deo seiuncta conditum asseuerarunt Mundum, ex Platone hauserint sui furoris initia. Quod si non semel prædicat Dei prouidentia administrari omnia, in Atlantico tamen statuit Deos inter se partitos esse Mundi regiones, ita vt eam quisque curet, quæ sibi obtigerit, cæteris cæteras derelinquens. Quocirca quemadmodum Anaxagoram† carpit interdum, quòd Vniuersitatis procreatricem Mentem introduxisset, cum tamen deinde ab omni propè cura vacare, atque ocio penè diffluere videretur; ita Platonem coarguere possimus, quòd egregium illum Vniuersitatis opificem ac moderatorem plurima tum procreare, tum gubernare prohibuerit. Age verò quis sine admiratione, aut etiam sine stomacho recensere possit monstrosas opiniones atque decreta, quæ †protulit de humano animo? Primùm enim modò ex diuina Mente docet haustos esse ac delibatos humanos animos: modò ex quibusdam Mundanæ animæ reliquijs in cratere quodam fuisse temperatos: modò ex numeris ad harmoniam compositis esse conflatos. Deinde non solùm ante corpus, sed vel ab ipsius Mundi exordio, simúlque omnes, voluit esse procreatos: ídque in certo quodam ac definito numero. Astris quoque insertos fuisse tradidit, æthereísque vehiculis, ex quibus in hoc corpus tanquam in carcerem detrudantur, vbi non modò amittant rerum præteritarum memoriam, sed etiam quodammodo insaniant. Hinc eos non discere, sed reminisci voluit in hoc corpore, atque ex eodem cum discesserint, in feras, animantésque varias commigrare. Quinetiam in ipso discessu præsentire futura, post discessum etiam miris modis vagari circa sepulchra, idémque contingere illis apud inferos: tametsi eosdem scribat interdum conuexam cœli partem tenere, vbi diuinis spectaculis oblectentur, nectare quoque ambrosiáque perfruantur. Denique (vt alia quædam taceam) non vnam animam voluit esse homini tributam, sed tres, atque eas in disiunctis sedibus constitutas. Quæ omnia cum diuinis literis Christianáque veritate mirificè pugnant. Vt propterea mirandum non sit Tertullianum authorem sanè grauem non modò longas de animo disputationes texere aduersus Platonem, atque innumeros propè errores coarguere, verùm etiam perniciosissimos hæresum fontes in eo demonstrare ac detestari. Quæ cum ita sint, quid mirum si de humano quoque corpore præposterè decreuit tam multa? Etenim hoc primùm existimauit, non à summo opifice perinde atque animus, sed à minoribus Dijs fuisse conditum. Quin negauit uerè esse hominis partem, atque ob id tradidit hominem esse solum animum, ita vt solum animum appellet animal, eundémque definiat animal immortale mortali vtens corpore. Deinde idem planè corpus, quasi uerò non apertissimè pronunciasset à Dijs illis fuisse conflatum, à terra scribit editum: immo verò hominem ipsum esse terra natum. Sed & ne arroganter minùs quàm insulsè errasse videretur, † fusè disputat humanum genus in Attico solo conditum esse primùm, tũ inde in cæteras regiones deriuatum ac propagatum. Vt propterea homines in Attica αὐτόχθονες essent & indigenæ: alibi in-

Marginal notes:

† In Phædone.

† Hæc in Timæo Phæd. et al. sparsim

De animo humano.

De his vide Timæũ, primum Alcib. Axioch. & alia loca multa.

De corpore humano, & homine ipso.

† in Menexeno.

colæ & peregrini. Iam verò commemorare pudet, quæ vsque adeò turpiter de tertio illo hominum genere comminiscitur: quod ex viro & fœmina † permiscuit conflauitque. Nam, vt omittam ibi in diuinam sapientiam, veritatêmque ipsam insolentiùs peccari quàm ferri possit; haud sanè defuerunt ex † Hebræis, qui hunc odorati locum, sacrosanctam Moysis de hominis procreatione historiam, quæ hominem masculum ac fœminam creatum refert, cum Platonicis deliramentis coniunxere: atque Adamum ante fœminæ constitutionem ipsissimum Platonis Androgenum effecere. Huc illud etiam accedit, quod incredibile fortasse videri possit: sed qui Timæum legerit diligenter, intelliget profectò ab eo planissimè tradi: nimirum cæteros animãtes occasione quadam & casu propè esse conditos: vt scilicet qui multandi essent humani animi, detruderentur in eos: ac propterea belluarum animæ (quod horrent piæ aures) erunt humanæ. Atque hinc fit vt dum tam sæpe pro animi immortalitate dimicat, pleræque ratiocinationes non minùs mutarum animantium animas, quàm hominum immortales facere, ac quicquid tandem valeant, in omnibus animalibus valere videantur. Hæc de humano animo déque homine in præsentia. Nam quæ fusè † commemorat circa hominem à Prometheo & Epimetheo gesta, quæ de auro, cæterísque metallis cum hominibus in ortu permistis fingit, quod addit hominem effici Dæmonem, atque hominem præterea Sole, mulierem Terra, Androgenum Luna procreatum esse, hæc sanè atque huiusmodi alia libenter prætermittam, quòd non Philosophorum iudicia, sed delirantium somnia mihi videri soleant. Verùm quid de ijs dicam, quæ in sanctitatis, iustitiæ, vitæ denique ac morum perniciem non scripsit solùm, verùm etiam (si Deo placet) publicè priuatímque seruari iussit? Etenim qua, obsecro, ratione † retineri potest liberorum communitas sine ingenti quadam paternæ charitatis pietatísque offensione ac rerum omnium perturbatione? quis cernere sine indignatione possit sacerdotio fungentes ac rem diuinam obeuntes mulieres? quis cohibere risum, si easdem perspexerit arma tractare atque instruere acies? quis sine pudore aut stomacho eas sustineat nudas, ac cum viris in palæstra exerceri? Nam quod attinet ad fœdissimam illam vxorum communitatem, id sanè præterquam quod incredibilem quandam confusionem pareret, honestatis, iustitiæ, religionis, humanarum denique ac diuinarum legum fundamenta euerteret: hominémque ipsum in belluã quodammodo trãsformaret. Neque verò turpitudine carent ea quibus siue cœlibatum damnat, cœlibésque ipsos multari iubet: siue mulieres prohibet à publicis conuiuijs, quasi magnum piaculum admitteretur, abesse: siue spurios, immo legitimos quoque filios, quantumuis insontes aliquando, vel alimentis priuari, uel amãdari decernit ac relegari: siue mendacium legislatoribus Reipublicaéque moderatoribus ac Principi concedit interdum, atque adeò præcipit vsurpari: siue ægrotis non sine crudelitate interdicit nonnunquam Medicorum præsidijs. At quis possit vnquam sine ingẽti rubore amatoria percensere, quæ tam frequenti usurpatione commemorat? Equidem quàm exigua

illum

† in Conuiuio

† Leo Hebr. & alij quidam.

† non vno in loco.

De his quæ pertinent ad vitam & mores.

† ex libris de Rep.

illum cura attigerit honestatis, is optimè intelligere possit qui uel unam Aristophanis laudationem perlegerit in Conuiuio. Ego enim ne aut pudicas aures offendam, aut in ijs quæ à Christiana pietate ac religione tam apertè abhorrent, nimius esse videar, egregijs viri laudibus, vel grauissimis sanctorum Patrum in eum querelis hoc tempore prætermissis, colophonem imponam, & ad Aristotelem, hoc est Platonis discipulum me conuertam.

Infra in hoc ipso lib. 3. habes distinctè loca omnia in quibus notatur hic Arist. vbi enim examinantur ibi commodũ visum est ea proferre ac recensere.

Qvae scripserit Aristoteles cum Christiana pietate ac veritate pugnãtia.

QVANQVAM quæ aduersus hunc in hanc ipsam sententiam disseruimus in prima disputatione, tot sunt ac tanta, vt præceptorẽ nõ æquasse modò, verùm etiam superasse videatur. Etenim si sapientissimis ijsdémque sanctissimis viris credimus, is est, qui Deo, si non omnium rerum, at certè mortalium administrationem cognitionémque negauit: qui eundem asseruit non liberè ac pro arbitratu agere, sed necessitatis legibus obstrictum esse: quíque simul diuinæ siue virtutis siue sapientiæ sustulit infinitatem. Contra verò ad ordinem redegit eum cum cœlestibus mentibus: certóque globo contorquendo, quasi pistrino, affixit per omnem æternitatem. Vt propterea (si ei credas) non modò definita quadam, eâque angusta sapientia coërceatur, verùm etiam (quod sine scelere ne suspicari quidem possumus) ab hominis ipsius gubernatione omnino vacet. Hinc æternitatem illi cum cœlo, sed quid cœlum dico? immo vero cum elementis fluxisque rebus communem fecit, quas omnes per genera donauit æternitate. Hinc etiam illum ea vi priuauit ac facultate, per quam superaret Naturam, ac nulla subiecta materia aliquid procrearet & moliretur. Ita vt non verus (si rectè reputes) sed fictus & commentitius Vniuersitatis author censendus sit: cum præsertim, si quam tandem vim & efficientiam Aristotelico Deo affingere possit litigiosus defensor, tota motu & lumine, vel certè vno lumine contineatur, quod ciendo primo orbe importat Mundo. Neque verò impietate carent, quæ de beatis illis mentibus (intelligentias appellant Peripatetici) excogitauit atque disseminauit egregius hic Philosophus: quin quot enunciauit de illis, tot fermè in veritatem pietatémque peccauit. Etenim affirmauit eas esse sempiternas, purissimos actus, (iam enim quoniam cum Peripateticis agimus, elegantes quoque illas Peripateticorum uoces interdum excipiamus necesse est) per se, & absolutè necessarias: essentialiter & quoad causalitatẽ subordinatas inuicẽ: mouere cœlestes orbes, ac necessariò mouere: tot esse numero quot cœlestes orbes: propter se ipsas mouere: denique esse omnino immobiles, ac conuexæ sui orbis parti affixas. Cum tamen uera Theologia doceat eas moueri, atque ad Dei imperium, & pro muneris opportunitate relinquere beatas illas sedes: orbes quoque uel nõ mouere, uel si mouent, nihil minus quàm propter se ipsas id efficere: quàmaximo præterea numero contineri: à Deo tantùm pẽdêre omnes, ita vt nullo modo sint inter se essentialiter subordinatæ, aut ratione causæ sibi inuicem subiectæ, sed dignitate ac cognitione quadam. Denique esse non propter se, sed propter Deum, nec necessarias aut æternas, siue etiam purissimos actus, sed liberè, & ab initio temporis fuisse procreatas: esseque in potentia quadam: cum solus Deus sit purissi-

De Deo.

De Intelligentijs, & Dæmonibus.

mus actus, per se, absolutus, necessarius, æternus & perfectissimus. Quid quod energumenos non à Dæmone obsideri, sed potiùs atra bile, ac melancholia iactari voluit Aristoteles? id enim (vt de oraculis diuinis taceam) cum ratione ac sensu ipso vsque adeo pugnat, vt extremæ dementiæ fuerit hoc affirmare. Consimiles præterea suspiciones, seu potiùs errores tum de Mundo disseminauit, tum de animo: de quibus in præsentia quoniam & Patres passim expostulant, & nos non pauca attigimus † supra, nihil attinet dicere. Quare illa potiùs detegam hoc tempore, quæ sunt totius Christianæ pietatis, atque adeò humanæ societatis caput & fundamentũ. Etenim si quid est quod homines, syncerè amplecti debeãt id sanè est veritas, atque honestas: si quid castè ab ijsdem colendum ac tuendum, pietas atque Religio: si quæ spectanda sunt maximè per omnem vitam, hæc sunt malefactorum supplicia, virtutum præmia, beata denique vita: si quid insectandum ac detestandum, tyrannis atque oppressor patriæ. At videamus quàm egregiè id docuerit Peripateticorum Princeps. Etenim cum Oratorem instituerat qui morum probitate, dicendíque virtute hominum cœtus ad iustitiam ac patriæ charitatem incenderet, non veritatis rationem habendam esse voluit ac synceritatis, sed potiùs intuendum quid cuique verisimile videatur: mendaciúmque ipsum, dummodo veritatis speciem habeat, vsurpandum alacriter. Quocirca non anticipatam quandam virtutem ac probitatem requirit in Oratore, sed sermonis artificio effictam ac simulatam. Hinc etiam omnes fallaciarum ac præstigiarum vias eum docet, quibus animi non modò pertentari ac flecti, sed etiam decipi, sed præcipites in omnem fraudem atque errorem dari possint. Inter quæ (vt specimen aliquod extet earum quas excitat perturbationum) dum rationem tradit ac viam, vnde auditores ad inuidentiam compelli possint, quis non videat quàm intolerandum hoc sit, & cum authore suo penitus explodendum? Etenim cum viro bono non dolendum sit sed lætandum potiùs de prospera aliorum fortuna & secundis rebus, inuidentia sanè, quæ ægritudo quædam est ac dolor ex secundis æqualium nostrorum rebus perceptus, nisi in improbum hominem cadere nullo modo potest. Neque verò quisquam mihi obijciat hoc loco Aristotelem cum Nemesi (hanc nos perturbationem, indignationem appellabimus in præsentia) & æmulatione, quæ sine dubio cum virtute coniunctæ sunt, confudisse inuidentiam. Nam fateor equidem sapientes indignationem in virum bonum cadere voluisse: cum per hanc non de secundis bonorum rebus angamur: sed improborum hominum prosperitatem, atque adeo fœlicitatem ægrè feramus, & indignemur. Sat quoque scio posse nos æmulationẽ cum laude sectari atque complecti: cum hinc non aliorum bonis inuideamus: sed quæ in æqualibus bona cernimus, puta animi moderationem aut sapientiam, ea ipsi adipisci cupiamus. Verùm optimè hæc omnia animaduertit Aristoteles, qui in Ethicis † indignationem non cum inuidia permiscuit: sed inter φθόνον *&* ἐπιχαιρεκακίαν *, inter inuidentiam inquam, qua de alienis bonis angimur, & præposte-*

De Mundo & de Animo.

† vide disp. 1

De Veritate, Synceritate.

† lib. 2.

posteram peruersámue lætitiam, vnde de alienis malis lætamur, mediam collocauit. Quin etiam in his ipsis libris de Rhetorica Nemesim ab inuidentia, inuidentiam ab æmulatione tum accuratè distinxit: tum earundem natura, vi, affectionibus discriminibúsue diligenter notatis, & singulas definiuit separatim: & earum excitandarum rationem sigillatim ostendit ac docuit. Vt propterea non modò non confuderit Aristoteles inuidentiam cum Nemesi & æmulatione; verùm etiam doceat eas inter se plurimùm dissidere: atque æmulationem & indignationem bonas & bonorum esse: inuidentiam uerò malam atque malorum. Hoc ueritatis & synceritatis studium in Aristotele. Nam studium honestatis, si ab eo requiri debet qui in omni uitiorum cœno contabuerit, inde ostenditur satis, quòd in nefando amore conniuendum, diuortia permittenda, Comicis turpium actionum imitationem sectandam, obscœnas Deorum imagines retinendas esse voluit; uanissimas ac detestandas Physiognomicorum prædictiones adamauit & coluit. Quid uerò de pietate? pudet me sanè, ac magnopere quidem pudet, huius uesaniam atque impietatem commemorare: sed quoniam ita res postulat, commemorabo. Ergo uel Natura ipsa reclamante, atque adeò perhorrentibus mortalium animis, sanciendum esse voluit filios qui aliqua ex parte mutilati orirentur ac mãci, non educari sed necari: ac ne parentes magno filiorum numero grauarentur, conceptus medicamentis, quæ fœtum impedirent, anteuerti. Seruos etiam supplicijs ad Domini uoluntatem censuit affligendos perinde ac si uitæ, & necis omnino essent domini. Qua in re seruorum puerorúmque carnifex, ac Naturæ hostis censendus esset potiùs, quàm humanæ societatis institutor atque Magister. Sed quid, obsecro, de Religione? Profectò qui uideri uoluit nihil Cœlo, Terra, Maríque non exploratum reliquisse, diuina, humanáque omnia perlustrasse, atque inprimis accuratissimè tractasse quæ ad uitam & mores siue priuatim pertinent, siue publicè, hic est qui de Religione ac Dei cultu, qui humanarum rerum caput est ac uertex, usque adeò oscitanter, laconicè, malitiosè, peruersè, flagitiosè denique ac turpiter egit, ut potiùs impietati Epicuri qui Athenis post eum statim philosophari cœpit, oua fouisse uideatur, quàm religionem ut par erat, retinere uoluisse. Etenim VII. Politicorum libro, cum iam antea statuisset ea sine quibus ciuitas stare nequit, esse alimenta, artes, arma, pecunias, iudicia, ac (ne tanquam Diagoras aut huius similes insanire uideretur, Religionísque crimen subiret: quanquam haud tandem effugere hoc potuit) diuinum cultum, hunc (inquit) sarificium vocant. vbi præterquam quod non nisi stomacho quodam ac quasi in rem ignotam ac plebeiam incidisset, Religionem nominat, unis sacrificijs coërcet Deorum cultum. Sed et statim (si rectè animaduertas) non amplius inter necessaria enumerat huiusmodi cultum, sed πρέπειν, decere, inquam, ait. Denique id munus, etsi omnium grauissimum & religiosissimum, uno propè uerbo ciuibus mandat: ac de cœteris omnibus, quæ fuissent dicenda (ijs tamen exceptis quæ ad ædium structuram, & oraculi

De honestate.

De Pietate.

De Religione.

culi locum pertinent) altum silentium. Quinetiam cum suam illam Rempublicam, vt quamfœlicissimè degat, vel ab ipsis coniugijs ac liberorum procreatione instituat, ac deinde pueros excipiens, totam eorundem viuendi rationem ad annum vsque vicesimum primum prosequatur, mirum est, quàm copiosè minutatimque tradat instituta omnia & exercitationes, (quanquam eas, si me audias, frigidissimas) quibus censet promoueri posse ad virtutem: cum tamen de ijs quæ ad pietatem attinent ac diuinum cultum (id quod tunc maximè oportuit) ne verbum quidem, nisi tamen illud obijcias, quòd iusserit infames illas picturas ac statuas Deorum tolerari, & propter pecuniæ indigentiam templa expilari, ac sacerdotes arceri. Vt minimè mirum videri debeat Religionis denique accusatum in Calcidem profugisse. Verùm quæ pietas, quis cultus, quæ religio præcipi ab illo potuit ac tradi, qui non solùm animi immortalitatem (vt diximus) vocaßet in controuersiam, ac Dei prouidentiam sustulisset, humanarúmque illi rerum denegasset cognitionem, verùm etiam assereret futuræ vitæ siue supplicia, siue præmia ab antiquis fuisse inuenta ad homines in officio continendos, éaque non minùs impiè quàm impudenter in fabulæ haberet loco? Ex quibus omnibus satis superque constare potest, quàm turpiter senserit de futura vita, ac quàm longè à perfecta illa quam tantopere expetimus, fœlicitate aberrarit. Quæ res si expendatur adhuc, inde etiam intelligitur, quòd hominis fœlicitatem in hac tantùm vita (nam idcirco asserebat nos breui, Deum æterno tempore frui fœlicitate) posuit & collocauit: atque ad hanc vnam omnes ingenij sui vires præceptaque retulit. Quanquam quam, obsecro, fœlicitatem in hac vita cernere potuit ille, qui Dei prouidentia sublata, pietatem, Religionem, & cum hac fidem, continentiam, moderationem, omnes denique humanas virtutes tolleret? aut quæ vitæ tranquillitas reperiri aut fingi potuit, vbi excellentissima virtute, iustitia, inquam, deleta, miram vitæ confusionem consequi, humani generis societatem euerti, nullum demum humanitatis vestigium relinqui necesse est? Iam uerò longum esset ea perpendere atque examinare omnia quæ pro tyrannide scripsit: dum uidelicet tam fusè rationem tradidit illius tuendæ ac propagandæ. Etenim uerissimè dici potest usque adeò peccasse hac in re, ut in hoc peccato uno alia propè innumera concluserit: atque unico flagitio ad sexcenta flagitia, éaque turpissima aditum patefecerit. Sed quoniam longum esset, ut dicebam, ea examinare omnia, unum saltem atque alterum illius locum describere visum est, ut de re tota constare possit. Ergo cum monuisset tyrannidem duobus modis iisque inter se contrarijs, conseruari, de priore sic disserebat. † Ad tyrannidem conseruandam oportet sanè viros, qui excellunt, deprimere: magnóque animo præditos interficere, & neque concœnationes permittere, neque sodalitatem, neque disciplinam, neque aliud quippiam huiuscemodi, sed omnia cauere, vnde solent exoriri duo, spiritus magni & fides: & neque ludos literarum, neque alios conuentus sinere coli, in quibus

De præmijs ac supplicijs bonorum & malorum, deque beata vita.

De Tyrannide ac patriæ oppressore.

† li. 5. Polit. c. 11. pr.

bus honesto otio homines fruantur. Cunctaque moliri, è quibus maximè fieri potest, vt cuncti, ne noti quidem inter se sint: cognitio enim facit vt maiorem fidem sibi mutuò habeant. Et peregrinos semper in aperto esse, & versari circa fores. Ita enim minimè clam esse poterit quod agunt, & assuescent humiliter sentire semper seruientes: & alia quæcunque huiuscemodi sunt instituta Persarum, & Barbarorum, accommodata tyrannis sunt. cuncta enim idem valent. Atque eniti non fallere ipsos, quæcunque aliquis dicit, aut facit illorum qui parent ipsis, sed esse exploratores: quales erant fœminæ, quæ Syracusis vocabantur Potagogides. Et Hieron mittebat auscultatores, vbi aliquis esset congressus & conuentus: liberè enim loquuntur illic minus metuentes huiuscemodi homines, ac si liberè loquuti fuerint, minus fallunt. Et criminari committeréque inter se, & amicos cum amicis: & plebem cum nobilibus, & diuites cum diuitibus. Et pauperes reddere, qui parent ipsis institutum tyrannorum, & vt præsidium non alatur: & illis occupatis in quotidiano victu parando, otium non sit ad insidias ipsis struendas. Exemplum autem huius sunt pyramides AEgypti, & quæ Cypselidæ dicarunt diis, & templum quod Olympio Ioui ædificarunt Pisistratidæ: & Polycratis opera, quæ Sami sunt. Cuncta nanque hæc valent idem, otio priuare, & pauperes reddere, qui sub imperio ipsorum sunt. Et collatio pecuniæ: ceu Syracusis. quinque enim annorum spatio, Dionysio dominante, vniuersam rem familiarem contigit collatam esse. Serit etiam bella tyrannus, vt continentibus curis premantur, & opera ducis egeant. Et regnum quidem conseruatur studio amicorum, tyrannorum autem proprium est inprimis, nullam fidem habere amicis, vt volentibus sanè cunctis: his autem solis facultatem habentibus, ipsum delendi. Et illa quæ geruntur à postremo genere status multitudinis, accommodata tyrannis cuncta sunt: & nimia potestas: fœminarum in domibus, vt consilia virorum nota ipsis faciant: & seruorum indulgentia, eadem de causa. Serui enim non insidiantur, neque mulieres tyrannis. Cùm autem bene cum illis agatur, beneuolos necesse est esse tyrannidibus & statibus multitudinis. Populus enim studet esse Monarcha. quare assentator apud vtrosque in pretio est: apud populos quidem, qui loquitur ad voluptatem (hic est enim assentator populi) apud tyrannum autem qui se cum ipsis humiliter gerunt, quod profectò est opus assentationis. Etenim hanc ob causam studiosa est improborum hominum tyrannis. lætitia enim afficiuntur, cum vident sibi aliquos assentari. Hoc autem facere nemo in animum induceret, qui spiritum liberum haberet: sed dili-

gunt

gunt probi viri, vel certè non adulantur: & vtiles ſunt praui ad res prauas. clauus enim clauo, vt in prouerbio eſt. Et nullo mortali delectari, qui grauis ſit & liber, peculiare tyrannorum eſt. talem enim ſe ſolùm tyrannus oportere eſſe putat. Qui autem & ipſe dignitatem tuetur, præbétque ſe liberum hominem, eripit ipſi ſummum honoris locum: & quod proprium tyrannidis eſt, quæ dominari in omni re vult. odio igitur hos habent tanquam diſſoluentes poteſtatem ſuam. Et vocare ad epulas externos potiùs quàm ciues, familiaritérque cum ipſis viuere, eorundem inſtitutum eſt, tanquam hi ſint hoſtes: hi verò minimè aduerſentur ipſis. Hæc & huiuſcemodi cuncta tyrannica ſunt, & conſeruant poteſtatem ipſorum: nihil autem inde prauitatis abeſt. Sunt autem, vt ita loquar, hæc omnia tribus formis contenta. proponit enim ſibi tyrannis tria. Vnum eorum eſt, vt quibus dominatur, verſent animo res tenues. nulli enim parui animi homo inſidiaretur. Alterum autem, inter ipſos nulla fides ſit: non euertitur enim tyrannis, prius quàm aliqui fidere ſibi ipſis cœperint. Qua de cauſa cum probis viris bellum gerunt, vt detrimentoſis ſuæ poteſtati: non ſolùm quia ferre non poſſunt herile imperium, verùm etiam quia fidi ſunt & ſibi ipſis & alijs: nec indicarent, aut ſocios inſidiarum, aut alios. Tertium autem eſt, vt facultate priuati ſint rerum gerendarum. nemo enim attingit quæ fieri non poſſunt. quare neque etiam tyrannidem frangere experitur, niſi facultas ſit. Ad quos igitur terminos rediguntur ſtudia tyrannorum, hi tres ſunt. cuncta enim redigeret aliquis inſtituti ipſorum ad hæc quaſi fundamenta. partim enim ne fidant ſibi ipſis, partim autem ne valeant, partim vt paruos ſpiritus habeant. vnus igitur modus, vnde ſalus exiſtit tyrannis, talis eſt *Hic primus locus in quo tyrannidem eámque duriſſimam ſæuiſſimámque inſtituit. paulò mitiorem tyrannidem, ſed tyrannidem tamen, effingit in loco altero, ubi* Alter (*inquit*) modus fermè ab oppoſito eorum, quæ dicta ſunt, diligentiam adhibet. licet autem percipere ipſum ab interitu regnorum. quemadmodum enim unus modus eſt interitus regni, efficere poteſtatem procliuiorem ad tyrannidem: ſic tyrannidis incolumitas eſt, efficere ipſam magis ſimilem regno, vnum duntaxat ſeruantem, poteſtatem ſcilicet, vt imperium habeat non ſolùm in uolentes, uerùm etiam in nolentes. Qui enim abijcit hoc, abijcit etiam tyrannidem. Sed hoc quidem tanquam ſolum ac fundamentum manere oportet: cætera autem partim facere, partim uideri, ſimulantem regiam perſonam callidè. Primùm igitur videri curæ habere res communes neque pecuniam abſumentem in largitionibus huiuſcemodi, quæ offendunt animos multitudinis: cum ab ipſis capiant, in

offi-

officinis suis asiduis, & minuta mercede accepta magnopere laborantibus: donent autem meretricibus & peregrinis & scœnicis artificibus copiosè. Atque rationem reddentem eorum, quæ accepit, & quæ expendit: quòd sanè iam præstiterunt nonnulli è tyrannis. ita enim aliquis dispensans res, paterfamilias non tyrannus esse videbitur. Non opus est autem metuere, ne aliquando desit pecunia, cum sit dominus ciuitatis. Sed etiam longè à domo degentibus tyrannis hoc prodesset magis, quàm relinquere pecunias, quas antea coëgerint: minus enim custodes tyrannidis insidiabuntur potestati eorum. Sunt autem magis tyrannis peregrinantibus formidandi, qui tuentur dominatum quam ciues: hos nanque vnà secum ducunt, hi verò vicem illorum subeunt. Deinde sumptuosa munera collationésque opus est videri eum cogentem ob Reipub. administrationem, & si aliquando opus fuerit, vt seruiant temporibus belli: demúmque se ostendere custodem ipsarum & quæstorem, vt publicarum, & non vt suarum ac propriarum. Et speciem præ se ferre non difficilis hominis & asperi, sed grauis & seueri. Præterea autem huiuscemodi vt non metuant, qui congrediuntur cum ipso, sed potiùs vereantur. Hoc autem arduum est adipisci, si fuerit contemnendus. quapropter opus est, vt si alijs virtutibus minimè studuerit, ciuili facultati deditus sit, & inserere in animos ciuium huiuscemodi de se opinionem. Ampliùs autem non solùm ipsum perspici neminem ciuem contumelia vexantem, neque puerum, neque virginem, sed etiam nullum familiarium ipsius: eodémque pacto se gerere suas mulieres erga alias. quoniam propter fœminarum etiam cōtumelias multæ tyrannides euersæ sunt. Et quod pertinet ad corporis voluptates, contrarium facere, quàm nunc quidam è tyrannis faciunt. Non enim tantùm statim à mane hoc faciunt, & continenter quidem multos dies, verùm etiam alijs videri volunt hoc gerentes, vt tanquam beatos & Deorum vitam penè consecutos, eos admirentur. Atque inprimis deceret, se moderatè gerere in huiuscemodi rebus: si autem non, intelligi cæteris fugere ac vitare. neque enim facile insidiis captari potest, neque contemptui esse homo sobrius, sed temulentus: neque vigil, sed qui dormit. Contraríumque faciundum est eorum, quæ olim dicta sunt fermè omnium: construere enim & ornare ciuitatem oportet, vt tutorem existentem, & non tyrannum. Adhuc autem, & erga Deos videri semper studium ponentes eximiè. Minus enim metuunt accipere aliquid iniusti pacti ab huiuscemodi, si religiosum existimauerint esse Principem, & curam Deorum gerere. Et minus ipsi insidiantur vt socios habenti, quíque auxilium laturi sint, Deos. decet autem talem videri citra superstitionem. At-

que eos, qui boni ſunt aliqua in re, ſic honorare, vt non arbitrentur ſe vnquam à ſuis ciuibus magis honoratum iri, ſi liberi forent. Et huiuſcemodi honores tribuere ipſum: animaduerſiones autem in eos, qui deliquerint, ab aliis qui poteſtatem eius rei habeant, & à curiis proficiſci. Communis autem cuſtodia omnis imperij vnius, neminem efficere vnum magnum, aut certè plures: ſeruabunt enim ſe mutuò. Quod ſi vnum oportuerit magnum facere, nullo modo, qui ſit ingenio audax. huiuſcemodi enim ingenium indoléſque in omnibus factis eſt prona ad inuadendum. Et ſi viſum fuerit cuiuſpiam poteſtatem diſſoluere, paulatim hoc facere, & non omnem ſimul ei authoritatem eripere. Adhuc autem ab omni contumelia ſibi temperare: præter cæteras autem à duabus, à corporibus cædendis, & flore ætatis dehoneſtando. Maximè autem hanc cautionem adhibere debet in illos, qui ſunt ſtudioſi honoris. ſe nanque parui duci in ſpoliatione bonorum, grauiter ferunt auari: contemptum verò, qui ab ignominia proficiſcitur, non ferunt ambitioſi neque probi viri. Quapropter ſiue huiuſcemodi factis vti non oportet, ſiue verbera videri inflixiſſe more parentum, & minimè ob contemptum. Conſuetudines autem, quæ incurrunt in florentes ætate, amoris cauſa, & non ob poteſtatem; demúmque, quæ ſpeciem habent ignominiæ, redimere maioribus honoribus. Ex ijs, qui inſidiantur corpori vitæque tyrannorum, hi maximè ſunt metuendi, & egent plurima cuſtodia, quicunque non curant tueri vitam, ſi modò cædem patrarint. quare maximè cauere oportet eos, qui exiſtimant contumelia vexatos, aut ſe ipſos, aut eos, qui cura ipſis ſunt. Abiecerunt enim omnem cogitationem ſui, qui ira incenſi inſidiantur: vt Heraclitus etiam ſignificat, arduum eſſe affirmans aduerſus iram præliari: animo nanque emi. Quia autem ciuitates è duabus conſtant partibus, ex hominibus pauperibus & è diuitibus: maximè quidem vtraſque exiſtimare oportet ſalutem accipere à principatu: operáque ipſius fieri, ne mutuò ſibi iniurias faciant: & veri ipſorum firmiores extiterint, hos maximè reddere proprios ſui principatus. Quoniam ſi in rebus ipſius hoc extiterit, non neceſſe erit tyrannum ſeruos liberare, & ciuibus arma demere: ſatis enim erit altera pars poteſtati ipſius adiuncta, vt firmiores ſint illis, qui inſidiantur. Superuacaneum autem eſſet exponere ſingillatim omnia hæc, propoſitum nanque manifeſtum eſt, oportere non tyrannicum, ſed patremfamilias & regalem eſſe videri iis, qui in poteſtate ipſius ſunt: & non extortorem bonorum, ſed tutorem: & vitæ mediocritatem perſequi, non exuperantiam. Adhuc

autem

autem consuetudine conciliare sibi claros viros: multitudini autem blandiri. *Sic de tyrannide disputat egregius iste Politiæ Magister, qui suos ciues ad fœlicitatem informandos, ac beatam illis publicæ vitæ rationem commonstrandam susceperat. Hæc habui, quæ breuiter afferrem aduersus Aristotelem. Tametsi non pauca addenda essent ex Patribus, quæ superioribus sunt affinia.*

ETENIM *Iustinus Martyr (vt ab illo exordiar) cum in Adhortatorio ad gentes, & in omnibus propè libris passim reprehendit eum tanquam veræ religionis aduersarium, tum inprimis integro libro plurima illius decreta refellit. Nam pleraque ab eo de materia, déque priuatione illa sua, ac de forma etiam enunciata idcirco damnat, quòd nihil minus quàm rerum initia dicenda sint: ac præsertim quia dum summum rerum authorem Deum (qui vbi de principijs agitur & causis, dilucidus esse debet ac certus) aut incertum relinquit, aut prætermittit, cætera omnia rerum initia omnino superuacanea videri debent. Hinc Aristoteleæ Naturæ efficientiam, quòd re ipsa diuinam ille efficientiam contempserit, contemnit. Fortunam quoque & causam quippequæ cum primis & secundis causis, Mente scilicet & Natura, ab eo confundantur, affirmat inconsultè ac temerè statui. Temporis præterea & motus, ortus & interitus, Cœli ac Mundi infinitatem detestatur. quinetiam explodit cœli naturam & attributiones: prosternit ratiocinationes atque adeò machinas, quibus nititur Mundi firmare æternitatem: tuetur à nulla Mente impelli cœlum, sed suopte nutu ac natura ferri: ac proinde primum motorem (quem Peripatetici vocant) immo Mentes omnes quotquot cœlestia corpora ciere voluit, hoc nomine superfluas esse. decretum improbat quo ille tradit, nisi vnicum Mundum à Deo condi non potuisse. sempiternitate item cœli ac siderum clamat rerum ordinem & prouidentiam tolli, atque alia id genus redarguit multa, quæ quoniam ad alios mea festinat oratio, libenter prætermitto: eóque magis quòd (vt eiusdem doctissimi Martyris verbis vtar) facilè intelligi possit, eum qui turpiter in rerum initijs peccauit, protinus lapsum esse ignoratione eorum quæ à principijs consequuntur. Occurrit autem post Iustinum Tertullianus, qui præter ea quæ iam antea memini fuisse ab illo conscripta in Aristotelem, diuinationem in somnijs, quam hunc affirmat non omnino repudiasse, tanquam merum somnium repudiat: atque idcirco etiam cum duas portas somnijs tribuisset Homerus, veritatis corneam, falsitatis eburneam, maiore sententiam mendacio recitasse ait, agnouisse tamen verum. Eundem sentit cum alia multa peccasse de animo, tum verò quòd vel hæsitarit, vel certè ad mortalitatem magnopere propenderit. Denique (vt summatim dicam) vbi de re Christiana agitur, omnino exulare iubet Aristotelem, & quamlongissimè exulare. Neque verò aliter sensit Ambrosius, qui non modò censuit Aristotelem (id quod iam antea obseruauimus) turpiter sensisse de diuina efficientia, & prouidentia, temerè de Mundi initijs & æternitate, arroganter de cœli astrorúmque materia,*

Confirmantur allata argumẽta, atque alia quædam adducũtur ex Patribus: nimirum Ex Iustino.

Tertulliano.

Ambrosio.

Nazianzeno.

ria, abiectè de humano animo, ac de futura vita, verùm etiam de voluptate, déque externis bonis præpostere philosophatum esse. De Nazianzeno autem nihil attinet dicere, cum enim (vt ab initio dicere cœperam) ipse etiam à Deo incipiens, atque ad primam vsque materiam deueniens, varia in eo decreta reprehendat, quin & Aristoteleum disserendi artificium, calliditatémque criminetur, quid, quæso, superesse aliud videbatur, nisi vt eundem quasi impium ac propè atheum damnaret? Quanquam cum asserat Nazianzenus Aristotelem scidisse prouidentiam, ac de beata † vita scripsisse abiectè, quin humanum animum fecisse mortalem, non video cur non eodem tempore impietatis notas in eum congesserit, ac simul (quoniam Deum propè cæcum fingit, ac diuinitate ipsa exuit) in atheorum propè numerum reuocarit. Sed dies me deficiat, si ea omnia percensere velim, quæ ab Origene, Hieronymo, Chrysostomo, sexcentis denique alijs Aristoteli impietatis nomine obijciuntur. Quamobrem vt dicendi finem faciam, tantùm addam eos à quibus Philosophi Ægyptiorum plagæ dicti sunt, quod attinet ad egregios illos Academicorum & Peripateticorum Principes, nihil propè veriùs atque accommodatiùs proferre potuisse. HAEC contra Platonis & Aristotelis Philosophiam in proposita controuersia. NVNC contrarias rationes (id enim secundo loco proposuimus) aggrediamur, atque ab ijs ordiamur quæ fauent antiquiori.

† Epist. 58.

Quæ apud Platonem cũ Christiana religione pugnent.

De Deo.

ET SANE incredibile est quàm casta illustriaque decreta, quàm admirabiles ac planè diuinas sententias de Deo tulerit Plato. Etenim innumera propè sunt loca, in quibus fatetur ac celebrat admirabilem quæque nullis verbis efferri possit Dei sapientiam, probitatem, potentiam, pulchritudinem, iustitiam, cæterásque huiusmodi, quas sacri Theologi vocant & in Deo statuunt perfectiones. Immo verò apertè docet Deum esse ipsam sapientiam, pulchritudinem, bonitatem, ac reliqua quæ recensebam omnia, haécque summa cum naturæ simplicitate consistere. Eundem facit perturbationum, affectionúmque expertem, immutabilem, Vniuersitatis authorem, bonorum omnium causam, rerum omnium mensuram, earundémque finem, initium & medium, causarúmque omnium principem, immo authorem, ac propterea vnicam causam & singularem. Quinetiam affirmat cuncta quantumuis exigua, & infinita intimè à Deo attingi, cognosci, & gubernari: eundem preces ac vota audire: præcipuo amore prosequi hominem, largitum esse ac largiri indies quæcunque habemus bona: scelerum esse uindicem, ac bonorum malorúmque iudicatorem: omniaque dirigere ad perfectum finem. Idem ex Platone continet res omnes in seipso miro quodam modo, quíque nulla oratione explicari potest. Est veritatis, sapientiæ, vitæ, Idearúmque fons, seipso perfectus atque beatus. Denique vix fortasse aliquid ex Theologorum Scholis proferas ex ijs quæ augustissimam illam diuinámque naturam contemplantibus humanæ intelligentiæ præsidijs vestigari atque attingi possunt, quod non ingenuè Plato, constantérque de ea prædicarit. Immo verò animi

quoque

quoque aciem quoquo modo extulisse visus est ad nonnulla eorum quæ nos non nisi diuino lumine illustrati percepimus. Nam & eorum quæ non sunt principem appellat eum: & præter opificem Deum ac Mentem omnium procreatricem, Verbum diuinissimum (siue hoc sit id ipsum quod Mens illa procreatrix, siue differant: de hoc enim alias) introducit ad res mundanas constituendas; ac quod non sine stupore maximo ante Christum natum ab Ethnico eóque inter densissimas errorum superstitionúmque tenebras educato audiri potest, tum Deum omnium rerum Principem & causam, tum eius causæ patrem Dominum fatetur ac celebrat. Sed & parem admirationem affert triplex ille rerum siue Rex, siue causa, quam profert: nam quicquid tandē sibi velit (de hoc enim alias) profectò de diuina natura hæc tradit. Nam si verè quod authores grauissimi memoriæ prodiderunt, futuram Verbi incarnationem atque œconomiam non ignorauit (de hoc enim nisi locis in quibus isti nituntur, diligenter examinatis, statuere nihil ausim inpræsentia) præclara sanè commendatione ac præconio dignus est. Nec sanè aut nulla aut exigua tribuenda est laus Platoni nostro dum de Dæmonibus verba facit: nam præterquam quod eos constanti assertione retinet ac tuetur, multa de ijs pronunciat, quæ mirificè cum Christiana veritate consentiunt. Etenim si Græcorum more Dæmonis nomen quod apud nos inuidiosum est, tantisper in bonam partem acceperis, hæc profectò inter cætera inuenies literis cōsignata. Dæmones mira quadam sapientia & sanctitate præditos esse: depellere mala ab hominibus, atque eorundem esse custodes firmissimos, quin hominibus singulis singulos Dæmones in custodiæ ac tutelæ loco esse attributos: ab ijsdem animos hinc decedentes ad iudicium perduci: sub aspectum quidem non cadere, licet nobis adsint: sed tamen perspicuos nobis fieri cum uolunt: esse Dei & hominum internuncios, ac propterea precibus honoribúsque prosequendos vt fausta nobis sit eorum legatio: probos homines amplecti eximio quodam amore, improbos verò (nam id quoque cum veritate coniungi potest) odisse: sibi inuicem patefacere mysteria: celerrimo motu siue in cœlestem siue in terrenam regionem ferri: præsto esse tum vigilantibus tum dormientibus, eósque alloqui ac commonere. & alia id genus quædam. Neque verò minor ei debetur laus dum de Mundo philosophatur: siue enim huius decreta cum cæterorum Philosophorum monumentis, siue cum diuinis literis conferas, inuenies profectò ex Ethnicis ad Christianam fidem ac veritatē propiùs accessisse neminem: ac vel ob id unum Attici Mosis nomen (si tamen eo dignare Ethnicum fas est) iustissimè meruisse. Quamobrem apud eum statim Mundum & à Deo, & in tempore, & boni causa, & liberè, & perfectum audies conditum, atque in eodem tandem hominem dominum collocatum: quæ sunt Mosis dogmata germanissima. Quinetiam triplex illud molientis Dei opus, quod in Moyse sapientissimi Patres agnoscunt, à Platone non neglectum, immo mirificè custoditum fuisse animaduertes. Etenim informem Mundi molem siue elementa ac materiam creat primùm (quanquam hoc non vno eodémque loco, neque ita

De Dæmonibus.

De Mundo.

per-

perspicuè Plato) tū distinguit, denique exornat vterque. vterque etiam sic Mundi fabricationem exponit, vt illū iam iam ex opificis quasi manibus fictum proferre videatur. vterque etiam propter admirabilem rerum ordinē ac seriem quæ cum Natura conuenit, Naturam instituit et condit: vterque demum tum puris Mētibus prætermissis, tum diuinæ naturæ siue opificis tractatione, corporata, éaque per Naturæ gradus ponit ante oculos à generalibus inchoans. Quod si Plato Mundum efficit singularem, omnibúsque rerum vel gradibus vel generibus complet; quin passim refert conditum esse ad pulcherrimæ cuiusdam Ideæ exemplum, quòd ab omni æternitate gestauerat in mente opifex, Scholasticos patres consule de rerum creatione subtiliùs disserentes, atque id etiam sentias Platoni cum Moyse esse commune. Quid plura? Tradunt sacræ literæ Deum, etsi amore adductus bonitatísque communicandæ studio condiderit Mundum, atque in eo hominem collocarit dominum, omnia tamen propter seipsum condidisse. sed & illud addunt, fuisse quidem totius Vniuersitatis authorem ac molitorem, sed tamen Filium & Patris artem, immo & Vniuersitatis artificem peculiari quadam ratione appellant. At hæc ipsa disertis verbis & fatetur & prædicat Plato: qui tametsi in Timæo instar Mosis passim doceat Deum omnia molitum esse per genera: ídque amore ductum, ac bonitatis communicandæ causa, atque hominem interim mortalis huius Mundi Principem ac Dominum pronunciet constitutum, verumtamen opificis gratia testatur esse omnia, eádémque à Filio esse profecta. Iam verò si per res creatas liberet euagari, & in generibus singulis spectare summum illius ingenium ac sapientiam, mira sunt quæ de beatarum mentium domicilijs, mira quæ de earum ordinibus, varietate & effectibus, mira quæ de homine ac primæuo illius statu & fœlicitate occurrerent ex Platone. quæ etiam priscam illam veritatem redolent quammirificè, ac Christianum incredibiliter delectare, interdúmque etiam iuuare possunt. Sed de his atque alijs id genus suo loco. Ego enim interim pauca quædam de immortali animo, de vita & moribus, déque beata vita, attingam breuiter: nam dum quærimus an Platonis doctrina cum pietate consentiat, id maximè instituto nostro accommodatum est. Ergo quod interest ad humanum animum, vix profectò explicari vnquam posset, quàm eximius fuerit illius immortalitatis assertor ac propugnator. Nam quemadmodum animi immortalitas non pietatis solùm ac religionis, sed etiam iustitiæ vniuersæ, ac totius humanæ societatis est præsidium ac fundamentum, ita nihil aut frequentiùs inculcatum, aut altiùs exaggeratum legitur in eius libris. Hinc etiam Socratem agnosces apud illum vitiorum vituperatorem acerrimum, virtutum laudatorem maximum, honestatis denique & integritatis supra quàm dici possit cupidissimum. Verè enim nullo vitio aut laborare, aut sibi, Reipublicaéque perniciem afferre sensit mortales illos, cui ipse (vt mira homines charitate & beneuolentia complectebatur) suis concertationibus (quas deinde Platonis eloquentia veluti purpura vestitas, ac pro dialogorum more exornatas legimus) opem ferre non cona-

De animi immortalitate.

De vita & moribus.

tonaretur. Qua etiam in re eò fuit admirabilior, quòd malorum omnium fontes, auaritiam, ambitionem φιλαυτίαν denique ipsam ac turpes cupiditates appetijt semper suis telis, (atque hæc maximè fuit causa cur Sophistas, hoc est fastosum hominum genus, atque ad corrumpendos adolescentes natum, perstrinxerit tam libenter) & ad diuitiarum, gloriæ, illecebrarúmque omnium despicientiam, atque adeò sui ipsius contemptum hortabatur ferè perpetuò. Quocirca (si me audias) de vita & moribus supra quàm credi possit de Ethnico, fœliciter sapienterque disputauit. cum præsertim dum ciues suos à torpore ac veterno illo excitare niteretur, beatam illis vitam, cuius inquisitor summus fuit ac laudator, quibus posset modis ante oculos ponere, atque à fluxis huius vitæ voluptatibus ad sempiternas allicere atque inflammare niteretur. Quid plura? eò processit noster Plato, vt si Clementi Alexandrino, Iustino, ac nonnullis aliis, inprimis verò Eusebio Cæsariensi fidem habeamus, non solùm de Deo trino & vno (id quod retulimus supra) nobiscum sentire visus sit, verùm etiam de primorum hominum ortu ac statu, de Mundi siue eluuione, siue futuro excidio, ac mutatione: de resurrectione corporum & generali iudicio, de finibus bonorum & malorum, ac de vniuerso alterius vitæ statu déque huiusmodi aliјs, quæ recensere longum esset, a Christiana veritate non discrepet. Quæ omnia quoniam iustissimum volumen exigerent, suis quæque locis, Deo bene iuuante, explicabuntur. Interim progrediar ad contraria argumenta diluenda: si enim hos veluti scopulos tandem aliquando superauerimus, facilis nobis aditus non dicam ad portum, sed ad opportunam aliquam stationem patebit in suscepta nauigatione.

De beata vita.

Ad argumenta allata contra Platonem.

Ergo vsurpauit sæpe nomina illorum Deorum, inueteratam patriæ, ac Græcorum omnium secutus consuetudinem, cui (vt egregiè disserit † B. Chrysostomus) haud satis valebat repugnare. Quid enim faceret Ethnicus, qui non modò Philosophorum Poëtarumque monumentis, sed omnium propè gentium sermone atque decretis (vsque adeo inualuerat idolatria) id videret tritum & confirmatum? cum præsertim his omnibus accederet legum religionísque pondus: vrgerêntque exempla multorum, qui cum Atheniensium religioni haud ita facilè assentirent, exilio suppliciísque affecti fuerant. inter quos recens erat Socratis exemplum, qui cum patrios Deos negare diceretur, cicuta sublatus est. Quanquam non idcirco destitit Plato, quominus vanissimam illam cateruā Deorum patriámque superstitionē tectè repudians, ијs qui acutè cernerent, sententiam proderet suam. Nam primò cum moneret † ex suis epistolis serias quidem Deum, vulgares autem, Deos habere ad initium, satis indicauit vnū se Deum censere, non multos. Atque hoc ipsum (si de propositæ Epistolæ authoritate dubites) est quòd in Timæo tacitè indicauit dum opificem ac patrem Mundi assereret in vulgus haud prædicandū esse: quod Dionysio etiam confirmauit, cui cum de diuina natura quærenti responderet Εὐλαβοῦ (aiebat) μή ποτε ἐκπέσῃ ταῦτα εἰς ἀνθρώπους ἀπαιδεύτους, σχεδὸν γὰρ, ὥς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐκ ἔστι τούτων πρὸς τοὺς πολλοὺς καταγελαστότερα ἀκούσματα.

† Hom. 7. in c. 1. epist. ad Cor.

De Deo, Dæmonibus, ac cœlestib⁹ Dijs.

† vide Theodor. lib. 2. de cur. græc. aff.

Caue

Caue ne hæc tibi vnquam excidant apud homines imperitos ac rudes: nihil est enim, mea quidem sententia, quod uulgo magis ridiculum, ingenuis magis admirabile diuinúmque videatur. *Deinde in Timæo Saturnum, Iouem, cæteráque monstra illa in Dæmonum classem (hanc autem inter diuinam & humanam medium tenere locum docet passim) non reuocat solùm, verùm etiam, si acutiùs cernas, ab ipso arcet Dæmonum ordine: disertè enim tradit Athenienses, qui eos in Dæmonum loco haberent, nec firmas nec probabiles rationes habuisse, quibus id confirmarent. Quæ sanè res quoniam non sine aperto capitis periculo exponi poterat clariùs, apud æquum æstimatorem satis declarat Atheniensium Deos siue Dæmones ab eo improbari. Sed & sæpissimè vnius Dei (quod non est negligendum) mentionem facit: ídque non secus ac si esset singularis: nam curatorem nostrum Deum esse ait, eundem inuocandum ad Ciuitatis constitutionem, quippequi nostras preces audiat, gubernétque omnia. Hinc in gerendis rebus* Ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ *SI DEO libuerit, præfandum monuit, & huiusmodi scripsit alia quæ sunt penè innumera. Quare in Timæo (id quod rem continet maximè) vbi agit de ortu & constitutione Vniuersitatis, huius authorem & molitorem facit singularem: huícque uni tribuit summam probitatem, sapientiam, uirtutem, atque huiusmodi alia. Quinetiam docet eundem esse conditorem reliquorum omnium siue Deorum siue Dæmonum, atque ab illo tanquam à summa immortalique causa pendêre. Denique vt nos sanctis viris, quos tamen infinito interstitio seiungimus à Deo, Diui nomen impertiri solemus, tametsi tale nomen (si notionem voci subiectam spectes) sit Dei proprium; ità fermè Plato Deos appellauit cælestes illas mentes: cum tamen (quod pertinet ad naturam) nihil attribueret illis cum Deo commune, & ideò non modò vnum statuit Mundi authorem, sed eundem Idearum omnium fontem, ac supra ens & bonum constituit, Monadem appellat, seipso perfectum, aliísque titulis ornat, à quibus longissimè arcet cæteros. Vt propterea nihil præter merum nomen reliquerit † reliquis illis Dijs. Atque hinc etiam intelligitur quæ tandem fuerit eius sententia, dum astra & cœlestia corpora donauit diuinitate: nam nomine errauit quidem: re tamen leuissimè à nobis dissensit. Constanter enim asseruit fuisse à summo opifice condita & ex mortali materia condita, ac proinde corporata, & interitui, quantum in illis est, exposita, naturalique motioni subiecta. Quibus omnibus efficitur ut non modò infinito interuallo seiungantur à Dei natura & perfectione, verùm etiam ne entis quidem nomen obtineant apud Platonem, quippequi (vt patebit in Timæo) res corporeas entis imagines potiùs atque vmbras reputat quàm vera entia. Tolle igitur nomen, ac nullus supererit offensionis locus. At animata fecit ea, & hoc nomine diuina animalia appellari iussit. Esto, Sed quid inde? Nam primò dum animata censet illa, haud negat esse corporata & aspectabilia: ac propterea, quoniam adhuc erunt entis imagines, speciosum illud diuinitatis nomen merus titulus erit, ac vana res. Deinde dum*

† Plura vide l. 2. dec. 2. vbi disputatur Platonis Deum vnicũ esse & singularem.

à vulgo

à vulgo Dij crederentur, non tam curandum fuit aut disserendum de nomine quàm de natura ipsa, haécque à diuina dissocianda atque exterminanda. Certè eximius idémque sanctissimus Doctor † Chrysostomus, edisserens illud Psaltis, † Quis similis tui in Diis Domine? (huius autem exempli sunt alia quoque loca) consimili ratione excusat diuinum Prophetam, quòd visus esset Deum verum cum Dijs falsis comparare. Ad extremum, si concedamus, id quod quidam Patres faciunt; Angelos mouere cœlestia corpora, sine dubio assistentes (quas vocant) cœli formæ erunt, motricésue animæ: at hoc maximè est, quod sibi voluit Plato dum diuinas illas mẽtes motionem impertiri voluit cœlestibus corporibus: haud enim aliter quàm cum naui nautam, licet indissolubili vinculo, eas cum cælestibus globis consociare visus est. Quamobrem, vt dicebam, solo nomine dissidemus. Quin ne nomine quidem dissidemus, si res spectetur intimiùs: nam cum sæpe Angeli in diuinis literis dicantur אלהים elohim quod nomen & Deos significat, & (si meram vocem attendamus † Apostolo ipso teste, est Angelis cum Deo commune) discrimen superest nullum. Idem statue tum de Dijs illis tutelaribus, tum de terrestribus, quicunque tandem ij essent, tum de elementis, quibus nihil minus quàm veram diuinitatem ascripsit. Quod si quandoque ignem ac cætera elementa Vulcani nomine ac Numinis instar vsurpauit, id sanè Græcorum more fecit, quòd poëtica ornamenta illa ad dialogorum festiuitatem ac splendorem attinere viderentur. Nam alioquin in Timæo vbi seriò agitur, elementa subiecit molitori Vniuersitatis non secus ac figulo lutũ: eadémque decoris ex se omnis fecit expertia, vnóque tantũ gradu ab prima materia quam turpitudinem appellat, distantem: tantum abest vt illis concesserit diuinitatem. Denique quibus Dijs, nisi iam antea dictis, compleuerit elementa, non satis video: nisi fortasse alios † Dæmones habuit, qui siue aërem siue aliquam Mundi partem incolerent: ac modò delitescerent, modò aspectabiles fierent: quod tamen cum Christiana veritate minimè pugnat. Vt propterea hac in re abfuerit longiùs ab AEgyptiorũ superstitione, qui vel cepas alliaque in Deorum loco venerarentur. Neque enim Saturnum, Iouem, cœteróśque illos egregios Deos à calumnijs vindicauit, quòd eorum nomen sacrosanctum haberi vellet, sed quòd diuinam naturam, (id quod in Politicis libris † declarauit satis) cuperet augustam esse apud omnes, ac vel leuissimæ labis suspicione carere. Quod si Iouem ipsum, immo & AEsculapiũ, Apollinem, ac consimilia illa monstra, quæ leto proximus cum dignitate quadã vsurpare videtur, spernenda non censuit, spernantur huiusmodi dicta ac facta omnia: sintque superstitiosa, impia, sacrilega, detestanda. Quáquam quod attinet ad gallũ quem Aesculapio reddi iubet, commodè videtur accipi posse. Erat enim gallus apud veteres pauoris symbolum: & propterea cum forti excelsóque animo subiret mortem Socrates, fortasse AEscul pio quem cæteri solerent leniendo dolori ac metui optare præsentem, reddi voluit gallum: vt iudicibus Atheniensibúsque omnibus constantia sua esset testatior. Denique id ac reliqua quæ

† Orat. 2. contra Iudæos.
† ps. 85.
† Heb. c. 2.
† in Epinomide.
† li. 2. et 10.

dicebamus, forte non religionis causa, sed populariter ac de more gentis, aut etiam non sine contemptu aliquo eius religionis efferuntur. nam dum per canem iurat, non tãtum fœdissimo illi Ægyptiorum Deo tribuere videtur, quãtum Ioui quem ex æquo attestatur, detrahere. nam certè acerrimus Philosophorum insectator † Tertullianus, Socratem in Deorum contumeliam quercum, hircum, canem denique deierasse contendit. Hæc de diuina natura. Nam de Socratis Dæmone nihil est statuendum inpræsentia: sed quoniam res longiorem conquisitionem postulat, opportuniori loco reseruanda est: cum præsertim apud Iustinum, Chrysostomũ, aliósque nonnullos ita benè audiant hac in re Socrates & Plato, vt non suspecta atque iniuriosa videri debeat nostra dilatio. Quæ verò pertinent ad Mundum, haud ita sanè dissidentibus inter se opinionibus inuoluta sunt & portentis, quemadmodum obijciebatur. nam primò Mundũ ex Platonis sententia, certo temporis initio fuisse conditum non secus ac diuinæ literæ testantur, apud me certum atque exploratum est: idque demõstrabitur † suo loco. Deinde si materiam subijcit rerum molitori, id sanè Christiani quoque Patres faciunt, qui docent materiam fuisse quidem procreatam nulla alia materia subiecta, sed res deinde omnes per genera ex ea materia conflatas & constitutas esse. Quinetiam id nõ ex patribus solùm, sed ex diuinismet oraculis perspicuè satis intelligitur: nam & abyssus tecta tenebris, ac terra illa, quæ primùm dicitur fuisse inanis & vacua, cúmque aquis permista & confusa, est ea ipsa congeries, quã siue Chaos, siue confusa ac temerè iactata elementa, siue ὕλην, informémque materiam appellat Plato, ita vt Chaos non re solùm primæ materiæ respondeat (nam idcirco etiam Rabbini inanẽ terram illam vocant חומר הראשון *chomar hariscon, id est materiã primam) sed fortasse etiam ab ea ipsa Mosis voce* תהו *thou (vt viri † quidam docti coniectant) profecta sit. Quamobrem si rerum corporearũ materiam ex Platonis sententia à Deo creatam esse ostẽderimus, dubitatio supererit nulla. Nam si te illud permoueat adhuc, quòd videatur Plato materiã illam diu multúmque iactatam & incompositam posuisse, antequam ab opifice in ordinem redigeretur & exornaretur; cum sacræ literæ ex ea statim res mundanas per genera constitutas fuisse tradant, id sanè examinabitur suo loco. Denique dum Mundum animantem facit, húncque beatum & sapientissimũ, non statim impietatis debet insimulari. Neque enim quicquid falsum est, id impium esse volumus in Ethnicorum decretis, sed quod derogat de humana pietate, dêque diuina dignitate. Quanquam neque falsitatis omnino coargui potest: nam si Mundo aliquam Mentem à corpore abstractam et seiugatam perinde ac singulis cœlestibus orbibus attribuit pro anima, atque hãc non nisi à Deo beatam effici voluit, vt certè voluit, vix ac ne vix quidem habeas vnde eum reprehendas: nisi eodem tẽpore damnandos censeas non modò Peripateticos ac Stoicos omnes, verùm etiam viros † sanctissimos qui de Angelis talia quædam tradidere. Sed quia reclamabit fortasse aliquis quòd hæc anima ex Platone, non motionẽ solùm, verùm etiam vitam tribuat Mundo, ac propterea nõ modò sit assistens (quam appellant) sed*

De Mundo.

† *Tert. in Apol.*

† *Vide dec. 2. lib. 1. & 2.*

† *Vide Steuc. Cosmop. in c. 1. Genes. & al.*

† *Dion. lib. de cæl. hier. S. Th. 2. contra Gen. c. 70. & al. Aug. dubitat. & alij de quibus proprio loco.*

ſed etiam informans:quin addet toti corporeo Mundo Angelum ex patribus fortaſſe attribuiſſe neminẽ; id profectò non eſt huius loci:nam interim ſat nobis eſſe debet Platonẽ,ſi non falſitatis,impietatis certè culpa vacare. Ingens autem annorum illorũ numerus (ſi nonnullos audias)non eſt quod nos magnopere commoueat:nam cõmodè videtur poſſe cum Chriſtiana veritate coniungi:ita nimirum vt anni illi longè breuiores quàm noſtri fuerint:nam† Xenophon(vt de Plutarcho,Plinio,Eudoxo,& alijs multis taceam) Annus (*inquit*) diuerſus eſt. Etenim ipſi AEgyptij vtuntur anno quandoque menſtruo:ſæpe bimeſtri:non raro trimeſtri:ſæpe quadrimeſtri,nonnunquam ſolari. *vbi etiam(quod rei noſtræ maximè intereſt)ſtatim ſubdidit,* Quæ varietas etiam ex noſtris, qui ab eis literas habuerunt, ſapientes coëgit aberrare. *Quo in loco non difficilè crediderim Platonem, ac (quem hac in re ſecutus eſt idem Plato) Solonẽ ab illo ſignificari, cum inter Græcos qui ſapientia floruerunt,iſti maximè ab AEgyptijs didiciſſent. Generalẽ uero Mũdi eluuionẽ(ſi Euſebio, atque alijs quibuſdã credimus(haud ignoraſſe videtur Plato:ſed potiùs cum Deucalionea(id quod inter Ethnicos fecere non pauci)confudit eam: nã quæ de Pyrrha & Deucalione(horum enim eluuionẽ refert in Timæo) déque humano genere per eos excitato dicuntur, Noëticum diluuium referunt. Quamobrem dum ait AEgyptum non fuiſſe huiuſmodi calamitatibus obnoxiã, voluit potiùs Solonis hiſtoriam, AEgyptiíque illius ſacerdotis dicta fideliter referre,quàm iudicium interponere(neque enim videbatur eius temporis)aut ſententiam afferre ſuam. Quanquã quæ attinent ad Platonicas eluuiones exuſtionéſque,& ad ingẽtem illum annorum numerum,immo ad magnum quoque annum, ac totam temporum rationem, expẽdemus paulò ſubtiliùs † ſuo loco. Vbi profectò niſi conſtãti ratione cõciliari poterunt cũ Chriſtiana veritate,libenter* Platonẽ *argui patiar: neque enim idcirco à præclari authoris lectione abſtinendũ nobis erit, quod illũ alicubi antiquitatis ignoratione, aut lapſum eſſe videamus,aut minùs ſibi conſtare. De Prouidentia verò ac rerũ omniũ adminiſtratione,déque tota conditæ Vniuerſitatis œconomia & ratione quàm egregiè philoſophatus ſit Plato iam ſatis conſtare poteſt ex dictis. Quare dũ deos illos à ſummo opifice procreatos,eiuſdem opificis iuſſu mortalẽ hominis partem attexere voluit immortali, excuſandus eſt potiùs atque adeo laudandus quàm vituperandus.nã hac in re,ſicut in tractatione illa vniuerſa, id ſpectauit maximè vt cum diuini artificis dignitate quantum fieri poſſet congrueret oratio. Quamobrẽ ut Deus inpræſentia ſecundis cauſis vtitur tanquam adminiſtris in rerũ mortalium cõſtitutione,ita rationi conſentaneũ videri poterat, vt iiſdẽ cauſis,à ſe tamen ab exordio Mundi procreatis,vteretur ad éadẽ conflanda et molienda,quæ ex caduca materia generantur:nam quẽadmodum modò inſtaurat,ita tũc inſtituebat rerũ genera ac naturã ipſam. Et idcirco in molitione hominis,cũ Plato mortalis tãtùm partis effectioni adhiberet miniſtros illos,atque ij non niſi ad imperium opificis,atque ex caduca vilique materia conflarẽt corpus,nihil uidebatur detrahi de ſummi illius arti*

Margin notes:

De ratione tẽporum.

† in hiſtor. fragm.

De Eluuionibus & exuſtionibus.

† Vide lib. 8. com. 10. vbi de his fusè.

De Prouidentia ac tota Mũdi conſtituendi ratione.

ficis dignitate. Quod si Deus nihilominus hominem, hoc est eum quem immortalitate quoque corporis donare, ac sua imagine ornare instituerat, suis quoque manibus (vt sanctissimus loquitur Iob) plasmare voluit, atque in hoc longè splendidiùs (quod Platonem latuit) artificis enituit non beneficientia solùm, sed & sapientia & dignitas, quid est cur hac de causa illum non dicam erroris, (nam errauit; fateor) sed impietatis nomine criminemur? Quod si etiam Hebræorum sententiam visus est amplecti, qui ne ex Moysis verbis hominis creationem enarrantis Triadem diuinissimam fateri cogantur, Deum cum Angelis locutum esse pugnant, longè tolerabilior est Plato quàm Hebræi illi. Plato enim nullam creandi vim tribuit administris illis, nam ex elementis apud illum conflarunt humanum corpus: Hebræi in creatione ipsa Angelos attribuunt Deo socios. Apud Platonem Deus summa cum potestate imperat illis vt mortale conflent corpus: Hebræi nullum planè imperium exprimunt, sed potiùs sapientiæ ac potestatis æqualitatem (ex æquo enim deliberatur) admittere coguntur. Plato denique tradit huiusmodi administros vnam mortalem partem attigisse, atque vni Deo immortalis concedit effectionem: illi Angelos immortali quoque adhibent absurdissimè. Quare ab Ethnico hac etiam in re abesse debet impietatis crimen; tantum abest ut vel in illud Hebræorum somnium verè inciderit, vel furoris materiam Menandro cæterísque hæreticis illis ministrarit, qui nescio quas virtutes rerũ procreationi præficientes, impudentissimè negarunt Deum Mundi fuisse opificem ac procreatorem. At enim in eo culpa non caruit, eáque grauissima, quòd fuerit Manichæorum antesignanus, dum imperfecta minoribus Dijs mandaret explenda. Minimè verò. Nam Manichæus duos Deos, alterum optimum, alterum improbissimum introduxit: & (vt ait † B. Augustinus) duo principia inter se diuersa & aduersa, æterna & coæterna, duásque naturas, boni scilicet & mali, quæ mutuò pugnarent semper, aliaque elementa rerum, ex quibus ignis tum bonus tum malus reperiretur. idémque de aqua & vento statuebat immo & de animabus eiusdem ordinis, quarum aliæ ab vno Deo, aliæ ab altero prodijssent, atque huiusmodi somniabat multa, quæ omnino pugnant cum Platone, qui sempiternum Deum faciebat vnicum, eúmque totius Vniuersitatis authorem: licet rebus mortalibus absoluendis quosdam adhibuerit administros, sed bonos ac Dei imperio subiectos, non improbos & aduersantes: atque omnia præterea, quãtum natura ferret, bona esse condita, tametsi quædam propter materiam deficerent à perfectione, ac mali aliquid admistum habere viderentur. Vt propterea nihil minus quàm in Platonis officina conflata sit hæresis Manichæorum. Neque verò cum pietate pugnat dum certas Mundi partes certis Dijs gubernandas attribuit, ita vt singulæ principem ac custodem obtineant suum. nam hoc est quod alium Angelum Persis (iam enim Platonis Deos ostendimus respondere Angelis nostris) alium Hebræis, alium alijs nationibus, immo singulis rerum generibus, atque adeo singulis hominibus attributos partim ex diuinis oraculis partim ab sacris Theologis

† Aug. lib. de hæres. ad Quoduult. hæresi 46.

didi-

didicimus. Quæ omnia non modò non denigrant præpotentis Dei existimationem ac dignitatem, sed summam atque intimam eius sapientiam & curam declarant, quæ in admirabili illa ordinum varietate ac serie elucet quammirificè. De humano verò animo præclarè multa docuisse Platonem docuimus supra. Quod si aliquando, vt in re planè abdita versabatur, quæque mortalium intelligentiam superat; visus est peregrina quædam dogmata atque adeò fidei nostræ parum cõsona introducere, profectò non tam facilè damnandus est: nam (vt uidebimus in propria tractatione) sunt quædam apud eum, quæ si spolientur Poëticis inuolũcris (hæc enim sancti Patres etiam in eodem argumento adamarunt) & ad Philosophiæ normam æstimentur, nihil planè continent impium aut absurdum; immo quædam primigeniæ veritatis speciem referunt. multa quoque per calumniam tribuuntur illi ab Aristotele & Peripateticis. Denique in eo cui nihil prius fuit, nihil antiquius, quàm vt animos ad sui cognitionem excitaret, & ad pietatem, iustitiam, omnium denique virtutum amorem incenderet, reliqua fermè omnia sunt venia atque impunitate dignissima. Nam metempsycosim illam, quæ aut vna aut maximè hac in re Platonis existimationem imminuisse visa est, Plato ipse, si rectè animaduertas, in Timæo vbi eam tradit, significare visus est non ad ueritatem, sed Poëtarum more ad homines instituendos, atque à vitijs coërcendos introductam esse: & idcirco immeritò arbitrantur aliqui non alio nomine quàm metempsycosis causa muta animantia procreasse. Sed de his quoque, déque ratiocinationibus quibus animi immortalitatem suadere conatur, ac de alijs multis quæ ad hominem attinent, quoniam sunt inter se coniuncta, suis locis disseremus, Tertulliani, Clementis, Theodoreti, aliorúmque nonnullorum Patrum iudicia hinc inde proferentes. Venio ad ea quæ in sanctitatem peccare, & in morum perniciem decernere dicebatur. Qua in re (vt primùm grauiori accusationi, etsi præpostero quodam ordine, respondeam) quæ pertinent ad vxorum communitatem, licet indigna videri possent quæ Patronum inueniant; veruntamen ne à nobis causa tota haud diligẽter perspecta, tam capitali crimine damnetur Plato, videndum esset sanè an verè hanc communitatem introduxerit, & quo pacto: atque inprimis rationum pondere esset vrgendus. Verùm quoniam id copiosè facimus libro VI.† idcirco consulendus est locus ille. Nunc tantùm dicam eiusmodi communitatem, quæ apud Æthiopes, Britannos, Afros, ac varias etiam Arabiæ gentes, immo apud Bracmanes Persarum sapientes, ac Lacedæmones quandoque & Romanos generatim fuisset in more posita, nisi pro vnis custodibus ciuitatis, quod euinci possit, non esse à Platone retentam: quos etiam non promiscuè omnes cum vxoribus omnibus & pro arbitratu copulari voluit, sed ex Magistratus cui nuptiarum demandat curam, arbitrio ac præscripta norma: ita vt certi certis cum vxoribus ac citra consanguinitatis gradus (hos nanque solis magistratibus illis notos esse voluit) congrederentur: & hoc nomine tum honestatem ac decus consanguinitatis quæ ex recitatis spreuerant multi, tum ip-

sarum

De humano animo.

De corpore humano atque homine vniuerso.

De his quæ pertinent ad vitã & mores.

† *vide com. 23. lib. 6.*

ſarum nuptiarum nomen ac iura retinere ac conſeruare conatur. Hæc tamen ipſimet Platoni fuerunt ſemper ſuſpecta, atque idcirco & modum fatetur eſſe difficillimum, & multa ſibi obijcit, quæ rei indignitatem ac turpitudinem videntur detegere. Quin in libris de legibus, etſi huiuſmodi communitatem apertè non reſcindit, per ſpeciem tamen inuidiæ, quam ſibi inde conflauerat, declinandæ, ad certas indiuiduáſque perſonas reducit coniugium. Quamobrem priorem ſententiam deteſtantes, poſteriorem amplectamur. Quod verò ad liberos pertinet, quos cum alij nonnulli, tum maximè Æthiopes & Maſſagetas communi ſtudio educaſſe ac dilexiſſe legimus; conſtituta rei familiaris fortunarúmque communitate, res fortaſſe non magnas difficultates, deformitatémue vllam, ſed commoditates multas affert, éſtque honeſtatis ac decoris plena. nam ſenes ac maiores natu omnes ab adoleſcentibus in parentum loco haberi ac coli iubet: contra verò ab illis adoleſcentes diligi tanquam filios: ſéque propterea mutua charitate complecti. Quare vix video quid vtiliùs ac ſanctiùs optare poſſit humanum genus. Quòd ſi neque id arrideat (quanquam cum id primùm à Chriſtianis naſcente Eccleſia, tum verò in cœnobijs tanta cum laude factitatum videamus, arridere omnino debet) iam dum tollit communitatem vxorum, tollit & liberorum. At verò dum rei ſacræ tractationem ac ſacerdotium decernit etiam mulieribus, id ſanè ijs quæ humana tractarent non diuina, ac ſuperſtitionem ſectarentur potiùs quàm Religionem, concedi optimè potuit: cum præſertim hoc pacto opportunè ac non ſine honeſtatis fructu fœminas ſeiungerent à viris in cerimonijs obeundis. Quare nos qui vni in cultu ac religione ſacroſancta ac planè diuina obimus myſteria, mulieres à ſacerdotio ac ſanctiorum munerum (præſertim vbi ſacris ordinibus contineantur) adminiſtratione arcebimus, atque ijs gentibus, quæ nihil auguſtum & ſanctum peragunt, inſtitutum illud relinquemus. Sed quid quod non modò viros, ſed fœminas etiam nudas exerceri iubet cum tamen id indecori nihil habere velit? Mira profectò res, fateor, atque in homine inprimis modeſto ac verecundo, qualem legimus fuiſſe Platonem: ſed quæ tamen miram etiam rationem habeat & illuſtrem. Etenim egregiè mea quidē ſententia dictitare ſolebat Nicolaus V. Pont. Max. Platonis Remp. ac doctrinam cum fœliciſſimo illo innocentiæ ſtatu, Ariſtotelis cum perdito congruere. Extorres ſumus (inquit Plato) in hac terra, atque exulamus à patria. at exulare iuſſi ſunt primi homines à natiuo domicilio & ſolo, ac propterea nos etiam poſt illos exulamus. negat Plato ſordidum hoc corpus eſſe animi germanum ac proprium: cum mortalitatem alterum, alter immortalitatē præſeferat. at verè in ſtatu illo fœliciſſimo immortalitas non animo ſolùm ſed etiam corpori conceſſa erat. Ciues denique (vt alia multa ſileam) à pueris pudicos, fortes, ſobrios, omnibus virtutibus ad miraculum propè inſtructos effingit, ac perfectiſſimam quandam omnium partium facultatúmque conſenſionem & harmoniam in ſingulis hominibus requirit. et hoc primigeniæ ætatis fuit, dum appetitus rationi obtemperaret. Quid igitur mirum ſi Naturam ducem ſecutus quæ

homines

homines nudos procreauit, existimauit etiam nuditatem in homine probo ac moderato indecoram non esse? nihilque in propositis mulierum exercitationibus violari honestatis leges? id enim fuit antiquissimi illius status, in quo primi homines dum innocentiam ac sanctitatē custodirent, nullo pudore tangebātur ob nuditatem. Et sanè dum monet Plato vestes aduersus frigus, contra libidinem castitatem esse comparandam, externúmque cultum corpori, internum animo inseruire, integra inuiolatáque hominis natura posita, quam ipse optatis potiùs quàm re ipsa à se fingi ignorauit, rectissimè ratiocinatur: ídque eò magis, quòd quemadmodum id in viro propter consuetudinem minimè ab honestate & decoro alienum ducebatur; ita lōgo vsu idem in fœminis (id quod experientia ipsa apud Lacedæmones Macedonésque ostenderat) contigisset: præsertim eodem fœminis adhibito pudoris velo, quod exercendis viris adhiberi solebat. Quæ cum ita sint, quis præter decorum fuisse existimet mulieres aliquam etiam rei militaris partem sustinere? præcipuè verò, quòd eatenus ab illis obiri uellet militiæ onera, quatenus sexus pateretur & imbecillitas: ita vt grauiora munera viris, leuiora fœminis tribuerentur: quæ sanè & fieri posse, & utiliter, pulcherrimis argumentis confirmat. Certè Minos et Licurgus celeberrimi illi Legislatores mulieres perinde ac viros cursu, luctatione, cæterísque huiusmodi exercitationibus excoli uoluerunt. Quē usum Plutarchus author sanè grauissimus & eruditissimus laudat comprobátque nō paucis; sed eo inprimis argumento, quòd cum fœminæ tum corpore tum animo non secus ac uiri exerceri, uirésque maiores sumere possent, æquissimum esset, vt & animo & corpore exercerentur non secus, ac uiri: cum præsertim (ut asperioribus laboribus & exercitationibus extingui solent vitiorum cupiditates) hinc mollitiei ac luxui minùs esset locus, filij robustiores gignerentur, aduersa tolerarentur constantiùs, pro patria denique vbi opus esset, vel ipsius militiæ incōmoda subiri possent: quod Amazones, Lacænas, atque alias multas summa cum laude fecisse legimus. Quod verò pertinet ad cœlibatum, mira res: cum is qui matrimonio abstinuit, ac cœlibem traduxit vitam omnem, cœlibatum damnasse videamus. Sed longè admirabilior est ratio qua vsus est ad id confirmandum; id enim statuit ὡς χρὴ τῆς ἀειγεννοῦς φύσεως ἀντέχεσθαι, τῷ παῖδας παίδων καταλείποντι ἀεὶ τῷ θεῷ ὑπηρέτας ἀντ' αὐτοῦ παραδιδόναι, Quòd oporteat hominem sempiternam sibi naturam comparare, dum filiis semper ac nepotibus propagatis, perpetuos pro se ministros Deo relinquit. *Qua in re tria mihi videtur agnouisse ac spectasse quæ in Ethnico sunt admirabilia. ac primum sanè est hominem à Deo fuisse conditum, ut esset diuini cultus (id quod in Timæo declarat latiùs) administer: atque hac de causa uel una uel maximè filios procreare, ac sobolis propagationem procurare debere. alterum est, hinc fieri vt homo diuinam consequatur naturam: neque id solum quòd (vt tradit † Aristoteles) per huiusmodi perpetuitatem diuinum quiddam participant mortales: (id enim eodem Philosopho teste*

† 2. de An. tex. 34.

propter

propter generis perpetuitatem commune est homini cum ijs omnibus quæ aliquo vitæ genere sunt prædita, cuiusmodi sunt etiam plantæ) sed etiam quia Deo seruiunt per omnem æternitatem. Postremum est eum qui recuset legitimam sobolem procreare, Deum ministris, seque diuinæ naturæ communicatione priuare: atque idcirco (id quod eodem in loco docuit) hosce nullo honore ornandos, immo pœna, etsi leui, multandos esse. quæ res nihil ferè differt ab eo more quem Hebræi, hoc est Dei famuli, ante Christum natum coluere. Nam apud hos sobolis Deo procreandæ causa matrimonium erat præcepto ac lege sancitum: vt propterea steriles ignominiosæ ac tanquam maledictæ haberentur, atque in squalore & mœrore degerent. Contra verò quæ abundarent prole, honoratæ Deóque charæ, ac propè fœlices censerentur. Quod sanè † Hieronymum etsi castitate non minus quàm eruditione florentẽ adduxit vt Abrahami, quippe qui charam Deo sobolem propagare cœpisset, nuptias, Iohannis Baptistæ virginitati æquarit. Quocirca licet haud dubitandum sit quin saltem nascente Christo; quo tempore virginitatis decus non modò elucere cœpit, ac matrimonij splendorem longissimè superare, verùm etiam celebrari, suaderi, coli, ac mira cum dignitate retineri visum est, aut iam nulla lex, præceptúmue Christianos cogeret ad coniugium, aut certè nisi præcipuis quibusdam certísque causis incidentibus; compertum est tamen atque Catholicorum Patrum consensione firmatum, Matrimonium & ab Mundi initio, & post diluuium diu fuiße diuino iussu imperatum: ac propterea vitio minimè uertendum est Platoni quòd cœlibatum eo tempore non probarit, quo uirginitatis pulchritudine nondum publicè commostrata, ne ipsis quidem Hebræis, si paucissimos quosdam exceperis, atque hos diuino spiritu imbutos altiùs; probabatur: cum præsertim ea maximè de causa id sanciuerit, vt hoc pacto diuini Numinis colendi nullum unquam finem facerent mortales. De publicis uerò conuiuijs quibus interesse iubebat mulieres, sic habeto: id præterquam quod nihil continet contra Religionem & pietatem; atque apud Lacedæmones aliásque satis laudatas gentes fuerat in more positum, à Platone grauissimis de causis decretum esse: atque ea potissimùm, quòd quas conuiuijs præscripserat frugalitatis ac temperantiæ leges, facile esset uiolare ac fallere ubi priuatim liceret conuiuari: cum præsertim è contrario omni iam ingurgitandi occasione sublata, faciliùs etiam perniciosus ille contentionum fomes τότε ἐμὸν καὶ τὸ οὐκ ἐμὸν deleretur, atque ea uitæ coniunctio retineretur, quam Reip. tuendæ necessariam esse docuerat. Verùm grauiora sunt ac difficiliora quæ de spurijs obijciebantur: dum enim hosce præfocari iubet, uel certè alimentis priuari, an non apertam sæuitiam exerceri iubet? nam si hanc ipsam legem contra eos quoque latam eße uoluit, qui ex legitimis nuptijs suscepti essent, dummodo uel manci, uel ex improbis parentibus orirentur, id sanè quàm inauditam crudelitatem ac barbariem referat, nemo est qui non uideat. Quamobrem conetur Marsilius, ac si qui alij sunt qui mordicùs, defendunt Platonica decreta omnia, tueri illum: ego enim qui turpissimum

† l. 2. cõt. Iou. post in. & refertur in 3. d. 1. q. 4. similia habet August. li. de bono coniug. c. 21. ad fin.

esse duco Christianum virum Ethnici doctrinis mancipatum esse, si non quod pertinet ad omnes, in ijs certè quæ attinent ad spurios errasse, aut saltem vt id de eo iure suspicaremur, effecisse, fateor ac fatebor semper. Etsi enim dum asserit bonorum fœtus certo in loco publicè nutriendos esse, cæteros in occulto & latenti abscondendos, nondum eum damno; attamẽ dum tandem concludit ac prohibet μήδ' εἰς φῶς ἐκφέρειν κύημα μηδὲν, ἐὰν γένηται. ἐὰν δέ τι βιάσηται οὕτω ἐκτιθέναι, ὡς οὐκ οὔσης τροφῆς τῷ τοιούτῳ, *ne in lucem proferant fœtum vllum, si contingat: quod si quid coëgerit vt exponant, alimento priuari; qua ratione defendi possit nõ video. tametsi non inficior id contra spurios potiùs (de his enim loquebatur) quàm mancos aut saltẽ ex improbis parentibus natos sanxisse. ex ijs enim posterioribus verè cum adoleuissent, in patriam reuocandos esse voluit qui euasissent frugi, ac propterea hos alio amandari potiùs iussit, quàm necari. Sed quid de mendacio; quod interdum ab Reip. moderatoribus, legislatoribúsque vsurpari vsque adeo apertè ac sæpe statuit? Equidem hac ratione magnus ipse legislator fuisset, ac Reip. moderator, quem legimus à multis sæpe notatum esse mendacij. Quanquam cum veritatem tam magnificis laudibus commendet passim, mendaciúmque tum Deo, tum hominibus odiosum faciat, atque à priuatis nunquam attingi velit, à Magistratibus autem non nisi officij causa, & ad publicam vtilitatem; idque tum demum cum veritas prodesse nequeat, profectò leuissimæ culpæ reus censendus est. At grauissimè saltem lapsus est dum ægrotos Medicorum præsidijs carere iubet. Iubet, fateor: sed primùm non omnes, sed eos qui per intemperantiam morbosi facti sint. nam sic scribit.* Absurdum est sanè homines egere Medicis, non ad sananda vulnera, aut ad curandos morbos aëris intemperie, aut eiusmodi infortunijs contractos; sed vt distillationibus ac tumoribus medeantur, quos vitæ mollitie, desidia, luxu denique pepererunt. *Deinde ea tantùm prohibere videtur medicamenta, quibus morbum fouerent potiùs, & quasi alerent, quàm curarent. nam idcirco tum Herodicum Aesculapij nepotem damnabat, qui morbosos huiusmodi homines morbum protrahere, seu veriùs longiorem mortem efficere primus docuisset, tum delicatos quosdam diuites irridebat, qui mortis metu longum & insanabilem morbum perpetuis medicamentis, diuturnáque curatione tolerarent. contra verò durioris vitæ homines laudabat tenuiorísque fortunæ, qui breuem curationem à Medico flagitarent, asserentes nequaquam sibi satis esse ocij ad ægrotandum, malleque vita functos laboriosis negocijs liberari, quàm vitam trahere continuis medicaminibus ac molestijs impeditam. Denique (vt summatim dicam) ijs qui iam tum sibi, tum Reip. inutiles facti essent, Medicorum opera interdicit. Nam idcirco monebat Aesculapium, vtpote politicum Medicum, ea quoque de causa haud censuisse hos esse curandos, quòd nollet similes sibi generare filios: & idcirco etiã concludebat,* At verò homines natura & incontinentia morbosos viuere, neque iis ipsis, neque aliis conferre putabat Aesculapius: neque

Vide lib. 5. com. 27.

horum gratia artem esse oportere: quin curationem ijs esse negandam, tametsi ditiores essent quàm Mida. *Quamobrem dum tantopere insectatur intemperantiam, eámque conatur è sua ciuitate prorsus depellere, haud sanè vituperabimus illum, sed laudabimus. quamuis dum eò procedit, vt nullum pietatis & officij genus ijs impertiri velit Medicos, improbabimus. præsertim verò quòd quanuis visus sit huiusmodi legem in eos ferre, qui per desidiam & intemperantiam in morbos insanabiles incidissent, deinde tamen, quoniam, quacunque tandem ratione ijs laborarent ægroti, Reip. inutiles viderentur, cum morbosis omnibus seruandam hanc legem putauit. Idcirco enim aiebat ad extremùm, eos qui pessimè affecti essent animo ac vitijs insanabiles viderentur, à iudicibus esse necandos: qui verò pari ratione affecti essent circa corpus, à Medicis planè deserendos vt interirent. In his verò quæ amatoria continent, sunt qui non modò omni ex parte excusent eum, sed etiam laudent, quòd nimirum impudicum amorem vituperarit acriter: pudicum laudarit coluerítque per omnem vitam. Verùm (si me audias) non omnia pudica censenda sunt, si ad Christiani candoris normam expendantur & examinentur. Neque id dico, quòd legi Laiæ, qua parte turpem amorem insectatur, non fauerit, aut non rectè latam iudicarit: hoc enim calumniantur iniquissimè aduersarij; sed quòd alicubi inseruerit quædam, quæ si reticuisset, rectiùs. Etenim rectè dum continentiam & celebrat, & grauissimis rationibus suadet: rectè dum ante matrimonij tempus iubet castam incorruptámque degendam esse vitam: rectè dum extra matrimonium (cui etiam admirabili quadam temperantia ac moderatione indulgeri vult) omnem libidinem improbat ac damnat: rectè denique ac penè diuinè dum huiusmodi illecebras tanquam turpissima, impia, nefandaque vitia vulgari, ac tam inter seruos quàm liberos vituperari, omnique infamiæ genere notari iubet: vt pueri cum lacte imbibant odium in omnem impuritatem, hócque cum illis perseueret per omnem vitam. Sed dum tandem eos qui vxoribus superinducerent pellices, tunc solùm afficit ignominia, cum id cæteros non celarint, id verò ne clandestinum adulterium videretur aliqua ex parte excusare, aut non omnino grauatè ferre, longè rectiùs fuisset sine hac conditione sancitum: cum præsertim adulterium (vt † ipsemet fatetur ac docet) pugnet cum Natura ipsa. Pari etiam ratione, licet amatorios illos sermones traducat ad bonas fruges, ita ut honestum amorem, non turpem retineat, immo hunc acerrimè vituperet, illum ornet miris laudibus; veruntamen multa interponit quæ omnino fuissent prætermittenda, cuiusmodi est Aristophanis ac Lysidis oratio. Quanquam si (vt opinor) orationes illæ & fabulæ circumferebantur in vulgus, atque à perditis vsurpabantur turpiter, facilè excusarim Platonem qui ea referri voluerit, vt deinde distinctè, consentienter atque dilucidè (quod fecit) redarguerentur.*

† lib. 8. polit.

HAEC *habui quæ inpræsentia responderem obiectis in Platonem criminibus & argumentis: ex quibus quidem fateor aliqua esse solida*

&

& grauia: pleraque tamen partim iniuriosa sunt & ficta, partim infirma ac leuiora quàm vt in Ethnici causa excusationem non habeant. Quocirca (iam enim quod pertinet ad Platonem id aggredior quod tertio loco proposueram) si æqua lance expendantur vitia & virtutes, ac decreta quæ pietati honestatique repugnant, cum pijs integerrimisque sanctionibus ac præceptionibus conferantur, profecto leuissima & quamexigua apparebunt huius generis errata ac vitia. præcipuè verò quod erratis per omnes eius dialogos non negligenter conquisitis atque exaggeratis, multorum querelis & accusationibus cognitis, magna dialogorum pars omni labe (quod honestatis interest & pietatis) deprehendatur immunis: cum tamen nullus ex illis non sit multis magnisque virtutibus ac saluberrimis præceptis instructus. ita ut ne in ijs præceptis referendis integrum nobis uolumen conflandum ac moliendum esset, iniurius quodammodo fuerim Platoni, ac longissimè abfuerim ut pro dignitate eius causam defensionémque tractarim. Quæ cum ita sint, iam intelligere licet Platonis libros non sine vtilitate retineri posse: cum præsertim uitijs aut omnibus aut præcipuis & capitalibus iam, ueluti scopulis, exploratis, facilè sit ea uitare, ac uirtutes fructúsque suauissimos colligere ex eius lectione. Id quod eò nobis faciliùs continget, quòd in sequentibus libris in quibus Mundi ortum atque naturam cum Platone explicabimus, quicquid tandem occurret, quod à Christiana ueritate dissideat, examinare acriùs ac refellere, quæ cum illa cohæreant obseruare diligenter ac patefacere instituerimus.

Iam argumentis in vtranque partem allatis & expensis, concluditur longè maiores esse Platonicorũ librorum vtilitates, quàm detrimenta, ac propterea omnino esse retinendos.

VENIO ad Peripateticorũ Principem: de cuius doctrina, quod rei nostræ interest in præsentia, sic habeto. Quæ de uita & moribus tradit magnus hic author, non ingenij solùm & eruditionis, sed prudentiæ & vtilitatis sunt plenissima. Etenim siue præcepta ipsa & decreta spectes, siue eorum ordinem & œconomiam, siue rerum uarietatem ac copiam, siue rationum (pro re tamen subiecta) efficacitatem ac pondus, siue denique dicendi genus atque rationem, nihil propè existimes in hoc genere præstantius aut admirabilius ab Ethnico expeti potuisse. Quinetiam si moderationem paucis quibusdam adhibueris, profectò amplissimum illorum campum sine ulla pietatis offensione, immo cum ingenti Christianæ rei utilitate lustrare poteris. Nam (ut de morali Philosophia primùm dicam) qui de humanæ immo & Christianæ uitæ officijs accuratè disputarunt, atque inuolutas horum officiorum quæstiones, unde etiam Ecclesia penè tota regitur, enodare conati sunt, ij sanè nihil ferè antiquius habuerunt, quàm ut de uirtutibus ac vitijs, déque humanis actibus Aristotelem priùs consulerent, atque eius doctrinam retinerent, explicarêntque diligenter: usque adeo acutè omnem uirtutum humanarúmque actionum uim peruasit & explanauit. Neque uerò minor caperetur utilitas ex politicis præceptionibus, si in rerum publicarum administratione diligens earum haberetur ratio. Etenim dum à primis ciuitatis initijs ac partibus per intermedios gradus ad perfectam illius formam ascendit, ac varias administrationis formulas, usum, naturámque omnem commonstrat, incredibile est

QVAE APVD Aristotelem congruant cum Christiana veritate.

De Philosophia actiua in vniuersùm.

Sigillatim de Ethica.

Politica.

quàm acutè tantam munerum varietatem viderit: quàm scitè constituerit & informarit. cum præsertim interim varias gentium Respublicas explorarit, diiudicarítque: omnia publicæ administrationis genera, eorúmque siue virtutes & commoda, siue uitia & detrimenta retulerit: ijsdem ad seditiones cauendas tollendásue, & (vt semel dicam) ad conseruanda recta administrationis genera, remedia legésque præscripserit. Vbi etiam (quod caput est) tum optimā excellentissimámque Remp. ex multis deligens, singulas eius partes constituit, muneraque pro hominum ordinibus commonstrat ac prosequitur diligenter, tum maximè ciues ab ipsis incunabulis informat atque instituit, Oeconomicam interim, quam ueluti fundamentum (quanquam de hoc suo † loco) non secus atque Ethicam (vt par est) retulit ad politicam rationem, pertractās. Quod dum facit ita frugales ac prudentes, immo (vt ueriùs dicam) sanctas atque Christiano viro accommodatas leges coniugio, liberis, reíque familiari uniuersæ præscribit, vt mihi sanè in eas intuenti non ab Ethnico, sed à Christiano Philosopho profectæ esse videantur. Quapropter quantumuis auerso animo moralem eius Philosophiam perlegas, vix pauca quædam habeas, quæ in eo audeas notare ac reprehendere. Nam quòd inuidus sese ostēdat interdum, atque ijs ipsis authoribus detrahat è quorum libris transtulit multa: quòd quædam uarijs in locis repetantur, nonnulla etiam suspecta sint, nec Aristotelis ingenium ac stylum æquè referre videantur, quòd denique quædā sint intercisa & manca (quāquam hoc de Nicomachijs ac politicis libris, qui rem propè omnem continent, nō est quod suspiceris) hæc præterquam quod et paucissima sunt, & tempori potius quàm authori sunt tribuenda, ad pietatem ac bonos mores, quæ vna spectamus hoc tempore, nihil attinent. Physica etiam diuinaque monumenta, etsi mea quidem sententia vbi pietatis tantùm ac morum habetur ratio, non sunt cum moralibus comparanda, immo uerò salebras habent varias & offensiones; ueruntamen multas etiam magnásque utilitates afferunt rectè utentibus. Nam abstractas mentes incorporeásque naturas contra multorum peruicaciam confirmant altiùs: summam Vniuersitatis pulchritudinem, constantem ordinem referunt: admirabilem hominis constitutionem, functiones ac facultates edocent: totius denique Naturæ varietatem, amplitudinem, miracula (vt ita dicam) ponunt ante oculos, quæ propter rerum naturalium ignorationem ueluti caligine tecta erant & consopita: quibus omnibus tum innumeri refelluntur hæreticorum errores, ac delirantium Philosophorum mendacia; tum maximè ad Dei sapientiam, probitatem, adde etiam prouidentiam contemplandam aditus aperitur amplissimus. Sed & pro animi immortalitate decertauit equidem pro virili parte: licet enim non satis haberet exploratum, quo pacto conciliaret explanarétue nonnulla, ac propterea vt erat ingenio callidus, ac gloriæ non contemptor, dissimulauit & inuoluit ea; attamen fidelibus ad eius immortalitatem confirmandam argumenta obtulit tali Philosopho non indigna. Idē statue de Mundi vnitate, pulchritudine, perfectione, atque (vt minora taceā) de Dei vnitate, atque omni absolutissi-

Marginalia: Oeconomica. — † Vide lib. 1. eth. in proœmio nostro. — De Physica & Metaphysica.

mæ perfectionis genere. Quāuis enim in quibusdā verè æstuauit, ac fortaßè deceptus est; haud tamen negari potest quin diuinæ naturæ eiusdémque attributionibus speculādis (id quod clarissima B. Thomæ scripta declarant satis) veluti machinas, atque adeo armamentarium fabricauerit instruxeritque fidelibus. Nam si cū † Iustino Philosopho ac martyre sanctissimo, aliísque † nonnullis cordatis viris librum de Mundo ad Alexandrum Aristoteli ascribas (quanquam quoniam de libris agimus qui inter Aristotelicos enumerantur, doctrinámque potiùs expendimus huius commentarij quàm authorem quæramus, hunc pro Aristotelico accipiamus licet in posterum) vix videtur superesse aliquid quod ab eo iure & meritò expetere possis. Est enim Deus (vt ibi disertè docemur) Mundi opifex & procreator: continet tutatúrque omnia, eádémque sine labore vllo administrat: similiter initium, medium, finémque tenet cuiusque rei. Quin si illius vim spectes (inquit summus hic author) est valentissimus: si decorem, formosissimus: si vitam, immortalis: si virtutem, præstantissimus. liberè etiam ex eodem gerit omnia, & pro arbitratu: audit mortalium preces, ac pios prodigijs etiam & miraculis iuuat ac vindicat ab interitu. est quoque iustissimus, ita vt iustitiæ præses dicatur, & lex omnium in æquilibrio perpetuò manens. pari ratione censetur immutabilis, omnisque varietatis expers: quíque licet semotissima quæque sui vi & potestate contineat, in summo tamen cœli culmine, vnde ὕπατος dicitur, residet. Hinc varia illa Deorum nomina, quæ apud Poëtas reperiuntur, Saturnus, Iuppiter, & id genus alia, tradit vnius Dei esse omnia, atque ad varios illius effectus designandos inuenta, perinde ac cætera illa, custos, amicitiæ præses, & consimilia. Quid plura? in eodem collocat Necessitatem ac fatum: illam quòd sit natura immobilis & necessarius; hoc propter rerum seriem inoffenso tenore procedentem. Idem, nec dissimilē ob causam, continet tū Μοῖραν, Νέμεσιν, et Ἀδραςίαν (tu sortem, iustitiā distribuentem, ac Naturam quæ nec fallere potest nec falli, non immeritò dixeris) tum parcas, propter tria scilicet temporis interstitia & sortes quas cuique distribuit: tum denique Δίκην, qua puniat violantes sanctiones suas. Hæc ille, vt propterea vno tantùm à nobis dissideat: in eo videlicet, quòd quamuis administret immo & contineat omnia, ad ea tamē quæ nec adire honestum, nec dictu speciosum, haud transfundat sese; quasi verò dum augustiùs decētiúsque esse censet, vt sua vi potiùs, quàm per præsentiā id faciat, Dei vis ab ipso Deo vel minimùm differat. Sed tolerabiliter errauit: nam quosdā etiā inuenias apud nostros alioquin sanctissimos atque doctissimos, qui dubitare visi sunt, an Deus vilissimas quasque res curet singulatim, atque inprimis iudicarunt esse explicatu difficillimum quo pacto Deus rebus singulis per essentiam adsit, præsentiam, atque potentiam. Iam uerò ne præterire uidear quæ scripsit tum de arte Poëtica, tum de rectè dicendi ac disserendi facultate, equidem sic statuo. Magna est uis Poësis, atque humanum animum, cui à Natura uidetur quodammodo insita, flectit impellítque mirificè. Hinc si honestum uirileque sit carmen, perutile accidit ad uitam, & mores: si obscœnum & effœminatum,

† Iust. in parae. et al.
† Bessar. lib. 3. c. 10. contra Calum.
Apul. qui dū lib. 1. de Mū. profitetur se sequi Aristotelem, sequitur lib. de Mun. ad Alexand.
Io. Frāc. Pic. lib. 4. de uanit. gen. c. 1. & al. Aug. Ste. passim. Fernel. lib. 1. de abditis rer. caus. Idē Patres quoque multi.

De Poëtica.

aut aliqua ratione immoderatum, perniciosum. Ergo, etsi in eo quem habemus de arte poëtica liber, ea tradit præcepta quæ per improbitatem possunt ad deteriores actiones vtcunque detorqueri; constat tamen moderatum Poëtam effingere ac frugi. præcipit enim vt res imitemur non perinde ac gestæ sunt, sed prout geri debuerunt. Ex quo fit, vt Ideam quandam vitæ singulis penè vitæ generibus proponi velit, infimo, mediocri, ac supremo. Atque hinc poësim historia præstantiorem facit, & ad mores excolendos magis idoneam. Quocirca si quis ad illius normam ac leges poëmata condiderit, is vtilem poësim, atque ad vitam erudiendam accommodatam condiderit: cum præsertim accedat imitatio ac delectatio, quæ ad præcepta altiùs in animis cõsignanda momentum habet maximum.

Rhetorica.

Par quoque aut etiam maior est Aristoteleæ Rhetoricæ vtilitas: nã vbi non ignauum ac peruersum, sed nauum ac pium oratorem nacta fuerit, Religioni, Iustitiæ, honestati præstò erit summa cum Ecclesiæ vtilitate, ac dignitate. Quæ sanè omnia is qui Rhetoricæ vsum, finem, vim denique ac naturam vniuersam perceperit, dubitabit nunquam. Atque idem planè statuendum est de artificio disserendi.

Logica.

Etenim cum ad veritatem intelligendam, bonúmque ac rectum agnoscendum, declinandúmque malum, facilem quasi callem nobis ostendat, quis non intelligat, nisi nostra obsit improbitas, Christianæ Reipub. esse perutilem, ac siue ad refellendos aduersarios, siue ad erudiendos imperitos ac rudes, eius vsum atque vtilitatem patere quamlatissimè? Hæc habui quæ in re pietatis ac morum breuiter differerem de Aristotelis doctrina: nam reliquæ, quas ad alios vitæ vsus multas magnásque habet vtilitates, non sunt huius loci. Quanquam vnum adhuc, quod est potissimum in hac re, præterire nullo modo possum.

Quàm præclarè Aristoteles tãtam doctrinarum molem digesserit & ordinarit.

Etenim tantam rerum doctrinarúmque molem, quam quasi in partes disiectam proposuimus; pulcherrimè tum inter se, tum ad beatam vitam (quantum tamen Ethnico licuit) ordinauit ac retulit: ídque hominem (si quis rectè reputet) à prima infantia ad senectutem vsque siue priuatim degeret, siue publicè, ad omnem virtutem informans. Nam accuratissimè de nutritione explicatis multis, liberos & frigori à primis annis, & procedente ætate laboribus assuescere voluit: vt alterum corpori afferret firmitatem, alterum torpori aditum præcideret: tum non nisi liberalibus ludis ac fabulis, quibus ad serias honestásque actiones allicerentur, exerceri atque imbui iussit. Interim verò non modò à seruorum commercio, immo & auditione aspectúque seruilium rerum auocauit eos, verùm etiam omnem verborum obscœnitatem extermiuauit de ciuitate; vt à pueris discerent nihil turpe aut dicere aut facere: qua in re pœnas etiam adhibuit æquissimas aptissimásque. Turpes quoque picturas (id quod nostrorum hominum impuritatem damnat) ac deformia quæque ne aspicere quidem voluit. Tragicis etiam spectaculis ac Iambis, non ante maturam ætatem eos admisit. ebrietatem omnémque improbitatem ac turpitudinem quammaximè submoueri præcepit à Magistratibus. Denique nec sordidas disciplinas & exercitationes tractare voluit, nec iisdem intereße, sed

inge-

ingenuè liberalitérque excultos, grauiorum artium ac disciplinarum, præsertim verò moralis ac ciuilis, tractationem opportunè attingere, ac virtutum omnium studium cupidissimè sectari. Sed iam ad ea quæ obijciebantur, respondeamus.

ET sanè propositorum argumentorum ratio non vna est ac simplex, sed tripartita. Obijciuntur enim illi quædam, quibus, si subtiliùs considerentur, nullus subest error aut offensio pietatis: ita vt in illis omni vacet culpa Aristoteles, immo in aliquibus multum ei laudis & gratiæ debeatur. Quædam sunt verè absurda, ac proinde oppidò damnanda à fidelibus & explodenda. Nonnulla denique, vtpote ambigua & obscura, in controuersia versantur: sicque versantur, vt non magno negocio tum ad pietatem tum ad impietatem trahi possint. Atque vt de primis primo loco dicam, immeritò sanè accusatur, quòd docuerit omnes fallaciarum ac præstigiarum vias, quibus humani animi non modò pertentari possint ac flecti, sed decipi etiam & in omnem errorem præcipites dari. Nam quod pertinet ad fallacias, probè sanè hic author, qui dum explicat congruas ratiocinandi formulas, ut eas sectemur, prauas etiam ostendit, quas vitare debeamus, præsertim ubi cum Sophistis agatur. Nam si Medicis uenenorum, Theologis hæresum cognitio haud uitio uertitur, ut illis occurrere possint; cur Dialectico vertetur uitio cognitio sophismatum, cum præsertim (ut contrariorum eadem fermè est ratio ac disciplina) rectæ formulæ cognitio sine falsæ cognitione vix tradi possit? Vt propterea iure optimo (id quod iam antea obseruauimus satis) Clemens Alexandrinus, Augustinus, atque alij grauissimi Patres huiusmodi studium probauerint, ac multis magnísque rationibus retinendum esse docuerint. Idem fermè iudicarim de ijs quæ ad animos flectendos ac perturbandos scripsit: uerè enim (vt ostendam non multò post) monuit frugalem oratorem his posse carere, cum affectus non sint artis proprij, sed quæsiti extrinsecùs: tametsi (quod interdum accidere solet) auditorum gratia, seu potiùs culpa, istis etiam adhibenda sit oratio: ac propterea ea maximè de causa scripsit de affectibus, quòd ubi orator incideret in corruptum & iniquum iudicem, iure suo confugere posset ad huius animum aut leniendum aut concitandum, ut iustitiam ac ueritatem (id quod Oratori propositum esse debet) hac saltem ratione tueretur.

> Ad ea quæ in Aristotele notabantur tanquam Christianæ pietati ac veritati aduersantia.
>
> Reuocantur autem ad tres ordines.
>
> De ijs quæ pertinét ad primum ordiné: (sunt autem quibus nullus subest error, aut offensio pietatis) hoc est.
>
> De Dialectica.
>
> De arte dicendi, qua continet motus animorum.

SED neque uitio uertendum est Aristoteli quòd attribuerit Comicis turpium actionum imitationem. nam primò dum τῶν χειρῶν † imitatorem appellaret Comicum, non tam actiones turpes (quanquam & has quoquo modo intelligebat propter ridicula, ut dicam paulò post) quàm uiles & humiles significabat. atque hac de causa Tragœdiam † definiuit imitationem actionis illustris: quo nomine distingui uoluit à Comœdia. Quin neque tam ex propria ipse opinione materiam atque actiones præfiniebat Comico, quàm in receptas, ac longa Comicorum consuetudine tritas usitatásque intuebatur. Etenim eo in loco nulla adhuc tradebat præcepta Comœdiæ, sed totus erat in uarijs poësis generibus, siue speciebus ma-

> † l. de ar. poe. c. 1.
>
> † eod. l. c. 3.
>
> De eo Poësis genere cui attribuit turpiũ actionum imitationem.

uis

uis ac formis agnoſcendis & diſtinguendis. Quocirca cum Comœdiam diſtingueret à Tragœdia, in formam ac morem intuebatur quo tum orta eſſet ac uiguiſſet, tum à Comicis tractaretur: atque idcirco ex ijs quæ extarent clariorum Comicorum comœdijs, ducebat exempla. Deinde eſto turpes actiones intelligat:(uerè enim κακία καὶ ἀρετῇ, vitio inquam & virtute, differre vult illas actiones) eſto etiã ſentiret, atque ex propria opinione traderet, materiam illam debere Comico eſſe ſubiectã, (nam inprogreſſu viſus eſt eaſdem actiones aliqua ſaltem ex parte ſtatuere ac retinere, ut mox apparebit) attamen id totum videtur neceſſitate rêque ipſa ita poſcente factum eſſe: cum enim Poëſis ſit humanarum actionum ac morum (ſunt enim mores cum actionibus coniuncti) expreſſio & imitatio: hi uero partim ſint probi, partim improbi, poſita ac recepta poëtica imitatione (nam ſi ad hanc oppugnandam conuertas arma, mutabitur controuerſiæ ſtatus) materia illa alicui imitatori relinquatur neceſſe eſt. Ad hæc (quod rem continet maximè) apertè declarauit † Ariſtoteles deteriorum huiuſmodi actionum imitationem priùs fuiſſe poſitam in conuitijs ac maledictis, quod actionis genus non probauit: deinde ab Homero atque alijs qui eum ſequuti eſſent, fuiſſe traductum ad ridicula, probis reiectis ac maledicentia: quod factum laudauit mirificè, ac propterea etiam fœdas omnes actiones ualere iuſſit; ſimúlque ex turpibus, quoniam latiſſimè paterent, ridicula tantùm excipi uoluit, ídque ea de cauſa, quòd hæc noxia non eſſent. ut propterea moderationis laude ornandus potiùs uideatur Ariſtoteles hac in re, quàm eo crimine, quod totum in quoſdam antiquos conuerti debet, notandus atque damnandus. At enim ridicula etiam, ut idem Ariſtoteles non potuit non fateri, ex turpitudinis fonte manant: ac propterea (eius pace) non poſſunt non obeſſe. Quod tum experientia declarat ſatis, dum ridiculorum uſu uirilem grauitatem, conſtantiam, atque moderationem corruere uidemus, & ad omnem licentiam parari aditum: tum ex Platone didicimus, qui ut fuit uerecundiæ & honeſtatis ſtudioſiſſimus, eiuſmodi actionum imitationem reiecit è ſua † politia: ac libro VII. de legibus, cum animaduerteret Comœdiam ad riſum (ut ipſe ait) uerbis, cantu, ſaltatione, imitatione denique vniuerſa comparatam eſſe, Magiſtratus iuſſit magnam ijs curam adhibere: omninóque proſpicere ne ciues vllam Comœdiæ partem attingerent: ſed peregrinis tantùm concederetur eius tractatio: ídque eo ſolùm conſilio, vt ciues ridiculorum turpitudine cognita, ab his tota vita abſtinerent, ſeria ac moderata amplectentes. Quid plura? ſi ridiculis Comœdiam leuiter aſpergi voluiſſet; vt ſcilicet cætera quæ ad vitam inſtituendam pertinerent, ſuauiùs inſtillarentur animis, eſſet ſanè cur audiremus Ariſtotelem. at cum omnem Comœdiæ uim ac naturam in ridiculis collocauerit, Comœdiámque hiſce deformitatibus conflauerit totam, quis iam ſupereſſe poterit illius excuſandi locus? Nam Comœdiam, quæ, perinde ac cæteræ artes, politicæ inſeruire debet, atque humano vſui ad vitam inſtituendam fœlicitatémque comparandam referri, non poſſe ſerijs ac ridiculis temperari, ac ciuiles actiones

† lib. cit. c. 2.

† lib. 10.

nes

nes & populares haud habere industriæ, moderationis, prudentiæ, multarum denique virtutum exempla, quæ Comicis offerant ad imitandum, nemo est qui non videat esse falsissimum. Hæc obiecerit quispiam Aristoteli in proposita controuersia. Qui tamen interim nil fortasse à nobis dissideret. nam cum animaduertisset mores quoque Regum atque illustrium virorum, quantumuis strenui viderentur, iræ, aliisque perturbationibus & vitijs sæpe esse obnoxios, horum actiones, quæ Poëtarum imitatione exprimerentur, ad Ideam quandam exemplúmque virtutis † iussit reuocari. quare quemadmodum pictores quorundam imagines expressuri, formosiores effingunt eas, ita Tragici summam illius quam sibi imitandam proponunt, personæ exprimere iussit probitatem, idque perinde atque Homerus Achillem ita strenuum ac bellicosum fecit, nihil vt in eo desiderare possis, quod strenuo viro ac forti conueniat. Quare haud dubitarem Aristotelem in præceptis Comœdiæ, quæ tamen temporis iniuria perierunt, idem planè seruasse quod in Tragœdia, immo & in Epopœia (nam idcirco ex Epopœia desumpsit exemplum) significauit ac monuit. Quid multa? An non ad extremum † de quolibet Poëta præcepit ac docuit, oportere illum actiones imitari, vel quales erant, aut sunt, vel quales esse dicuntur aut videntur, vel quales esse oportet? Quod si quales oportet, omnium itaque est Poëtarum ad Ideam reuocare actiones: ac proinde quemadmodum Tragicus, (vt ipse tamen scribit) aut Epicus, tum Regis, tum Ducis Heroísue perfectam quãdam Ideam ponit ante oculos, ita à Comico ciuiles ac populares actiones quas imitatur, ad Ideam quandam normámque virtutis, (quantum tamen patitur illud vitæ genus) traducendæ sunt, quò matronis pudicitiæ, senibus prudentiæ, adolescentibus modestiæ, seruis fidelitatis, cæteris cæterarum virtutum inter ridicula ipsa extet exemplum. Quo pacto & Politicæ optimè inseruire poterit Comœdia, populárésque actiones, si quod prudentiæ, aliarúmque virtutum specimen dederint, ad summum, quantum tamen gradus ille patitur, extolli poterunt: tantum abest vt non possint sub Comici imitationẽ cadere. Neque verò non est excusandus dum licere vult medicamentis anteuertere fœtum: id enim fieri consensit, vbi (vt ipse † ait) mores institutióque ciuitatis prohibeant natos exponere, ac duplicatam prolis multitudinem iubeant hac ratione vitari: sic enim ipse expedire magis censet, vt medicamentis impediatur fœtus & conceptio, quàm vt post conceptionem impietas illa exerceatur. Et ideo etiam cum dixisset, Ad multitudinem nimiam euitandam anteuertere oportet vt non concipiantur, *subdebat,* nam postquam concepti sunt, & sensum aut vitam acceperint, nefas est attingere eos. *Qua in re rectiùs sanè quàm Plato: qui (vt vidimus) spurios etiam si exponantur præcepit alimento priuari. Atque eâdem planè venia dignus est Aristoteles, cum à Domino seruos corrigi iubet, ac pœnis affici. Etenim vt omittam apud veteres fuisse in more positum, vt potestas coërcendæ ac mulctandæ familiæ esset apud Dominos, quemadmodum cum alij testantur † multi, tum verò egregiè admodum cecinit † Homerus*

Marginal notes:
† cap. 12.
† cap. 23.
† l. 7. Pol. c. 16. ante fin.
† vide tit. inst. de ijs qui sunt sui vel al. iur.
† Odyss. 9.
De Fœtu medicamentis impediendo.
De Domini erga seruos.

in Odyssea

Θεμιστεύει δὲ ἕκαστος παίδων ἠδ' ἀλόχων.

Vxori & natis reddit nam iura seuerè
Quisque suis.

& huiusmodi morē, vbi de seruis puniendis ageretur ac mancipijs (de his enim loquitur Aristoteles) multò magis viguisse, atque in præsentia etiā vigere apud multas gentes; profectò non omnino pro arbitratu præmijs & pœnis affici voluit, sed pro benefactorum malefactorúmque ratione: ita vt libertatem etiam illis concedi iuberet, vbi Dominis fidelem ac diligentem nauassent operam. Quinetiam in priore Oeconomicorum libro, ex quo posterior qui de re familiari inscribitur, est expressus totus, (immo cùm hic græcè nō extet: vel certè idem planè sit cum priore, illud confusionem peperisse Latinis arbitror, quòd cum à duobus interpretibus de græcis conuersus esset, idque titulis illis voce diuersis, liberalissimus compilator vtrunque retulit inter Aristoteleos) nihil de extremo supplicio: sed docet solùm vt κολάσεις, *punitiones inquam, medicorum more (id quod correctionem potiùs, quàm extremum supplicium spectasse satis indicat) opere ac verbis adhiberentur vbi opus esset. Vt propterea inter alia multa, quæ egregiè præcepit dominis in seruorum gubernatione, id sanè nullo pacto videri debeat impiè crudelitérque sancitum. Quod verò obijciebatur permisisse arceri Sacerdotes, atque expilari templa, id sanè tametsi turpissimum videri possit, reprehensione tamen caret hoc in loco. nam vt prætermittam secundum illum librum de re familiari, vnde hæc hausta sunt, verè non esse Aristotelis, quemadmodum viri docti monent, ibi author exempla tātum colligit ex Græcorum ac Barbarorum historijs, quibus illi vel auxissent rem familiarem, vel pecunias parassent in summa egestate: quæ tamen interim, vt historici personam sustinet, nec approbat, nec damnat. Quocirca, si (quod accidere in exemplis solet) ex ijs extent aliqua quæ non sint ex iustitiæ legibus, industriam saltem atque ingenium præseferunt, quæ probes. Quanquam Didales Persa (id quod rei nostræ interest) dum ex fanis accepit argentea vasa, non aliunde accepit quàm ex fanis hostium: idque in extrema pecuniarum rerúmque indigentia, propter quàm milites iam ferè ad seditionem inclinabant. Neque Gabrias Atheniensis Taoni Regi Aegyptiorum id consilij dedit, vt per speciem amouendi Sacerdotes in tanta multitudine ac sumptu, callidè adduceret illos ad contribuendam aliquam pecuniæ vim, nisi dum bellum gereret contra Persas: idque ea lege, vt eo peracto essent ab omni tributo & exactione immunes. Quæ sanè Ethnicis, ac multò minus rem simpliciter narranti, infamiæ vertenda non sunt. Sed & de picturis atque imaginibus nihil fermè decreuit, quod vel laudandum vel excusandum non sit: nam cum scripsisset†* Omnino igitur obscœnitas verborum, vt & quicquam aliud, per legislatorem exterminanda est de Ciuitate: ex turpiter enim loquendi licentia sequitur & turpiter facere. Potissimùm igitur statim à pueris neque dicant, neque audiant

De Principibus ac ciuibus erga Sacerdotes ac templa.

De obscœnis imaginibus.

quic-

quicquam turpe. Si quis verò dicere aut facere quicquam prohibitorum deprehensus fuerit, is si liber sit, sed nondum in conuentum comessatorum dignatus assumi, honore prohibeatur, & verberibus castigetur: sed si sit maioris ætatis, seruili infamia afficiatur. *opportunissimè etiam præclareque subdebat*. Cum verò dicere quicquam interdixerimus, perspicuum est etiam à nobis prohiberi ne deformes siue picturas siue actiones aspiciant. Ac propterea cura erit Magistratibus nullam neque picturam neque statuam esse talium rerum imitatricem. *Quod si statim etiam subdidit*. Nisi tamen apud Deos quosdam, quibus etiam lasciuiam mos tribuit: apud hos permittet lex iam homines factos pro se & filiis & vxoribus sacra facere, *quis non videt ipsum, quoniam vsui ac legi repugnare cum difficile, tum periculosum esse animaduerteret, id necessitati ac timori tribuisse? tametsi dum illud postularet, vt ante virilem saltem ætatem id fieri ne liceret, quo loco haberet isthæc non dubitauit significare.*

De nefanda libidine.

IAM verò non possum non magnopere admirari, atque adeo stomachari incredibilem eorum siue temeritatem, siue stupiditatem qui Aristoteli affingunt nefandi amoris approbationem: quod scilicet in eo voluerit esse conniuendum. Etenim libro † *VII. politicorum, quem locum aduersarij ipsi proferunt, cum dixisset ex iucundis alia naturaliter esse iucunda, alia non naturaliter, sed partim ex læsione, partim ex consuetudine, partim ob naturas prauas, rem in his omnibus quæ non naturaliter sunt iucunda, exemplis ipsis (ac per hanc occasionem propositæ libidinis afferebat exemplum) declarauit statim: vbi hæc omnia ad habitus tum ferinos, tum maniacos, tum morbosos, tum denique praua consuetudine (id quod in turpi amore accidere voluit) peruersáque natura contractos reuocauit. At cum dixerit (id enim commouit aduersarios: atque hoc est quod vrgent) concubitus illius, quem nos nefandum appellamus, habitum consuetudine illa contrahi, statímque addiderit,* Id quod tum natura, tum consuetudine euenit, quemadmodum illis qui à pueritia consueuerunt. quibuscunque igitur in causa est natura, eos incontinentes appellaret nemo, *quid clarius afferri potuit? id inquam obijciunt aduersarij. Sed profectò cum semel aliquis transierit verecundiæ fines, nihil non facit impudentiæ segetem. Ergo addit (fateor) ea verba. Sed si rectè intelligantur, refellunt potiùs quod isti volunt, quàm confirmant. Nam Aristoteles cum dixisset,* Alij item (*habitus scilicet*) ex morbo sunt uel à consuetudine: vt pilorum euulsiones, vnguium rosiones, carbonum etiam & terræ commestiones, præterea venereorum vsus cum maribus, *atque hanc postremam cum cæteris illis ferinis & truculentis actionibus coniunxisset; ac denique verè affirmasset, eos qui hac ratione coirent non esse appellandos incontinentes, id statim ea ratione ostendebat, quòd cum aliquis aliqua ex prædictis actione implicaretur, vitij terminos excederet, perinde atque ij qui immanitate*

† cap. 5.

& feritate fœdarentur. Et idcirco etiam eos qui ijs resisterent, noluit appellari continentes, nisi similitudine quadam: nam continentia uitio opponitur, ut prudentia insipientiæ, fortitudo timiditati, nõ vitij excessui, cuiusmodi sunt prædicti. Et ideo concludebat rursus huiusmodi excessus partim ferinos esse, partim morbosos. Quamobrẽ cum Aristoteles nefandam eiusmodi libidinẽ ferino habitui similem esse velit, ferinos uerò habitus ijs uerbis explicasset paulò ante, Dico autem ferinos, cuiusmodi erat ea mulier, quæ grauidarum ventres rescindere, atque inde fœtus comedere consueuisse inquiunt: vel qui crudis aut humanis carnibus vescũtur, vel infantes sibi inuicem ad epulandum mutuare solent, *uideant isti quàm iniquo ac turpi loco sit eorum causa, & quàm contumeliosi sint Aristotelis reprehensores: cum in eo maximè eum accusent, in quo summam laudem meritus est. Quid autem de diuortijs? Equidem qui hæc quoque probata fuisse uolunt Aristoteli, magno me labore liberassent & cura, si locum ullum protulissent in quo illa exceperit ac probarit. Nam uisus est quidem* † *polliceri se de illis, quoniam in eorum mentionem inciderat, uerba facturum, ostensurúmque recténe an præpostere de ijs sancitum esset apud Cretenses: ubi tamen id fecerit, aut in quam sentẽtiam (hoc est approbando ne an improbando, aut etiam moderationem illis adhibendo) id fecerit nõ inueni. Quinetiam cum in oeconomicis & politicis, ubi proprius erat huius disputationis locus, spreuerit eiusmodi tractationem, ac matrimonij leges tã sanctè custodiri iusserit, non uideo cur id ei crimen obijci ullo modo possit. Vt omittã ne si quidem conniuendum existimasset in illis, id magnopere expostulãdum esse, dũ diuturnitate temporũ, atque adeò lege ipsa, ne dum consuetudine, apud omnes propè gentes, Hebræósque ipsos recepta essent: ac propterea (ut matrimonio diuinum sacramenti pondus nondum accesserat uspiam) tum diuortij dedecus (præsertim si non nisi graues quasdam ob causas concederetur) omnino animaduertere, tum inueteratæ huic consuetudini repugnare non liceret. Nam certè Plato qui longè altiùs sese extulit, atque honestatis officia quæsiuit accuratiùs, diuortiũ* † *ob infœcunditatem (in qua nos etiam certa quadam de causa, frigiditatem appellant aliqui, patimur locum esse diuortio) aut nimiam morum* † *acerbitatem, in qua nos tori saltem admittimus disiunctionem, uisus erat comprobare. Atque hoc fortasse nomine in hanc sententiam uenisset Aristoteles, quòd in Ethnico, nisi morosiores esse uelimus & importuni, mirandum non esset: quin crimẽ gentibus & ætati acceptum esset referendũ: Plato & Aristoteles moderationis laude ornandi. Venio ad Physiognomica, in quibus vix ac ne vix quidem video cur tãdem notari queat: non enim lubrica quædam atque adeò vana & superstitiosa obseruat, quorum naturalis ratio afferri nullo modo possit, immo verò consimilia repudiat disertis verbis: sed probabilia sectatur, quæque cum natura videntur esse coniuncta. Etsi enim indagare solet affectiones quoque animi, cuius natura nihil commune habet cum corpore, corporis tamen temperamentum multum refert non solùm ad mores ac passiones animi, quæ corpus etiam afficiunt,*

[Margin notes: De Diuortijs. — † l. 2. pol. c. 8. — † l. 6. de leg. — † l. 11. de leg. — De Physiognomia.]

afficiunt, verùm etiam ad opera mẽtis, quæ eget corporis adminiculo. Hinc tradit ea, nõ causas esse, sed signa: nec vnum aut alterum sufficere, sed plura requirenda atque spectanda. Quin passiones affectionésue animi, nisi corporis signis declarentur, negat ad huiusmodi artem pertinere: immo si adsint, non idcirco semper manifestas fore passiones. Denique nihil fermè de his habet quod non possit in Philosopho præsertim Ethnico, vel laudabile vel tolerabile iudicari.

De animi humani natura.

NEQVE verò sic conturbor pertinacibus ac litigiosis quorundam argumentis, vt ad alium ordinẽ referre illa soleam, quæ magnus hic Philosophus tradidit de animi humani natura. Etenim verè pro eius immortalitate pugnauit, eandémque sexcẽtis prope in locis confirmauit Aristoteles. Quæ sanè argumenta libenter prætereo, tum vt breuitati studeam: tum maximè ne videar actum agere. At enim dubitari non potest, quin immortalitatem disertè satis visus sit constituere: sed multa sunt tamen propter quæ videtur secum ipse pugnare, atque adeò in contrariam sententiam non violenter trahi posse. Fateor equidem. Nam vt homo fuit atque hæsitauit in multis, præsertim verò circa ea quæ ad animum pertinent, nõ potuit in tanta rerum varietate, etsi callidus, aut suam hæsitantiam occultare, aut ea omnia præuidere, siue etiam explanare, quæ ex varijs eius Physiologiæ decretis initijsque ad immortalitatem (quod aliqui deinde fecerunt) oppugnandam referri poterant. Etenim statuta Mundi æternitate, infinitus sese animorum numerus obijciebat primùm: cum tamen in rebus non modò corporeis, sed fortasse in abstractis etiam ei non probaretur infinitas. Declarandum quoque illi erat, anteiret ne corpus, an verò eodem planè tempore inciperet: qua in re, vt erat ingenij acer, uidebat quicquid decerneret, lubricũ esse, atque oppugnationibus obnoxium: nam neque certam ullam operationem poterat citra temeritatẽ attribuere ac præfinire animo, si corpore constitueretur antiquior (qua enim ratione aut quibus adminiculis ad eam intelligendam peruenire unquam potuisset?) neque mutationẽ ullam nisi physicam satis agnoscebat, unde si cum corpore inciperet, ortus rationem ac modum ullum afferret cum immortalitate cõgruentem. atque eadem planè de causa minimè habebat quo pacto explicaret, qui tandem haud necessariò communicaret cum corpore ac phãtasmate quod ad intelligentiam pertinet: (id enim immortalitatẽ necessariò consequebatur) aut quo pacto facta concreti resolutione intelligeret: cũ præsertim in insectando Platone & eius reminiscentia, effecisset eam esse abrasæ instar tabulæ, &, quantum in ea est, omni rerum specie & cognitione priuatam esse voluisset, ac quicquid denique incipit, id & interire arbitraretur. Huc accedebat, quod nõ satis cõpertum habebat an informaret corpus quemadmodũ formæ cæteræ: an verò ei assisteret tantùm, perinde ac nauta & gubernator naui. Et hoc pacto illinc verebatur ne immortalitas (nã creationẽ non agnoscenti mergenda penitus videbatur in materia) labefactaretur ac tolleretur: hinc ne hominẽ ex animo & corpore quasi vnũ per accidẽs (quanquã huic incõmodo quoniam assistentẽ tantùm esse, lõgiùs probabatur illi, iã excogitauerat vnde occurreret.)

facere

facere cogeretur. Ad hæc multiplicatio habebat etiam nouas salebras propter materiam, cum ex hac illi (vt multi sentiunt) videretur pendêre indiuiduorum multiplicatio. His igitur implicatus dubitationibus Aristoteles, atque alijs etiam fortasse quæ ipse acutiùs quàm cæteri prospiciebat animo, diuerticula si in alia vnquam, hac certè in re quæsiuit, ac tenebras adamauit: è quibus sanè omnibus ex Peripateticis hactenus euasit nemo: ac (si me audias) qui conciliare omnia conetur & explanare apud Aristotelem, euadet nunquam. Hinc alij ad hos quasi anfractus deuitandos, ac soluendos nodos, creationem cum nouitate essendi (quam illi uocant) Aristoteli cognitam ac retentam esse voluerunt: alij infinitatem in rebus corporatis tantùm ab eo improbatam dixere: alij negarunt animum ex Aristotele multiplicari pro numero indiuiduorum: alij statuerunt vnum esse intellectum agentem in omnibus: alij denique turpiter illi affinxerunt mortalitatis opinionem. Inter quos, etsi qui multiplicationem negant, explodendi sunt vndique, postremi tamen sine vlla dubitatione hallucinati sunt grauissimè. Nam si Aristoteles docere instituisset animum esse mortalem, haud sanè erat cur magnificas illas voces funderet, † intellectus extrinsecus aduenit: † operationi mentis nulla communicat actio corporalis: † non habet organum corporeum: † intellectus separatur ab alijs vt incorruptibile à corruptibili: † est impassibilis passione corruptiua: † mens est immista, † est diuina, † nihil habet commune cum corpore, † est separabilis, nec est in materia ut anima sensitiua: † est hominis particula diuinissima: † intelligit cum vult, & quicquid vult: † non est Physici eius tractatio: non est principium motus: non est finis generationis: non est in materia: † quædam anima re est separabilis: † Physici est agere de anima quæ non sine materia: † intellectus non est cum corpore: † non corrumpitur: † est impassibilis: † impossibile est aliquid esse intellectu præstantiùs. Quid plura? si censuisset Aristoteles animum humanum esse mortalem, potuisset quemadmodum & in æternitate Mundi fecerat, perfricta apertáque fronte eius mortalitatem tradere. nam hoc pacto si quod de cæteris mortalibus formis iudicium tulißet de humano animo, omnes euasißet scopulos quos proposuimus: cum tamen ubi in eos, aut eorundem similes incidit, miris tergiuersationibus, molestissimisque dilationibus euadat. Vt propterea ad humani animi naturam explicandam, nulla siue infirmior, siue audacior ratio ac via iniri possit apud Aristotelem, quàm mortalitatis. Nam † Nyssenus, † Theodoretus, atque † alij nonnulli ex patribus qui Aristoteli exprobrant mortalitatem, id sanè fecerunt quòd ipsi haud essent Aristotelis interpretes: sed rem ex vulgato interpretum qui tunc Alexandrei erant, sensu ac rumore perpenderent. Quocirca horum nos pietatem probamus atque amplectimur: Alexandreos verò interpretes hac in parte reprehendimus ac repudiamus: cum præsertim (id quod dilucidè ostendit hos magnoperè aberraße) nullum locum, immo ne uerbum quidem proferre possint (nisi tamen nescio quædam verba ex † moralibus proferant, de quibus paulò post) vbi men-

† l. 2. de gen. an c. 3.
† l. 2. de gen. an. c. 3. † l. 1. de an. t. 92. & l. 3. t. 6.
† l. 1. de an. t. 21. † l. 3. de an. t. 3.
† l. 3. de an. t. 4. † l. 10. met. c. 7. † l. 3. de an. t. 12
† l. 3. de an. t. 7. † lib. 10 met. c. 7. cit.
† l. 3. de an. t. 8. † lib. 1. de par. c. 1.

† l. 8. met. t. 3
† l. 6. met. t. 2
† l. 1. de an. t. 49. † l. 1. de an. t. 65.
† l. 1. de an. t. 66. † l. 1. de an. t. 82.

† Nyss. c. 6. l. 2. de an.
† Theod. l. 5. græc. affec.
† Iust. in hor. ad gen. & Naz. or. 2. de The.
† lib. 3. c. 6.

tionem fecerit Aristoteles mortalitatis humani animi, sed tortuosis quibusdam vijs ac rationibus eã intrudere conētur: quæ si quid efficiunt, nihil aliud efficiunt nisi Aristotelem non omnes nodos hac in re explicasse: aut ad summum non vbique sibi constare. cum tamen nos innumera propè loca afferamus in quibus apertam ac magnificam mentionem facit immortalitatis. Quæ cum ita sint, profectò nullo modo est asserendum hinc iustitiam tolli, pietatem, cæterásque uirtutes, quin potiùs animi immortalite posita, tum has, tum præmia bonorum, suppliciaque malorum, atque uniuersum futuræ uitæ statum retineri. At enim qua ratione obsecro, futuræ uitæ præmia & supplicia non sustulit, cum asserat hæc fuisse à ueteribus excogitata & inuenta, ad homines in officio continendos? Sed profectò supra quàm dici possit contumeliosi sunt isti & importuni. Etenim cum assereret † Aristoteles, Cætera verò fabulosè ad multitudinis persuasionem, & ad legum, & eius quod conferat opportunitatem, iam allata sunt, *de ijs loquebatur quæ in fabulæ figuram de substantijs à materia seiugatis orbiúmque motoribus reliquissent maiores: docebátque ea omnia, vbi vnum aut alterum excepisses, (nimirum hos motores, Deos esse, atque diuino numine contineri naturam vniuersam) ficta esse ac fabulosa, atque ad vulgi persuasionem accommodata. quo in loco nihil planè de præmijs ac pœnis futuræ vitæ, sed deijs loquebatur quæ Dijs affinxissent veteres: & ideo ne vllus superesset dubitandi locus, subdebat statim,* hominiformes nanque & aliorum animalium nonnullis similes eos dicunt, & his similia. *vbi sanè apertissimis verbis ostendit se de humanis belluinísque ac monstrosis formis loqui, quas illi veteres fabulosis sermonibus illis affinxissent Dijs. de præmijs verò ac supplicijs bonorum & malorum ne verbum quidem. At ista tradit non solum ad multitudinis persuasionem, sed ad legum vsum & opportunitatem, fuisse excogitata. Esto. sed quid præterea? an quia asserit huiusmodi figuris Deos illos effinxisse & quasi induisse, vt hinc etiam ad leges seruandas excitarent uulgus, futuræ uitæ supplicia & præmia finxisse istos uoluit ac commentatos esse? minimè uerò. Quocirca potuissent ij quidem iure optimo quærere, quæ tandem ratione fieret, ut cum tales effingerent Deos, hac ratione uulgus ad legum obseruantiam, siue allicerent, siue impellerent (id quod Peripateticos torsit, ita ut is qui magni commentatoris titulo tumet Auerroës, non dubitarit ad Zodiaci animalia & his similia confugere) át cur tam præposteram ac monstrosam de Aristotole sententiam proferrent, non habuerunt. Quanquam (si me audias) neque erat cur tantopere æstuarent, atque ad eiusmodi somnia confugerent. Etenim Aristoteles in legislatores quosdam intuebatur: qui sanè quò maiorem authoritatem haberent suæ leges, ac religiosè exciperentur (poëtas nimirum imitati, qui se à Musis & Apolline afflari simulabant: ac fortasse id quod Hebræis uerissimè acciderat ut à Deo legibus donarentur, falsò adumbrantes) se à Dijs fingebant accepisse illas: quos propterea modò humana, modò alicuius animantis specie sibi adesse dictitabant. Certè inter Græcos*

Margin notes:

De virtutibus.

De præmiis ac suppliciis bonorum & malorum, ac de futura vita: vbi quatuor inprimis loca explicantur, quibus pugnãt aduersarij futuræ vitæ statum explodi ab Aristotele. Primus.

† *l.* 12. *met. t.* 50.

Cre-

Cretensium legislator Minos Homero ac † Platone teste, se in antro quodam per annos nouem cum Ioue sermones miscuisse, atque ab eodem leges retulisse iactabat. Inter Romanos verò (vt de alijs taceam) Numa Pompilius, quemadmodum est apud † Liuium, in lucum quendam secedere solebat: vnde, cum Aegeria nympha simulato congressu, leges attulit. Quocirca quemadmodum de Minoë cecinit Homerus.

† in Minoe. et 1. de leg.

† Dec. 1 l. 1.

Ἐν̓ι Κνωσὸς μεγάλη πόλις, ἔνθα τε Μίνως
Ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου ὀαριστύς.
Inter & has Gnosus magna vrbs est, Rex vbi Minos
Cum Ioue congressus nouem protraxit in annos.

sic de Numa Ouidius.

Aegeria est quæ præbet aquas Dea grata Camenis,
Illa Numæ coniux consiliúmque fuit.

Quare Plutarchus † quasi Aristotelis interpres, eadem fermè de priscis legislatoribus commemorat his verbis. Ij, ut præstantes quidam esse videantur, ad Deos referunt actiones, somnia, spectra, & alium eiusmodi fastum prætexentes: quod uiris quidem politicis, quíque ad contumacem & intemperantem turbam coguntur viuere, non fortasse inutile est, vt quasi superstitionis freno vulgus retrahant, transferántque ad id quod vtile est. *Hæc Plutarchus: quibus nihil clariùs ad nostram sententiam explicandam & confirmandam. Verùm sit ista (dicet quispiam) germana istius loci sententia: sed quid ad ea quibus rursus futuram hominis fœlicitatem oppugnauit ac sustulit? etenim in † libris de moribus, cum ijs responderet, qui assererent nobis, quippe qui homines sumus & mortales, humana & mortalia, non diuina illa in quibus videbatur fœlicitas collocata; esse cogitanda & spectanda, aiebat non idcirco deserendam esse nobis contemplationem illam: vt saltem quatenus licet immortales efficeremur. Atque hinc est vt tandem in sua diuina † Philosophia latiùs euomens virus impietatis suæ, affirmauerit nobis contra quàm Deo accidere: cum nobis breui admodum tempore, illi per omnem æternitatem optima contingat vita. quid enim obsecro clariùs afferre potuit ad futuræ vitæ beatitudinem euertendam? Tametsi cum iam antea impudentissimè † scripsisset fœlicitatem ex ijs esse quæ non pertinent ad mortuos; ne siquidem in posterioribus istis locis tantam pestem euomere destitisset, impietatis crimine caruisset. præsertim verò (id quod insanabile reddit vulnus ac desperatum) quia cum in mortis sermonem † incidisset, quam extremum malorum esse diceret; id ea ratione confirmabat, quòd post mortem nihil boni aut mali superesse videretur. Hæc inquam obijciat quispiam. Et quidem perspicua videri possent cuipiam loca ista: veruntamen si spectentur accuratiùs, nihil minus efficiunt, quàm quod conantur aduersarij. Siquidem Aristoteles in libris † de moribus (id quod ipsemet admonet passim, atque interpretes fatentur omnes) egit de ea tantùm fœlicitate quam pertinere existimauit ad hominem in*

Secundus.

† lib. de Socr. dæmon. pag. 6.

† l. 10. mor. c. 7. propè fi.

† l. 12. Met. c. 39.

† l. 1. mor. c. 10.

† l. 3. mor. c. 6.

† l. 1. mor. c. 9. & 13. l. 10 c. 7. 8. & al.

hæc

† lib. 1. mor. c. 7. & l. 10. c. item 7.

hac uita, ac propterea cum † docuisset beatam uitã esse positam in operatione secundum uirtutem optimam & præstantissimam, hoc est, non in uirtute ipsa tãtùm, sed in operatione quæ fit secundũ virtutẽ, neque secundũ quancunque uirtutem, sed secundum optimam & perfectissimam quæ manat inprimis (ut ipsemet deinde † exponit) à mẽte et sapientia, & in contẽplatione consistit optimi; addebat hanc operationem esse debere in uita perfecta: hoc est (ut ipsemet non obscurè † explicauit) non in puerili & immatura ætate (puer enim fœlix dici non potest cum careat sapientia) sed uirili: atque ea sic uirtutis habitu, operationúmque frequentia confirmata (neque enim unica siue hirundo, siue serena dies efficit uer) ut ratio atque iudicium mira cum facilitate & uoluptate in optimi contemplatione uersetur. Hæc summatim Aristoteles. Quocirca dum in diuina Philosophia (qui locus vrgere videtur maximè) reprehenderet veteres illos, qui Deo negarent id quod est optimum, contẽderétque Deum optimam vitam degere semper, profectò non alio consilio contendebat, talẽ illum degere semper optimam vitam, qualem nos breui tempore, nisi vt optimam illã ac beatissimam quam introducebat Dei vitam, cũ beata illa et optima, quam homini, hoc est mortali, attribuerat in libris de moribus (in hanc enim intuebatur verbis illis) conferens, aliquo modo adumbraret, & explicaret. nam aptius illi exemplum nec suppetebat, nec suppetere poterat vllum: cum vnum hominem (quemadmodum ipsemet † testatus est) proferre posset qui Dei contemplationem, in qua beatam Dei vitã collocabat, quoquo modo exprimere, et imitari videretur. Ergo est quidem fortasse, quod attinet ad duo ista priora loca (nam de duobus posterioribus dicam mox) cur dubitent peripatetici quin arenosa aut potiùs commentitia (ne dicam puerilis) sit Aristotelea fœlicitas, cum perfecta illa vitæ diuturnitas incerta sit, ac senectuti, morbis, morti denique ipsi (vt minora incommoda & infortunia taceam) ad horas ac momenta singula sit obnoxia. iure etiam quærunt de obiecto (vt ipsi loquũtur) huius fœlicitatis, ac quodnam tandem sit hoc optimum quod hominem contemplantem reddit beatum · id quod eos transuersos egit mirificè. quin de sententia vniuersa ea quoque de causa & quærere & dubitare possent, quòd Aristoteles qui clamat hominem se habere ad res diuinas, perinde atque oculus noctuæ ad lumen Solis: non intelligere sine phantasmate & labore: ea quæ intelligit esse minimam partem eorum, quæ ignorat, & his similia; tandem affirmare haud dubitat eundem hominem frequentissima contemplatione, ac sine labore vllo, immo incredibili cum voluptate & iucunditate contemplari; atque inde beatum effici. denique (ne enumerem singula) dubitare etiam potuissent quo consilio eodem tempore vel ciuilem fœlicitatem quæ in actione cõsistit, repudiet (id enim toto capite VII. libri X. clariùs constare videtur, quam vt in controuersiam vocari possit) cum ea tam longis moralium virtutum conquisitionibus peruestigasset: vel saltem fœlicitatis definitionem, quam se vnius actiuæ, seu ciuilis vitæ gratia afferre † professus erat, contemplatiuæ maximè aptet. Nam ijs qui præstantissimæ virtutis nomine non vnam sed geminam virtutem intelligunt, nimirum prudentiam siue iustitiam, quæ in fœlicitate actiua &

† l. 10. mor. c. 7.

† locis paulò ante cit. & clariùs l. 1. mag. mor. c. 4.

† l. 10. mor. c. 8. m.

† l. 1. c. 4. 7. 9. Et alibi vt cõstabit paulò post.

intelligentiam quæ in contemplatiua sit præstantissima, vidēdum est ne vel id faciant repugnante Aristotele, qui si plures virtutes sint, optimam († inquit) & præstantissimam intelligo: vel certè ne interim in nouas difficilioresque salebras incidant. cum enim Aristoteles tum ante summi boni inuentionem fœlicitatisque definitionem, tum deinde in huius explicatione, tam frequenter † professus esset se quærere finem ac bonum agendarum rerum; atque hac de causa hoc diceret tum bonum illud esse quod appeteret † ea methodus atque tractatio: tum esse facultatis illius † scopum atque propositum: cum præterea † adderet eius cognitionem esse ciuilis facultatis propriam, quæ in rebus gerendis occupatur tota: ac rursus esse † singulis cum gente ac ciuitatibus commune, ac tale vt † non possessori modò, sed & affinibus & amicis, & ciuibus sit sufficiens (hæc enim ciuilis vitæ boni esse propria docet † passim idem met Aristoteles) & ob id etiam testatus † sit se longas illas de virtutibus, amicitia, & voluptate disputationes suscepisse eius boni causa quod ciuili vitæ propositum est, ac denique (ne persequar omnia) dum ipsam definitionem iam iam laturus esset, eam diceret † in ea hominis actione sitam esse, quæ ipsi homini practicam vitam degenti conuenit. profectò (quicquid semel † tandem, quasi omnia retractans atque rescindens, scripserit Aristoteles) non potest ea definitio atque adeò conquisitio vniuersa contemplatiuæ fœlicitati primò ac maximè aptari, aut etiam eidem cum actiua, peræquè communis fieri quin rescindantur atque ad alienum scopum detorqueantur ea omnia, quæ ab initio ad finem propè ipsum, hoc est ad septimum vsque caput postremi libri, disputata sunt: præsertim verò, quòd dum eam definitionem moliretur ac veluti fabricaret, se scripserit † non eo in loco de contemplatiua vita acturum, sed deinceps: quod fecit postremo libro. Quamobrem (vt redeam ad institutum) ea quæ dicebam atque alia huiusmodi sunt quæ iure optimo & sciscitari & agitare potuissent ac debuissent Peripatetici horum locorum occasione: at cur assererent hîc Aristotelem futuræ vitæ fœlicitatem homini denegare, non habuerunt: nam (vt vidimus) totus est in fœlicitate huius vitæ: atque huius exemplo & specie (quoniam alia ratione non poterat) conatur Dei fœlicitatem ac vitam optimam & beatissimam adumbrare ac suadere. ita vt hæc loca neque ad statuendam neque ad refellendam futuræ vitæ beatitudinem quidpiam valeant: vel potiùs, quoniam ibidem humanam mentem tum diuinam appellat, tum diuinissimam hominis partem; ad eam retinendam aliquo pacto valere possit rectè ratiocinanti.

Tertius. Idem fermè de tertio loco affirmarim. Nam quoniam Solon ob humanarum rerum inconstantiam qualis in Priamo & sexcentis alijs visa erat, neminem audebat beatum appellare ante mortem, itáne (aiebat Aristoteles) is cui omnia è voluntate ac fœliciter succedunt in hac vita, beatus dicendus erit non in vita sed post mortem? Quod statim etiam conatur refellere: idque ea potissimùm de causa, quòd hoc cum ijs pugnaret, quæ paulò ante fuerant demonstrata: atque idcirco paulò post absurdum esse statuebat aliquem uocari fœlicem, nisi cum eo munere fungeretur, iisque frueretur

† l.1.mor.c.7.
† l.1.c.2.3.4.7.8.9.10.13.
† l.1.c.2. ad fin.
† l.1.c.2. & in 3. ad fin.
† l.1.c.2.
† l.1.c.2.
† l.1.c.7.
† vide l.10. eth.c.8. & alibi.
† l.2.c.1. & deinceps.
† l.1.c.7.
† lib.10.c.7.
† l.1.c.5.

retur in quibus fœlicitas fuerat collocata; ac proinde negabat in morte potiùs aut post mortem quàm in operatione ipsa & munere, quod in vita tractauerat, & in quo fœlicitatis vis constituta fuerat, vocandum fuisse fœlicem. Quibus in locis quoniam Solon non aliam quàm huius vitæ fœlicitatem videbatur quodammodo tollere: (nam sententiam illam tulerat † contra Crœsum, & huiusmodi alios qui huius vitæ aura & prosperitatibus elati fœlicissimos se reputarent, quemadmodum † Euripides, etiam † Sophocles, † Herodotus, & alij quidam fecerunt ijsdem ferè verbis) Aristoteles verò de hac ipsa operatione ac fœlicitate loquebatur, quam in vita mortalibus attribuerat: atque hanc ipsam retinere conabatur; nihil contra futuræ vitæ fœlicitatem. Et hinc est ut quoniam Solon (quemadmodum ipse Aristoteles monet) non tam post mortem quàm in supremo vitæ die sentiebat pensandam esse fœlicitatem, (nam idcirco monebat finem esse spectandum ac supremum vitæ diem) idque vt iam planè constaret nullis calamitatibus de fœlici illo statu fuisse deiectum, ex quo sequebatur illum in vita fœlicem fuisse saltem, licet non potuisset nisi in morte id verè agnosci, ac fœlix appellari; Aristoteles his non contentus pugnat hunc in vita fœlicem appellandum quoque fuisse. Nam de humana fœlicitate (inquit) loquimur in qua fieri nequit vt ne calamitas aliqua accidere possit: ac propterea satis est huiusmodi fœlicitatem habere eam constantiam & diuturnitatem quam patiuntur res humanæ: cum præsertim in ijs sit collocata quæ minus quàm cætera subiacent calamitatibus: quæque, si cætera bona lædantur omnia, adhuc consistere possit: cum præclarissimis illis siue iustitiæ siue sapientiæ, siue etiam prudentiæ operationibus retentis, non possimus de fœlicitate deijci: vel si deijciamur, vt contingit in calamitatibus grauissimis, vnde cruciatibus & alijs huiusmodi malis afficimur sæpè; miseri certè non simus. Hæc Aristoteles, vt summatim dicam: quibus efficit aliquem in hac quoque vita contra Solonem fœlicem uocari posse.

Etenim licet Solon dum assereret in supremo tantùm vitæ die de hominis fœlicitate iudicandum, eò spectabat solùm vt eorum temeritatem cohiberet qui secundis rebus elati, fœlices haberi vellent: eiusmodi tamen assertione, quippe quæ generalis erat, & nullam eius vitæ partem, aut operationem excipiebat, fœlicitatis nomen denegabat in vniuersùm. Ex quo planè fiebat vt Aristotelea quoque fœlicitas quæ in operatione quadam huius vitæ collocata fuerat, ruere videretur. Ergo Aristoteles, huc refert disputationem, totúsque est in mortalium actionibus & fœlicitate humanæ huius vitæ retinenda. Quod cum ita sit, quis non ijs succenseat qui ex hoc loco effatum illud in vniuersùm colligere non dubitant, nimirum fœlicitatem ex ijs esse, quæ non pertinent ad mortuos? & cum de mortali hac vita tantùm loquatur iste, illud ad beatam vitàm aptare audent quam nos docemus non in hac vita, sed post mortem, neque Aristoteleo illo operationum genere, sed longè diuerso attingi & comparari? Quid multa? eò paulatim per huiusmodi occasionem adducitur Aristoteles vt dubitet, an pertineant ad mortuos amicorum posterorúmue. siue prosperitates siue ca-

† ex Herod. l. 1. Hist.
† Euripid. in Andromac.
† Soph. in Tyndaro.
† Her. l. cit.

lamitates aduersaque fortuna; nam ex altera parte, inquit, absurdum videtur mortuum modò fœlicem effici, modò miserum atque in vniuersùm mutari. Ex altera verò parte quemadmodum viuentes cum dormiũt, infamia videntur attingi prosperáque fortuna, ita filiorum posterorúmque siue infamia & calamitates, siue prosperitates videntur ad mortuos vsque pertinere. Quam dubitationem ad extremùm sic transigit, vt velit ex his filiorum amicorúmue siue prosperitatibus siue calamitatibus si quid pertingat ipsos, exile ac paruum pertingere: nec illos posse ex beatis miseros, neque ex miseris beatos reddi. Quo in loco tantum abest vt Aristoteles eam fœlicitatem, aut infœlicitatem quam nos ex alio operationis ac vitæ genere manare profitemur, sustulerit, quod aduersarij calumniantur; vt non audeat statuere, eos qui vita functi sunt, non exiliter saltem attingi viuentium, siue amicorum siue affinium aduersa prosperáue fortuna: cum tamen, ne si hoc quidem negasset, beatitudini aut miseriæ præiudicaßet, de qua quærimus: cum hanc ipsi profiteamur longiùs semotam esse ab euentibus huius vitæ, vt his essentialiter, immo ne accidentaliter quidem (de his enim euentibus loquor Aristoteleo more, nulla habita ratione benè aut malè factorum unde calamitatibus aut prosperitatibus illis, dũ viueremus, aditus aliquo modo aperuerimus) attingi possit. Sed vt ad

Quartus.

postremum locum veniamus dum ait nihil amplius videri mortuo boni aut mali superesse, quid clarius (dicet aliquis) ad futuræ vitæ fœlicitatem euertendam? Ego verò longè aliter sentio. ac profectò licet non improbo eorũ responsum, qui hoc in loco Aristotelem populariter locutum esse affirmant: et ob id etiam obseruant non dixisse superesse nihil, sed videri superesse nihil; veruntamen ne fortasse cuipiam videar Tragicorum more in difficillimis nodis soluendis ad machinam confugere (verè enim in re difficili persæpe eò confugiunt Peripatetici, vt asserant Aristotelem ex aliorum sententia esse locutum) aliam responsionem afferam, quæ (ni vehementer aberro) locum hunc ab omni calumnia uindicabit egregiè. Ergo cum Aristoteles dixisset fortitudinem versari in rebus terribilibus, maximè autem terribilem esse mortem, probabat hoc subdens, πέρας γάρ. extremum enim; quasi diceret est malum quod nos priuat omnibus bonis ac uita ipsa, est igitur maximum & terribilissimum. Et quia potuisset quis statim obijcere. At quid Aristoteles si adhuc animus sit superstes, ac bona illum maneant & mala? Occurrit itaque è vestigio Aristoteles huic dubitationi ac subdit. At non uidetur mortuo superesse aliquid boni aut mali. quasi diceret: vtrum uerè supersit mortuo bonum aut malum nec ne, non disputo in præsentia: tantùm affirmo non uideri superesse aliquid. Et ideo homo quem diximus exercere uirtutem fortitudinis in rebus terribilibus, non potest aliquid terribiliùs offendere, quàm mortem: quia quantumuis post mortem animo superesset quid atrocius & terribilius; cum tamen hoc non cadat in nostrum sensum ac cognitionem, necesse est fateri mortem, quæ præsentissima ac minimè omnium dubia sensibus mentique se obijcit nostræ, ac tanquam maximum malorum

lorum sese obijcit, esse nobis horribilissimam malorum omnium. Ergo ex hoc loco (si attentiùs expendatur) non habetur nisi Aristotelem nolle in præsentia disputare, utrum uerè supersit aliquid: cum satis sit nihil interim uideri superesse. Neque uerò illud saltem concedendum est aduersarijs, quòd cum Aristoteles totus in fœlicitate huius uitæ occupatus fuerit, ac de alterius vitæ beatitudine scripserit nihil, hanc suspectam effecerit. Etenim videbat prudens Ethnicus cæteros poëticis fermè rationibus rem peregisse, ita vt Elisios campos, beatorum insulas, mortuorum vmbras, Plutonis Regiam, Cocytum, Acheronta, & huiusmodi alia sexcenta afferrent hac in re, quæ non magnam fidem inuenirent apud sapientes. sentiebat etiam se non posse in alterius vitæ statum intendere animi oculos, quemadmodum in hunc fecerat; nec rem ita peragere disputando, vt de more & grauis, & pro rei natura perspicua atque inprimis ex sensu, quo totus nitebatur, petita videri posset oratio. maluit itaque vir gloriæ amantissimus rem silentio inuoluere, quàm supra crepidam cum gloriæ periculo se extollere. Tametsi interim non potuit non indicare hæsitantiam suam: immo se ad saniorem partem esse propensum. Quòd dum verisimilibus quibusdam argumentis ostendo, mitto quod habet in libris de moribus dum † scribit viro forti pro patria occumbendum esse: hoc enim pugnaret cum ratione ac Natura ipsa si futuræ vitæ status esset nullus: præsertim si iste iam esset fœlix qualem eum fingit. mitto etiam quod cum † fateatur summum humanæ mentis bonum esse ab hac mortalitate separatum, non potest non fateri etiam animum, si sit immortalis, hoc bonum post concreti huius dissolutionem assequi, ac commodiùs etiam assequi. mitto præterea quod in † Polyticis cum incidisset in beatorum insulas, quas Poëtæ decantassent, eas sanè nec statuere ausus est nec refellere. Atque vt aliunde meam sententiam comprobem, duo illa moralis Philosophiæ loca perpendo primùm: in quorum † altero cum dixisset verisimile sibi videri fœlicitatem à Dijs exhiberi: in altero † scriberet humanæ mentis bonum siue fœlicitatem esse à rebus mortalibus separatam: horum tractationem subdebat esse altioris maiorísue negotij. Vbi sanè uel tali fœlicitatis genere tacitè significauit fœlicitatem quæ post curriculum huius vitæ ab alijs statueretur (nam hoc maximè maioris negotij alteriúsue contemplationis dicenda esset) uel certè, si de fœlicitate huius vitæ loquebatur, quam nobis adhuc mortalibus, siue agentibus, siue contemplantibus à Dijs putauit exhiberi atque conferri; profectò non videtur refugisse ac declinasse vtriusque istius fœlicitatis tractationem tanquam alterius maiorisue negotij, nisi quia vbi vel de fœlicitate à Deo collata, vel de separato bono seriò agendum esset; duo ista non poterant perfectè explicari, nisi in quæstionem de alterius quoque vitæ bono incideret. deinde cum in † disputatione de animo humano tam apertè doceat intellectum agentem esse immortalem atque perpetuum: ac rursus etiam † fateatur humanum animum si separetur à corpore humano non

posse

Cur de futuræ vitæ ratione ac statu disputare noluerit Aristoteles: & an reuera huiusmodi disputationem penitus declinarit.

† *l.3.c.6.*

† *l.10.c.8.*

† *l. 7. Pol.c. 5.*

† *l.1.c.9.*
† *l.10.c.8.*

† *l.3.de an.t. 20.& al.*
† *l.1.de an.t. 12.*

posse non intelligere, functionémque aliquam sibi connenientem propriámque exercere, quis non intelligat effici futuræ vitæ statum fuisse illi persuasum? Atque huc etiam pertinent ea omnia quibus non obscurè pro animi immortalitate decertauit. Quid plura? an non in libris de moribus † *scriptum reliquit*, Μᾶλλον δ' ἴσως τὸ διαπορεῖσθαι περὶ τοὺς κεκμηκότας, εἴ τινος ἀγαθοῦ κοινωνοῦσιν, ἢ ἀντικειμένων. ἔοικε γὰρ ἐκ τούτων εἰ καὶ διικνεῖται πρὸς αὐτοὺς ὁτιοῦν εἴ τε ἀγαθὸν, εἴτε τοὐναντίον, ἀφαυρόν τι καὶ μικρὸν ἢ ἁπλῶς ἢ ἐκείνοις εἶναι. *hoc est*, Magis autem fortasse de iis est dubitandum, qui vita perfuncti sunt: num boni alicuius aut mali sint participes. Apparet enim si ex ijs permanet ad ipsos quidpiam siue bonum siue malum, hoc vel absolutè atque simpliciter, vel illis exiguum ac paruum esse. *Quis enim hunc locum legere possit, quin intelligat Aristotelem omnino uideri unum sumere, & alterum quærere: quærere an uiuentium calamitates aut prosperitates attingerent eos qui uita functi sunt: sumere eorum animos superesse. Et ideo;id quod sententiam nostram mirificè confirmat: ac non immortatem solùm. uerùm etiam futuræ uitæ fœlicitatem & infœlicitatem illi persuasam fuisse indicat, statim subdit*, εἰ δὲ μὴ τοσοῦτόν γε καὶ τοιοῦτον, ὥστε μὴ ποιεῖν εὐδαίμονας τοὺς μὴ ὄντας, μηδὲ ὄντας μακαρίους ἀφαιρεῖσθαι τὸ μακάριον. Quod si neque exile sit (*de bono aut malo loquitur, quod exile ad summum permanare dixerat ad mortuos ex viuentium calamitatibus*) haud sanè tale erit ac tantum vt siue fœlices ex infelicibus reddere posſit, vel è contrariò. *Hæc rursus magnus iste Philosophus: qui propterea hîc etiam animi immortalitate, ac finibus bonorum & malorum retentis, iustitiam, pietatẽ, uirtutes denique omnes non sustulisse, sed quantum ab Ethnico non simplici, sed sagaci illo quidem & cauto, quique unis sensuũ adminiculis in philosophando uteretur, expectandũ fermè esset, confirmasse dicendus est.*

† l.1.c.11.

Ad explorandum adhuc quid senserit de futura vita, expenditur accuratiùs propositus locus ex libris de moribus.

Sed iam mihi audire videor Peripateticos aliquos, eósque non ignobiles ea de causa nobis vehementer aduersari, ac repugnare, quòd Aristoteles hoc in loco non spectarit statum demortui nisi quatenus fuit fœlix, atque habita ratione exactæ vitæ & fœlicitatis: quo solùm nomine (inquiunt isti) eum reputauit quodammodo participem prosperæ vel aduersæ posterorum fortunæ. Ergo quoniam locus hic est grauissimus, quique (vt dicebam) ad animi immortalitatem, bonorum malorúmque fines, Religionem, virtutésque omnes vel retinendas in Aristotele, vel labefactandas momentum habet maximum; age rem hanc paulò latiùs disputemus: ac priùs Peripateticorum istorum opinionem quàm maximè possumus confirmemus.

Ac priùs afferuntur aduersariorum argumenta, & confirmantur altiùs.

I. *Et sanè non videtur Aristoteles hoc in loco vllam futuræ vitæ rationem habuisse dum asſereret eius qui è vita excessit fœlicitatem, posterorum prosperitatibus aut calamitatibus attingi. Nam primò cum Solonis sententiam* † *oppugnare aggrederetur, apertè præmonebat, neque se illum*

† l.1.c.10. ad init.

esse

esse, qui asereret mortuum esse fœlicem, neque Solonem id sibi voluisse: hæc autem si in futuræ vitæ fœlicitatem spectaßet, quasi eam vllo modo persuasam habuisset, affirmasset nunquam. Deinde inter Solonem & Aristotelem ideo dissidium oriebatur; quia Solon dictitabat neminem dum viueret, fœlicem vocari posse, cum esset adhuc calamitatibus obnoxius, sed expectandum supremum vitæ diem: ac tunc demum cum extra omnem vitæ huius aleam fuerit collocatus si è sententia & vixerit & decesserit, tutò fœlicem appellari posse. Aristoteles contra contendebat eum qui operaretur ex virtute optima in vita perfecta, dum adhuc viueret & operaretur, & esse & dici posse fœlicem, tametsi in calamitatem aliquam posset incidere. hoc autem dissidium ad hanc vitam pertinere totum nemo est qui non videat. Ad hæc Aristoteles statim Solonis argumentum in eum retorquens; si ob id (inquit) nemo qui inter uiuos numeretur, potest dici fœlix quia est adhuc calamitatibus obnoxius, ergo neque ubi decesserit, quantumuis è sententia decesserit, dici poterit fœlix: siquidem huius fœlicitas non est extra omnem aleam, sed potest posterorum calamitate pertingi. at hoc etiam de exactæ vitæ fœlicitate profert: non autē (id quod decepit aliquos) intuens in statum aliquem animi ab hoc corpore seiugati ac superstitis, qui adhuc sit fœlix. Quod sanè quoniam uideri posset intellectu difficile, cum fœlicitas illa quæ in actione uiuentis ponebatur, eo mortuo funditus euanuisset, ac proinde non uideatur posse ullo modo aut labefactari aut pertingi posterorum calamitate, conatur Aristoteles (quoniam iam semel pronunciatum fuerat) declarare ac suadere: nam quemadmodum (inquit) uiuentis fœlicitas labefactari potest eo ne sentiente quidem: ut cum illo inscio, filij uerbi gratia aut amici in grauissimam aliquam calamitatem incidunt: ita dicere possumus eius demortui, cuius filij uerbi causa in calamitatem incidunt, fœlicitatem labefactari aut pertingi: licet ille non sentiat ampliùs. En tibi nihil hactenus de futura uita aut fœlicitate, sed de præterita tantùm. Et idcirco cum dixisset; Quod si mortuum fœlicem esse non dicimus, neqne Solon id voluit, sed solummodo hominem dixit tunc beatum appellari tutò posse quippe qui extra omnia mala et infortunia iam collocatus sit, *subdebat,* Hoc quoque dubitationem quandam habet: videtnr enim mortuo bonum et malum adesse, perinde ac viuenti et non sentienti: vt honores et infamiæ filiorum et omnino posterorum prosperæ aduersaéque fortunæ. *& paulò post.* Absurdum qnoque est si nihil neque ad aliquod tempus posterorum res ad parentes pertineant. *Vbi etiam quia temerè uideri potuisset asserere mortui fœlicitatem utpotè exactam atque deletam posse adhuc lædi ob posterorum calamitates: idque inprimis negasset Solon qui asserebat mortuum esse collocatum extra omnem huius uitæ aleam.* Sed redeundum (*inquit*) ad id de quo priùs dubitabamus: ex illo enim fortasse etiam id quod nunc quæritur considerabitur. *Atque hoc pacto posteriorem hanc in quam disputando inciderat quæstiònem intermittens*

II.

III.

termittens, qua quærebatur an posterorum siue bona siue mala attingerent demortui fœlicitatem, redit ad priorem, qua quæsitum fuerat num aliquis dicendus esset fœlix dum viuit: statimque Solonis dubitationi satisfacit non indirectè, vt sic dicam, ac retorquens in eum ipsiusmet argumentum: sed directè; & ostendens fœlicem quem interim describebat, licet posset in aduersitates adhuc incidere, esse dicendum fœlicem dum viuit: nec expectandum supremum vitæ diem. Quòd & effecit eo summatim argumento vsus, † quòd cum humana tantùm fœlicitas quæreretur, quæque mortali contingere posset: non inamissibilis (ut ita loq[ua]r) & imperturbabilis fingenda erat: sed quæ & perturbationibus non[nu]nquam attingi posset ac pertentari: aliquando etiam labefactari: interdúmque (licet difficile ac perrarò) deleri funditus: ita ut licet is qui semel fœlix euasisset, non posset amplius fieri miser, cum nullis calamitatibus huius posset extingui virtus qua etiam efficeretur vt constanter celsóque animo perferret aduersam fortunam omnem; inter magnas tamen calamitates beatus nullo modo esset existimandus. Quòd cum fecisset; ecce tibi ad intermissam quæstionem† redit: docétque reuera posterorum calamitates demortui fœlicitatem attingere: licet usque adeò leuiter, ut ille ex fœlici infœlix fieri nequeat. quo etiam in loco quantumuis mireris rursus quo pacto calamitatibus fœlicitatem illam attingi velit, quam penitus euanuisse constat; de fœlicitate loquitur eodem planè consilio ac tenore quo antea: nimirum de exactæ vitæ fœlicitate: alioquin mirè æquiuocaret, ac non sibi cohæreret Aristoteles. & ideo (id quod sententiam hanc confirmat altiùs: contrariam euertit funditus) ad extremùm suam Aristoteles mentem perspicuis uerbis testatiorem relinquens, ait† istas calamitates non posse nisi exiliter contingere eorum fœlicitatem, qui non sint. Atque huc etiam pertinere videtur simile illud quod ad suam sententiam explicandam duxit ex Tragœdijs: significat enim mortuos prospera aduersáque posterorum fortuna perinde fermè attingi ac rebus diris ij attingantur demortui, quorum nomine illæ aguntur. Quare vel locus iste nihil facit ad fœlicitatem alterius vitæ, vel potiùs eidem officit: cum obijcientem sese de futuræ vitæ fœlicitate disputandi ansam ne per somnium quidem arripiat Aristoteles: tametsi hac potuisset longè aptiùs oppugnare Solonis sententiam, quàm futili illo argumento, ne dicam commento, in quo assumit non solùm uiuentis fœlicitatem lædi amicorum calamitatibus, etsi harum interim planè ignarus sit ille; verùm etiam dilapsam extinctámque mortui fœlicitatem attingi calamitatibus posterorum; tametsi mortuus nil tale sentiat, immo sensu omni careat. potuisset enim (si de futura fœlicitate ac vita opinionem vllam aut suspicionem habuisset) obijcere Soloni, ne in morte quidem poni hominem extra omnem calamitatem: cum sensus adhuc, immo & bona & mala, animos maneant decedentium. Hæc pro istis.

> † à verbis, Si igitur, &c. vsque ad finem capitis.
>
> † c. 11.
>
> † c. 11. paulò ante finem. quāquam aliter habet, quàm hic obijciatur.
>
> † c. 11. citato.

Afferuntur cõtrariæ rationes, atque aduersariorum argumenta refelluntur.

I. Nunc eosdem refellamus. Ac primò in eorundem caput reflecto argumentationem ipsorum vniuersam. Nam si à futura fœlicitate abhorrebat potiùs quàm bene de ea opinaretur, non debuisset assumere absurdum es-

se ca-

se calamitates posterorum non pertinere ad defunctos: ac ne hinc efficeret aliquis eos qui fœlices occubuißent his calamitatibus de fœlicitate deijci, eò confugere, ut assereret usque adeò exiliter attingi defunctos posterorum calamitatibus, vt non possint hinc fœlicitate priuari: sed potiùs ne sibi nouam difficultatem crearet, vnde etiam tantopere laboraret; debuisset sumere tanquam absurdum calamitates posterorum posse defunctos nullo modo pertingere: cum ij nullo modo sint. atque hoc pacto quemadmodum alijs argumentis iugulauit Solonem, dum scilicet directè respondens, effecit posse aliquem adhuc viuentem esse fœlicem licet non sit extra calamitatis alicuius periculum: ita nouam hanc quæstionem congrüenter ad suam sententiam definisset, ac paucis absoluisset, respondens reuera non posse deijci mortuos de fœlicitate ob posterorũ calamitates, quia non sunt: quo pacto optimè etiam consentiret sibi ipsi: qui cum ponat totam fœlicitatẽ in operatione illa uiuentis, cogitur fateri extincto illo penitus euanescere eius fœlicitatẽ: ac propterea non posse labefactari aut attingi cum non sit. Deinde, vt directè respondeam, falsum est Aristotelem asserere posterorũ calamitates non posse nisi exiliter attingere mortuorum fœlicitatẽ qui non sint. nã præterquã quod hoc pacto pueriliter lapsus esset cũ non debuisset dicere eò quòd non sunt, exiliter tãtùm attingi: quia si non sunt, neque exiliter neque grauiter attingi possunt; græca verba hæc sunt. ὥστε μὴ ποιεῖν εὐδαίμονας τοὺς μὴ ὄντας μακαρίους ἀφαιρεῖσθαι τὸ μακάριον. ac sensus est. vt neque fœlices efficere posit eos qui non sunt fœlices: neque qui non sunt fœlices, fœlicitate priuare. vbi per ea verba (eos qui non sunt) quæ in Latino codice sunt ambigua, ac transuersos egerunt aliquos quasi eos qui non supersunt intelligeret Aristoteles; significat eos qui non sunt fœlices: & ideo etiam videtur vnum definire, & alterum sumere: sumere esse quoquomodo superstites: definire non lædi eorum fœlicitatem: quia exiliter admodum attingitur. Sed de hoc paulò post. Sed & Tragicum illud simile non eò spectat quò spectare dicebatur: sed (si quis accuratiùs æstimet locum illum) efficit omnino quod dicam. Nam cum vellet ostendere non parum interesse in quæstione ista in qua quæritur an amicorum calamitases attingant fœlices; vtrum fœlix iste mortuus sit uel uiuat, similitudine nitebatur Tragicæ actionis, in qua multum interest, an diræ illæ nefariaéque res repræsententur, quasi tunc agantur: an verò narrentur tanquam diu antea patratæ sint: priore enim modo plurimùm, posteriore leuiter permiscentur auditorum animi. atque hic quoque locus fauet nostræ sententiæ: nam cum inter simpliciter viuos, & simpliciter mortuos, omnemque in partem extinctos, nulla reperiatur proportio, vnde grauis, exilísue fœlicitatis perturbatio, atque offensio contingere possit, sed in simpliciter mortuis perturbatio cadere possit nulla; simile istud esset subiectæ quæstioni inopportunum: quod tamen non erit, si ponamus tacitè interim sumere mortuum poße aliquo modo eße superstitem.

III.

Denique (vt toti argumẽto respondeam, simúlque totius disputationis illius

IV.

vim aperiam) esto in priore capite (duo enim in hac re consumpsit capita, decimum & vndecimum) dum statim ab initio aduersus Solonem disputabat atque eiusdem rationem in eum retorquebat, nõ spectaret statum defuncti prout aliquo modo superstes esse potest, atque aliqua fœlicitate frui: sed quod attinet ad elapsæ vitæ fœlicitatem, de qua vna in præsentia loquebatur Solon: (quanquam deinde in illis verbis, Absurdum quoque est si nihil neque ad aliquod tempus posterorum res ad parentes pertinent, *videtur iam in ampliorem campum deducere disputationem, vt dicam paulò post) attamẽ in posteriore capite rem repetit altiùs: videtúrque omnino considerare demortuum nõ quod pertinet ad fœlicitatem iam exactam, sed ad eam quæ sit præsens: quaéque non possit ei conuenire, nisi propter animum: aut certè abstrahere à certo aliquo statu & tempore. quinetiam in priore (vt dubitabat contra Solonem) cum propter defunctos duntaxat dubitasset, in posteriore de viuis etiam quærit an possint de fœlicitate deijci propter posterorum, amicorúmque calamitates, quod tum ex verbis propositionis patet,* Fortunas verò posterorum atque amicorum dicere nihil conferre, longè esse ab amicitia alienum, quinetiam opinionibus contrarium videtur; *quæ verba generalia sunt: tum ex dubitationis solutione, in qua ait.* διαφέρει δὲ τῶν παθῶν ἕκαστον περὶ ζῶντας ἢ τελευτήσαντας συμβαίνειν. *hoc est,* Differt autem in perturbationibus singulis an viuentibus, an verò defunctis contingant. *pari ratione dum statim de ijs qui vita functi sunt, quærit an possint boni aut mali alicuius esse participes, quærit hoc generaliter atque simpliciter, nulla habita ratione certi alicuius temporis aut mali & boni. ita vt quemadmodum finitam quæstionem illam superioris capitis qua dubitauerat an calamitates posterorum, siue huius vitæ, attingant mortui fœlicitatem, in posteriore ad infinitam quæstionem omnino reuocat; quærẽs simpliciter & in vniuersùm an posterorũ & amicorum quorumcunque calamitates, fœlicis; siue demortuus sit is siue viuens; fœlicitatẽ attingant: ita hoc in loco eandem prioris capitis quæstionẽ, quæ quatenus quærebat tantùm de calamitatibus posterorũ aut ad summum huius vitæ, erat finita; traducit ad quæstionem infinitam, quærens simpliciter & vniuersim, an qui vita functi sunt, boni vel mali vllius, quodcunque illud sit, (atque hoc sanè mirè fauet nostræ sententiæ, cum alterius quoque vitæ bona & mala omnino introducere atque spectare videatur) possint esse participes: vt satis supérque constat ex verbis ipsis, cum dicat,* Magis autem fortasse dubitandum de vita defunctis an boni alicuius vel contrarij possint esse participes. *Vbi statim, ne tam vastum pelagus ingrederetur, subdit.* Videtur enim ex his etiam si pertingat ad ipsos quicquam siue bonum siue contrarium; exile quoddam ac paruum id esse, vel absolutè & simpliciter, vel ipsis. sin minus tantum saltẽ ac tale, vt neque fœlices efficere possit eos qui fœlices non sunt: atque eos qui fœlices sunt, fœlicita-

te

te priuare possit. *quasi diceret. quemadmodum questionem illam superioris capitis, qua quærebamus, an posterorum calamitates attingāt demortui fœlicitatē, in posteriori, quod attinet ad personas, reuocauimus ad quæstionem infinitam, sciscitantes hoc tam de viuentibus, quàm de mortuis fœlicibus: ita hoc in loco quod ad bona & mala pertinet, reuocāda esset finita quæstio ad infinitā quæstionem, sciscitando an demortui alicuius boni malíue quodcunque tandem illud sit, sint participes. Sed quoniam maioris hoc negocij, alteriúsque instituti eßet ac tēporis; ideo in finita quæstione persistentes, sat sit, siue boni siue mali ex aduersa prosperáue posterorum fortuna pertingat mortuos, hoc esse vel per se, vel saltem, quod ad mortuos attinet, exile. Quod si neque etiam exile sit, at certè non tantum erit ac tale, ut fœlices mortuos reddere infœlices possit, aut è contrario. Hæc Aristoteles. qui quoniam non absolutè pronunciauerat demortuos attingi bona aduersáue posterorum fortuna: sed tantùm dixerat, si attingantur, exiliter attingi: aut summatim non ita attingi, ut de fœlici statu deturbari, aut ex infœlicibus fœlices effici possint; ne omnino colligeremus nihil certi in partem vllam statuere, rem absolutè ac sine conditione ulla admittit tandem concludens.* Conferre igitur quid defunctis prosperi amicorum successus videntur; simili modo etiam infortunia: ita tamen, ac tantum, vt neque fœlices reddere infœlices, neque quippiam tale efficere valeant. *Quæ verba, vt iam antea dicere cœperam, nisi aliquo modo in futuræ vitæ statum respiciat, intelligi nullo modo possunt. Neque verò fluctuat interim & in æquiuocationem labitur Aristoteles, dum in priore capite de mortuis loquitur in exactæ vitæ fœlicitatem intuens: in posteriore spectat quencunque demortui statum ac tempus: nam hoc appositè facit ac scitè: nimirum vt nobili illo ratiocinandi atque disceptandi genere uteretur quo à thesi siue infinita controuersia ad hypothesim finitámque cōtrouersiam traducitur disputatio: siquidem ad definiendum an mortui attingantur posterorum calamitatibus, quæ opportunior iniri poterat ratio, quàm expendendo priùs in vniuersùm, an fœlix (siue inter viuos siue mortuos numeretur) aliorum calamitatibus attingi possit, ac quantum præterea intersit vtrum viuente illò, an verò mortuo eius posteri in calamitates incidissent? Qua sanè ratione non ineptè & pueriliter disseruit Aristoteles, vt de eo fateri coguntur, qui perpetuò de mortuis eum loqui volunt, & exactè tantùm vitæ fœlicitatē ac statum intueri. nam quid insulsius dici aut fingi potest, quàm eum qui pugnat humanam fœlicitatem esse positam in vna operatione vitam hanc degentis secundum virtutem optimam, statim quasi suimet immemorem non dico disputando, sed definiendo affirmare eandem fœlicitatem etsi iandiu ob agentis mortem euanuerit, attingi calamitatibus posterorum? vel quid absurdiùs quàm de ea re, quæ nullo modo sit, quasi verissimè sit, verba facere? quin, si vt efficiat aut tueatur fœlicitatem verè in operatione viuentis totam esse positam, † docet fœlicem à misero dum vterque dormit, ac dimidia propè vita nihil differre: ídque eo argumento quòd in somno*

† *l. 1. c. 13.*

nemo aut benè aut malè operatur; quî obsecro non erit absurdum, si mortuum ob exactam; quaéque iandiu penitus euanuerit fœlicitatem, fœlicem esse contendat? id enim etsi disertè satis negauerit † Aristoteles, tribuere Aristoteli coguntur isti dum volunt exactam atque deletam fœlicitatẽ attingi calamitatibus posterorum. At enim (inquient isti) voluit Aristoteles, popularem quandam æstimationem secutus, exactam demortui fœlicitatem seruari in hominum memoria ob peruulgatam illius fœlicitatis famam, vel etiam ob illustres quas suæ virtutis ac fœlicitatis monumenta reliquerit: cuiusmodi sunt optima proles: bonorum amicorum multitudo: diuitiæ non malis artibus comparatæ: beneficia in ciues patriámque collata, ac cætera illius virtutis & sapientiæ insignia & monumẽta, in quibus post ipsam quoque mortem tanquam splendor ac radij quidam exactæ fœlicitatis & gloriæ enitente, ac fulgent: atqui ij radij haécque gloria sunt quæ ex Aristotele attingi ac quoquomodo denigrari possunt & maculari. Hæc isti. quod si ita est, egregium sanè disputatorem, constantémque Philosophum proferũt, qui cum tam subtili conquisitione, tantáque contentione † effecerit fœlicitatem, nihil aliud esse quàm viuentis operationem ex virtute optima, atque in huius operationis quæ ex hac virtute manaret gratiã, de virtutibus, amicitia, & voluptate tam fusè † disputarit, atque ad extremùm hanc ipsam operationem tum contẽplatiuæ tum actiuæ viuentis operationi † attribuerit, ac summatim totam suæ fœlicitatis naturam ac vim hac vna viuentis operatione concluserit: his tamen duobus capitibus eandẽ obliuioni tradiderit; ac nescio quã vulgaris fœlicitatis vmbrã sectatus sit. Adhæc, an nõ Aristoteles dũ in Solonem cõuerteret disputationẽ significantibus verbis † ostendit suã se interim tueri fœlicitatem quã in operatione collocarat? Deinde præterquã quod noua istiusmodi fœlicitas gratis profertur ab istis ac nullo indicio potest in Aristotele obseruari; profectò exacta illa fœlicitas in hominũ memoria non est tanquam inpresentia sit, sed tanquã fuerit: (est enim memoria rerũ præteritarũ quoque: immo harũ maximè) at fœlicitas dũ attingitur præsentibus calamitatibus, nõ quã fuit, attingi potest, sed quatenus est. & ideo non ex eo quod sunt superstites in hominũ memoria, affirmasset Aristoteles præsentibus calamitatibus attingi eorum fœlicitatẽ. Denique si (quod isti volũt) quoquo modo perseuerat demortui fœlicitas, propter illustria quæ iste reliquit gloriæ fœlicitatísque reliquias et monumẽta, profectò eodẽ iure debuisset Aristoteles nõ negare istã fœlicitatem labefactari ac maculari posse: siquidẽ calamitatibus vitijsque posterorũ ac ruinis in liberos, amicos & reliquas illas gloriæ notas fœlicitatísque monumenta irruentibus, istiusmodi fœlicitatẽ penitus deleri cernimus, & extingui: nedũ labefactari & maculari. Quamobrẽ ne tam varius, inconstãs, suique planè immemor atque adeò mendax videatur Aristoteles, fatendũ est, quicquid in priore capite disputando dixerit ac dubitãdo, tandem in posteriore rẽ totam in ampliorẽ campum deduxisse, ita vt quẽcunque demortui statũ ac fœlicitatẽ, & quæcunque mala spectarit atque attigerit. Vel ad summũ si vndique perplexa hæc esse pugnes, & vtrinque ambigua; non alterius vitæ statũ ac fœlicitatem denegasse, sed fuisse perplexum: ac propterea sententijs vsum esse ambi-

† l. 1. c. 10. ad init.

† l. 1.

† l. 2. & seq. vsque ad c. 6. l. 10.

† l. 10. c. 7. et 8.

† lib. 1. c. 10. ad init.

ambiguis quaéque in vtranque partẽ flecti poſſint. Sicque factũ eſſe ne omnino diſpici poſſit, negantibuſne magis faueat, an aſſerentibus. Quod ipſe non inficior ſed profiteor. Tametſi contẽdo ẽt ad meliorem partẽ (id quod ni fallor ſatis docui) eũ videri propenſiorẽ. Atque hunc ipſũ ſibi locũ vendicãt quæ prodidit de numero intelligentiarũ. Etenim ſiue quadraginta ſeptẽ eſſe putet, ſiue quot orbes, cur quæſo id impietati vertendum eſt ei qui diuinorũ oraculorum luce caruerit? pugnauit enim acriter pro abſtractis mẽtibus retinendis, quod nõ ſolùm aduerſus Philoſophos multos, verùm etiã contra Saducæos, Anthromorphitas atque huiuſmodi alios qui nihil ſupra corpus cognoſcerent, valet plurimùm. Quare ſi ad ingentẽ illum numerũ nõ peruenit, hoc eſt ei liberaliter condonandũ: cũ præſertim numeroſiſſimæ miriades illæ verè non viderentur naturali vlla ratione poße à nobis nõ dicã leuiter fortaſſe conijci, ſed euinci & comprobari. Quanquã cum in libris de cœlo toties † in extima cœli parte. ſiue extra cœlũ ſempiternas, beatáſque naturas atque adeò diuinitatẽ totã collocarit, videtur omnino alias præſtãtiſſimas mẽtes præter agitatrices illas ex maiorũ traditione agnouiſſe: ita vt vel illud de intelligẽtijs tradiderit, quatenns formæ sũt, hoc de iiſdẽ ſecundum propriã naturã, vel ſecũ ipſe de more pugnet. ſed de his atque alijs quibuſdam quæ pertinẽt ad beatas mẽtes opportuniùs paulò infra.

De intelligentijs quod pertinet ad numerum.

† l. 1. cæl. t. 96. & 100. & l. 2. t. 1. & 2.

VENIO ad ſecunda: nimirũ ad ea quæ verè ſunt abſurda, & aduerſantur pietati. Inter quæ illa occurrunt primùm quibus mendaciũ & fraudẽ probaße ac ſuaſiſſe viſus eſt. Et ſanè non negauit Ariſtoteles, immo apertè † monuit, neminẽ niſi ſceleratũ mendacio delectari: monuit † argumentationes quæ adumbrata potiùs quàm ſolida veritate continentur, non eſſe iniqua in cauſa vſurpandas: quæ duo nos quoque probamus & laudamus. Verùm (quod eſt vituperatione digniſſimũ) hæc turpi quadã exceptione concluſit. Conceſſit enim & in iuſta cauſa vſurpari poſſe falſas rationes, dummodo ſpeciẽ habeant veritatis; & vbi ratio id poſtulet ad mendacium confugiendũ eſſe: quaſi verò iuſta mentiendi cauſa cuipiã eſſe poſſit. Hinc non ſolùm docebat fidẽ oratori faciendam eſſe διὰ τὸ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι, vbi fallaces etiã & captioſas argumentationes probauit, dũmodo eßent veriſimiles; verùm etiam aßerebat hoc differre Oratorem à Dialectico, quòd in arte differendi, qui ſtudio fallendi ducitur, Dialectici nomẽ amittit, ac Sophiſta dicitur: at in arte dicendi tã is qui fallaciũ argumentationũ cognitionem habet, quàm qui earum vſu delectatur, Oratoris nomen retinet ac promeretur. Huic affine eſt quod † pugnauit anticipatã Oratoris probitatem, vel non eſſe neceſſariam: vel certè parui admodum faciendam præ ea quæ in moribus dicendo effictis atque expreſſis eluceret. Id nanque omnino abſurdũ eſt ac reijciendum. Etenim ſi non magna haberetur illorũ ratio, quorũ integritas ac ſanctimonia cognita eſſet atque perſpecta, contra verò moribus oratione ipſa artificioſè expreſſis tantum eſſet tribuendũ, innumeri profectò veteratores ac Sycophantæ prodirẽt indies, qui Meliti inſtar aut Sinonis per ſummã calliditatem, tametſi ſceleribus cooperti, optimos ſanctiſſimóſque mores dicẽdo effingerent: atque honeſta cauſa, turpi; deteriore, potiore effecta ac reddita, Socrates & integerrimi quique opprimerentur. Quocirca ſæpe illud ex Euripide † vſurpandum eſſet.

DE IIS QVAE pertinẽt ad ſecundum ordinẽ, ac ſunt abſutda & aduerſantur pietati id eſt.

De Mendacio & fraude.

† lib. 4. Eth. c. 7.

† lib. 1. Reth. c. 2.

† l. 1. Rh. c. 2. poſt init.

† Vide apud Plut. de Repu. geren. poſt init.

Εἴθ' ἦν ἄφωνον σπέρμα δυστήνων βροτῶν.

Vtinam esset vocis expers humanum genus.

& illud.

Εἴθ' ἄνθρωποι

Ἦσαν μηδὲν οἱ δεινοὶ λέγειν.

Vtinam

Nullo diserti vt essent in pretio viri.

Et sanè, si probi (vt ipsemet uult) digni sunt quibus fides habeatur, idque tum vehementiùs, tum celeriùs, tum in rebus omnibus, tum in his præsertim quæ multum habent ambiguitatis & obscuritatis, quis est qui non videat huiusmodi probitatem nisi factis declaretur, vanissimam esse ac temerariam? etenim verissimè dici potest honesti probique viri mores ac facta esse tacitæ instar eloquentiæ, quæ hominum animos velint nolint deterrent atque auocant à vitijs, & ad virtutem alliciunt. Quamobrem acutè quidem ac scitè † Menander.

Τρόπος ἐσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος.

Mores mouent dicentis, haud oratio.

rectissimè etiam Homerus † cecinit, oportere hominem

Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων.

Ore loqui, & claris virtutem ostendere factis.

Ergo quanuis non negarim anticipatam illam probitatis opinionem, si dicendo etiam appareat, fore validiorem, cum magis magisque expressa afficiat, ac fidem faciat: posteriorem tamen sine priore & lubricam & perniciosam, nedum potiorem ac κυριωτάτην *(ut ille tamen ait) esse putandum est. Neque verò (si me audias) ignorantia potiùs quàm contradicendi studium & inuidia in hos duos veluti scopulos transuersum egit Aristotelem. Etenim passim† admonuerat nos Plato, oratorem oportere non opinionem quandam rerum, sed cognitionem, scientiámque pro virili parte sectari: inprimis verò debere optimis moribus esse præditum, ac iustitiæ laude excellere: atque ita demum his præsidijs munitum, posse ad dicendum venire: quinetiam (vt oratoris nomen adimeret ijs qui spreto veritatis studio, tum adumbratam rerum notitiam, tum inanem quandam profluentiam verborum consectarentur) addiderat †* δοξομιμητὴν, *hoc est opinionis imitatorem (hoc enim communi nomine appellat tum dicendi, tum disserendi magistros, qui non vera opinione, sed adumbrata niterentur) non minùs esse appellandum eum qui magna quadam verborum copia, ac veluti flumine ad populum publicè verba faceret, mendacem scilicet oratorem, quàm eum qui minutis captiosísque argumentis priuatim disserit, hoc est Sophistam. Quocirca illum non ampliùs oratorem, sed* δημολογικὸν *iussit nuncupari. Cum ecce tibi Aristoteles, quasi minùs gloriosè secum ageretur si assentiret præceptori, conatus est demonstrare nec scientiam esse oratori curiosè quærẽdam, sed satis esse si adumbratum quoddam veritatis studium, ac verisimilis cognitionem sectaretur:*

† *vide apud Plut. loc. cit.*

† *l. 1. Iliad. ver. 443.*

† *in Gorg. Phed. Apolo. & al.*

† *in Gorg.*

nec anticipatam dicentis probitatem, nisi leuissimi momenti esse: sed eam potiùs consectandam, quæ inter dicendum in morata oratione elucet: nec denique oratoris nomine priuandum esse illum qui falsis uteretur ratiocinationibus, dummodo speciem referrent ueritatis. Quæ opinio non à Christianis solùm, uerùm etiã ab ingenuo quolibet abesse debet, ac quamlongissimè abesse. Neque verò existimauit in ijs quæ pertinent ad auditorum animos permiscendos præceptori non esse repugnandum. Etenim Plato aurea oratione illa quam scripsit pro Socrate, disertissimis uerbis testatus erat, longè absurdissimum esse, atque honesto oratore indignum, dicendi artificio iudicum, auditorúmque animos perturbare, ac uerborum lenocinijs potiùs, & quasi præstigijs agere, quàm rationum momentis. Atque hanc ob causam Socrates, cum expectare omnes uiderentur, ut quoniam capitale erat illius crimen, de more precibus, obtestationibus, lacrymis, omnibus denique quibus posset modis, niteretur iudices ad misericordiam flectere; ecce tibi non sine ingenti omnium admiratione in hæc uerba iudices alloqui auditus est. † Iam verò aliquis fortasse vestrum reperiatur, qui in se ipsum receptámque consuetudinem intuẽs, grauiter ferat quòd cum leuioribus etiam in causis reus multis cum lacrymis soleat Iudicibus supplicare, atque amicos, cognatos, filios in iudicium producere, vt commiserationem commoueant, ego nihil horum faciam, quamuis in extremo (vt videtis) discrimine constitutus. his ergo offensus aliquis mihi magis ac magis succenseat, irritatúsque sententiam contra me ferat. Si quis igitur huius mentis inter vos est, ego tamẽ mihi ad supplicationes confugiendum minimè arbitror, quin potiùs virum istum erga me tam grauiter affectum hoc moderato sermone compellandum. Sunt equidem & mihi, uir optime, cognati quidam, nam vt est apud Homerum.

† Vide in Apol. ante fi.

> Ο'υδ' ἐγὼ ἀπὸ δρυὸς, οὐδ' ἀπὸ πέτρης
> Α'λλ' ἐξ ἀνθρώπων πέφυκα.
>
> Non ego de quercu natus sum, aut cautè reuulsus,
> Ast hominum satu.

Itaque et cognati mihi sunt, viri Athenienses, et filios tres habeo, quorum unus iam adolescit, duo verò sunt paruuli: nullum tamẽ eorum huc adducam supplicaturus, vt à vobis iudicio absoluar. Sed cur ita Socrates? Non pertinacia quidem, aut quòd vos contemnã: sed eam ob causam, quòd meam, vestram, atque adeò totius Reipublicæ existimationem decere minimè arbitror id facere, cum præsertim et ego id ætatis natus sim, et apud homines sapientiæ nomen (quanquam hoc mihi vindicare nunquam ausim) nescio quo pacto inuenerim. *Hæc & alia huius generis aureus Socrates apud Platonem: quibus sanè contendit nec iudicum integritatem decere, nec Reipublicæ authoritatem, nec denique*

dicen-

dicentis dignitatem, vt auditorum animi concitentur. Quæ omnia alibi etiam † testatur ac docet noster Plato ita vt oratores qui affectus conturbent, modò γόητας, præstigiatores inquam, modò ἐπῳδοὺς, hos veneficos, vel etiam incantatores, sed parum Latine, dixeris) appellet ac censeat. Veruntamen Aristoteles omnem rationem viámque aggredi & patefacere conatus est vnde auditorum animi non modò flecti & misceri, aut etiam impelli & inflammari, verùm etiam de integro mētis statu quodammodo deturbari possent: ita vt orator qui acerrimus iustitiæ ac patriæ custos & propugnator esse deberet, constantiæ oppugnator atque animorum tyrannus penè euaderet. Quanquam ut uerè fatear, hac in re vix ac ne vix quidem peccauit Aristoteles, licet à Præceptore discedere visus sit. Tametsi enim accuratissimè viam nobis tradidit † ac rationem qua auditores flectere ac perturbare possimus, laudauit † tamen eas Respub. atque inprimis Areopagitas qui huiusmodi machinationibus omnem aditum præscidisset: antiquos etiam Rhetores accusauit, qui omnem prope laborem in hoc collocauerant: immo verò confessus est hanc partem esse τῶν ἔξω τοῦ πράγματος, ex ijs, inquam, quæ ad rem non pertinent, ac propterea etiam παθητικὸν genus ac quæcunque de eo traderentur, περίεργα nuncupauit, hoc est inania & superuacanea: solaque ἐνθυμήματα ac rationes censuit esse huius propria facultatis: ac propterea non ita hac in re absurdus aut inuerecundus fuit perinde atque in superioribus. Quinetiam (si rem spectemus intimiùs) aliquam etiam laudem meretur, nam quòd magna per oratores ob concitatricem dicendi rationem incommoda importentur, id sanè non huic facultati ascribi debet, sed utentis iniquitati: qui non ad iustitiam ac Rempublicam ipsam & innocentiam tuendam vsurpet, sed in perniciem bonorum conuertat illam: id enim (vt ipsemet † scribit) est huic facultati cum omnibus bonis, vix vna virtute excepta commune, vt iustè & iniustè vsurpari ac tractari possit. Quocirca vtinam non in improbum hominem hoc incideret artificium quod ad flectendos miscēdósque animos comparatum videmus: nam & ad populares tumultus, intestinásque discordias ac seditiones sedandas, ad innocentium fortunas, dignitatem, vitámque tuendā, ad patriam Religionem à conscelerati hostis Tyrannique ipsius, quem non minus oratione quàm armis expugnare gloriosum est, propugnandam, ad diffluentes ocio ciues ad omnem virtutem excitandos momentū habet maximum. Atque hoc est quod sibi voluit Aristoteles dum nos † admoneret hanc artem non sapientum sententiæ, sed vulgi hominumque opinionibus accommodatam esse: rursúsque † doceret in oratione auditorum vitio & culpa, ac propter deprauatus hominum mores motus animorum non esse prætermittendos. Intelligebat enim auditores sæpe ignaros ac rudes esse: aliquando etiam gratia aut largitionibus corruptos: non raro ira, odióque tanquam tempestate iactatos: aut malè erga nos animatos. sentiebat etiam populum quicum frequenter agendum est oratori, non modò ignarum esse (vt dicebam) & rudem; sed vbi sola honestas obijciatur & dignitas, desidem ac tardum: contra verò cum impura voluptas sese obijciat & vtilitas

† in Gorg. in primis.

† l. 2. Rhet.

† l. 1. Rhet.

† l. 1. Reth.

† l. 3. Rhet.

† l. 2. Rhet.

inci-

incitatum atque furentem. ita vt impellendus sit ibi vi orationis: hic reprimendus. quin videbat non bonos Reip. moderatores oratione appetẽdos esse. qui cum omnia propria utilitate metiri soleãt, cupiditatibúsque indulgere atque seruire, non rationum momentis, sed dicẽdi facultate lacessendi & in officio continendi sunt. Denique animaduertebat non raro res tantã præ se ferre obscuritatem, tantam etiam esse iudiciorum sententiarúmque varietatem, tantam denique aduersariorum opinionem & authoritatem, vt quamuis de causæ honestate nobis constet, ne apud æquissimum quidem iudicem tuti esse possimus: tantum abest, vt iis fidendum sit, de quorum integritate & scientia nihil explorati habeamus; aut etiam magnoperè suspicemur. Hæc iudicum auditorúmque uitia quibus sæpe unis animorum permotionibus prospici posse animaduertit magnus hic dicendi atque intelligendi magister. Quæ sanè res eò tolerabilior videri debet, quòd etsi hac dicendi ratione facilè in vitium aliquod & culpam impelli possit auditor & iudex: præsertim verò vbi ad iram odiúmque excitetur: veruntamen nulla est perturbatio, quæ si opportunè atque honesta in causa excitetur, non possit cum virtute ac laude vsurpari & retineri. Quanquam ne quid dissimulem, illud vnum quod de inuidentia obiiciebatur, præcipuam habet dubitationem. Amor enim, timor, cæteraéque huiusmodi affectiones, quarum excitandarum rationem atque præcepta tradit Aristoteles; possunt cum honestate virtutéque coniungi: immo si opportunè (ut dicebam) ac pro dignitate concitentur aut restinguantur, sunt incitamenta virtutum, ac nos ad res præclarè gerendas mirificè iuuant. at de inuidentia longè aliter accidit: quandoquidem inuidus de alieno bono mœret non quia inde quicquam detrimenti capiat: nec propter spem aliquam utilitatis optat alienam prosperitatem deperire: sed quia tam prauo ingenio est improbóque animo vt crucietur secundis æqualium rebus. Vt propterea iure optimo asserat † Plato virum bonum inuidere nemini. Quamobrem quod pertinet ad inuidentiam non satis video qua tandem ratione Aristotelem siue tueri siue excusare possim. Atque hoc ipsum non difficilè fatebor, si quis in eâdem perturbationum tractatione ac præceptione aliquid obseruauerit quod aptissimum sit illud quidem ad miscendos animos: sed tamen non possit sine crimine ab ingenuo oratore vsurpari. ab his enim quò magis idonea sunt ad eum vsum, eò magis viro honesto ac frugi abstinendum ac temperandum esse arbitramur. Quare (ut ad rem redeam) in hoc postremo decreto, in quo à præceptore facile discedens perturbat animos, partim culpandus, partim etiam excusandus atque adeò laudandus est Aristoteles, Nam in reliquis duobus, quibus fictam morum probitatem ac mendacium amplectitur, si quidem amplectitur, nulla accipienda est excusatio. Sed & longè minùs excusandus est egregius hic Peripateticorum Princeps dum Tyrannidis tuendæ rationem tradit: idque siue sæuissimam illam spectes, siue alteram mitiorem. etenim cum in priore bonarum artium Academias euertat, disciplinásque omnes; conuentus prætereа societatémque omnem & honestum

† In Tim. & al.

De tyrannide & patriæ oppressore.

ocium, quin fidem ipsam, omniaque ferè charitatis & humanitatis officia tollat: discordias atque inimicitias & serat & alat inter ciues, eosdémque redigat ad inopiam, denique, ne omnia persequar quæ sunt plurima, bonos viros, ad quorum salutem incumbere vel maximè debet princeps, partim deprimendos, partim etiam opprimēdos esse censeat, ac propterea humana diuinaque omnia violet, ac turpissimè sæuissiméque violet, quis hac in re Aristotelem impium & consceleratum habendum esse non fateatur? Neque verò minùs execranda est posterior tyrannis: quin eius tuendæ ratio quò mitior, eò pestilentior. Siquidem prior illa ob immanitatem atque seuitiam est admodum caduca & fragilis: ac propterea non magnopere allicere potest quenpiam, & ad eiuscemodi crudelitatem excitare: præsertim verò quod cum summo vitæ periculo summam infamiam coniunctam habet. hæc posterior, quoniam mitior est, est etiam, si cum priore conferatur, solidior atque robustior. Etenim dum sic nolentibus imperat tyrannus & in æqualibus dominatur, vt regios quoque mores callidè exprimere atque adeò boni patrisfamilias tutorísue personam per simulationē imitari conetur, quis nō videat hoc tyrannidis genus longè firmius vel certè minùs infirmius fore? Atque vtinam ex posteriore hac tyrannidis forma sui furoris initia non sumpsissent tyrannici quidam Politici, qui non ita pridem siue Principem siue Rempub. instituerunt. etenim dum Aristoteles altera ex parte mitissimum hunc tyrannum Religionis studium ad ostentationem atque ad tyrannidem faciliùs tuendam præseferre iubet, séque patriæ tutorem ac publicæ vtilitatis amantem, aureaéque mediocritatis sectatorem effingere: ac summatim pietatem in Deum, liberalitatem in viros bonos & sapientes, charitatem in ciues omnes ad vnam tyrannidem referre: ex altera etiam rationem illi ostendit honestam illam quidem in specie, sed reipsa iniquam, vnde interim & alienis opibus ditescat, & plebem sibi studiosam reddat (huc enim spectant tum sumptuosa munera illa & collationes: tum in meretrices, scœnicos, ac peregrinos pecuniæ effusiones: tum præmia honorésque per tyrannos ipsos collata & erogata, pœnæ à Magistratibus irrogatæ: huc aliorum vires ac potestatem non nisi paulatim imminuere: neminem nisi fortè ingenio humilem ac tardum ad amplos dignitatis gradus euehere: ignominias illatas maioribus honoribus redimere, multitudini blandiri, & si quid huiusmodi) nemo est qui non facilè animaduertere possit Politicos istos de quibus dicebā, Aristotelis initia atque præcepta excoluisse, ac tanquam iniqua semina ad deterrimas fruges maturitatémque perduxisse. Nam qui duas hasce tyrannidis formas in aliquibus permiscuerunt: ac Principem modò sæuiorem, modò mitiorem se præbere temporíque seruire voluerunt, ij etiam Aristotelem aliqua ex parte doctorem agnoscant, séque fateantur hac etiam in re Aristotelicas quisquilias collegisse, necesse est. Etenim dum affirmat fore ut mitiori tyranno illi si ea omnia præstiterit quæ præcepta sunt, non arma ciuibus auferenda, atque huiusmodi alia quædam facienda sint, quibus tyrannidem tutam reddat, satis ostendit eidem tyranno, vbi ea non magnopere seruare

velit

velit ac colere, ad duriores hasce tyrãnidis tuendæ rationes ac vias deflectendum esse. vt propterea magnopere lætandum sit bonis omnibus in Politicos istos audacissimos & sanctissimis Ecclesiæ sanctionibus animaduersum esse: & viros pios ac sapientes grauiter esse inuectos ac salutaribus doctrinis inuehi indies magis. Neque verò obijciat mihi quisquam Aristotelem, quicquid isti moliti sint, retulisse tãtùm mores tyrannorum, ac rationes quibus plerique, maximè verò Persarum Reges, tyrannidem tuerentur: nam simul & tyrannidis tuendæ vias proprio ingenio luculentérque commonstrauit: & præcepta exemplis tyrannorum multorum confirmauit. Neque rursus prætexat hæc eo consilio exposuisse quo & idem Aristoteles de captiosis argumentis egit, & Medici de venenis præcipiũt: nimirum vt ea diluere, sophistásque refellere; hæc ab humano corpore depellere valeamus. Etenim Aristoteles de tyrannidis siue anteuertendæ ac præcludendæ, siue delendæ aut etiam oppugnandæ, rationibus ac vijs verbum subiecit nullum. Vt propterea verissimè dici possit Aristotelem ijs omnibus arma siue ministrasse, siue etiam exacuisse qui suos ciues Rempublicámque opprimere ac iustos dominatus & Regna in tyrannidem conuertere, vel certè vbi ea oppreßa essent, tyrannicè tutari illa ac diuturna reddere molirentur. Quanquam cum Aristoteles præclari etiam dominatus & iustissimæ politiæ formam atque præcepta tradiderit (tametsi acutiùs mea quidem sententia tyrannidis tuendæ explicauit vias, quàm rectæ politiæ administrandæ) non inficior eò iniquiores fuiße Politicos istos quàm Aristotelem, quòd optimæ Politiæ instituta, atque rationem repudiarint, tyrannidem adamarint. Quæ enim maior potest esse peruersitas quàm inuentis frugibus, glãde uesci: aut etiam (ut rem apertiùs explicem) sanctissimis firmissimísque politiæ legibus quæ cum magno Christianæ Religionis ac totius humanæ societatis bono, principúmque ipsorum vtilitate ac dignitate ad Europæas gubernationes altiùs instituendas referri poterant, reiectis, impias ac graues, proindeque turpes & imbecilles, immo verò (nisi Deus ipse ad mortalium errata vlciscenda diuturnas esse velit) uitro fragiliores? Sed ad Aristotelem redeamus: atque à politicis institutis ad physica progrediamur. Qua in re sciendum est Aristotelem censuisse motum (id quod transuersum illum egit in multis) incœpisse nunquam, ac proinde esse sempiternum: idque ea potissimùm de causa (vt eam in pauca contraham) quòd si motus aliquando incœpisset ac nouus esset, non potuisset esse nouus nisi per antecedentem ac priorem motum: atque hoc pacto ante primum motum prior fuisset motus. Hinc voluit tum tempus quippe quod consequitur motum, tum corpus mobile quod cum motu necessariò est coniunctum, esse æternum. qua ratione sanciuit cœlum quoque ortus & interitus esse expers: atque elementa, generationem, rerum genera, cœlestes denique Mentes omnes donauit æternitate. Origo autem huius erroris, seu potiùs tot errorum alter ille error fuit, quod ipse quippequi sensibus ac mutationibus physicis nitebatur totus; creationem non agnouit. Nam cum videret quicquid

De motus Mũdique æternitate.

De creatione.

quid mutatur, † vel mutari secundum locum, vel alteratione, quam appellant; aut etiam accretione diminutionéue, vel denique ortu & interitu; quæ omnia subiectam materiam (quanquam alia atque alia ratione) requirunt; omnino persuasum habuit ex nihilo nihil fieri: ac proinde cum creationem, quam Theologorum nostrorum scholæ productionem appellant rei subsistentis ex nihilo, non exciperet, motus quoque (vt dicebam) Mundique qui verè sine creatione incipere non potuisset, æternitatem commentatus est. Quamobrem qui in Aristotele tueri conantur creationem siue emanationem quandam, ijs ego assentiri nullo modo possum. siquidem quantumuis acriter pro ea decertent, nihil tandem efficiunt, nisi Aristotelem, quippe qui Mundi æternitatem obfirmato animo instituerat introducere, in salebras incidisse, ita vt non potuerit rerum originem cum Mundi motúsque æternitate componere: aut satis explicare, quo pacto Deus sit author totius Vniuersitatis. Et hinc est, vt quamuis non rarò Deum appellet rerum omnium causam seu potiùs principium, affirmétque ab eo pendêre earum essentiam, & vitam, idque (ne pugnes de vnis mortalibus loqui) sigillatim de cœlo Naturáque vniuersa fateatur, ac denique sic disserat vt suum Deum Vniuersitatis authorem haberi cupiat; veruntamen propositum nodum, quod pertinet ad veram efficientiam rerum quas ipse æternas statuit, non modò non explicauit, aut attigit vnquam, sed veluti anguem declinauit semper ac fugit. Quinetiam cum tam fusè multa de Mundi æternitate disseruisset, iámque vltro ea sese illi quodammodo obijceret quæstio, vtrum Mundus ita esset æternus, vt à Deo tamen conditus esset ab ipsa æternitate, quæstionem planè subterfûgit ac dissimulauit egregiè. Quocirca (si me audias) in salebris potiùs relinquendus est Aristoteles, quàm creationis tribuenda illi cognitio & approbatio. alioquin rueret statim tota illa ratiocinatio, qua † probat materiam primam tum reperiri, tum esse ortus interitúsque expertem. rueret præterea disputatio vniuersa, qua statuit † motus, mobilis, motoris, Mundi denique æternitatem: ac proinde etiam quæ proximè de primo motore tam fusè docuit, leuia planè essent & infirma, cum motus cœlique æternitate nitantur. Sed & demonstratio qua † conatur ostendere quicquid est ingenerabile necessariò esse immortale, & è contrariò, aut etiam † generationem esse sempiternam, nullam haberet vim. pari ratione dum docet † quicquid fit, debere priùs esse in potentia, idque in subiecto præexistente, efficeret nihil. Denique (ne consecter singula) ruerent ea ferè omnia quæ de intelligentijs Deóque ipso scripsit in duodecimo † diuinæ philosophiæ libro: cum eorum quæ hic præcepit, dogmatum initia & fundamenta (si quis rectè inspiciat) sint ea ipsa quibus primi motoris naturam ac vim explorauerat in physiologia. neque enim aliunde decreta ista omnia vim habent (si tamen habent: nam extra Peripatum pleraque frigent & euanescunt) nisi quia Aristoteles tametsi de elementis, intelligentijs, Mundo, ijs denique omnibus loquitur quæ nos per creatio-

† l. 1. p. t. 10. 12. met. t. 7. & al. sæpe.

† l. 1. Phy. t. 62. & deinceps.

† l. 8. Ph. ferè per totum.

† l. 1. cœl. t. 101. & deinceps.

† l. 1. de gen. t. 17.

† lib. 1. ph. t. 78. 1. de gen. t. 11. & alibi sæpe.

† à tex. 30. fere ad fi. vsque.

creationem cœpisse volumus, semper sumit nulla reperiri motus mutationisue genera præter generationem ac reliqua tria quæ commemorabam paulò ante: nihil nisi per motum produci siue effici potuisse: nihil fieri poße quàm præexistente subiecto atque antegressa materia: ac demum (id quod tam sæpè repetit, & è Physicorum omnium sententia esse contendit) ex nihilo nihil fieri. Quamobrem cum Aristoteles vbi de vera productione & effectione rerum agitur, non agnouerit effectricem causam vllam nisi per motum & transmutationem, actionésque omnes cum † motu coniunxerit, immo easdem in motu ipso positas esse voluerit, ac propterea etiam primum efficiens, quod Peripatetici vocant; † definierit per motum asserens id esse vnde primus motus: pugnaritque † quicquid agit, per motum agere; profectò vel secum perpetuò ferè dissidet, puerilitèrque labitur passim, vel certè creationem nullo modo excepit. Neque verò alio consilio hæc dicta esse velim quàm vt ostendam creationi locum non esse apud Aristotelem, cum de rebus naturalibus disserens, audacter pugnet primùm, tum verò obfirmato animo sumat, ex nihilo nihil fieri, ac materiam proinde cuicunque naturali actioni subijciat. nam de cæteris Dei operationibus quas nos statuere solemus extra Naturæ cursum, ac licet per materiam interdum fiant, vel in materia recipiantur, miraculo tamen continentur: siue (vt generatim loquar) spirituales sunt, opportuniùs aliàs. Tantùm dicam in præsentia, mihi non facilè persuaderi Aristotelem vsque adeò peruerso iudicio fuisse, vt vel omnino existimauerit Deum dum extrinsecùs operatur, nihil planè vnquam nisi per cœli motum efficere posse: vel certè non suspicatus sit aliquid ab eo interdum (id quod suo loco examinabimus) abdita quadam admirabilique ratione geri, quam mortales non modò non efferre sed ne percipere quidem possint. Tametsi, quoniam ipse rebus naturalibus quæ motum includunt, distentus erat animo, séque in eas abdiderat totum, ac Deum per vnum motum, & vt primum motorem agnouerat, Mundúmque ipsum ac singulas illius partes tanquam corpus physicum considerabat, vix, ac ne vix quidem quicquam persensit ac comprehendit quod non sit cum motu conglutinatum. Sed quicquid sit, physicas rationes subtiliter explicantem Aristotelem excipiamus, & cautionem solitam adhibentes, sectemur: cæteras ex sacræ Theologiæ fontibus puras liquidásque hauriamus. Et licet in ijs quæ de creatione Mundíque æternitate dicebantur, vtcunque excusandus videretur Aristoteles, tum quia in his quæ sub sensum cadunt, quorum præsidio philosophabatur, non obijciebãtur illi aliæ mutationes quàm prædictæ: tum quia † alicubi quæstionem de Mundi æternitate, quæ sanè propositos errores contrahit ac continet omnes, problema dialecticum appellauit, (quanquam qua mente appellarit dicam infra) alias tamen ob causas iusta reprehensione carere non potest. nam cum esset constantissima (vt ipsemet satis † indicat) omnium gentium opinio, Mundum aliquando incœpisse: idque apertè didicisset à præceptore, (nam id quoque † fatetur) ac fortaße etiam materiæ elementorúmue omnium emanatio, vt ab Orpheo & alijs celebratur, non esset illi inaudita, haud ita temerè atque audacter debuisset Mundi æternitatem, aut præexistentis materiæ necessitatem introducere: cum præsertim

facilè

† vide 3. phy. t. 19. & al. loc. cit.

† 2. phy. t. 29 & 45. 1. de gen. 14. et. 1. met. sum. 2. c. 2.

† 5. met. tex. 17.

† lib. 1. Top. c. 9.

† lib. 1. cœ. t. 102.

† lib. 8. phy. t. 10.

facilè animaduertere posset hinc rerum mortalium totiúsque Mundi effectionem, quam interim alias ob causas admittebat, in controuersiam vocari, immo (quod egregiè dissimulauit) penitus tolli: cum eâdem planè ratione qua Mundum statuebat æternum, effectricis causæ vis, atque (vt cum Peripateticis loquar) vera causalitas denegaretur Deo. nam si Mundi statuebat æternitatem, quòd effectionem ex nihilo, hoc est subiecta materia carentem mutationem, non admitteret (id enim tanquam certum sumpsit semper vbi semel disputauit) eodem modo negauit Deo primam & generalem effectionem rerum, cum non nisi ex nihilo seu per creationem effici potuißent. Ergo cum intelligeret mentem extrinsecùs aduenire homini, ac Mundi molitionem non nisi per summum scelus denegari Deo, debuisset potiùs attollere animum, atque ad nobilis illius emanationis cognitionem peruadere, aut saltem, (si obfirmato animo sensibus niti constituerat) rei difficultatem (id quod moderatum philosophum decebat) confiteri, quàm pro Mundi æternitate quasi pro aris & focis decertare: séque interim atque alios tot nodis, ac confligentibus inter se opinionibus implicare: nam hac de causa Mundi æternitas, diuina efficientia, animi immortalitas, præsertim pro hominum numero multiplicati; materiæ subiectæ necessitas in effectione rerum, cohærere nõ possunt ac conciliari: nisi ad noua portenta præstigiásque confugias: ac scelus scelere tegere enitaris. Iam verò (vt paulò altiùs se se extollat oratio) potiore quidem iure ad secundum hunc ordinem reuocandum videtur id quod & † dubitauit,

DE DEO, dum eum negat esse vbique.

atque omnibus fermè gentibus dissentientibus ausus est de Deo affirmare: Deum scilicet non vbique esse, sed in sola superficie extimi orbis. Qua in re non modò repudiatur à sanctis patribus, qui passim clamant, ac diuinarum literarum testimonijs, humanísque ratiocinationibus docent, reperiri in rebus omnibus, atque intimè reperiri; verùm etiam à Peripateticis ipsis, si vnum † Auerroëm, hoc est impietatis sectatorem, exceperis, communi consensu deseritur. Quamobrem † Themistius apertè docet Deum intrinsecùs peruadere omnia, ita vt totus attingat totum. † Philoponus certum nullum Dei eßentiæ locum præfiniri vult; sed ui, actioneque in omnibus reperiri. † Alexander intellectum agentem quem Deum ipsum facit, tradit esse vbique. † Simplicius omnia continere affirmat vinculo suæ voluntatis, eßeque in tota Vniuersitate. Quanquam ijdem, quos deinde secuti sunt † B. Thomas ac recentiores nonnulli, nituntur eum trahere ad meliorem sententiam: quia nimirum Deus in extimo tantùm orbe ab Aristotele tum dicatur esse, quòd † nimirum ibi maxime eius appareat maiestas; tum ob præcipuam † quandam actionem verè sit, cum inde auspicetur motum. vt quemadmodum non veteres poëtæ solùm ac philosophi, verùm etiam (quod refert longè maximè) diuinæ literæ certis quibusdam de causis non rarò † appellant cœlum Dei sedem ac domicilium, cum tamen † passim doceant esse vbique, atque intimè peruadere omnia: ita etiam Aristoteles (si nobiliores Peripateticos sequamur) Deum quem alioquin vbique esse fateretur, præcipuis quibusdam de causis collocarit in cœlo. Et quidem hac in re (si me audias) non tam sententia ipsa à nobis dissidet, (quanquam hac etiam non parùm dissidet) quàm verbis. Nam si quæ-

† li. de Mun. ad Alex. c. 7 ad init. lib. 8. phy. t. 84. & vtcunque 1. cæ. 22. & 2. de gener. t. 59.
† Auer. disp. 14. met. dubi. vltima.
† Tem. in parap. 12. met.
† Phil. 1. meteor. post init. & 1. de an. tex. 4.
† Al. 2. an. c. 27. & ex Simp. 8. phy. t. 84.
† Sim. 8. phy. 84. & 85. & in Epit. c. 66.
† B. Th. t. 84 cit.
† est Them. loc. cit. & Simp 8. phy. t. 84.
† est D. Th. loc. cit. & Sim. t. 84 cit.
† Isa. vlt. ps. 113. et al.
† Hier. 23. & al. sæpe.

ras

vas à Theologis nostris, qua tandem ratione Deus sit vbique, † potentia primùm respondebunt, quemadmodum lex, si quo modo possunt humanis diuina adumbrari, in vrbe tota, Rex in regno vniuerso dominatur. At hoc pacto Aristoteles libentissimè fateretur Deum esse vbique. nam in libro de Mundo ad Alexandrum † hac ipsa de causa longa oratione confert Deum tum cum ciuili lege, qua constituuntur & cohibentur res ciuiles vniuersæ ac ciues; tum cum Xerse, qui inter mortales imperio ac potentia longè latéque dominatus esset. Atque eodem ferme modo in diuina philosophia Deum vbique collocasset: nam cum † ab eo cœlum Naturámque pendêre velit, atque vt rectè administretur Vniuersitas, eundem omnium rerum & causarum principem fecerit, nunquam profectò negasset Deum potentia ac dominatu in omnibus reperiri. Quinetiam ita dilucidè † affirmauit Deum propria vi ac facultate continere omnia & tueri, atque idcirco συνεκτικὴν τῶν ὅλων αἰτίαν appellandum esse, vt nihil clarius. Addunt ijdem præsentia quoque esse vbique: ita vt omnia ante illius quasi oculos versentur, diuinóque aspectui nihil non sit expositum. At hoc etiam fortasse concederet Aristoteles: nam etsi id semel negare visus est; veruntamen multis etiam in locis in contrariam sententiã ire videtur: idque celebrioribus Peripateticis assentientibus, atque omni asseueratione affirmantibus. Quanquam infra vbi de Dei sapientia disseremus, expendemus etiam num omnia voluerit eius intelligentia contineri. Denique per essentiam quoque affirmabunt Deum esse in omnibus rebus: ita vt ijsdem quibus est præsens per intelligentiam, sit etiam intimus per substantiam. At enim qua obsecro ratione fieri hoc potest, cum in nullius compositionem, vt ijdem Theologi docent, venire possit Deus? An fortasse quia quemadmodum ipse vnus ab initio procreauit omnia, ac rebus omnibus indies ortus, conseruationis, & actionis cuiuscunque ac motus est præcipuus author atque intima causa, ita non possit non intimè præesse atque adesse omnibus? Ita sanè: nam cum hæc efficere haud possit nisi virtute attingat ea, (agẽs enim debet cum ijs esse coniunctus in quæ agit) virtus autem Dei sit eiusmet substantia, per substantiam quoque erit in rebus omnibus, atque hac etiam ratione in nullius compositionem coagmentationémque veniet. Esto. Sed hoc pacto neque lõgo admodum interuallo à nobis aberit Aristoteles. nam cum † fusè disputet, diuinum numen constituisse omnia, eádem intimè attingere ac peruadere, ita vt quemadmodum ortus ac vitæ, ita salutis sit eis causa, cum præterea (vt monuimus) totam Naturam ac Mundum ab eo pendêre velit ac regi, cur neget per substantiam ijsdem adesse? Cum præcipue & † sentiat agens debere cum ijs in quæ agit, esse coniunctum: & Deum esse simplicissimum, ac proinde fateri cogatur (quanquam hoc ipsum in sua diuina philosophia † docet non obscurè) diuinam virtutem ab essentia non differre? Quocirca dum dubitat an Deus possit esse vbique, si Deum vbique esse velis per causalitatem (vt ita dicam) & efficientiam, tecum omnino sentiet: nam eodem planè in loco in quo negat esse vbique secundum substantiam, affirmat etiam continere & causare omnia. Quanquam si subtilius deinde Dei potentiam ex Aristotele, causalitatem, conseruationem, compre-

hen-

B. Greg. in Cantic. c. 5. S. Th. pp. q. 8. a. 3. & alij al.

† Ar. lib. de Mundo ad Al. cap. vlt.

† lib. 12. met. t. 38.

† lib. & cap. cit. de Mun. ad in. & dein.

† in lib. de Mundo ad Alex. c. 7.

† lib. 7. phys. non semel & al.

† Lib. 12. met.

Videri Aristotelem posse in proposita controuersia cum Christiana Theologia conciliari: ita vt nõ pugnet cum eius decretis Deum esse vbique per potentiam, præsentiam, & essentiam.

Conciliationē propositam nō magnopere firmam esse habendam.

hensionēmque expendamus, intelligemus profectò Aristotelem hac in re à nostrorum Theologorum sententia abesse longiùs, ac verbis potiùs quàm re-ipsa fateri ea quibus illum cum Christiana veritate conciliare conati sumus. Nam si fortè nequaquam concedit Deum aliquid cognoscere extra se, mortalibúsque prospicere vel etiam negat reuera esse authorem rerum æternarum, aut nulla subiecta materia efficere aliquid posse, aut saltem asserit per motum tantùm & lumen agere, hácque vna ratione præesse Mundo, nugator egregius videri posset qui doceat ab Aristotele Deum per potentiam, præsentiam, & essentiam præfici Vniuersitati. quî enim vbique erit per præsentiam sine cognitione? quî per potentiam, si quæ possit ignorat? quî intimus erit rebus per essentiam, si eas nec informat nec procreauit? aut quî easdem attinget, si non per voluntatem vnde virtus, causalitas essentiaque diuina intimè peruadat singula, sed per motum aut lumen tantùm cuius vnius interpositu agat, gignit & conseruat omnia? Sed ne interim ijs niti videar, quæ adhuc sunt penè omnia controuersa; alio vtar argumento: etenim dum traderet Deum secundum substantiam non esse nisi in extimo orbe, siue (vt liberaliter cum illo agam) in cœlo, disertis quoque verbis asseruit illius numinis vim peruadere interim omnia. atque hoc pacto attingere ac gubernare Mundum vniuersum. Quod si ita est, per virtutem (id quod ex tota disputatione est clarius quàm vt dubitari possit) nullo modo substantiam vsurpat atque intelligit, sed potiùs quicquid ex alijs illius decretis sequi videatur; eandem ab ipsa Dei substantia disiungit, & effectum aliquem seu vim motus effectione rebus impressam intelligit. quinetiam, cum asserat terrena omnia quamlongissimè† abscedere ab diuino adminiculo, ac propterea multo tumultu agitari: non solùm fateri cogitur hanc virtutem (id quod ipsemet indicat etiam non obscurè) non communicari nisi per motum, vel etiam, si placet, per lumen: ac proinde mediatè potiùs, ac motus & luminis interiectu, seu continuatione quadam, quàm immediatè, ac nulla re intermedia vndique Mundum peruadere Aristotelicum Deum: verùm etiam hanc eandem virtutem remitti sensim, & inferiora vixdum satis attingere. Huc enim spectant inter cætera quæ ex eo subijciam.† Maximè verò uim eius sentit numinéque eius ante omnia fruitur id corpus quod proximè eum situm est: tum quod secundum ab hoc situm habet, & vnumquodque deinceps; prout situum ordo ad nostrum vsque locum natura constitutus est. Quo fit vt terra et terrena omnia quàm longissimè ab diuinitatis adminiculatione abscedunt, tam infirmitate summa sint ipsa, concinnitatísque sibi consentaneæ maximè expertia: atque ideo multo tumultu exagitata. Atqui cum ita sit numē diuinum natura sua comparatum, quoquo vt versus permeet: nimirum ea in quibus ipsi versamur, ac nobis superiora, pro eo quantus est accessus ad Deum, vel abscessus ab eo, eius opitulationem quoque sentiunt. Proinde id præstabilius esse censemus, Deóque tum decentius, tum magis consentaneum, ita de eo opinari, vt dicamus potestatem illam in cœlo sedes suas habentem, incolumitatis

† 2. de gen. t. 59. & lib. de Mun. c. 7.

† lib. ad Alex. c. 7. ferè ad init.

mitatis

mitatis causam rebus vniuersis præstare, ijs quoque quæ longius ab ea remota sunt: nec illis assentire, qui eam ipsam potestatem per omnia pertendentem & ventitantem ad ea quoque, quæ nec adire ipsam honestum est, nec dictu speciosum, sua illic opera efficere contendunt résque terrenas administrare. *Ac rursus alibi*. Quapropter si è dignitate Regis haudquaquam esset Xersem functione propria administrare omnia, & absoluere quæcunque facta cuperet, ne ipsum quidem operibus faciendis instantem curatoris operum officio perfungi: longè id nimirum minùs Deo conuenit. Quare augustius id decentiúsque existimandum est, Deum summo in loco ita esse collocatum, numinis vt tamē eius vis per vniuersum Mundum pertinens, tum Solem, Lunámque moueat, tum cœlum omne circumagat: simúlque causam præbeat eorum quæ in terra sunt, salutis atque incolumitatis. *His Aristoteles tum virtutem hanc disiungit à substantia: ac per motum siue lumen docet communicari: tum angustiùs communicari, quàm vt inferiorem hunc Mundum non dicam non attingat gubernétque, sed tumultu omni ac fluctuatione liberet. Atque in idem fermè recidit controuersia, si quod multi ex nostris Theologis arbitrati sunt, Deus quippe qui priùs adesse rebus censendus sit, quàm in ijsdem operari, per essentiam ipsam, ac ratione suæ immensitatis, idque seclusa etiã omni actione & efficientia, dicatur esse vbique. Neque enim visus est Aristoteles hanc tenuisse viam: nam licet † libro 1. de partibus animalium laudaret Heraclitum, qui cum in humili quodam fornice inuentus, asseruisset (quanquam quid sibi vellet Heraclitus, dicã † opportuniore loco) ne ab illo quidem loco abesse Deum; veruntamen cum rem de industria consultóque tractaret, reprehendit eos qui voluissent Deum esse vbique: statuítque per substantiam esse tantùm in cœlo, hócque vnum diuinæ naturæ congruere. Quinetiam si quis ab eo sciscitatus esset, quánam ratione collocaret Deum in cœlo, fortasse ne secundùm substantiam quidem tanquam per rationem essendi in cœlo, asseruisset esse in eo, sed potiùs propter virtutem cælo in mouendo applicatam. Et hæc facilè fuit causa cur in extima tantum parte asseruerit reperiri. nam si per solam operationem & motum collocasset primum motorem in loco, nulla erat ratio cur negaret esse in toto cœlo aut toto orbe quem mouere existimabat: cum orbis simul moueatur secundùm omnes partes. si per essentiam, iam non videtur posse percipi quo pacto substantia incorporea seclusa omni actione, informatione & causalitate sit in loco corporeo, immo sit in corpore: & tamen sit abstracta à corpore. Superest itaque vt per virtutem applicatam mouendo corpori senserit esse in loco. Et hinc est vt quoniam cœlum mouetur velociùs in extima parte, & vbi velocior est motus, ibi virtus motrix videtur applicata, statuerit primum motorē esse in conuexa parte: ex operatione seu motu applicationem virtutis, ex applicatione virtutis, locationem essentiæ colligens: vel si essentiam (quod ego non facilè crediderim) per se locatam esse voluit, non per applicationem virtutis: ex motu celeriore collocationem essentiæ colligens in circumferentia. Ita vt hac quo-*

In idem recidere cōtrouersiā si alia quadam ratione quàm proposita, dicatur Deus esse vbique per essentiam.

† cap. 5. non longè ab initio.

† Vide l. 4. Dec. 2. vbi agitur de loco Dei ex Aristotele.

que in parte abſuerit longiſſimè à Chriſtiana veritate: etenim quod nos de Angelo aſſerimus, quem hac ratione collocamus in loco, id ille ſenſit de Deo, quem tamen propter immenſitatem non certo in loco immo ne in loco quidem, ſed vbique eſſe affirmamus. Vt propterea excuſari quidem aliqua fortaſſe ex parte poſſit Ariſtoteles qui id de Deo tradere viſus ſit, non impietate adductus, ſed quòd id magis diuinam naturam (vt ipſe ait) decere iudicarit: ſed vel conciliari, vel defendi, vel etiam quoniam ab recepta propè omnium ſententia diſcedere non dubitauit, de temeritate purgari nullo modo poſſit. Nam Deum eſſe vbique non ſolùm † patres Theologorúmque † ſcholæ docent omnes; ac diuinæ literæ prædicant † paſſim; verùm etiam † Triſmegiſtus, Orpheus, Heraclitus, & (vt obſeruarunt aliqui) profani Poëtæ ac Theologi vniuerſi; Academici præterea, Stoici, ac bona cum Ariſtotelis atque impij aſſeclæ Auerrois venia, † Peripatetici ipſi. Ex quibus omnibus ſatis intelligitur hos ipſos Græcos ac Barbaros quos ait Ariſtoteles in cœlo collocaſſe Deum, non negaſſe immo conſtanter affirmaſſe Deum eſſe vbique. Quare dum dicerent eſſe in cœlo, id aſſerebant quòd cenſerent ibi maximè tum illius diuinitatem maieſtatémque elucere, tū ſe beatis mentibus (id quod apud Platonem, Homerum alióſque multos inuenies ſæpe) communicare. Denique Veteres illi non tam Deum quàm diuinitatem omnem (vt ipſi quidem loquebantur) hoc eſt cœleſtes omnes beatáſque mentes (id quod veriſſimè docebant) collocabant in cœlo. Quod ne ipſum quidem Ariſtotelem latuit: qui cum ſæpe monuiſſet in cœlo à veteribus diuinitatem omnem fuiſſe collocatam, hāc in ſua † diuina philoſophia intelligentiarum, beatarúmque mentium habuit loco. Nec fortaſſe aliud † ſibi voluit Pythagoras dum diceret Deum eſſe in centro terræ, niſi ne ab eo quidem loco abeſſe Deum. quanquam cum in cœlo † terram quandam antichthonam, ac noſtræ huic oppoſitam fingeret: rurſúmque ignem neſcio quem in centro Mundi, in eodémque Iouem collocaret, Oedipo ijs enodandis ſymbolis opus eſſet. Hæc de ijs quæ ad ſecundam veluti claſſem reuocanda atque explodenda ſunt. Quibus illud etiam (ſi placet) per me omnino addas licet: quod de ſomnijs affirmauit: nimirum à Deo nequaquam immitti ſomnia: id enim apertiùs negauit † quam vt vllum ſibi defenſionis locum reliquerit. Nam quod attinet ad energumenos ſiue ad eos qui à dæmone corripiuntur (quanquam ſigillatim nullam fecit horum mentionem: ſed de Sybillis & huiuſmodi alijs qui lymphati ac numine inſtincti dicerentur) aut etiam ad eos qui diuinitùs afflantur, quos ipſe inficiari † videtur diuinitùs afflari, aut niſi à bile concitari; id verò quatenus refellendum ſit (errore enim magna ex parte non caret) explicabimus † ante huius libri finē.

De energumenis atque afflatis & inſtinctis.

DE IIS QVAE attinent ad tertium ordinem ac verè ſunt ambigua & cū pietate conciliari poſſunt.

AGAMVS iam de poſtremis quæ (vt ſunt ambigua) dicebamus poſſe ad pietatem etiam reuocari. Ergo (vt ab ipſius Dei ſcientia incipiam) duo ſunt quæ nos de ea cognitione docemus quam tribuimus Deo. Alterum eſt obiectum diuinæ cognitionis eſſe Deum ipſum: ídque ea ratione, vt idem planè ſit intelligens, intellectio & res intellecta. alterum eſt Deum ſe ipſo ac per ſuimet cognitionem cognoſcere reliqua omnia quæ ſunt extra ipſum: ita vt minutiſſima quæque intelligat perfectiſſimè, ac nihil eius effugiat notitiam.

DE DEI ſcientia.

† Dyo. c. 13. de diu. n.
† Aug. l. de ſpeculo. c. 23. & al. Dam. 1. de fide c. 8 Cyr. 1 c. Iul. Hil. 8. de Trin. Phi. l. de confuſ. lin. & al.
† S. Th. pp. q. 8. & alij 1. ſent.
† Ier. c. 23. & al.
† Vide Iāb. de myſt. Fic. li. 1. Theol. c. 6. Fern. l. 1. de rerū abdit. cauſis c. 4. & alios.
† Vide ſupra.
† l. 12. t. 50. & 51.
† Ex Simpl. 8. phy. t. 84.
† Ex Ar. l. 2. coe. t. 72. & 73.
† l. de diu. per ſomn. c. 1. & 2.
† Sec. 30. probl. prob. 1. circa med.
† Vide inf. vbi de externis Dei actionibus.

Et

Et quidem quod attinet ad primum, mirificè nobiscum sentit Aristoteles: nam in ea † diuinæ Philosophiæ parte in qua differit de Dei cognitione, ostendit primam Mentem, quam ipse diuinissimam appellat, esse sibi ipsi intellectionis obiectum: idque ea maximè de causa quòd debeat habere pro obiecto id quod est optimum & perfectissimum, atque intelligere quod est diuinissimum & honorificentissimum: ac propterea cum ipsa sit optima & diuinissima, ipsa sibi sit obiectum intellectionis. Quo etiam in loco, vt omnem compositionem, potentiam, transmutationem, & imperfectionem excludat à Deo, statuit idem in eo esse, id quod intelligit, intellectionem, & rem intellectam. Quam rationem miro consensu amplexi sunt deinde & retinent nostrorum Theologorum scholæ. Quod verò pertinet ad secundum, an nobiscum sentiat, non facile est statuere: res enim habet rationes vtrinque. Nam ex altera parte Deus ex Aristotele non videtur vllo modo per suimet cognitionem intelligere alia: etenim præterquam quod nusquam hoc legitur apud eum, debacchatur passim ac pugnat contra Ideas, quas tamen (nisi de solo nomine disputare vellet) vtcunque admittere cogeretur, si Deus per seipsum intelligeret cætera, & in se contineret rationes rerum. Huc accedit quòd † disertis verbis docet, si præter seipsum intelligat aliud quippiam, id fore honorificentius. Quid plura? Absurdum est (inquit) diuinam mentem de quibusdam cogitare: ac quædam non videre, quàm videre præstantius. Quare præter Auerroëm ac Peripateticos multos, ex † Scholasticis patribus quidam, immo † Ambrosius, † Clemens, † Nyssenus, Græci denique patres propè omnes hanc illi opinionem ascribunt. Ex altera parte videtur Deus ex Aristotele per suimet cognitionem alia etiam intelligere: nam in libro de Mundo ad Alexandrum † apertè tradit eius virtutem intima ac semota quæque peruadere: atque omnibus nō per administros, sed per seipsum esse causam salutis, ac preces audire mortalium. Sed de hoc loco paulò † post. Nunc venio ad eos libros quos pro Aristotelicis agnoscunt fermè omnes, ob hos enim maximè instituta est disputatio. Ergo cum Aristoteles † xij. Metaphysices tam apertis verbis doceat, Deum sibi ipsi esse cognitionis obiectum séque vnum intelligere: alibi verò eundem faciat † agentem per intellectum, eidem attribuat cognitionem cœli quod mouet; † elementorum, litis & amicitiæ, & aliorum passim quæ sunt extra ipsum; cum præterea † hominem qui secundum intelligentiam operatur, dicat esse Deo charissimum ac Deum rursus velit pro benè aut malè factis cuique tribuere, malisque interim beneuolentiæ ac curæ illius quam bonorum habet, officia non impendere: quinetiam cum velit esse † causam effectricem rerum, idque prout etiam sunt distinctæ inter se, (quanquam de hoc disseremus sigillatim) cum denique, vt minora quædam taceam, attribuat illi cognitionem † præteriti ac futuri, atque ea ratione probet contra Empedoclem Deum intelligere litem, quod si litem non intelligeret, non cognosceret quæ cognoscūt alij, ac propterea esset omnium insipientissimus; diuinámque philosophiā egregijs illis vocibus concludat, quibus eum rerum omnium moderatorem ac dominum facit: ac proinde etiam rerum omnium notitiam illi attribuit; quis non videat Peripateticorum principem aut seipsum refellere, aut certè voluisse

† lib. 12. met. t. 51.

† loco cit. & lib. 2. magn. mor. c. 18.

† Maior. & Greg. de Arim. 1. sent. dist. 35.

† Ambr. l. 1. off. c. 13.

† Clem. l. 5. Strom.

† Nyss. l. 8. philos. c. 4.

† Cap. vltim.

† vide vbi de prouidentia.

† tex. 51. citato.

† 12. met. t. 36.

† lib. 3. met. t. 15. & 1. an. t. 8.

† l. 10. Eth. c. 8.

† l. 2. mag. mor. c. 9.

† 1. cœli t. 100. & 12. met. 38. 52. & vlt.

† ex l. 2. mag. mor. c. 9. colligitur, vbi pro meritis ait reddere vnicuique.

Deum intelligere non seipsum solùm, sed cætera etiam per seipsum? Huc accedit, quòd tota illa ratiocinatio in qua ostendit non intelligere alia extra se, videtur procedere solùm atque concludere de cognitione intuitiua rerum extra Deum ipsum quâ extra Deum sunt, & vt sic, si cũ Scholasticis quibusdam loqui licet: nam ideo Mens (*inquit*) esset in potentia, quia intellectio non esset aut intrinsecè coniuncta cum obiecto: aut idem cum obiecto et intellectu: quin res intellecta esset honorabilior intelligente, ac proinde laboriosa fieret ipsa intellectio. *hæc inquam excludunt tantùm cognitionem intuitiuam rerum extra Deum non in Deo: nam cognitio rerum in Deo non impedit quo minùs diuinus intellectus & cũ summa simplicitate sit semper in actu, & intelligat sine labore vllo & idem planè sit cum intellectione ac re intellecta, quo nomine diuinus intellectus non vilesceret minutißima atque humilia quæque intelligendo, immo perfectissimam sapientiam præseferret. Vt propterea Peripatetici grauissimi, inter quos est † Themistius, † Alexander, † & Simplicius, immo & † S. Thomas cum Scholasticis non paucis, & longè antea † Theophilus Alexandrinus libro iij. ad Authophilum, velint Deum ex Aristotele cognoscere inferiora quoque, Quanquam (vt verè fatear) in Platone, qui in diuina mente ponit Ideas ac rationes rerum, facilè poterit hic cognoscendi modus admitti quo Deus per se ipsum dicitur cognoscere alia: at in Aristotele vix disputationis causa videtur posse retineri, nam alioquin in proposito loco, in quo (vt dicebam) non obiter ac quasi aliud agens, sed de industria fuséque disputat de Dei scientia, si non præpostere, leuiter tamen dubitaret, ac minùs aptè solueret dubitationes. immo fortasse ad rem minimè dissereret. Neque enim de modo dubitabat Aristoteles quo Deus intelligat, sed simpliciter an intelligeret res externas. Quare dum negat illum intelligere aliquid extra se non hac vel illa ratione negat Deum intelligere externas res, sed simpliciter & in vniuersùm. Quamobrem sic statuo; magnam habendam esse gratiam Aristoteli, qui prius decretum illud ac præceptum tum accuratè & eruditè nos docuerit: est enim pulcherrimum, quódque diuinam naturam contemplantibus varium vsum habet, & patet quamlatissimè. Magnam etiam quòd tot támque varijs in locis Deum cognoscere omnia partim sumere tanquam certum, partim etiam affirmare ac docere non dubitauit: ac præsertim in primo (quem † locum prætermiseram) diuinæ philosophiæ libro. Ibi enim cum absolutæ sapientiæ conditiones inuestigaret, atque eam inter cæteras necessariam esse vellet, vt omnia, quoad fieri maximè poßet, sciret perfectus sapiens, tandem conclusit absolutæ huiusmodi sapientiæ poßessionem non eße humanam, sed soli Deo conuenire. Quod si semel vel ad errorem deflexit negando ipsi Deo cognitionem eorum quæ sunt extra ipsum (quanquam id non tam ex propria sententia, quod refert sane plurimùm, quàm ex aliena videtur fecisse: cum ipsemet in † moralibus fateatur hãc fuisse quorundam opinionem: idque ne videretur extra Deum reperiri aliquid melius) vel hæsitauit, vt extremo capite octauo libri 10. moralium videtur indicasse, vel certè eam agnouit quidem, immo & confessus est (vt vidimus) multis in locis, sed tamen rationem haud*

habuit

† Them. ex Auer. 12. met. com. 51.
† Alex. l. 1. prob. in præf. & ex Auen. in para. met. tract. 4. in fine.
† Simpl. varijs in locis.
† S. Tho. 12. m. t. 51. & al.
† Theo. habetur in bibliotheca patrũ.
† sum. 2. c. 2.
† lib. 2. mag. mor. c. 18.

habuit vnde ostenderet non vilescere diuinum intellectum, si res extra se; præsertim vilissimas, intelligeret; ideóque cum hæc conciliare non posset, maximè Ideis reiectis; æstuauit, ac varias sese in partes torsit, ignoscendum est illi. Verè enim huiusmodi cognitio aut sanctissimis Patribus relinquenda erat qui diuino lumine adiuti, altiùs intueri potuerunt, vel potiùs cœlesti vitæ, beatorúmque cõtemplationi relinquenda ac reseruanda. Nam siue ad Platonis Ideas confugias ad hoc explicandum, siue cum Themistio, immo cum Dionysio & Augustino ad causalitatem; siue cum B. Thoma aliísque multis ad perfectiones rerum quas eminenter continet; certè senties humanam intelligentiam inter contemplandum caligare, atque adeò rei magnitudine obrui, præsertim propter effectus contingentes. Vt propterea constanter quidem affirmari possit Deum propriè & distinctè in se ipso tanquam in speculo per vnicam intellectionem alia extra se omnia cognoscere, ac perfectissimè cognoscere, ita vt plura etiam cognoscat: at modus beatis potiùs quàm mortalibus perspectus esse potest: immo perfecta ratio ac modus fortasse est solius Dei.

Them. ex Auer. 12. met. com. 51. Dion. fusè 7. c. de di. nom. Aug. 5. de ge. ad lit. c. 13. 14. 15. 16. & l. 83. qq. q. 46. B. Thom. & Theol. 1. sent. d 35.

De prouidētia

Atque ex his facilè est animaduertere in quo statu versetur Aristotelis causa, dum de prouidentia etiam fit reus: etenim cum prouidentia in Deo cognitionem consequi videatur (nam hanc ob causam aduersarij cognitionis euersione prouidentiam conantur euertere in Aristotele) quæ de cognitione diximus, éadem de prouidentia affirmamus. cum præsertim & Deũ † asserat opem ferre iniuria affectis, Deo non posse † vnquam honorem pro dignitate deferri: rursus Deum esse amicum viris bonis eósque remunerari: rationi consentaneum esse vt curet humana: Deum † negligere amentis eße: rerúmque diuinarum † magnam habendam esse curam: quæ sanè partim apertè decernere videntur Deum prospicere rebus mortalibus, partim, nisi prouidentia constituta, intelligi nullo modo possunt; & ad extremùm (ne me obijciat quispiam vna † loca illa proferre in quibus cauillantur aduersarij populariter magis quàm seriò locutum esse Aristotelem) duodecimo diuinæ Philosophiæ libro grauissimis verbis testatum reliquerit suam de Dei prouidentia opinionẽ asserens οὐ πολλὰς ἀρχὰς *non plures principes, sed* ἕνα τῶν ὄντων κοίρανον, *vnicũ (inquam) dominatorẽ ac moderatorẽ omnium, húncque citra omnem subiectorũ iniuriã, miráque facilitate & opportunitate (id enim Græcis significat* κοίρανος*) gubernantem statuendum atque tenendum esse, ne entia male disponantur & gubernentur. Atque huic sanè loco alter ille affinis est, in quo non minùs perspicuè quàm ingeniosè ac scitè eandem prouidentiam agnoscit, nobísque ante oculos ponit. Cum enim assereret † Naturam quippe quæ secundùm numerum implere non posset inter homines æternitatem, hanc per sobolis procreationem implere secundùm speciem; statim pulcherrima illa ac verè aurea subijciebat verba.* Sic enim diuina prouidentia vtriusque natura, *viri scilicet & mulieris*, ordinata est ad societatem: tendunt enim eorum omnia in idem vtilitatis, licet contraria quædam videantur. Alterum enim robustum facit, alterum imbe-

† l. 2. rhet. † l. 8. eth. c. 7. et 10. eth. c. 8. † l. 10. eth. † l. 5. pol. † l. 7. pol. & 1. & 2. œcon.

† l. 1. œcono. c. 3.

imbecillius: vt hoc quidem ob timorem cautius, illud verò propter fortitudinem pugnacius esset. et alterum parat foris: alterum parta domi conseruat. Ad operis verò effectionem, alterum sedulitatem intra limen agit: ad externam verò peruagationem imbecillum. alterum ad sedulitatem deterius est, ad motus autem valentius. Circa prolem autem generatio propria est: vtilitas communis: alteriúsque nutrire: alterius erudire. *Hæc rursus Aristoteles. quibus mirum est quàm acutè notatas coniugum propriotates ad diuinam referat prouidentiam. Sed & vnum adhuc est diligenter in hac re obseruandum; nimirum ex ijs qui deteriorem sententiam ascribunt Aristoteli (ij verò præter † Nyssenum, † Ambrosium & † Clementem, de quibus paulò ante; sunt † Origenes, † Epiphanius, † Theodoretus, † Nemesius, † Nazianzenus, & † Eusebius, inter Patres; † Atticus quoque ex Platonicis, ex Peripateticis denique † Alexander, ni magnopere fallor, † Auerroës; quanquam hac in re interdum resipiscere ac meliùs de Aristotele opinari visus est; atque † alij non pauci) plerosque, præsertim Græcos patres, affirmasse Aristotelem non in vniuersùm sustulisse, sed scidisse prouidētiam, atque ad nubes vel lunam vsque deriuasse illam, quasi verò res mortales vnas despiciat. Qua in re Patres, alios sanè libros (id enim † alijs quoque multis ex veteribus accidisse demonstrauimus supra) legisse videntur quàm nostros: nam Aristoteles nunquam scindit, sæpe autem rerum inferiorum curam (vt paulò ante obseruauimus, atque ex alijs quoque locis obseruabimus infra) tribuit Deo: tradítque audire preces mortalium, ac proinde sacrificia illi decernit & cultum. Quod si tandem XII. Metaphysices, dum negat cognoscere aliquid extra se, videtur ei prouidentiam denegare, profectò si hic locus vim ullam habet, non scidit eam Aristoteles: sed sustulit funditus. Nam quod ait quædam non nisi absurdè cogitari posse à mente diuinissima, quin potiùs decentiùs ignorari quàm intelligi, id sanè non tradidit, vt saltem diuinam mentem à cognitione mortalium & inferiorum vtpote vilium seuocaret, sed vt hoc etiam argumento confirmaret (id quod tota illa disputatione agitabat) diuinam intelligentiam si intelligat quæ sunt ei extrinseca, non posse non vilescere: quare statim cōcludit Deum se vnum intelligere: extra se autem nihil. Neque verò satis compertum habeo (quod pace aliquorum dixerim) an in libro de Mundo ad Alexandrum huic suspicioni occasionem ullam dederit Aristoteles: nam eo in loco negat quidem (si me audias) diuinam naturam & essentiam fundere sese ad vilissima & inferiora quæque: virtutem tamen ac prouidentiam à nulla re excludit, siue naturali et necessaria, siue contingenti. Et idcirco cum dixisset haud esse necessarium, immo esse planè indecorum, vt omnibus instet rebus, & in hoc illum cum Xerse contulisset, è cuius dignitate fuisse negat, vt omnia functione propria administraret & absolueret; in hoc tamen dissimiles esse ostendit, quòd Xerses, quæ est humanæ naturæ imbecillitas, administris egeret, cū non posset propria virtute attingere omnia: Deus nō item. Quare in capite VII. sic disputat.*

† Ny. l. 8. phi. c. 4.
† Am. l. 1. of. c. 13.
† Cl. l. 5. Str.
† Or. l. 1. con. Cels.
† Ep. l. 3. aduer. hæ. c. vlt.
† The. lib. de pro. ser. 1. & l. 5. con. gen.
† Nem. l. de an. fac. c. 44.
† Naz. or. 33 quæ est 1. de Theol. ad fi.
† Eus. l. 15. de præp. c. 4.
† Att. apud Eus. loco cit.
† Auer. 12. met. com. 51.
† Alex. l. de fato c. 16. & 2. nat. quæst. c. 21.
† Aetio quoque præter citatos c. de cælo & Plut. rursus l. de plac. c. 18. et lib. 2. c. 7. & 11. vbi agunt de nat. cæli.

tat. Neque verò illi ipsi itidem ut principibus, mortalium opus est aut artificiosa molitione, aut alieno ministerio: quando ij propria infirmitate præditi, operarū decurias rebus conficiendis et numerosas manus adhibent. Illud autem diuinitati maximè cōsentaneum, vt formas rerum omnium citra difficultatem simplicíque motu absoluat: non secus atque machinatotes illi solent, qui instrumento vno demittendo, multos et varios effectus edunt. *Hæc Aristoteles, qui* νευροσπάςων *etiam (hos circulatores dixeris, qui mira quadam sagacitate imagunculas fidiculis ductitandis quasi animatas representant) affert exemplum, quare statim etiam sic concludit*. Hoc igitur modo natura diuina ab vno eodémque simplici motu primò uim suam immittit in ea quæ sunt primò continentia: ab illísque subinde in ea quæ longiùs atque longiùs absunt, quoad permeauerit per vniuersa. *Hæc rursus, aliaque huiusmodi plura Aristoteles, qui etiam declarat apud nos diuersa, immo & contraria contrariísque vijs efficere, perinde, ac si quis varia animantium genera è sinu emitteret suo, aut ex eodem vase globum, tesseram, et alia iaciat dissimilia: & idcirco res omnes Dei effecta esse decernit, Empedoclis illud vsurpans.*

Omnia quotquot erunt, quod sunt præsentia quoque
Orta fuere ante hac, stirpes, hominésque feraéque:
Inde etiam volucres, piscésque humoris alumni.

Ac ne quis dubitaret de ijs quæ sunt contingentia, præsertim vbi ex humano arbitrio pendent, aut assereret cæca quadam ratione ac necessitate fieri prædicta, exēplis id quoque declarauit, nam cum de Aetnæ conflagrationibus loqueretur, Quo tempore *(inquit)* qui è mortalium genere pietate erant imbuti, ij à numine diuino eximio honore ingentíque affecti sunt. Siquidem iuuenes & robore ualentes, cum parentes suos ætate iam confectos humeris sustulissent, igneo flumine iamiam opprimendi, ecce flumen ita se scidit, vt huc & illud diuersi fluctus digrederentur, iuuenésque intactos cum senibus transmitterent. *Et idco etiam inserebat*. Vt verò summatim iam loquamur, quod in naui gubernator est, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in ciuitate, & Dux in exercitu, hoc Deus est in Mundo, nisi si hactenus interest, quod labor et motus multiplex illos exercet, et curæ angunt variæ: cum huic elaborata succedant omnia, omnis molestiæ expertia, citraque corporis iufirmitatem, quippe cui in loco stabili immotóque collocato, omnia mouere et circumagere pro arbitratu liceat, quò libitum est, cúmque et quomodo libitum est, ídque diuersis in formis simul atque naturis. *Hæc & huiusmodi alia magnus his author: vt propterea dubitari non possit quin prouidentiam Deo ascribat perfectam ac summam: tantum abest vt hic sciderit eam; atque ad nubes vsque perduxerit. Et ideo etiam clamat nullam*

lam eße creaturam quæ non sit in Dei tutela : omnibus sortes distribuere : omnia quantumuis semota videantur, gignere ac seruare : nullum mortalium effugere eius iudicium : beatam vitam eius tantùm ope comparari. Vnum fortasse est, quod suspicioni illi quandam veluti ansam visum est præbuisse, nimirum quod ait, terram ideo multo tumultu exagitari, ac longè minùs quàm cœlum eius sentire vim quòd longiùs quàm cætera distet à diuino numine. Sed certè non est cur hic locus nos magnopere commoueat : nam Aristoteles (si longam illam disputationẽ accuratè perpendas) quàm maximo potuit studio conatus est Dei prouidentiam extollere, atque illi subijcere omnia. Quocirca huiusmodi decretum etsi iam non paucis (quod partim vidimus) exaggeratum ac prædicatum, ex contemplatione rerum mortalium, vnde non pauci eam suspectam fecerant, sigillatim confirmare conatus est. Et ideo peculiariter in rebus mortalibus principis causæ prouidentiam obseruauit his verbis. Quid dicam pluuias tempestiuè existentes, ventos et rores, omnésque permotiones quæ in aëre eueniunt à principe rerum causa, atque primordiali? Adde fluminum lapsus, maris æstus intumescentis, enascentium arborum incrementa, frugum maturitates, fœturas animalium: denique vegetationes rerum omnium, adolescentium primùm, deinde tabescentium; eodem accedẽtibus causis (vt dictum est) à constitutionibus singulis rerum atque opificiis. Itaque ille omnium princeps paréns que animi tantùm sensu spectabilis, simul ac signum naturis dedit inter cœlum terrámque vehementibus, earũ vnaquæque in orbibus suis iugi motu cietur, atque inter suos limites, alternis conditis atque apparens, sexcentas illas formas eodẽ à principio exhibens, vicissímque subducens. *Hæc atque alia statim multa, quæ longum esset recensere ad prouidentiam in rebus inferioribus retinendam Aristoteles. Illud tamen interim quod maximè omnium torserat multos, se obijciebat: quo pacto scilicet cum admirabili illa ac planè diuina rerum omnium administratione & prouidendentia consentirent eluuiones, exustiones, ventorum quoque immoderatæ eruptiones, vastitates denique & calamitates miserandum in modum terris ac mortalibus cunctis illatæ. Hoc igitur argumentum ea ratione conatus est eludere, quòd terrena ita comparata sint à Natura, vt partim varias ac uarias affectiones (id quod in calamitatibus sæpe cernimus) per se ipsa & suapte suscipiant: partim ob infirmitatẽ summam sint concinnitatis expertia, ac proinde multo tumultu agitata : partim propter magnam distantiam, qua à diuini numinis essentia seiunguntur (hoc enim quod attinet ad essentiam in summo cœli vertice collocauit, atque* ὕπατον *præterea appellauit) minùs sentiant eius vim. Vbi sanè præterquam quod nullo modo concessit, diuinam prouidentiam non attingere res terrenas, tantùm voluit tumultus illos & varietates (quæ etiam non defectu prouidentiæ, sed propter vnam rerum mortalium naturam acciderent) cohærere cum prouidentia; cum tamen res cœlestes tumultu illo planè expertes sint.*

Vi

Vt interim omittam in ijs ipsis tumultibus, id quod in Ethnico est suspiciendum, singularem Dei prouidentiã agnouisse, quòd pios in ijs à diuino numine præter omnem naturæ ordinem miraculis iuuari & liberari affirmauerit. Sed & in eandem planè sententiam disputari potest, quod de necessitate obijciebatur diuinæ actionis. verè enim sunt quædam in Aristotele, quæ suadere videntur eum in hunc errorẽ incidisse: multa etiam quæ vehementer obsistunt. Quanquã (si me audias) posterior hæc opinio apud æquum æstimatorẽ est longè probabilior. Etenim nullus extat locus apud Aristotelẽ in quo obiter enunciauerit, ne dũ consultò docuerit, Deũ non liberè siue pro arbitratu agere, sed necessariò: sed tantùm alicubi inter disputandũ visus est hoc quasi fundamento aliqua ex parte niti. At verò contrariã sententiam nõ modò inter disputandũ sumere videtur sæpe (vt cũ ait † Deũ præcipuo amore prosequi ac remunerari bonos & sapiẽtes: † omnia pro rei natura, & compleuisse, & administrare: † nullam perfectionẽ Deo esse negandã: Deum † si immitteret somnia, optimis viris potiùs & prudentibus, quàm prauis, aut sine vllo discrimine immissurũ fuisse: opem † afferre iniuria affectis: & alia id genus multa) verùm etiã non obscuris verbis asserere: nã † in Topicis contendit multa facere posse tũ Deũ, tum homines, quæ tamen nõ faciunt. Vbi præterquã quod hominis, cui passim tribuit arbitrij libertatẽ, mentione, satis sese diuinæ quoque libertatis ostendit assertorẽ; verba ipsa nisi Deum liberè agere cõcedamus, intelligi nullo modo possunt. In libro etiam de Mundo apertè eandẽ libertatem fatetur ac docet: ait enim Deum agere omnia, non solùm citra omnẽ molestiam, laborẽ, ac motum, verùm etiã pro arbitratu cum libet, et quomodo libet: idque in omnibus formis & naturis: ac propterea etiã concludit continere omnium sortes. Hinc † Theophrastus, † Alexander, (quicquid alicubi secum ipse pugnare videatur) † Ammonius, † Philoponus, † Simplicius, & † S. Thomas (vt recentiores multos prætere am) non aliã illi opinionẽ præter hanc vnam ascribunt: eandẽ de eo prædicãt Themistius, Eustratius, Psellus, cæteri denique omnes qui Deo cõcedunt prouidentiam. Quinetiã argumenta illa quibus pugnãt aduersarij Aristotelẽ diuinæ actionis necessitatẽ arripere ac sumere, nõ incommodè infirmari ac dilui; immò verò ex illis aliqua pro libertate vrgeri possunt. Nã dum contendit † motũ incœpisse nunquam, idque ea de causa, quia nõ posset afferri ratio cur modò potiùs quàm antea mouerit primus motor; profectò malè inferũt Auerroistæ hîc Philosophũ sumere Deum agere necessariò. At alioquin (*inquiunt*) posita libertate, falsum esset nõ posse afferri talẽ rationẽ: quia optimè afferretur dicendo libera Dei voluntate factum esse, vt modò potiùs quàm antea mouerit. *Minimè verò, nam Aristoteles in eo nititur, quòd & philosophantis sit afferre causam, & Deus non temerè agat & sine ratione: quæ tamẽ ratio (vt inquit ille) non potest afferri ab ijs qui posito mobili & motore æterno (cõtra hos enim argumentatur) motum tamen negarẽt esse æternum: & ideo asserit hoc carere ratione. quasi dicat, quid quæso esse potuit, vt posita mobilis & primi motoris æternitate, motus definito quodam tempore incœperit, cum nulla appareat ratio, cur primo motori modò potiùs libuerit ciere motum, quàm antea aut ab omni æternitate? Vbi*

DE DEI arbitrio in agendo.

† l. 8. Eth. c. 7. 10. Eth. c. 8. & alibi sæpe.
† de gener. t. 59. & 12. met. tex. vl.
† 1. de an. t. 8. & 3. met. t. 15.
† l. de diuin. ad init. & c. 2.
† lib. 2. meteoror.
† l. 4. top. c. 5. loco 64.
† Theo. l. de intel. c. 17.
† Alex. in epit. lib. de fato secundum Arist.
† Phil. con. Proc. & al.
† Simp. passim.
† S. Thom. passim.
† l. 8. phy. t. 7.

sanè libertatem motoris supponit potiùs ac sumit quàm neget. Et ideo ait isto-
rum sententiam carere ratione: quòd si supponeret Deum agere necessariò, di-
ceret esse impossibilem. Quocirca impossibilitatem (vt ita dicam) conatur de-
inde ostendere non ex necessitate illa motoris, sed quia quies antecessisset mo-
tui: atque hoc pacto ante primum motum fuißet motus, cum quies sit ter-
minus seu priuatio motus. Et hæc etiam est causa cur non multò post asserat
eße commentitium asserere Deum ab æterno non fecisse, sed fecisse postea. non
enim supponit Deum agere necessariò, sed consultò, ac citra omnem temerita-
tem: & propterea non vnam Dei voluntatem obtendi uult à Philosophis: nam
hoc pacto facile esset explicare statim omnia; sed afferri causam aliquam.
quare vbi consimilia nobis obijciunt Auerroistæ & Proclus, si constanter
philosophari velimus, ostendere debemus, aut non decuisse mobile, seu res
creatas in Aristotele esse æternas, aut etiam non potuiße, vel similem ali-
quam causam afferre: vel saltem contendere extare quidem: sed quæ tamen in
Thesauris diuinæ sapientiæ sit recondita. Quocirca Auerroistæ ac nonnulli alij
hoc in loco cōtumeliosi sunt Aristoteli, imponúntque nobis egregiè. Id quod
iure optimo affirmari in altero potest, in quo tamen mirificè exultant illi. Et-
enim dum efficere moliretur † Aristoteles primum motorem partium omni-
no esse expertem, nullámque habere magnitudinem, id probabat, quia virtus
infinita posita in magnitudine finita moueret in non tempore. Cuius rationis
vis profectò non ea est, quam Auerroistarum plerique atque alij nōnulli cre-
diderunt: nimirum Aristotelem supponere Deum siue primum motorem mo-
uere necessariò, ac proinde consequi vt si collocetur in finita magnitudine cū
infinita virtute, si moueat, non possit nisi in instanti mouere, atque momento
temporis: cum ex altera parte non possit non agere toto suo conatu ac vi quæ
est infinita, ex altera verò, cum inter finitum & infinitum nulla sit propor-
tio, finita magnitudo ab infinita virtute in instanti ac proinde in non tempo-
re moueatur necesse sit. Non, inquam, hæc est rationis illius vis atque arti-
ficium: nam hoc pacto pueriliter lapsus esset Aristoteles ac nihil minùs con-
cluderet quàm quod sibi proposuit. Etenim (vt alia quædam præteream) si
primus motor sit virtutis infinitæ, & moueat necessariò ac toto conatu &
vi, tam moueret magnitudinē finitam in non tempore, si poneretur in ea, &
fieret diuiduus, quàm si non poneretur, & partibus careret ac magnitudine.
nam ratio Aristotelis tota penderet ex infinitate virtutis, & necessitate
agentis, quæ ratio æquè valet, si ponatur motor in materia, quàm si relinqua-
tur extra, quia vbique pro comperto habetur ac sumitur motorem esse infini-
tæ virtutis, & necessariò mouere finitam magnitudinem. Ergo germana &
explicata sententia est hæc. Virtus infinita si poneretur ac mergeretur in ma-
gnitudine finita, (nam virtutem finitam si item mergeretur in magnitudine
finita, non poße mouere æterno tempore iam ostenderat) fieretque diuidua;
moueret necessariò, quia esset forma merè naturalis & corporea: formæ enim
merè naturales & corporeæ agunt necessariò, vt patet inductione; ergo mo-
ueret in instanti, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Sed est falsum
mouere in instanti, ergo neque mouet merè physicè & necessariò: ergo non
est immersa

† lib. 8. phy. tex. 79.

est immersa in materia, ergo est indiuidua & expers magnitudinis. hæc est vis inuoluti illius argumenti si explicetur. Ex quo sequitur hinc concludi primum motorem esse virtutis infinitæ (quod paulò post prosequar fusiùs) & agere liberè: quia posita libertate, non puerilis erit ratio, aut se ipsam refellet, sed efficaciter ostendet primum motorem esse à materia separatum: nimirum quia finitam magnitudinem mouet in tempore, cum tamen sit virtutis infinitæ, vel certè nihil planè efficiet hic locus contra Dei libertatem in agendo. Itaque iam videmus duo ista Auerroistarum fulmina, quibus maximè libertatem Deo adimere atque adeò bellum mouere nitebantur, in Aristotele non solùm commodè declinari, sed facillimè in ipsos retorqueri: ita vt iisdē ipsi prosternantur, quibus triumphum se putant reportasse. Nam quicquid tandem mihi obijcias hoc in loco, profectò si accuratiùs expendas rem totā, senties non explicationem meam, sed Aristotelis ratiocinationem ac disputationē turbare, quæ si ab initio ad finem vsque spectetur, non vbique videatur cohærere. Vt propterea Græcos, Arabes, ac Latinos denique omnes hic locus mirificè torserit: nullúmque inuenerit, qui omnes planè nodos, omnémque dubitandi ansam sustulerit. Videtur enim modò de infinitate virtutis, siue intensiua, modò de infinitate durationis & extensiua loqui: & (vt obseruarunt viri doctissimi) tum dubia & obscura, tum superuacanea, tum falsa quædam assumere. Sed de hac ratiocinatione, quoniam eâdem infinitam quoque Dei virtutem tollunt aduersarij, alia quædā paulò post: vbi etiam fortasse, Deo bene iuuante, nodos omnes expediemus: nam interim eam attigimus ad diuinæ tantùm actionis libertatem retinendam in Aristotele. Ac propterea quod pertinet ad hunc locum, sat sit ostendisse in præsentia eum nihil minus quàm necessitatem supponere diuinæ actionis: potiúsque videri libertatem tanquam exploratam sumere & vsurpare. Sed esto etiam in hoc veluti fundamento toto, in necessitate inquam diuinæ actionis, niti visus sit aliquando, ac præsertim vbi loquens de Deo asserit † Deum esse ens necessarium, atque hinc esse causam circularis lationis, † cœlum non posse non moueri: Deum & intelligentias non habere potentiam vt non moueant, et si quid huiusmodi, (quanquam si me audias nullus est locus qui non possit explicari, atque ab hoc errore vindicari) at hoc pacto Aristoteles non modò temerè philosopharetur qui acciperet tanquam certum id quod concedebatur à nemine, verùm etiam pugnaret secum ipse quammirificè: nam cum † alicubi asserat, in æternis non differre posse & esse, † alibi verò Deum multa facere posse, quæ non facit: ac rursus alibi dum respectum habet ad cœlestem motum, necessitatem illi opponat: cum verò homines spectat, eundem donet libertate, & huiusmodi alia effutiat; quis non videat in his dissentire, atque (vt nullam partem satis exploratam habebat) ad contraria pro occasione deflexisse? Quid autem de Dei virtute? an non huius sustulit infinitatem? profectò qui hanc sententiam tam arctè tenent, acuratéque defendunt, contumeliosi sunt et pertinaces. Etenim id neque certo in loco ac data opera docuit, tractauitque Aristoteles, neque (si æquus æstimator accedat) tāquam certum arripuit ac sumpsit vsquam: quin potiùs contrarium visus est non semel quasi exploratum accipere,

† l. 12. met. t. 38.

† l. 9. meta. t. 17. & li. t. 30. & 2. cœli t. 17.

† 3. ph. t. 32

† 4. top c. 5. loco 64.

De virtutis infinitate.

cipere, interdúmque etiam docere, nam octauo † de physica auditione libro (vt inde incipiam, vnde aduersarij diuinæ virtutis finitatem necessaria ratione euincere se putant in Aristotele) vel nihil planè, nisi temerè & præter Aristotelis mentem, concludunt: vel etiam locum afferunt, qui nobis potiùs quàm illis fauet. Dixi autem nihil planè nisi temerè concludere, quia licet hic locus verè spinosus sit & perdifficilis, ac propterea Peripateticos omnes non torserit modò & fatigarit, aut etiam in varias mutuóque pugnãtes sententias disiecerit, verùm etiam eò multos adduxerit, vt Aristotelem lapsum esse voluerint, ac toto illo capite fluctuare; veruntamen, ni magnopere quidem fallor, inuolutum Aristotelis argumentum, si explicetur, hoc ipsum est quod subijciam, éstque dignissimum Aristotele. Si primus motor esset corporatus, haberétque magnitudinem, vel esset corporatus cum finita, vel cum infinita virtute: non prius, quia non posset mouere æterno tempore, cuius contrarium docuimus: non posterius, quia non potest in magnitudine finita esse infinita potentia, nam alioquin moueret in non tempore, quod est absurdum & contra experientiam: haud igitur corporatus erit primus motor, sed erit partium expers atque à magnitudine abstractus. Hæc est ratiocinatio Aristotelis, si rectè expendantur ea quæ tradit libro octauo Physicorum, contextu 78. 79. & 86. quaéque repetit 12. Metaphysices textu 41. Quare in 78. ponit, & ex proportionibus partium demonstrat eam propositionem; nullum finitum in magnitudine posse mouere æterno tempore; ex qua deinde in 86. subsumit primum motorem si sit in magnitudine cum finita virtute, non posse mouere æterno tempore. in 70. autem probat nullam infinitam virtutem eße posse in magnitudiue finita, quia, vt dicebam, moueret in non tempore. ex quibus propositionibus artificiosissimè ibi demonstratis denique textu 86. colligit summam totius demonstrationis, quæ si explicetur, est ea planè quam nos formauimus. Nam quæ interserit interim textu 80. & quinque sequentibus antequam ex illis propositionibus in apertum proferat argumentum, eò spectant, vt excludat alterum membrum quod potuisset videri prætermissum in diuisione: nimirum neque in magnitudine infinita, si exstaret, posse esse virtutem finitam, & alia quædam docet quæ item attinent ad incorporeitatem primi motoris ostendendam. Quæ cum ita sint, iam perspicuum est Aristotelem nihil neque efficere, neque etiam instituere, aut etiam sumere contra diuinæ virtutis infinitatẽ: nam semper loquitur de virtute motoris immersi in magnitudine siue corporea: vt siue finita, siue infinita statuatur hæc corporea virtus, ad absurda & impossibilia deducat aduersarium, ac proinde exploratum relinquat primi motoris virtutem partium ac magnitudinis expertem esse: & hinc est vt 12. metaphysices textu 41. hac ipsa ratione repetita ad corporeitatem primi motoris ostendendam, statim 43. eandem vsurpet ad ostendendum omnes intelligentias siue animas motrices cœlorum esse abstractas à magnitudine. quia nimirum si mergantur in corpore cum finita virtute, sintque finitæ magnitudinis, non possent mouere æterno tẽpore: si mergantur cum infinita, mouerent necessariò, & ideo in non tempore. vbi egregiè etiam argumen-

† contr. 78. & 79.

argumentatur, quia siue eßent finitæ, siue infinitæ virtutis, quorum neutrum definiebat eo tempore, omnino erant ponendæ à corpore separatæ. Atque hunc in modum (mihi crede) nulla superest dubitatio in progressu disputationis illius: ac quicquid obijcitur ruit statim. Nam nunquam loquitur de virtute in vniuersum & absolutè (id quod decepit multos) sed de virtute in magnitudine, & corporea: quemadmodum requirebat subiecta materia, vt propterea textu 86. (quod etiam facit in 41. duodecimi metaphysices) appellet eam virtutem, magnitudinem. Quod si explicationem hanc admittere nolis, iam alienis vtar, ac velis nolis, (id quod posteriore loco proposueram) efficiam locum illum nobis potiùs fauere quàm aduersarijs: immo ijs obesse plurimùm. Nam si velis propositionem illam, Nullum finitum poteſt mouere tẽpore infinito, *proferri generaliter, vt plerique opinati sunt, non secundum subiectam materiam tantùm & de virtute corporea, seu motore corporeo, quemadmodum nos exposuimus, iam assumam,* Primus motor mouet æterno tempore, ergo non eſt finitæ virtutis, ſed infinitæ. *Atque eodem res reuoluitur, si (quod aliqui viri docti crediderunt) Aristoteles ex eo quòd primus motor mouet infinito tempore, colligit esse infinitæ virtutis: & ex eo quòd est infinitæ virtutis, colligit carere magnitudine, ita vt in altero ostendat, in altero assumat Dei infinitatem. Neque verò obijciat mihi quispiam in priore loco statuere Aristotelem infinitatem durationis (quam appellant) non intensionis: seu perpetuitatem, non infinitam efficacitatem; ac propterea in † diuina Philosophia hac ipsa ratiocinatione docere intelligentias omnes esse à corpore abstractas, quas tamen prima excepta nemo dixerit eße infinitæ virtutis intensiuè; nam primò quocunque tandem consilio hanc ratiocinationem aptarit cæteris intelligentijs (nos enim quid sentiamus hac de re iam exposuimus satis) ridiculus planè fuisset Aristoteles, si de infinitate durationis loquens, statim subtili illa ac bene longa demonstratione conatus esset ostendere virtutem finitæ durationis non poße mouere æterno tempore, quod vel tardissimo atque hebeti rustico ipsis sententiæ vocibus seu terminis perceptis ac cognitis, omnino exploratum fuisset: deinde eandem infinitatem in posteriore loco assumens, statim efficit ac concludit primum motorem carere magnitudine: at hæc frigida planè ac puerilis esset consecutio, nisi loqueretur de intensiua infinitate, infinitáque virtute: nam alioquin Sol, quem † asserit perpetuò generaturum res mortales; ac reliqua astra, cœlúmque ipsum, quæ ex illius sententia perpetuò infinitóque tempore mouent atque afficiunt hæc inferiora, vel essent magnitudinis expertia, vel mouerent in non tempore, cum secundum durationem sint infinitæ virtutis ac sempiterna. ad extremum vel peteret principium magnus hic Philosophus, vel frigidè omnino ac minutè admodum disputaret: nam ex eo quòd primus motor mouet tempore infinito, colligeret habere virtutem infinitam durationis, quæ duo vel reciprocantur, vel vbi agitur de primo motore, ita apertè se consequuntur, vt nemo id non sentiat, vel tacentibus omnibus. Sed esto in priore loco de infinitate loquatur durationis (quod tamen celerius dici quàm credi*

† *l. 12. met. t. 41. 42. & 43.*

c. 1. de vegetabilibus.

potest

potest) in posteriore saltem de infinitate intensiua loquatur necesse est: nam alioquin hinc falsò concluderet fore vt primus motor moueret cœlum in non tempore, nisi careret magnitudine: nam si de infinitate durationis loqueretur, æquè colligi posset Solem, astraque omnia ac cœlum, immo & elementa ipsa carere magnitudine, cum ex eius opinione agant, rêsque inferiores moueant perpetuò. Et idcirco de infinitate intensiua exponunt locum ex antiquis † Themistius, † Simplicius, † Alexander, † Ammonius, & † Philoponus: qui etiam id tanquam certum sumunt. Quid plura? præter recitatos authores, quorum authoritas est grauissima, Theophrastus, Eustratius, Psellus, atque ex Latinis S. Thomas & alij non pauci infinitatem intensionis tuentur passim in Aristotele. Vt propterea quantumuis nutet atque æstuet cum suis sectatoribus Auerroës, aut etiam (si ita velis) apertè reclamet atque repugnet, satis videatur Aristoteles ab hoc crimine vindicatus. At enim, dicat quispiam, si hoc est, seipsum refellit passim Aristoteles: idque tum quia primus motor, vt ipsemet hoc eodem in loco fatetur; si esset virtutis infinitæ, (id enim vniuersim potiùs cum alijs multis quàm de vna virtute corporea dictum esse volumus) moueret in non tempore, quod est falsum & absurdum: tum quia negat ex † nihilo aliquid fieri, quod tamen videretur admittendum constituta infinita Dei virtute: tum quia tradit Deum non posse † facere quidpiam infinitum, immo nec † alium Mundum: quin cœlestes motores, quod pertinet ad virtutem, tantam habere cum suis orbibus analogiam & proportionem, vt si stella adderetur aliqua eorum globis, hos mouere non possent: ac denique cœlestes motus vsque adeo regulares esse & ratos, vt neque ex parte mouentis, neque ex parte mobilis possint esse velociores vel tardiores. Sed perfectò hæc argumenta infirmari possunt ac refelli propè omnia, immo quædam in aduersarios ipsos aptissimè conuerti, ad virtutis diuinæ infinitatem tuendam. nam primo in loco, velint nolint, Aristoteles tantùm loquitur de virtute infinita in magnitudine, vt ex verbis ipsis secundæ illius propositionis constat, & proinde corporea: ac propterea qui propositionem illam ad Aristotelis mentem generaliter absolutéque proferunt & disseminant, Pseudoaristotelei habendi sunt, & supra quàm ferri possit iniuriosi: verè enim Aristoteles ostendebat primum motorem esse immaterialem: deducens ad incommodum, nimirum quia si ista virtus esset immersa in materia, ac proinde corporea, moueret necessariò, ac toto conatu & virtute, quæ cum sit infinita, non posset finitum mobile mouere nisi in instanti, quod est planè absurdum & contra experientiam ipsam. Et ideo non sequitur vel temerè (id enim est quod obijciunt multi) ac planè pueriliter argumentari Aristotelem, cum posita virtutis infinitate in motore, sequatur mobile finitum moueri in instanti, siue intra siue extra materiam collocetur, vel certè, ne Aristotelem pueriliter lapsum esse dicamus, nos decipi, qui infinitatem retinere conamur hoc loco; nam statim atque extra materiam ponitur hæc virtus, intelligitur (quemadmodum iam antea declaraui) non pendêre à materia, ac proinde non esse formam planè physicam, aut agere necessariò: ex quo etiam optimè colligitur agere liberè: ac pro mobilis conuenientia &

finis

† Them. in t. 78.
† Simp. in t. 79 in solut. dubij Philop. & in t. 86.
† Alex. in eodem Simp.
† Ammon. in prædicamētis ad in. cap. de subst.
† Philop. cō. Proclū c. 1.
† l. 1. phy. t. 33. 34 & al.
† l. 3. phy. et 1. cœl.
† l. 1. cœl. sū. 8.
† l. 2. cœ. c. 1. & deinc.

finis ratione: atque idcirco etsi moueret in tempore esse posse infinitæ virtutis. Neque verò mihi obijciat quispiam, Aristotelem si hoc in loco Dei libertatem supponat & infinitatem, atque hinc efficiat Deum esse à materia separatum, notius docere per ignotius; nam primò longè æquius est vt Dei libertatem & infinitatem supponat, quàm necessitatem in agendo & finitatem virtutis, quod aduersarij nostri faciunt: immo illud pium est, & cum ratione congruens, hoc impiū & à ratione alienū. Deinde ignotius quoque esse respondemus, quod ipsi, quàm quod nos Aristotelem sumpsisse volumus: quin potiùs Deū agere liberè, ac nullis finibus cohiberi eius virtutē, est communis omniū ferè gentiū sensus & conceptio, præsertim verò quia illū initio temporis Mundi ac Naturæ authorem esse fatentur: ac propterea nō nos, sed ipsi qui sumunt necessariò illum agere, & definitæ virtutis esse, rē sumunt à cōmuni opinione alienā: immo ab Aristotelis sensu, qui (vt supra ostendimus) Deum liberè agere sūpsit multis in locis. In secundo autē & tertio loco in quo obijciunt, ex nihilo nihil fieri, ac Deum nec infinitum, nec alium Mundum efficere posse ex Aristotele; id sanè valet apud Aristotelem, non quòd vellet Dei virtutem esse finitam, sed quia censebat ex parte ipsarum rerum oriri, vt repugnet ex nihilo aliquid fieri, aut alium Mundum, si is perfectus sit, atque omni materia absolutus, effici ac procreari posse. nam certè B. Thomas qui acerrimè tuetur diuinæ virtutis infinitatem, quod pertinet ad alterius Mundi procreationem, cum Aristotele planè consensit. Denique quod ait de proportione motorum cum suis orbibus (quod enim obijciunt de astro Orbi superaddito Auerrois commentum est, non Aristotelis) id uerò si Deum inter illos reposuit, magnam habet dubitationem: atque hoc est quod Peripateticos in varias eásque pugnantes sententias distraxit: ita vt alij primo etiam Orbi agitatricem animam præter Deum attribuant: quasi Deus generalis Mundi sit motor: alij hoc de omnibus item motoribus præter Deum dici velint, quod Deus vnus moueat in ratione finis ac tanquam amatus: cæteri vt efficientes: alij aliter. Et sanè mirum non esset Aristotelem non omnino exploratum habuisse hac in re quid statueret: ac propterea non potuisse non prodere aliquando hæsitantiam suam: vel certè quoniam infinitatem tam sæpe testatam reliquit alibi, in hunc scopulum per inconsiderantiam incidisse, aut quod satis sibi esset id statuere de intelligentijs prima excepta. Vt propterea contumeliosi sint qui mordicus hac in re impium faciunt Aristotelem.

DE EXTERNIS Dei actionibus: quas ad vnū cœli motum reuocasse Aristoteles videtur omnes.

Iam verò cum probabile sit Deum ex Aristotele tum cognoscere & administrare res mortales omnes: tum liberè agere & pro arbitratu: tum denique eius virtutem nullis certis terminis conclusam ac præfinitam esse; mirum videri posset cur voluerit Deum omnia cœli motu ac lumine, siue vno lumine peragere; nec alias vias atque actiones vllas agnouerit quibus mortalia moderetur. Quæ sanè res eò etiam admirabilior videri posset, quòd omnino præcepit ac docuit Deum agere per intellectum & voluntatem: se ipsum cognoscere ac diligere: vt hinc summam perpetuámque hauriat beatitudinem. quin intellectionem Dei idem planè esse cum substantia & natura Dei, & cætera id genus quæ pertinent ad internas immanentésue actiones quæ sine

dubio

dubio difficillimæ sunt cognitu. actiones verò externas & transeuntes ad vnum motum reuocarit, vsque adeò vt pugnauerit vna cœli agitatione ac motu quod illius interest, tot támque varios effectus edere, quot quantósque in Vniuersitate obseruamus ac cernimus. Vt propterea vehementer nobiscum pugnet qui Deo tribuimus longè varia effectionis genera: ac non motu solùm agere affirmamus, verùm etiam alijs permultis, immo qui est aliquorum Theologorum sensus, infinitos agendi modos ac vias habere. Sed profectò neque hæc talem vim habent, quæ si id vnum exceperis quod pertinet ad creationem; Aristotelem impietatis (id enim disputamus modò) reum planè efficiant. Nam Aristoteles, vt homo erat, ac proprio ingenio philosophabatur, non in transeuntibus modò & externis Dei actionibus, sed in immanentibus etiam atque internis fuit diminutus & mancus. Etenim Deum externa per suimet inspectionē cognitionémque percipere, esseque sibi ipsi sicut obiectum, ita rerum omnium externarum immo & possibilium Ideam & rationem, minimè assecutus est. longiùs quoque abfuit vt altissimam illam & admirabilem verbi generationem, ac sancti emanationem spiritus, quæ etiam immanenti actione producuntur, tametsi nō recipiantur in producentibus; vel suspicione attigerit. Quare quemadmodum non arguimus Aristotelem, quòd immanentes omnes Dei actiones non tradiderit: ita etiam non debet impietatis notari, atque aduersarius Christianæ veritatis censeri, quòd opera illa siue non animaduerterit, siue tacitus præterierit quæ nos spiritualia vel miraculosa nuncupamus. cum enim inuolutam Naturæ rationem inuestigaret, totus in motu, quæ vna via humanæ intelligentiæ ac naturali facultati accommodata videbatur, perstitit. Et sanè cum apertè interim † moneat ac testetur, præ ingenij imbecillitate vix pauca quædam, atque ea longè obscurè attingi ac doceri posse à nobis de diuina natura; si quid interea cuipiam de ea siue diuinitùs affulserit, siue naturalis contemplationis ope apparuerit, id verò nobis integrum relinquit. Quinetiam cum Deo infinitam virtutem (id quod probabiliter defendi posse docuimus) tribuere videatur, cæteras quoque illas Dei actiones omnes, quæ cum infinita virtute coniunctæ sunt, veluti initijs ac fonte indicato, vel monstrauit, vel agnoscenda reliquit. At enim in libro de Mundo multis docere videtur posse tantam effectuum varietatem ad ordinarium motum eúmque simplicem reuocari: ita vt Deus per cœli motū omnibus rebus tametsi contrarijs, virtutē communicet suam, totíque Vniuersitati moderetur. Videtur; fateor. Sed cur obsecro eodem tempore tam perspicuis verbis nobilem illam & extraordinariam Dei actionem quam supernaturalem appellamus & miraculosam, approbat: fatetúrque Deum miraculis interdum iuuare mortales? Nam cum de conflagratione Aethnæ scripsisset quædam, sic subiecit.† Quo tempore qui è mortalium genere pietate erant imbuti, à numine diuino eximio honore ingentíque affecti sunt. Siquidem iuuenes & robore valentes, cum parentes suos ætate iam confectos humeris sustulissent, igneo flumine iam iam opprimendi, in eo erant vt interirent: cum ecce flumen ipsum ita se scidit, vt huc & illuc diuersi fluctus digrederentur, iuuenésque

† *lib. 1. de part. an. c. 5 & 2. met. ad init.*

† *Cap. 7. post m.*

néſque intactos cum ſenibus tranſmitterent. *Hæc Ariſtoteles: quibus profectò ſatis declarat ſe dum de ijs effectibus loqueretur quæ naturaliter atque ordinaria rerum conſuetudine ac via effici videmus in Vniuerſitate, nullo modo voluiſſe extraordinarios quoſdam effectus ac præter Naturæ curſum à Deo edi non poſſe. At enim reperiantur iſta in eiuſmodi commentario: ſed cur in alijs libris negat † à Deo immitti ſomnia: Sibyllas † & energumenos non diuinitùs afflari, aut dæmone occupari, ſed vna atra bile & melancholia agi atque propelli? Ego verò è contrario illud de te quæro, cur rurſus in ijſdē libris ait eum † qui beatus futurus ſit, ab ipſo initio fieri Numinis participem: viros † ſtudioſos ac bonos eſſe charos Deo: † fœlicitatē Dei munus eſſe: † Deum non protegere malos, contra verò fauere bonis atque opem ferre iniuria affectis: (id enim omnino indicat alia ratione quàm vno cœli motu proſpicere bonis) eorum qui † in Boryſthene aut ſecus Herculis columnas vaticinarentur, prædictionum originem et cauſam, diuina cauſa ſublata, non poſſe ab homine conuenienter explicari: duo eſſe fœlicitatis † genera, diuinum vnum, humanum alterum: atque ad illud Numine adduci homines: ac Numen ijs inexiſtere: ac propterea hos habere principium mente & ratione præſtantius: eos † qui reuera fortunati ſunt, non natura, ſed diuina quadam cauſa effici probos: Deum ſic † nobis præfici & fieri dominum vt bona & mala pro meritis diſtribuat: nefas † eſſe Deo illa tribuere, vnde malus diſtributor, iniuſtúſque iudex cenſeatur, & id genus alia; ſi nullum aliud actionis genus præter agitationē cœli aut extraordinariam nullam Numinis actionem agnoſcit? quid quod ijs ipſis in locis, quos ipſe vrges, partim leuiſſimè quatit, partim etiam confirmat ſententiā noſtram? Nam dũ negat Deum immittere ſomnia mortalibus (id quod & iam antea damnauimus, & ſi generatim id affirmet damnamus rurſus) id ſanè nō eo prætextu negat quòd velit huiuſmodi effectus ſuperare Naturam; Deũ autem per motum tantùm ac naturaliter agere: ſed contra potiùs, cum animaduerteret æquè bonos ac malos, immo & muta animātia ſomniare, colligit (quanquam præpoſterè dum nullo diſcrimine vtitur) hoc eſſe opus Naturæ: nec ad Deum eſſe confugiendum, quaſi ab extraordinaria actione excellentioríque virtute proficiſcerentur. quo in loco vel ſumit Deum extraordinaria quadam actione, ac præter communem Naturæ curſum interdum operari, licet hoc tempore non ſit ad eam confugiendum: (atque hoc mirificè nobis faueret) vel ſaltem nihil de hac re ſtatuit: ſolúmque docet hac vna de cauſa non eſſe quòd ad externam Numinis virtutem actionémque (quicquid de ea ſit) recurramus. Dum verò ait eos qui veſaniæ morbo corripiuntur (neque enim ſigillatim de dæmone aut energumenis mentionem facit) aut fanatico inſtinctu percelluntur, ex quo Sibyllæ, Bacchides, ac ſummatim ἔνθεοι (hos tu diuinitùs inſtinctos atque afflatos dixeris) efficiuntur; non ego illum laudo: quin potiùs, quoniam tam generaliter loquitur, reijcio ac damno. quāuis enim de Bacchidis rectè: rectè etiā fortaſſe de Poëtis (nā de Poëtis quoque mox hoc ſtatuit) & eiuſmodi vatibus fanaticíſque, hominibus; de Sibyllis tamē, generatim præſertim, nullo modo aſſentior: maximè verò ſi phyſicam illam κρᾶσιν ſiue temperationē uelit aut vnam*

† *l. de diuin. per ſom. c. 1. & 2.*
† *Problemate. 1. ſectionis. 30.*
† *lib. 1. mor. & alibi.*
† *l. 10. mor. c. 8.*
† *l. 2. mag. mor. c. 8. & 1. mor. c. 9.*
† *l. 2. mag. mor. c. 9.*
† *l. de diuin. per ſom. c. 1.*
† *l. 7. Eth. ad Eud. non longè à f.*
† *l. 10. Eth. c. vlt.*
† *l. 2. magn. mor. c. 8.*
† *loc. cit.*

aut principem causam fuiße, non secundariam, aut potiùs dispositionem. nam vt Sibyllæ ex tempore funderent eruditissima carmina, atque adeò futura prædicerent: agrestisque interdum puella arcana pandere soleat, atque peregrino inusitatóque sermone loquatur, profectò ex naturali causa, ex bilis scilicet calore (hæc est enim frigida Aristotelis ratio) ad sedem mentis proximè accedente, proficisci nullo modo potest: sed hoc ad dæmonem, illud ad diuinum instinctum est reuocandum. quod ne ipse quidem negare tandem potuit: nam cum assereret † ea quæ supra nostram sunt prudentiam, atque humanum ingenium superant, in diuinam causam esse referenda, non aliud attulit exemplum quàm eorum qui secus Herculeas columnas, vel in Boristhene futura præsentire dicerentur: quod apud æquum æstimatorem vel est quamsimillimum exemplo Sibyllarum, vel certè longè minorem admirationem habet: ac propterea qui istorum vaticinia in diuinam causam redegerit, non potest nisi temerè vni melancoliæ Sibyllarum factum ascribere, cum præsertim in moralibus † rursus fanaticos à Deo & afflari, numineque corripi & concitari apertè scriptum reliquerit. Quapropter quicquid vacillans interdum statuerit hac de re, neque extraordinariam omnem Dei actionem idcirco negat, quòd eam in lymphatis istis, aut ἐνθέοις non semper agnoscat: neque si quid efficit, sic tamen sibi constat, vt contrariæ quoque sententiæ (id quod erat nobis docendum) non apertè faueat, aut propter hæsitantiam bilinguis non possit iure meritò reputari. Quamobrem hæc summa sit; Aristotelem quippe qui se in physicis abdiderat totum, quæ naturali ratione continentur ac motu, tractasse, atque ad cœli motum motorémque primum tanquam ad principem causam reuocasse: cætera effectionis, actionisue genera vel quia sensuum præsidio siue attingi siue explicari nullo modo possent, atque humani ingenij vires penitus superarent, vel quòd obscuriora essent quàm vt cum aliqua laude tractare ea valeret is qui videri vellet res altiùs atque intimiùs inuestigasse: vel quòd essent alterius instituti ac temporis, partim sicco pede hæsitantérque ac variè attigisse: partim etiam tacitum præteriße. Tametsi vt ad Mundi æternitatem introducendam, atque alia huius generis sancienda decreta, summo interim conatu firmare contendit suum illud initium, Ex nihilo nihil fit, vnum illud extraordinariæ effectionis genus sustulisse, quod nos creationem appellamus (iuuat enim admonere hoc rursus, ne interim sententiam mutasse videremur) negandum non est.

DE DEI EFficiẽtia quod pertinet ad cœlũ ac beatas Mentes.

At esto ijs Aristoteles criminibus quibus dicebatur externas Dei actiones, vno cœli motu conclusisse omnes, eximendus, ac penè in integrum restituendus sit; sed quis tandem erit excusationis locus vbi Deo turpissimè adimit effectionem rerum æternarum? etenim dum constanter asseueras ac doces creationem, quicquid de extraordinarijs alijs Dei actionibus sit; fuisse ab eo repudiatam, ac reuera molitionem omnem rerum naturalium ad motum reuocasse, profectò hinc eidem quem tueris, perpetuam ignominiam inuris ac notam. Ergo attingamus hoc si placet, atque vtrum eiusmodi illi notam inusserim, expendamus. Et sanè Deum ex Aristotelis opinione cœli quoque & intelligentiarum esse authorem & molitorem, tum ex ijs diludicè

constat

† l. de diuin. per. som. c. 1.

† lib. 1. mor. Eud. c. 1. ad in. & lib. 7. propè fin.

constat quæ scribit† *ad Alexandrũ (qui enim librum hũc negant esse Aristotelis, ij sanè importunè faciunt: quis enim præter Aristotelem aut instituit vnquam Alexandrum in philosophia: aut instituente illum Aristotele, haud veritus esset tantum opus audere? quanquam nos non authorem sed scripta expendimus quæ Aristotelis nomine circunferuntur: ac præceptis ipsis quorum causa instituta est disputatio, non authoritate nitimur & permouemur) tum ex ijs colligi potest quæ subijciam. Ac primùm quidem cum in eius diuina philosophia apertè doceat à prima Mente*† *sine principio pendêre cœlum & Naturam, quid prohibet Deum fieri effectricem causam verũ æternarum? An forte quia hæc dependent à Deo propter motum potiùs & actionem quàm propter eßentiam? minimè verò. nam cum alibi sese exponat ipse satis, asserátque*† *à Numine (θεῖον appellat ipse) his quidem exactiùs, his verò obscuriùs pendêre esse & vitam, luculenter refellit commentum istud, ostenditque se de essentia loqui ac natura ipsa rerum, non de actione ac motu tantùm. An verò quia dum cœlum ac Naturã pendêre ait à Deo, saltem nihil de intelligentijs? At præterquam quod per verba* his quidem exactiùs, his verò obscuriùs, *mortalia omnia & immortalia apertè satis indicat atque describit: ac per vitam, intelligentes Naturæ etiam optimè intelligi possunt (nam cum Deus quia intelligit, non solùm viuere dicatur, sed & ζῷον, animal inquam, appelletur*† *ab Aristotele; quantò magis cœlestes Mentes vitæ gradu, præsertim nobilissimo, continebuntur ac designari poterunt?) profectò nulla est ratio cur potiùs cœlestia corpora quæ apud eũ sunt sempiterna, quàm intelligentiæ, hoc est cœlestium corporum motrices animæ, quod attinet ad essentiam, dependeant à primo illo principio. maximè verò cum illæ (si Aristoteli*† *credimus) sint propter motum: ac propterea etiam cœli nomine orbem & intelligentiam sæpissime comprehendat. Quinetiam cum per Naturam sine vlla dubitatione res mortales omnes intelligat; per cœlum res immortales omnes, vno tamen Numine excepto à quo pendêre dicuntur; designarit necesse est. ac rursus quemadmodum per essentiam qua gradus infimus constituitur, infima quæque, sic per vitam qua constituitur summus, summa quæque ad Dei efficientiam retulisse fatendum est. Nam si eò confugias vt affirmes posse apud Aristotelem res æternas, cuiusmodi sunt cœlum, & intelligentiæ, à Deo pendêre per essentiam & vitam; quia scilicet, à Deo conseruetur illorum essentia & vita; cum tamen non pendeant per efficientiam, ac proinde non fuisse verè à Deo effectas, temerè profectò huc confugies. Siquidem (vt omittam vix animo concipi posse, cordatóque viro vel dictu perridiculũ visum iri ac puerile, sempiternas aliquas Naturas quoad esse, vt cũ scholis si non purè, significanter tamen loquar; à Deo pendêre, nec tamen à Deo accepisse esse) mirificè æquiuocasset, inconsiderateque disputasset Aristoteles: nam cum mortalia sic pendeant à Deo quoad eßentiam, vt à primo motore atque ente, vt est potissima generationis causa, verissimè illam acceperint: cœlũ tamen & intelligentiæ à Deo essentiam nõ accepissent: cum tamen promiscuè ac sine vllo discrimine affirmet cœlum naturámque vniuersam quoad essentiam & vitam à Deo pendêre. Ad hæc, qua obsecro ratione*

† exp. 7. per totum.
† l. 12. met. t. 38.
† lib. 1. cœli t. 100.
† l. 12. met. t. 39.
† l. 12. met. t. 48.

intelligi possunt ea verba grauissima, quibus in veteres quosdam philosophos inuehitur, dum cœlum résque diuiniores non à Deo sed casu facta esse dicerent? Sunt quidam (*inquit Aristoteles*†) qui & cœli huius & mundanorum omnium causam esse ponunt casum. à casu enim fieri dicunt reuolutionem & motum, qui discreuit & constituit in hunc ordinem Vniuersum. Et valde hoc ipsum admiratione dignum est, quòd dicant ipsa quidem animalia ac plantas à fortuna nec esse nec fieri, sed aut Naturam aut intellectum, aut quidpiam tale aliud esse causam. Non enim quoduis ex semine vnoquoque fit, sed ex tali quidem olea, ex tali autem homo: Cœlum autem, & diuiniora sensibilia à casu fieri; talem autem causam nullam esse qualem animalium & plantarum. *Sed & quo consilio aut laudauit† Anaxagoram quòd Mentem fecisset Mundi causam: aut Hesiodi tam honorificè mentionem fecit, quòd primus videretur ad generationem Vniuersitatis attulisse animum, si ab hac ipse opinione abhorrebat, atque inconsideratam esse iudicabat & falsam? Ad extremùm (vt multa in vnum contraham: multa etiam prætéream) cur non falsò atque ineptissimè pronunciat† primum in vnoquoque genere esse causam reliquorum: in causis† efficientibus non licere progredi in infinitum, sed deueniendum esse ad primum aliquod, nimirum ad Deum: † vnū reperiri quod per se ipsum est necessarium, id est (si Commentatori atque alijs nonnullis credimus) Deum: alterum ab alio, videlicet Mundum: † Naturam siue Deum sapienter fecisse qui cœlum exemerit à contrarijs: † Deum compleuisse Mundum æternitate sempiternam constituens rerum generationem: † dæmones esse opus Dei: † Deum item propter mortalium salutem tantam motuum varietatem constituisse; hominem † esse omnium finem: immo † plantas & animalia fuisse conditas propter hominem: rationis † metas excedere, Naturæ animantes curæ fuisse: † stellas verò, hoc est res vsque adeò præstabiles, despexisse, ac proinde Naturam non casu ac temerè, sed sapienter egisse quæ animantibus organa incessui necessaria tribuerit: stellis verò quibus non per se ipsas, sed ad motionem suorum orbium essent peragendi cursus, eadem denegarit. cur (inquam) non ineptissime hæc pronunciauit, si à Deo cœlum ac cætera omnia profecta esse minimè existimabat? At enim multa sunt apud eundem quibus in contrariam sententiam reuocamur: atque illud inprimis quòd (vt paulò ante dictum est) efficientiam rerum reuocauit ad motū, atque omnino sustulit creationem: cum tamen cœlestes Mentes, Mundúsque ipse nisi per creationem esse non potuerint. atque hinc est vt in commentarijs de cœlo cum effecisset Mundum esse æternum, compertum quoque esse voluit non modò esse ingenitum, sed & cuiuscunque originis expertem, ac nullo planè modo effectum esse. Vera sunt ista, fateor: sed quæ tamen nihil aliud efficiant nisi Aristotelem Mundi æternitatem contra antiquos omnes ac Magistrum inprimis introducere, & pugnaciter retinere conantem, in huiusmodi salebras incidisse: séque ipsum (quæ est inuidorum sors) eodem telo quo aduersarium oppugnat, confodisse. Atque hac de causa non necesse habeo hoc tempore in aduersariorum argumentis enodandis immorari longiùs. Si enim*

contenderem

† l.2. phy. t. 44.
† 1. metaph. sum. 2. c. 2.
† l. 2. met. c. 4.
† lib. 2. met. t. 6.
† l. 5. met. t. 6. ferè ad extremum.
† l. 1. cœl. t. 20.
† l. 2. de ge, t. 59.
† l. 2. Rhet. c. 8.
† l. 2. cœli t. 21.
† 2. phy. t. 24
† l. 1. pol. c. 5
† l. 2. cœli t. 50.
† l. 2. cœli t. 50. cit.

contenderem ita placuisse Aristoteli Deum esse Mundi effectricem causam, vt non nisi eo reclamante ac penitus repugnante in contrariam sententiam discessissent Peripatetici aliqui, esset quidem mearum partium id prosequi ac docere pluribus quare authores primùm proferendi essent quibus abundat hæc opinio: tũ loca Aristotelis varia vrgenda forent in aduersarios quæ vix ac ne vix quidẽ intelligi possunt nisi Mundi effector atque molitor constituatur Deus: (quanquam vnum aut alterum iam explicaui: alia etiam quædam perstrinxi) ad extremùm rationibus esset agendum ex Aristoteleis maximè initijs decretisque desumptis: has enim prætermisi omnes. Verùm non ego id contendo in præsentia: sed illud vnum quod nemo mihi denegauerit qui in Aristotele versatus sit: nimirum hanc quoque opinionẽ defendi posse in Aristotele, ac suas rationes habere quibus vel altiùs atque commodiùs, vel (vt sim cum aduersarijs liberalior, atque æquissimus oppugnator appaream) non minùs quàm contraria demonstretur & confirmetur. Mihi enim satis est hoc loco meliorem sententiam in hac controuersia posse in Aristotele retineri: atque eius authorem cum Christiana veritate non magno negotio coniungi. Ac profectò qui deteriorem opinionem sequuntur, nisi cauillari velint, ac nefarium hoc scelus commentis tueri maximè, coguntur etiam fateri Aristotelem secum mirificè dissidere ac pugnantia loqui. Cum tamen è contrariò quantumuis subtiliter disputent aduersus nos, aliud nihil concludant, quàm non posse hoc decretum sine creatione, quam tamen non admittit, retineri. Quæ res, si me audias, eò tandem euadet apud iustum æstimatorem, vt fatendum sit non tam de origine dubitasse Aristotelem, quàm de modo: aut ad summum cum modum ignoraret ac viam, nec facilè posset alia quædam, ac præsertim ipsius Mundi æternitatem cum ortu siue origine coniungere; de origine quoque ipsa atque efficientia quoquo modo ambigere cœpisse. ita vt quantumuis sæpè fecerit Deum rerum omnium authorem & effectorem, hæsitantiam tamen suam alicubi (vbi scilicet modus esset aperiendus, ac decreta coniungenda) non potuerit non indicare. Nam ijs Peripateticis qui creationem siue emanationem rerum æternarum vnde propositus aduersariorum nodus explicaretur, probant in Aristotele; ego sanè assentiri nullo modo possum, cum hunc videam contrario plane fundamento niti ab ipso ferè naturalis Philosophiæ exordio ad finem vsque: totámque Aristotelicæ physiologiæ machinam materia ac motu sustentari ac niti. Quæ cum ita sint, iam ex dictis intelligere licet falsò affirmari à nonnullis ex æternitate intelligentiarum sequi Deum ad istarum ordinem reuocari ab Aristotele: vel certè de diuina potestate ac maiestate decessionem fieri maximam. Nam si à prima Mente nollet deriuasse aut pendêre cæteras, iure fortasse id ei tanquam impium obijcerent: at cum ea conditione ac lege intelligentias donet æternitate, vt velit ipsas à prima Mente pendêre, ac cœlum Naturámque vniuersam siue quà clarior atque præstantior, siue quà obscurior atque humilior; ac tam propter vitam quàm propter essentiam appendat nectátque Deo, immeritò hoc ei crimen obijcitur. Alioquin si Deus Mundum ab omni æternitate condidisset, quod facere potuisse plerique tuentur

DE HIS quibus videtur Deus ad ordinem redigi cum cœlestibus Mentibus.

tuentur inter Theologos nostros; sequeretur hoc ipso quòd Mundus esset conditus ab omni æternitate, Dei dignitatem minui: immo Angelos atque adeò mortalia ipsa fieri Deo æqualia ac paria. quod sanè cum non ex Dei substantia, sed ex nihilo manarint, extra modum absonum est & absurdum. Sed quoniam semel ad ea deflexit oratio quibus Deus in reliquarum Mentium ordinem redigi, atque adeò è diuinitatis solio deturbari videtur; iam ad alia quoque pergendum est, quibus hoc ipsum rursus efficere nituntur aduersarij. Ac primò (vt ad certa capita reuocentur) illud obijciunt, & cum Christiana veritate pugnare affirmant, quoad ab mouendi munere non sit immunis: aut saltem generalis rerum omnium haud censetur motor: sed vnius tantùm orbis veluti agitator efficitur, perinde ac cæteræ intelligentiæ, quarum singulæ singulos orbes dicuntur torquere. Secundum quia non vbique collocatur, sed tantùm in extima primi orbis parte (si tamen primus est) siue in conuexo. atque hæc duo sunt ob quæ iandiu expostulabamus Deum ab Aristotele fuiße certo cuidam globo affixum in omnem æternitatem. Tertium ac postremum, quòd cũ Deum ad intelligentiarum ordinem reuocasset, omnes æquè absolutas esse voluit, simplices, puras, æternas, necessarias, & (vt vno verbo cõplectar) inter se quàsimillimas. vt propterea vix ac ne vix quidem reperiri aliquid videatur in quo Deus cæteris intelligentijs antecellat. Ac de prima quidem huius assertionis parte inde constare videtur satis, quòd in diuina† philosophia, vbi id de industria disserit, abstractas Naturas inuestigat per motum, tótque substantias ponit à materia separatas, quot sunt Orbes: ac proinde præter intelligentias motrices orbium alias abstractas naturas concedere videtur nullas. Quocirca cum ex Aristotele superior intelligentia sit Deus, haécque torqueat superiorem tantùm orbem, Deus erit primus motor, quia mouet primum Orbem: non quòd generalis sit motor & omnium motionum princeps: tantum abest vt à ciendis agitandisque corporibus omnino sit liber. Alteram verò partem aßeuerasse videtur non modò in libris de † physica auditione, vbi disertis verbis collocat primum motorem in circumferentia cœli (quam appellant) sed etiam in libris de † cœlo, vbi tum Græcos tum Barbaros in hoc consentire ait vt eum affirment esse in cœlo. quã sententiam inde confirmat in Commentarijs de † ortu & interitu quòd hæc inferiora ideo sint caduca et mortalia quòd magnopere distent à primo principio. Atque hoc ipsum est quod fusiùs tradit in libro de Mundo, † vbi Summam (*inquit*) ac primam sedem Mundi sortitus, ea de causa ὕπατος, quasi supremus appellatus est: & (vt inquit Poëta) in summo culmine vniuersi cœli suum habet ipse domicilium situm & collocatum. maximè verò vim eius sentit, numineque eius ante omnia fruitur id corpus quod proximè eum situm est: tum quod secundum ab hoc situm habet, & vnumquodque deinceps prout situum ordo ad nostrum vsque locum natura constitutus est. quo fit vt terra & terrena omnia quæ longisimè ab diuinitatis adminiculatione abscedunt tam infirmitate summa sint ipsa concinnitatísque sibi cõsentaneæ maximè expertia: atque ideo multo tumultu exagitata.

Hinc

Tria præcipua capita proponũtur vnde ostendi videtur Deũ verè ad cœlestium Mentium ordinẽ redigi.

† *l. 12. c. 4. sum. 2.*

† *lib. 8. phy. t. 84.*

† *l. 1. t. 22.*

† *l. 2. t. 59.*

† *cap. vlt.*

Hinc paulò poſt rem tum explicat Xerſis exemplo, quòd hic, licet longè latéque dominaretur, Suſis tamen procul ab hominum conſpectu Regiam admirandam obtineret: tum conſenſu Homeri & omnium mortalium confirmat, qui regionem Mundi ſummam Deo tribuerent. Atque ob id (inquit) ipſi manus tollimus ſurſum inter vota concipienda. Denique poſtremam partem qua ſtatuiſſe dicebamus Deum non magis quàm reliquas intelligentias eſſe ens neceſſarium, purum actum ac formam, ac cætera omnia quæ longo ordine recenſuimus ab initio, quaéque diuinæ naturæ dignitatem intoleranda licentia imminuere videntur, cum alijs quibuſdam in locis attigit & indicauit, tum præſertim, ſi nonnullis credimus, ſine vlla dubitatione docuit duodecimo diuinæ Philoſophiæ libro. Veruntamen hactenus (ſi ſecundum exceperis; quod iam diu ad ſecundum ordinem ideo reuocauimus quia Deum vbique ſecundum ſubſtantiam eſſe conſtantiſſimè ſentientes, Ariſtotelem damnandum explodendúmque eſſe volumus: quanquam non idcirco Deum globo tanquam piſtrino affixiſſe concedimus) nihil fermè eſt quod non poſſit cum pietate componi. Et quidem vt perpendamus primum, ídque, quoniam eſt bipartitum, à priore parte incohantes; An Deus tanquam cauſa efficiens, ac per ſe ipſum moueat primum globum, an verò metaphoricè & tanquam finis, diſputant Peripatetici: Ex quo fit vt ſi eos ſequaris qui affirmant Deum mouere tantùm metaphoricè & tanquam principium amatum & deſideratum (quia ſcilicet intelligentia ciens motum primi illius Orbis mira quadam delectatione afficitur inter mouendum, cum intelligat Deum) profectò nobiliſſimum decretum elicere poſſis quod à Chriſtiana pietate nequaquam diſſidet: nimirum Deum ab omni naturali motione vacare: cum tamen omnium motionum ſit author ac princeps. Etenim nōn ſolùm intelligentia de qua diximus, ſed cæteræ omnes mouerent à primo optimóque principio quod vnicè diligunt, & cuius contemplatione delectantur ac fruuntur, excitatæ (quamuis reuera alia quoque ratione eſt author Deus motionum omnium) & quaſi incenſæ: quod eſt ipſiſſima patrum multorum ſententia nedum Platonis & veterum Philoſophorum ac Poëtarum de quibus aliàs. Quanquam (vt ingenuè fatear) contraria ſententia apud Ariſtotelem videtur probabilior: immo verò longè apertior & clarior quàm vt meritò in controuerſiam vocari poſſit. Etenim dum Deum appellat † primum motorem, atque interdum etiam † primum motorem immotum, illud reſpectum habens ad cæteras intelligentias, hoc ad cœlum ſiue primum Orbem quem vocat † primum mouens motum; profectò mira æquiuocatione atque adeò falſò id efferret niſi de proprio ac vero motu loqueretur: cum cœlum & intelligentiæ reliquæ, non finaliter, ſed ciendo moueant & effectiuè. Quin niſi primum motorem quem paſſim facit appellátque Deum, effectiuè mouere concedamus, cum alia loca multa, tum maximè octauus liber de naturali auditione, ac duodecimus diuinæ philoſophiæ puerilibus æquiuocationibus miráque leuitate referti eſſent. At enim hoc ipſum quod modo tueris ac probas, eſt id quod volunt aduerſarij. nam hoc pacto ſuperiori Orbi ciendo deſtinatus erit Deus perinde ac cæteris orbibus intel-

ligentiæ

Iam ſecundo capite aliqua ex parte admiſſo exponitur quid ſit ſentiendū.

Refellitur primum caput: cuius cauſa diſputatur num Deus finaliter tãtum an effectiuè etiã moueat cœlum.

† lib. 8. phy. & 12. met. paſſim.

† 2. phy. t. 73.

† 2. phy. t. 73. & 12. met. t. 35.

NVNC ostēdit etsi Deus effectiuè moueat cœlum, id non eam habere turpitudinem quā iactāt aduersarij: simúlque proponuntur fundamēta quibus videntur isti posse niti.

ligentiæ singulæ attributæ sunt. Ecto. Sed non idcirco hæc sententia eam quam isti iactant, habet turpitudinem; aut ad ordinem redigit Deum cum cæteris intellligentijs: siue etiam Orbi tanquam pistrino affigit. Siquidem vel id hac vna de causa affirmant quòd moueat: quia nimirum indignum esse putant Deum mouere corpora: vel quia vnum tantùm globum torqueat (atque hinc tum primum dubitationis caput exaggerabo altiùs: tum idem statim quod attinet ad posteriorem quoque partem explicabo) perinde ac cæteræ intelligentiæ: vel quia videtur primo quoque globo priuata quædam intelligentia tribuenda: Deus verò præficiendus omnibus: vel quia quoad suppositum (vt loquuntur scholæ) non vbique sed in extimo tantùm orbe, immo in definita quadam & angusta illius parte collocetur: vel quia ex Deo siue ex prima intelligentia fit vnum ac veriùs quàm ex anima & corpore, quod vel dictu indignum videtur: vel denique quia mouet necessariò. At nihil ex ijs dici potest: vel si quid potest, nullo modo efficit quod isti conantur: quæ omnia demonstro sigillatim.

I. II. III. IV. V. VI.

Euertitur fundamentum. I.

Ac primò tantum abest vt vel indignum sit vel cum Christiana veritate pugnet Deum mouere corpora, vt nos quicquid mouetur, quocunque tandem motu moueatur, à Deo & moueri & immediatione tum virtutis tum suppositi moueri affirmemus. quo etiam fit vt quemadmodum non modò per virtutem sed per essentiam quoque præsens est mobili, atque intimè præsens; ita magis immediatè mouere singula dicendus sit, quàm definiti ac proprij rerum ipsarum motores.

II.

Neque item verum est Deum ex Aristotele mouere primum globum tantùm: nam dum motione diurna mouet primum, cæteros continenter mouet omnes ac torquet nullius intelligentiæ opera vsus. Quare mouent quidem reliquos orbes singulos singulæ intelligentiæ ab Occidente in Orientem: súntque conuersionum illarum effectrices, quæ si cum diurna conferantur, tardissimæ sunt atque remissæ: at motus quo firmamentum orbésque reliqui mira celeritate & æqualitate ab Oriente torquentur in Occidentem, à prima intelligentia siue à Deo efficitur, si Aristoteli credas. Et ideo in diuina † philosophia dicitur motor Orbis moti & mouentis: quod nulli accidit ex alteris: cum per suum Orbem non moueant alios quemadmodū prima. Et in libro de † Mūdo primi Orbis motione dicitur Deus sic impellere Orbes cæteros, vt vno eodémque simplici motu torqueat proxima corpora: tum per hæc, ea etiam quæ longiùs atque longiùs absunt: ita vt permeet vniuersa: tametsi propria horum via diuersa sit aut etiam contraria.

III.

Hinc fit vt nihil obstet quod afferebatur tertio loco. nam si primus quoque Orbis ex Aristotele habet propriam intelligentiam mouentem à Deo distinctam vt † Alexander inter † cæteros existimauit; vix ac ne vix quidem hac in parte à nobis dissidet, qui singulis orbibus singulas formas motrices quæcunque eæ sint, attribuimus: Deúmque generalem motorem facimus. Si non habet, vt omnino crediderim propter ea quæ paulò ante pro hac sententia disputauimus; iam non idcirco impietatis arguendus est; idque primò quia licet moueret proprium Orbem sicut intelligentiæ reliquæ, moueret tamen primū & nobilissimum: quod sanè si B. Thomam audias, hac in re satis videri posset: nam ideo, Satis conueniens (inquit † Sanctissimus

† l. 12. t. 35.

† c. vlt. ante. m.

† Alex. lib. 12. met. Cō. suo 24. & 25.

† Scot. 1 ād. & secūdum quosdam, S. Th. etiā adde Alex. de Ales li. 12. met. t. 36.

† 12. meta. lec. 9. part. vlt. m.

simus Doctor) videtur vt primus motus rerum corporalium, à quo omnes alij dependent, habeat pro causa principium immaterialium substantiarum, vt sit quædam connexio & ordo rerum sensibilium & intelligibilium. *deinde quia* (*vt diximus*) *mouendo primum orbem diurno motu, mouet continenter cæteros omnes, idque sine vllo aliarum Intelligentiarum interuentu; quod quoniam hae ne proprium quidem globum torquent sine primi motoris ope, huius dominatum ostendit: ac propterea vel hoc vno rerum omnium quæ in Natura efficiuntur, causa iure optimo appellatur. denique* (*vt alia multa prateream quæ de primæ intelligentiæ excellentia dici poßent, de his enim paulò post*) *quoniam ipse vnus tanquam vltimus atque omnium finis, mouet propter se ipsum: cæteræ propter illum maximè. & hoc est quod ait Aristoteles mouere vt amatum & desideratum: id enim non ea de causa dicitur quòd non moueat effectiuè* (*id enim decepit Alexandrum ac sectatores*) *sed quia ipse non habet externum ullum præstantiorem finem sicut reliquæ causæ motrices: sed cum sit id quod est optimum & diuinißimum, est finis omnium. Quocirca cum sic moueat vt interim non modò sit omnis laboris, potentiæ, & imperfectionis expers, sed etiam*(*id quod non accidit cæteris*)*vnico & simplicißimo motu moueat omnia; ac denique sit primus, nobilißimus, generalisque motor ac finis omnium motuum & motorum, parum refert an primus globus extra Deum habeat propriam intelligentiam: cum eodem modo Deus sit summus, generalis, ac nobilißimus finis & motor omnium. Non itaque dicendus est Aristoteles Deum proprio globo tanquam pistrino affixisse. At ea saltem de causa quæ in quarto loco afferebatur, videtur affigi globo: quia nimirum secundùm suppositum ac substantiam sit in præfinito loco. Mimimè verò: nam Deum secundùm eßentiam simpliciter esse non vbique, sed certo in loco, est quidem à Christiana veritate alienū, ac propterea iandiu fuit explosum: sed non idcirco tamen dicendus est Deus affixus globo, idque tum quia continet potiùs quàm contineatur: tum quia alioquin Magister quoque nauis, aut Dux classis qui certam quandam nauis partem occupant præsentia, non secus ac captiuus aliquis remex definitæ alicui nauis parti dicendi essent affixi: cum tamen è puppi naui ac classi toti imperent. pari ratione Imperator in exercitu, Rex in Regno, dū certo in loco continentur corpore, castris aut perangusto alicui loco dicendi essent affixi, non secus atque captiuus aliquis qui carcere detinetur: cū tamen hic seruiat, ac miserè seruiat: ille longè lateque imperet ac cæteris moderetur.*

IV.

Sed & falsum quoque est ex prima intelligentia & Orbe non aliter quàm exanima & corpore, immo veriùs atque perfectiùs, fieri vnum: est enim hoc merum Auerroistarum quorundam somnium, cum intelligentia non informet cœlum quemadmodum anima corpus, sed det tantùm motum. Sunt enim cœlum & intelligentia, quod attinet ad substantiam, per se absoluta atque completa singula: anima verò & corpus per se incompleta: ac propterea fit quidem ex his perfectè vnum: ex illis minimè. alioquin Deus qui est prima intelligentia, nec esset indiuisibilis aut separatus à materia, nec moueret æterno tempore: nec esset ens simplex atque perfectum.

V.

ctum. non itaque Deus dicendus erit affixus cœlo quasi ex ipso & Orbe perinde atque ex anima & corpore vnum constituatur. Postremò Deum agere ac mouere necessariò neque est exploratum apud Aristotelem; immo contraria sententia testatior est & probabilior; neque si necessariò moueret, idcirco affixus cœlo nisi impropriè atque adeò temerè dici posset. siquidē non ideo necessariò moueret cœlum quòd vis illi adhiberetur vlla atque ad cœlum impellendum cogeretur: neque animantis instar ratione expertis à Natura duceretur quasi careret intelligentia; sed ea tantùm ratione moueret necessariò, quòd quemadmodum perfectissimè nouit quid sit conuenientius ac melius; ita hoc vnum agere posset, non aliud. quod tamen è voluntate quoque eueniret perinde atque amor vltimi finis & optimi. Iā verò, quod attinet ad postremum caput, res caret calumnia, eáque grauissima. Tametsi enim in eo deceptus sit Aristoteles vt voluerit intelligentias omnes esse æternas, ac proinde quæ cum aeternitate necessariò cōiuncta sunt, intelligentijs omnibus cum prima, hoc est cum Deo (hunc enim primam intelligentiam facit, nec omnino temerè, cum primus sit, ac summus ex ijs quæ intelligentia viuunt: quanquam Νοῦς, Intelligentia inquam & Mens appellatur quidem aliquando † Deus ab Aristotele, quemadmodum & πρῶτον κινοῦν, πρώτη οὐσία, θειοτάτη φύσις, θεός. primum mouens, prima substantia, diuina Natura, Deus: at πρῶτος νοῦς, prima intelligentia vix vnquam fortasse) censuerit fecerítque communia, (quanquam longè diuersa ratione vt constabit aliàs) veruntamen tam varia & multa. atque ea sanè diuina, pronunciauit de Deo, quibus priuauit caeteras intelligentias, vt nullo iure affirmetur eas apud Aristotelem eſſe quamsimillimas aut eiusdem ordinis. quin potiùs iure optimo affirmari possit à prima intelligentia, vel longissimo vel fortasse etiam infinito interuallo caeteras superari. Quamobrem vt ea praetermittam quae habentur in libro de Mundo, in quibus Deus tanquam omnium author, finis, bonum, princeps ac moderator extollitur; in duodecimo diuinae philosophiae libro haec quae subijciam de Deo tradit, quibus omnibus priuat caeteras intelligentias: nimirum ipsum vnum vtpote primum, non solùm esse propter se, sed etiam esse optimum, pulcherrimum, summum delectabile, & ens maximè. quin idem esse in illo intellectum, intellectionem, & intelligibile: continere in se æuum, atque æuum esse ipsum Deum: ita vt non solùm sit primum mouens: sed etiam primum appetibile & intelligibile. his addit ab eo cœlum & Naturam pendêre vniuersam: esseque non modò causam ordinis ac bonum totius Vniuersitatis, sed etiam finem. Ad extremùm quemadmodum (inquit) Regnum vt rectè administretur, non sustinet plures Reges: ita Mundus, ne malè res disponantur, ab vno principio pendet ac regitur. Hæc Aristoteles: quibus docemur Deum cæteris intelligentijs quamlongissimè præstare: seu potiùs has cum Deo conferri nullo modo posse. Hæc ad ea quibus ab Aristotele (si nonnullos audias) videtur Deus de summo diuinitatis statu deijci ac deturbari, atque in reliquarum intelligentiarum ordinem redigi. Nunc contra de ijs agamus quibus eædem intelligentiæ ad Numinis solium extolli, & cum Deo pari fermè diuinitate donari videntur. Immo verò,

Refellitur postremum Caput.

† 12. met. t. 51. & al.

verò, quoniam Aristotelem ob cœlestes hasce Mentes Angelis quoque ac beatis Mentibus derogasse pugnant aduersarij; querelis omnibus satisfaciamus, quæ ob intelligentias siue excitatæ sunt hactenus, siue iusto obtentu aliquo excitari posse videantur: simúlque ea omnia quibus strictim ostendimus Deum præstare intelligentijs, altiùs atque vberiùs confirmemus.

QVAE de intelligentijs cum alijs in locis sparsim, tum maximè duodecimo diuinæ philosophiæ libro scripta reliquit Aristoteles, sine vlla dubitatione obscurissima sunt, atque ingentibus obstructa dubitationibus. Hinc à nonnullis Peripateticis atque ab Auerroë præsertim eiúsque sectatoribus ita tractata fuerunt, vt nihil propè occurrat in quo sine pietatis offensione consistere possis. Quin si rem ad calculum reuocemus quot de ijs enunciauit Aristoteles, tot fermè videtur mendacia, atque ea sanè cum Christianis decretis pugnantia protulisse. Sed enumeremus ea si placet.

DE INTELligentijs circa quas dum tã multa peccasse visus est Aristoteles ostẽditur vix vno tãdẽ aut altero à nobis dissentire. Priùs tamen sigillatim proponuntur & cõfirmantur errorum quæ illi obijci posse videntur, capita.

I. Intelligentias esse sempiternas.
II. Purissimos actus.
III. Per se & absolutè necessarias.
IV. Essentialiter & quoad causalitatem subordinatas.
V. Mouere ac necessariò mouere Orbes.
VI. Propter se primò ac maximè mouere,
VII. Aut etiam esse propter lationes: ita vt his sublatis sint frustra.
IIX. Esse tot numero quot Orbes.
IX. Esse immobiles.
X. Esse suo quanque globo, immo exiguæ huius parti affixam.
XI. Esse Deos.

Hæc inquam de beatis illis Mentibus siue de intelligentijs mendacia. Inter quæ tria priora apud nos sunt vsque adeò aperta, nullam vt dubitationem habere possint. Nam ab omni æternitate solum Deum fuisse, Angelos verò ac cætera omnia initio temporis cœpisse, fidelibus princeps (vt ita dicam) & maximum est axioma: pari ratione ipsum Deum esse vnum, perfectissimum, ac simplicissimum, atque adeò purissimum actum; cætera potentiam saltem aliquam concludere, ac denique res creatas omnes non necessariò sed liberè, meráque Dei voluntate ac beneficẽtia existere, Deúmque vnum esse qui non possit non eße, pari constantia profitemur. Sed & essentialiter, & quoad causalitatẽ effectionémque esse inter se subordinatas Intelligentias, ita nimirum vt octaua siue infima quoad essentiam constituatur ac dependeat à septima, hæc à sexta, & ita deinceps ad primam vsque ac summam, ab ijs omnino dissidet quæ de cœlestibus mentibus docemus ipsi: has enim quoad essentiam omnes à Deo immediatè procreatas esse ac pendêre affirmamus: licet quoad dependentiam quandam accidentalem quæ ordinem quendam præsidentiámque continet, vnde etiam inferiores à superioribus purgari, illuminari ac perfici, quod (vno verbo) est maiore notitia informari; non negamus necti atque ordinari inuicem. Quod verò moueãt ac necessariò moueant Orbes, partim dubium videtur, partim falsum: dubium quia inter nostros vix pauci quidam asseuerasse videntur cœlestes globos Angelis demanda-

tos fuisse contorquendos. falsum quia si mouent, non coacti mouent ac necessariò, sed liberè: quamuis enim Deo volente id faciãt, nulla tamen eis adimitur pars libertatis: sed liberè ac pro naturæ suæ conditione operantur: quod affirmare minimè licet de Intelligentijs, si (quod huius necessitatis molitores Peripatetici contendunt) cum earum motione omnino coniunctus est vltimus earum finis, quem appetunt necessariò: ac citra huiusmodi impulsionem frustra essent in Vniuersitate. Falsum est etiam apud nos Angelos mouere propter se primò ac maximè: nam si mouent, non tam suum bonum spectant in eiusmodi impulsione, quàm hominis saluti, Vniuersitatis gubernationi, ac Dei inprimis gloriæ seruiant. Idẽ planè affirmo dum asserit Aristoteles Intelligentias esse finem lationum; siue esse motionis gratia: nam Angelis longè sublimior finis est propositus: nimirum diuinæ naturæ contemplatio atque fruitio. In summam quatuor illa quæ supersunt, scilicet & esse tot numero quot Orbes, & immobiles, & affixas globo, & Deos, apertiùs pugnant cum Christiana ueritate, quàm vt argumẽtis res sit demonstranda. Quanquã illud vnum quod pertinet ad beatarũ mentium motũ prætereundum nõ est, in quo, si quis reputet, mira contradicendi libidine impietatis sibi notam inussit. Nam † cum referret priscorum opinionem qui tradidissent cœlestes illas Mentes humano interdum habitu nobis apparere, atque hac forma versari inter mortales, id in fabulæ loco haberi voluit, atque ad fidem vulgo faciendam à priscis illis fuisse excogitatũ: quæ omnia apertè refragantur diuinis oraculis: quibus docemur Angelos eiusmodi specie cum hominibus versari consueuisse: ac fortasse Aristoteles data opera Moysem, ac veteres Hebræos maledicè carpit, qui hæc ipsa literarum monumentis tradidere. certè dum priscos istos facit ἀρχαίους καὶ παλαιούς, admodũ antiquos, subdítque inuenisse ista ad leges multitudini persuadendas, aliásque huiusmodi vtilitates mortalibus inuehendas, Moysem veterésque Hebræos illos videtur ad viuum exprimere. Nam Aristotelem quoque cum Iudæo quodam familiariter versatum esse, ac proinde Mosaicæ legis notitiam aliquam habuisse, ex Clearcho Peripatetico testatur Iosephus aduersus Appionẽ. Quamobrem (vt ad rem redeam) quot de beatis mentibus effata, tot errata atque mendacia protulisse videtur Aristoteles. Veruntamen (si me audias) vno aut altero excepto omnia componi possunt. si quidem partim nomine tenus dissidet à nobis, vnáque philosophandi ratione ac via: partim non violenter in meliorem partem traduci potest: partim denique ab Auerroistis quibusdam, quorum fermè vestigia atque initia in notis istis ac mendacijs recensendis secutus sum, præpostere illi tribuuntur. sed (vt constet de re tota) dicamus de singulis. Ac primum quidem (vt hinc exordiar) dum intelligentias † appellaret Deos, id sanè non eo consilio fecit quòd reuera vellet cum prima intelligentia siue Mente cæteras in natura & diuinitate, aut potestate conuenire: nam, vt varia discrimina taceam quæ enumeraui aliàs: ad extremum apertè docuit vnum Principem statuendum esse non plures: sed tantùm ne de nomine, alieno præsertim tempore, cum antiquis decertaret. cum enim docuisset intelligentias esse primas substantias, ipse vt rem ageret suam,

† Vide. 12. met. t. 50. & 51.

Examinãtur sigillatim proposita capita: ac defẽditur Aristoteles.

XI. Intelligẽtias nomine tenus appellari interdum Deos ab Aristotele.

† l. 12. met. t. 50. & 51.

ret suam, hoc quoque antiquorum testimonio vsus est, aßerens, Tradita sunt autem quædam à maioribus nostris & admodum antiquis, ac in fabulæ figura posterioribus relicta, quòd hi Dij sunt, vniuersámque naturam Diuinum continet: cætera verò fabulosè ad multitudinis persuasionem, & ad legum & eius quod conferat, opportunitatem, iam allata sunt: hominiformes námque & aliarũ animalium nonnullis similes eos dicunt, & alia consequentia & similia his quæ dicta sunt: quorum si quis ipsum solum primum separando accipiat, quod Deos arbitrabantur primas substantias esse, diuinè profectò dictum putabit. *Hæc Aristoteles: qui sanè Deorum nomen aliquando vsurpasse, & cum Intelligentijs hoc loco confudisse putandus est, tum quòd apud Græcos iam obtinuißet vsus, vt cœlestes beataéque Mentes Deorum nomine promiscuè appellarentur: tum quòd huic consuetudini repugnare cum difficile, tum verò periculosum esset. Denique, quemadmodum ostendimus alibi, non Græcorum solùm sed & Hebræorum atque omnium facilè gentium fuit, vt tales Mentes interdum Deorum nomen inuenerint. Ac propterea ne de nomine certemus, illud vnum spectandum est, quòd non modò † vnum primùm motorem † primúmque principium, sed vnicum † principem (in hoc enim egregiè Dei vnitas custoditur) ac moderatorem præfecit Vniuersitati. Sed & dum ait intelligentias esse motus omnino expertes, non est quòd nos commoueat ac turbet quibus Angelos moueri compertum est: verbis enim tantùm à nobis dissentit. quod quoniam* παρὰ δόξαν, *ne dum inauditum ac nouum, videri posset, lubet explicare paulò vberiùs. Ergo bifariam moueri Angelos constat ex diuinis oraculis: altero quidem modo aperto satis & noto: cum scilicet assumpto corpore aliquo per interualla locorum feruntur perinde ac corpora ipsa naturalia vel animantes. altero ad intelligendum non parùm obscuro, quique hactenus, quoniam tribuitur Angelo in propria natura; Theologorum ingenia exercuit plurimùm. Ac prius quidem genus motionis quæ Angelo tribuitur propter assumptum corpus, quicquid tandem de hoc motionis genere dicturus fuisset Aristoteles vbi de eo quæsitum fuisset; non refellitur in præsentia dum in fabulæ loco haberi vult Deos illos humana speci (id quod vulgauerant Antiqui) nobis apparere. siquidem non id improbabat propter motum (neque enim de motu quæstio aut sermo vllus inciderat) sed quia hos ipsos Deos non modò † hominum, sed belluarum ferarúmque specie ac forma nobis adeße dictitabant: immo instar hominum ac belluarum esse in suis naturis ac formis; licet mente ac diuinitate præditi essent: quod sanè iure ac meritò ipsi visũ est absurdũ. Quocirca satis cõstat nullo modo ad Moysis leges Hebræorúmque oracula respexisse: sed in Græcorum cõmenta & fabulas, quales apud Homerũ atque alios antiquissimos Poëtas scriptorésque legimus. Id quod ex eo etiam intelligitur quòd ad extremùm* πάτριος δόξα, *paterna, inquam, opinio appellatur suspitio ac fabula illa: eiúsque authores non Hebræi aut externi, sed Græci designantur. Ac propterea hac in parte laude potiùs quàm vituperatione dignus est. Quod attinet ad posteriorem motus rationem de qua maximè dubitatur, res (vt mo-*

† lib. 8. phy. per totum.
† lib. 8. phy. t. 3. & 12. met. passim.
† l. 12. met. t. vlt.

IX. De motu Intelligentiarum.

† Vide etiã l. 1. polit. c. 1. ad fi.

Intelligẽtias non esse omnino expertes motus, si impropriè tribuatur illis motus, & analogia quadam ad corporum transmutationẽ.

(vt monebam) est perdifficilis: sed tamen, quantùm ego sentio, non tam re ipsa quàm philolophandi ratione dissentit à nobis Aristoteles. Nam quemadmodum in corporibus, quibus vnis propriè conuenit motus ac perfecta eius ratio; tria reperiuntur dum mouentur loco; videlicet substantia, quantitas molis siue magnitudo, & operatio ipsa seu motus: ita dum Angelos ex rebus corporatis proportione quadam (nam ideò ait Augustinus † metaphoricè esse in loco, ac † Dionysius in loco non nisi metaphoricè moueri: & hoc fermè est quòd scholastici aliqui dicunt moueri analogicè) transferimus motum, tria eonsideramus; substantiam, quantitatem virtutis, & operationem siue motum. ac rursum quemadmodum dicimus substantiam ipsam corporis eße in loco: quantitatem verò molis coextensam loco, esse rationem vnde substantia sit in loco: ita substantia Angeli est in loco, qnantitas virtutis corpori applicata est ratio vnde substantia ipsa Angeli est in loco: motus denique vel si quid huiusmodi est effectus, vnde colligimus eum esse in loco. Atque hinc fit vt quemadmodum corpus cum per quantitatem molis succedit nouis partibus loci, dicitur moueri in loco: ita Angelus cum se per quantitatem virtutis applicat nouis partibus corporis, puta cœli, ab vno loco tendere dicatur in alium & moueri in loco; & hac proportione & analogia motum notamus in Angelis. Nam certum est ea quæ dicuntur de creatura corporali & spirituali dici analogicè: ac proinde à primo analogo, quod in præsentia est corpus, (huic enim propriè & perfectè conuenit ratio localis motus) certa quadam analogia & proportione transferenda est ratio motus ad Angelum cui motus impropriè, immo (vt loquitur Dionysius) metaphoricè conuenit: id quod optimè fit modo proposito. Siquidem quemadmodum Angelus & corpus analogicè conueniunt in ratione motus; ita hæc ratio debet exprimi per aliquod nomen in quo corpus atque Angelus conueniant: quódque eam ipsam rationem designet ac denotet per quam vtrique tribuitur motus. at hoc non potest eße nisi hoc nomen quantitas, vnde tam corpus, vt demonstraui, quàm Angelus assequitur tum vt sit in loco, tum vt moueatur: illud per quantitatem molis & corporalem: hic per quantitatem virtutis & spiritualem. Quin, si me audias; nulla est alia sufficiens via & ratio qua id fieri possit. nam Angelus debet esse in loco, ac moueri in loco formaliter: quod iuxta alias opiniones impleri, & (vt ita dicam) verificari non potest: cum tamen optimè virificetur ratione ac via proposita. quod sic ostendo: nã si affirmes esse in loco per operationem, vt existimarunt nõ pauci, ac proinde dum per loca siue continuata quadam, siue interpellata successione variat operationem, moueri in loco; iam cum operatio illa, vt motus cœli, non sit subiectiuè in Angelo, sed in cœlo, non Angelus formaliter mouebitur, sed cœlum, ac propterea potiùs dicendum erit motum effici ab Angelo, quàm moueri ipsum Angelum. Si per essentiam, quod censuerunt plures; iam cum essentia corporea, vt essentia, non possit aut esse aut moueri in loco, sed per quantitatem habeat vt sit, & moueatur in loco (alioquin materia & forma per se essent ac mouerentur in loco, non per quantitatem molis, quod est absurdum) multò minùs id habebit eßentia spiritualis, cui quatenus talis est,

† *Aug. l. 4. Gen c. 18.*
† *Dion. cap. 16. de cœl. hier.*

longè

longè minùs conuenit esse aut moueri in loco; ac de qua efferri solet recepta illa sententia: communis est sapientum sententia naturas incorporeas non esse in loco. Idem (ne in minùs laudatis opinionibus recensendis, refutandísque immorer) per te ipsum colligere possis dum aliqui confugiunt ad proportionem motiui (vt loquuntur) ad mobile, siue causæ ad effectum: alij ad ordinem: alij denique ad approximationem & vnionem agentis ad passum. nisi enim ad quantitatem virtutis aliquo modo confugias, neque propositam retinere analogiam & proportionem poteris vnquam: neque quo pacto Angelus formaliter moueatur, animaduertere & explicare. Cum itaque (vt ad rem redeam) Angelus tum sit, tum moueatur in loco; illud per quantitatem virtutis corpori applicatam, hoc per nouam applicationem successiuè ex vno in aliũ locum, siue in partes mobiles factam, (nam motum & quancunque transeuntem operationem ex applicatione illa manantem, effectum esse volumus huius applicationis: ac potiùs ostendere Angelum esse in loco, quàm collocare illum in loco: ita vt quamuis applicatio semper sit vel propter motum, vel propter conseruationem, vel denique propter aliquam huiusmodi operationem, optimè tamen sine motu atque operatione alia formaliter constituat Angelum in loco: atque hoc pacto intelligitur Angelum priùs esse in loco; nisi tamen applicationẽ ipsam appelles operationem: quàm in loco operari) profectò Aristoteles qui concedit ac docet intelligentiam† esse in loco siue in aliqua parte circuli quem mouet, idque (vt mox ostendã) non alia ratione, quàm per applicationem, libentissimè etiam concederet intelligentiam moueri. Tametsi enim ex Aristotele ab omni æternitate virtutem applicauerit circulo, eandémque neque alteri circulo, neque fortasse nouis partibus, in quo ratio motus intelligentiæ sita esset; applicet & adiungat; veruntamen externis partibus mobilis quibus applicuit suam virtutem, si non prioritate temporis ac certè prioritate naturæ applicuit: ita vt quemadmodum circulus, teste† Aristotele, priùs saltem natura fuit in potentia quàm actu mobilis, ita externis partibus priùs fuit facta applicatio quàm internis: præsertim verò cum motus cœli ex eodemmet Aristotele ab aliqua definita parte, à† dextera scilicet, vnde existit astrorum ortus, incœperit, (quocunque tandem modo incœperit) proindeque intelligentia dexteræ parti atque Orienti dicatur propinquior, (id enim ratione applicationis dici mox ostendam) cæteris partibus minùs propinqua, hæc enim omnia satis rationem illam gignunt, atque tuentur, in qua ratio motus Angelicæ substantiæ est constituta. Quinetiam si in Oriente situs est primus motor, quod nisi applicatione virtutis haud fit; ac propterea in remotis ac nouis circuli partibus (remotas appello & nouas quæ dissitæ sunt à dexteris siue ab Oriente vnde incipit motus, atque vbi est intelligentia) quæ in conuersione anterioribus & proximis perpetuò succedunt, perpetuò instaurat applicationem virtutis, profectò hac ratione tum primus motor, tum pari de causa cæteræ intelligentiæ in perpetuo erunt tripudio ac motu. Quamobrem idem Aristoteles qui affirmauit intelligentias eße immobiles, mobiles esse fateretur: nam immobiles esse censuit motu perfecto & physico, qui est proprius substantiæ diuisi-

† lib. 8. phy. t. 84. 1. cœ. 22. 2. de. gẽ. 59. & lib. de Mun. c. 7.

† 12. met. t.

† l. 2. cœ. t. 13 14. & 15.

tiæ diuisibilis & corporũ: quod ipsi non grauatè fatemur: mobiles verò esse concederet motu minùs proprio, & analogia quadam: quemadmodum reuera Intelligentias non propriè (sunt enim indiuisibiles) sed analogicè atque impropriè, nimirum propter quantitatem virtutis cœlo applicatam; collocauit in loco, dum primum motorem & posuit in primo maximóque circulo, & ibi esse affirmauit vbi velocior est motus. nam alioquin tum copiosè docuit corporibus tantùm conuenire vt sint in loco: cum ipsa tantùm habeant magnitudinem; tum Intelligentias esse indiuisibiles atque omnis magnitudinis expertes: tum denique beatas mentes quas supra cœlum posuit, negauit in loco aut esse, aut aptas esse reperiri. Quod verò Intelligentia ex Aristotele per applicationem virtutis moueat Orbem (id enim caput est in hac conciliatione) inde apertè colligitur, quòd dum collocat primum motorem in extima orbis parte, vel hoc facit per essentiam, vel per operationem, vel per virtutem circulo applicatam: non primum, quia cum statuat Intelligentiam eße indiuisibilem atque omnino secretam à corpore & magnitudine, non potest intelligi aut concipi omnino quo pacto eadem sit per essentiam in loco corporeo, præsertim præclusa omni actione & causalitate: immo essentiam esse in loco siue in magnitudine, & esse abstractam à magnitudine mutuò pugnant. non per solum motum, quia hoc pacto motor & Intelligentia qualibet esset non in extima tantùm parte sui orbis, vt ille affirmat: aut in Oriente solùm, siue vnde incipit motus; sed in toto suo orbe: cum orbis totus à singulis moueatur; non extima pars tantùm. Fatendum est igitur esse in loco per applicationem virtutis agitantis corpus. Et hinc est vt argumentaretur Aristoteles. Cœlum mouetur velociùs in extima parte. Ergo Intelligentia est in extima parte. Sumebat enim mobile ac passiuum naturale quò est cũ mouente & actiuo coniunctius, eò moueri velociùs: ac propterea cum conuexum vniuscuiusque Orbis moueatur velociùs quàm concauum, colligebat motorem in conuexo reperiri. Quamobrem si quis agitatrices cœlestium orbium Mentes in sua peripheria & Regno moueri dixerit, is sanè verbis potiùs, vt dicebam, quàm re ipsa dissentiet ab Aristotele.

IIX. De numero Intelligentiarum.

Quod verò pertinet ad numerum, iam antea ostendimus posse fortasse Aristotelem erroris argui, (quanquam de hoc constabit paulò post) impietatis minimè: cum ingens ille miriadum numerus diuinitùs potiùs quàm humanæ contemplationis vi constanter agnosci poset. At enim in eo saltem impius reputandus est, quòd obfirmato animo negauit plures ese pose Intelligentias quàm Orbes. Nam quod tandem † aserebat id se probabili ratione ostendise, potentioribúsque certiorem rationem ese relinquendam; id sanè non aseruit quòd non putaret se omnino demonstrase intelligentiarum numerum pro numero Orbium ese definiendum: sed quia se numerum Orbium probabiliter tantùm collegise animaduertebat. Et ideo potentiorum ese iudicabat id definire, Astrologos intelligens quorum partes esent numerum exactè explicare ac docere. Quid plura? cum aserat omnem Intelligibilem substantiam ad lationem ordinari, siue è contrario lationis finem ese, ac propterea tot necesariò ese intelligibiles substantias, quot lationes; sumátque interim Intelligentias latione sublata ese frustra, quid clarius asserri

† *l. 12. met. t. 48.*

rius afferri potuit ad numerum Intelligentiarum definiendum pro numero circulorum? Magnam, fateor, vim habent isthæc: tametsi reuera non sumit (id enim demonstrabitur postea) Intelligentias, nisi moueant, fore frustra: sed tantùm mouendi quoque munus ex ijs esse quæ ad perfectum earum statum atque ad actiones pertinent. Sed profectò non minorẽ vim habent quæ alibi, nec semel tantùm, sed iterum ac tertiò affirmauit. Etenim dum in sua physiologia, vbi non populariter sanè, sed seriò atque ex proprio sensu disputare solet, tam apertè † docet in extremo circulo cœlestis corporis, siue in vltima superficie atque extra omne corpus esse collocatam omnem diuinitatem, quis non videat has esse eas beatas Mentes quas † Plato etiam, atque ante ipsum alij plures mouendi solutas munere in cœli culmine collocarant? Neque enim (vt commentantur aliqui) de stellis loquitur: cum stellæ sint in cælesti corpore infixæ & pars cœlestis corporis, non in superficie atque adeò extra cœlũ ipsum: multóque minùs loquitur de ipsis corporibus cœlestibus omnibus, cum ibidem postremum hunc circulum extra quem collocat diuinitatem omnem, opponat cæteris circulis in quibus sunt Sol, Luna & sidera illa omnia quæ errantia dicuntur: pari ratione dum ait † quæ extra cœlum siue super extima disposita sunt latione, senectutis & transmutationis esse expertia, optimámque degere vitam, & per se sufficientissimam, totóque perseuerare æuo, quis præter Intelligentias suis quasque circulis ad eos ciendos applicatas, alias præterea beatas mentes admisisse non fateatur? id quod alibi significat dum asserit † veteres quoque cœlum & qui sursum est locum Dijs attribuisse. vbi etiam non sine artificio fortasse tũ cœli tum superioris loci mentionem fecit: nam facile indicare uoluit tum globis singulis Intelligentias singulas præsidere, tum maximè extimum orbem beatarum Mentium sedem ac domicilium esse. Quamobrem qui hæc omnia ab Aristotele dici volunt non ex propria sed ex antiquorũ sententia, videãt obsecro cur eiusmodi antiquos interim laudet, ac diuinè loquutos fuisse asserat si opinioni non assentitur. explicent cur ex Deorum istorum immortalitate loci quoque immortalitatem confirmet, si ibidem Deos istos reperiri falsum esse arbitratur. doceant cur interdum † hoc ipsum non tam ex quorundam antiquorum persona, quàm ex cõmuni omnium consensu, (vt nimirũ maiorẽ inueniret fidẽ) proferat, si ab hac ipsa opinione abest ipse: cũ præsertim eodẽ plane in loco eodémque tenore sermonis alia pronunciet quæ apud ipsum explorata sunt ac firma: vt extra dictum cœlum non esse neque locum, neque vacuum, neque tempus, neque corpus. ostendant cur hæc aliquando ex ijs ipsis colligat quæ ipsemet subtili disputatione comprobauerat, vt cum ait † Manifestum est igitur ex dictis quòd neque est extra, neque fore cõtingit vllius corporis molẽ, ex tota enim est propria materia totus Mundus. materia enim ipsi est naturale corpus & sensibile. Quare neque nunc sunt plures cœli, neque fuerunt, neque contingit fore plures, sed vnum & solum & perfectum est hoc cœlum. exponant etiam, si placet, cur agitatrices illas Intelligentias conuexo, Orientique, & (vt semel dicam) certis orbium partibus applicet: Deos autem istos velit extra omnem locum ac corpus esse. rationem quoque afferant

& rant

† l. 1. cœ. t. 96.

† Plat. in Phæd. et ali.

† l. cœ. t. 100.

† l. 2. cœ. t. 2.

† lib. 1. cœ. t. 96.

† lib. 1. cœ. t. 100.

rant ob quam eo ipso in† loco quo Intelligentiarum numerum pro circulorum siue lationum numero definire videtur, varia improbet quæ antiqui de huiusmodi Dijs dixissent: hos autem Deos non improbet sed recipiat, affirmétque Deos ab antiquis diuinè primas substantias appellatos esse. declarent etiam (si valent) quam ob causam tam ægrè Antiquis parcat, immo (quod doctissimi quique fatentur inter Philosophos) eos per calumniam tam sæpe accuset: hac autem in re, si ab illis dissentit, de more non contorqueat in eos sua sophismata, quemadmodum & fecerat in ortu Mundi: vel certè (si id facilè non audebat hac in re) cur non abstineat à tam frequenti eiusmodi Deorum mentione, atque eorum qui illos asseuerarent, laudatione, cum sine iactura vlla posset rem tacitus præterire? Quid multa? cum ibi plane vbi exiguo numero intelligentias concludere visus est, asserat has ex antiquis esse Deos, ac τὸ θεῖον, *Diuinum, inquam, siue diuinitatem complere Naturam vniuersam, (id enim approbat: nam subijcit quæ non probat, eadémque superioribus quasi è regione collocat) quid quæso sibi aliud vult nisi nobilissimas illas mentes esse quamplurimas: ita vt non modò singulis orbibus præsideant singulæ, verùm etiam supra extimum cœlum, atque adeò Mundo toto non dicam passim disseminatæ atque omnibus in rebus fusæ, (hoc enim reprehendit † alibi, vbi etiam negat earum spectra hauriri sensibus) sed pro opportunitate distributæ (hoc est enim complere Naturam) & pulcherrimè collocatæ sint? Quod si semel negat alias primas substantias præter agitatrices reperiri; videant Peripatetici quo pacto eorum Magister non contraria loquatur, ac secum dissideat & pugnet. Mihi enim, quoniam demonstraui tum frigidam esse atque futilem eorum excusationem qui prætexunt Aristotelem ex vno antiquorum sensu iisque interim nullo modo assentiendo, supra cœlum beatas Mentes collocasse, tum eodem in loco in quo tam paucas facere videtur Intelligentias, Vniuersitatem illis veluti repleuisse; satis est Aristotelem posse ad meliorem sententiam reuocari; ac miriades illas eo minimè repugnāte retineri, vel saltem inconstantiæ hæsitationisque notari. Hæc de numero intelligentiarum.*

> † l. 12. met. a t. 48. vsque ad 51.
> † l. de Mundo. c. vlt. ad init.

X.

Non esse dicendum Aristotelem alligasse ad circulos beatas mentes.

Venio ad eam accusationem in qua dicitur nobilissimas illas mentes ad circulos alligasse. Qua in re hoc ipsum crimine liberare illum videtur quod hactenus disputauimus: nimirum alias quoque mentes præter agitatrices collocasse in cœlo, atque has torquendi solutas munere. Nam quod interim aliquæ saltem in perennem illam orbium motionem incumberent, id verò non est impietatis damnandum nota, cum apud nos neutra pars sit definita. Etenim nefas esset quidem (ni magnopere fallor) cœlo tribuere alentem animum, quod olim † Aristotele ac † Cicerone teste fecerunt non modò Hesiodus ac Poëtæ nonnulli, verùm etiam Philosophi quidam, vt Stoici qui vaporibus nutriri asserebant. Repudianda quoque est illorum opinio qui cœlo perinde ac mutis animantibus attribuunt sensus: id quod sensere inter cæteros Cleantes, Plutarchus, & Stoici ipsi de quibus aliàs. At quod attinet ad intelligentem quæ nimirum assistat, (nam de informante nihil attinet dicere hoc loco) ac torqueat cœlū, non item. Quare vt minùs antiquos taceam, † Origenes, ac † B. Hieronymus (quicquid tandem senserint ij de alente anima)

> † Arist. lib. 2. de cœl.
> † Cic. l. 2. de nat. Deo.
> † Orig. 1. 10. in Ioha. & ex S. Tho. 1. p. q. 70. ar. 3.
> † Hie. Eccl. c. 1. & refertur à S. Th. loco cit.

omnino

† Aug. l. 2. super Gen. ad lit. cap. 18. & in Ench. c. 58.
† Bern. de consi. ad Eugen.
† S. Thom. p. p. q. 70. art. 3.
† Matt. 25.
† Iob. 9.

omnino videntur fuiße in hac sententia. B. quoque † Augustinus, etsi hæret valde, fatetúrque se nullam partem exploratam habere, cælestium tamen orbium animas, si animati sint, Angelos esse sine vlla dubitatione affirmat. Id quod sine vlla hæsitatione statuit S. Bernardus: † qui sanè per virtutes cælorum nil aliud intelligit nisi Angelos qui orbes impellant ac moueant. Quanquam Patres ij (dicat quispiam) si vnum Bernardum exceperis, non tam de motrice anima loqui videntur, quàm de informante. Ergo scholastici Theologi consulantur, quorum magna pars ab Angelis sentit moueri orbes cælestes: inter quos S. Thomas † qui instar omnium esse potest, constanter id tradit. vt de quibusdam Patribus sileam hoc loco, qui reuera sunt in eâdem sententia. cui sanè tum illud diuinarum literarum, † Et virtutes cœlorum mouebuntur, *tum illud rursus* † Ante quem curuantur ij qui portant orbem, *& si quid huiusmodi, nonnihil fauere videtur. Quanquam ne si quidem constaret Angelos omnino abstinere ad hoc munere, id magnopere referret: cum Deus ipse moueat ac perpetuò, intimè, & quocunque genere actionis & motus moueat; idque immediatione suppositi, nedum virtutis. Quocirca si ex Aristotele (id quod plerique Peripateticorum sentiunt ac docent, Intelligẽtiæ cælestibus globis præsident tantùm: idque impellentes illos, non est quod hac in parte Christianæ veritatis censeatur aduersarius. sed quid opus est multis? etenim cũ docuerit Aristoteles Intelligentias esse à materia cælóque ipso abstractas, quid apertius afferri potuit ad propositam calumniam refellendam? Nam quod secundum virtutem perpetuò applicata sit orbi, id sanè non efficit eam deuinctam esse cum orbe, cum essentia interim sit soluta, sed perpetuò, & (vt significantiùs loquar) pro perenni rerum mortalium indigentia, Vniuersitatísque salute ac bono, orbi præsidere ac moderari: quemadmodum Deus etiam vbique semper præsidet sua essentia & virtute. Vtrum verò suos orbes moueant necessariò nec ne, apertè exposuit nusquam. ea nimirum de causa quòd quemadmodum res erat à sensibus planè remota, nihil satis exploratum haberet: nam alioquin id cum per se præclarum erat ad intelligendum, tum ad varia passim dogmata explicanda peropportunum. Dixi autem nusquam apertè quicquam exposuisse, quia cum fusè de motus sempiternitate, ac cæli Intelligentiarúmque ipsarũ natura actionéque disseruerit, non potuit non interdum videri in alterutram partem, tametsi obscurè, deflectere: vel saltem ansam præbere ad dubitandum. vt propterea coniecturæ aliquæ ac rationes tum afferri tum facilè dilui possint. Nam illud diuinæ † philosophiæ cuius tanti faciunt aduersarij; Intelligentias esse lationis finem, siue ad lationes ordinari, efficit quidem (vt ostendam non multò post) mouendi quoque munus illis inter cætera conuenire: at necessario id eis conuenire, non facilè euincit. Quanquam ne si quidem concederem istis cæteras Intelligentias necessariò mouere, iurè concluderent hoc Angelorum labefactare libertatem. Etenim cum interim velint Intelligentias, dum mouent, consequi id quod est optimum, & coniungi cum vltimo fine, qui habet rationem amati & desiderati, quid quæso absurdi haberet huiusmodi decretum, cum actio cuiuscunque volunta-*

V.
Num moueãt necessariò, & quid intersit in dubitatione proposita an necessariò moueant nec ne.

† l. 12. t. 48.

tis circa vltimum finem sit necessaria? cum præsertim necessitas hæc non violenta sit ac præter naturam & inclinationem, sed maximè naturalis & propensioni cupiditatique ipsi consentanea. Quapropter iurè fortasse dubitari possit an rectè cum locali motu, hoc est cum non præstantissima actione, coniungatur ab Aristotele consecutio optimi, (nam homini nedum Deo ipsi consecutio beatitudinis tribuitur ab Aristotele vnius præstantissimæ actionis ope) & quo pacto tandem mouendo assequi illud possint Intelligentiæ; (nam ideo ex Peripateticis alij confugiunt ad imitationem primi motoris, alij ad assimilationẽ, alij ad delectationẽ, alij aliò) veruntamen vbi id quod est optimum, siue vltimus finis qui ab omnibus expetitur, necessariò cũ eiusmodi motione coniungatur, quod isti faciunt, actio necessaria nullam haberet turpitudinẽ aut impietatem. Quanquã, vt vere fatear, neque audiendi sunt isti dum volunt Intelligentias ex Aristotele motus ope, siue quia mouendo imitentur primam Intelligentiam, siue alia eiusmodi ratione consequi optimum: nam nihil minùs quàm Aristoteli (id quod paulò post docebo) consentit eiusmodi commentum ac fabula. Etsi enim apud Aristotelem nihil eiusmodi decretis aridius atque spinosius inuenias, ac propterea nihil incertum magis ac lubricum, præsertim quod pertinet ad intellectionem ipsarum Intelligentiarum: (nã quod primi principij interest ac diuinissimæ Mentis, apertè satis atque dilucidè docet hanc intelligere se ipsam, esséque sibimet obiectum beatæ vitæ) immo quæ de actione, intellectione, beatitudine ac tota vitæ ratione cæterarum Intelligentiarum attingit Aristoteles, meri gryphi dici possint ac scirpi; veruntamen Aristotelem nullo modo asseruisse motum ad beatam Intelligentiarũ vitam pertinere, siue illas ex motu consequi id quod est optimum, non est obscurum vt docebo.

IV.
De ordine essentiali Intelligentiarum quod attinet ad causalitatem.

Quod autem affirmant aduersarij Aristotelem constituisse ordinem essentialem inter Intelligentias, ita vt infima quoad substãtiam manet, siue (vt ipsi loquuntur) causetur ac pendeat à septima; septima rursus eodem modo à sexta, & ita deinceps ad superiorem vsque; videant obsecro ne hoc sit merum ipsorummet commentum. Nam si hoc Auicennæ tribuissent, fortasse ad veritatem proximè accessissent: cum hic † affirmet primũ ens, dum intelligit se ipsum, producere primam Intelligentiam: & hanc rursus dum intelligit primum ens, producere Intelligẽtiam aliam se inferiorẽ: hincque postremò intelligentem se ipsam eodem modo gignere animam cælestem ac cœlum ipsum. verùm dum hoc tribuunt Aristoteli, videntur quamlongissimè aberrasse. Etenim cum Aristoteles modum non perciperet quo res æternæ effectæ essent, vel dubitauit vtrum verè effectæ essent (nã ideo alicubi cum de Mundi ortu loqueretur, si tamen factus est, inquit, atque ambiguã vocem illam ἐξήρτηται, †dependet, *tam religiosè adamauit vbi Deum faceret causam rerum omnium) vel certè quantum denique hæsitaret de ortus ratione ac modo, ortum ipsum ac productionem sæpissimè arctè tenuit: rationem ac modum tacitus prætermisit. Quod si dubitauit; iam nullius Intelligentiæ gratia essentialem causalitatem concessit: si tenuit, iam primæ Menti omnem causalitatem tribuerit necesse est. Et sanè dum asserit Aristoteles † à primo ente communicatam fuisse essentiam ac vitam his quidem clariùs; his verò*

obscuriùs,

† *l. 9 sua metaphysica 6. 4.*

† *1. cœ. t. 100. & 12. met. t. 38.*

† *l. 1. cœ. t. 100.*

† 2.met.c.4. † l.12.met.t.38. † l.destr.destr. disp. 3. in solut. 25. & 28. Dub.

obscuriùs, siue mauis ab eo pendêre ac sustentari vnumquodque: † primum in vnoquoque genere esse causam cæterorum: † à Deo pendêre cælum & Naturam, & alia huius generis, nõ potest intelligi quo pacto causalitatem istam alijs mentibus secundum primã concesserit. Atque idcirco etiã dum † Auerrois quoque propositum decretũ aliqua ex parte tribuunt, idque ea de causa quòd voluerit à prima Intelligentia secundã tantùm produci immediatè: cæteras mediarũ interpositu, nos quoniam ostendimus essentialem hanc causalitatem Aristoteleã non esse, quicquid voluerit Auerroës hoc tempore non curamus.

VI. Intelligẽtias propter se primò & maximè non mouere.

Neque verò dissimilia sunt quæ isti dicunt de fine motus: videlicet propter se ipsas primò et maximè mouere Intelligẽtias omnes. cur enim de prima tãtùm Intelligentia asserit Aristoteles † eã mouere vt amatum? Cur, ait, Omnes sortitas esse optimũ finem, & tamen † optimũ esse tantùm primam, nisi in hanc intenderent cæteræ tanquã in finem? denique si finis summus, est id cuius gratia fiunt omnia: id † autẽ cuius gratia fiunt omnia, est optimũ, quod vt vidimus, est ipse Deus; cur propter se ipsas potiùs mouebunt quàm propter Deũ? ergo si quis velit, has, etsi moueant propter bonũ quoque Vniuersi, sui tamen gratia magis mouere, cũ hinc optimum & diuinissimũ attingant; esto interim: (quãuis reuera motus seclusa intellectione, Vniuersi magis quàm Intelligentiæ ipsius inseruiat bono) at easdem cũ sint propter vltimum finẽ qui est Deus, mouere magis propter se quàm propter Deum, nullo modo concedimus. Nã quod obijciunt isti † Intelligentias ab Aristotele dici finem suarum lationum id sanè nõ significat eas mouere propter se maximè, sed potiùs earũ statum talem esse vt eis sit proprium mouere, siue mauis eorum munus esse lationẽ, atque hunc illis propositum esse finẽ in Vniuersitate vt moueant. Et hinc est vt hoc posito argumentetur Aristoteles: si aliæ Intelligentiæ reperirentur præter dictas, mouerent: quia lationis finis sunt: quod est ciendo orbi distentæ sunt, hócque est earum munus: alioquin nihil concluderet Aristoteles: siquidẽ optimè quidem efficitur eas si destinatæ sunt mouendis orbibus, non esse priuandas eo munere, sed fatendũ mouere illos, ac propterea non esse plures numero quàm lationes & orbes: (huc enim spectabat disputatio) nã occurrebat ijs qui obijcere potuissent eas esse plures quàm orbes, siue reperiri alias præter motrices, cõtra uerò nihil cõcluderet, argumẽtãdo; sunt finis motus, ergo mouent: nisi tamen eos audias qui asserunt velle Aristotelẽ Intelligentias mouere nõ tanquã effectrices lationũ, sed finaliter. Quod præterquã quod innumera prope dogmata destruit Aristotelis, innumerisque eius locis repugnat, vt iã antea ostendi, Peripateticorum principẽ in circulum ineptissimè impingeret hoc loco: nam probaret Intelligentias mouere finaliter, quia sunt finis lationis. Quapropter iure fortasse mirari posset aliquis quòd nobilissimis eiusmodi naturis motum tanquam finem proposuerit; at eas suimet gratia tãtum mouere, vel esse finem lationum, non est concedendum. At enim in mucronẽ tuum incurrit interim Aristoteles, dum tueri illum conaris. nam si lationibus destinatæ sunt Intelligentiæ, atque, vt apertè satis significat, ita destinatæ, vt vbi non moueant sint frustra, profectò turpius lapsus erit, quàm si eas motiones finem constituisset: nam præterquã quod videretur priuasse illas

† 12.met.t.36.
† 12.met.t.48. 12.met.t.37.
† 5.met.t 3. 2.phy.t.31. & 2 meteo. t.8.
† l.12.met. t.48.

VII. Nũ sint propter lationes tantùm.

intelligendi

intelligendi munere turpius esse eas propter motum esse, quàm motum propter ipsas, dubitare non potest qui nouerit ea quæ sunt ad finem ignobiliora esse quàm finem. non itaque defendisti eum, sed propè iugulasti. Ergo quoniã hactenus ostendi eas non esse finem lationum, iam verè ne sint ipsæ propter lationes, videamus. Et quidem si Aristoteles asseruisset Intelligentias si non moueant frustra futuras fuiße, aut vno motu earum actiones contineri, vel etiam in motu principem earum actionem eße positam (asseruisset autem hoc sine dubio, si hoc sensisset: nam commodiùs peruicisset aduersarium, effecissétque Intelligentiarum numerum non posse nisi pro numero lationum definiri) profectò fatendum esset statuisse Intelligentias esse propter motum. At non hoc sibi voluit aut docuit; sed id planè quod subijciam. Dixerat non esse plures Intelligentias quàm lationes aut orbes: sed tot quot orbes. & quia potuisset quis concedere singulis lationibus præficiendas eße Intelligentias singulas, sed interim tamen prætexere etiam alias reperiri quæ non mouent, sed alio munere occupantur; & ideo esse plures quàm orbes; ipse vt hoc refelleret, posuit hoc fundamentum πᾶσαν φύσιν τοῦ ἀρίστου τετυχηκυῖαν τέλους εἶ). Omnem naturam optimum finem sortitam esse. *Vbi sanè haud voluit omnem naturam sortitam esse optimum finem, id est intellectionem primæ essentiæ (id enim esset ridiculum, cum tot sint in natura quæ intellectu carent) sed singulas res naturales optimè eße dispositas: sortitásque esse id quod est sibi optimum, hoc est suo statui cõuenientissimum: qua etiam ratione diuinum participant, licet alia clariùs alia obscuriùs. hoc sibi voluit hactenus Aristoteles. & quia potuisset aliquis dubitare (id quod ipsemet etiã alibi† dubitat) an ita res se habeat in rebus mortalibus quas videmus sexcentis perturbationibus esse obnoxias; ipse cui satis erat Intelligentias saltem, vtpotè perturbationis expertes, esse optimè dispositas, finémque ac sortem optimam in Vniuersitate esse consecutas, id tradit sigillatim esse verum* ἐν τῇ οὐσίᾳ ἀπαθεῖ, in natura impassibili. *quo posito statim hac quasi machina demoliri conatur aduersarij sententiam. nam cum demonstrauerim (inquit ipse) reperiri Intelligentias quæ mouent orbes, atque omnes quotquot hactenus statui, id efficere, (nam per motum eas deprehendi omnes) profectò non est affirmandum id eis præter Naturæ institutum accidere: sed potiùs quoniam naturalia omnia præsertim verò impassibilia, sunt optimè disposita, atque eum finem & sortem nacta sunt quæ eis est congruentior, id eis propriè ac germanissimè conuenire. quod si ita est, idem iudicium faciendum esset de cæteris, si aliæ extarent vllæ abstractæ Mentes siue Intelligentiæ. probatur consequentia; quia vel Intelligentiæ quas hactenus demonstratione statuimus, nõ essent in optimo statu & dispositione, quod est absurdum: vel certè non istæ sed hæ quas tu profers ab motionis munere alienas, non essent in optimo statu: siquidem illæ interim mouerent, atque æterno tempore circularíque motu hoc est nobilissimo mouerent; quod munus non debet eis conuenire nisi id optimè congruat cum earum natura: hæ verò æterno tempore ab hoc munere abstinerent. hæc est germana istius loci sententia si explicetur. & ob id etiam Aristoteles, ne quis argumenti*

† *l.1. de gen. & de Mund. ad Alex. c.7*

vim

vim declinaret, aſserens, hoc munus tametſi perpetuum, obtigiſse inuentis iam Intelligentijs, quaſi obiter ac parum pertinere ad earum ſtatum, præmiſit impaſſibilem ſubſtantiam eſse in optimo ſtatu καθ' αὑτήν, Secundum ſe ipſam: *quaſi diceret quæ habent; non obiter & quaſi accidentaliter habere, ſed pertinere ad ſtatum & perfectionem illarum. Quæ cum ita ſint, non fuit Ariſtotelis conſilium intelligendi actu priuare Intelligentias, (quid enim aut ſtultius aut pugnantius fingere potuiſset, cum has Mentes appellaret, ac paſſim intelligentia uiuere affirmaret?) motúmque illis vnum demandare: ſed tantùm vt euinceret Intelligentias non eſse ab mouendi munere arcendas, docere ad optimum ſtatum & diſpoſitionem illarum pertinere vt moueant. Quapropter quemadmodum ſi quis oculis priuaretur, hunc quamuis perfectiſſima eius actio ſit actus Intelligentiæ & voluntatis, iure tamen diceremus non eße in eo ſtatu optimo ac germano in quo fuit à Natura collocatus, cum ſit conditus vt videat etiam: ita Ariſtoteles qui prætexit Intelligentias omnes mouere, nec poße vllã ſine illius ſtatus diminutione ab perpetuæ motionis munere vacare (conuenit enim* καθ' αὑτήν) *prætexit intelligentias eße propter motum: non quidem propter motum aut ſolum (ſic enim intulißet remoto motu eße fruſtra) aut potiſſimè (quia benè ipſe ſe explicaßet clamaßétque aduerſarium priuare Intelligentias præcipua ac nobiliſſima operatione) ſed ita vt niſi moueret, id omitteret quod ad optimum ſtatum & diſpoſitionem illius attinet: ceu in homine eßet videre, audire, & ſi quid huiuſmodi. quod tum in Natura vniuerſim, tum maximè in impaſſibilibus ſubſtantijs eſt à ratione alienũ. Hæc ſatis vt conſtet nullo modo voluiße Ariſtotelem Intelligentias eße propter lationes tantùm: nam alio longè nobiliore munere quo eas detineri docet alibi, hinc non priuari, vel ex eo ſatis conſtat, quòd cum omnibus Intelligentijs mouendi munus imponat hoc loco, ſequeretur primam etiam hoc eſt Deum, ne dum cæteras, priuari intelligendi munere, ſi motus aut vnus aut præcipuè illis eßet demandatus. Ex quibus omnibus tria etiam conſtant, quæ iam antea, quoniam à me aßumpta fuerant, huc reieceram demonſtranda. Primum eſt Ariſtotelem dum aßereret Intelligentias lationis finem eße, ſiue ad lationes ordinari, nullo modo ſumere iſtas, latione ſublata, fruſtra fore in Natura, quemadmodum pugnant aduerſarij: ſed tantùm mouendi quoque munus inter cætera ad earum ſtatum pertinere, alioquin ne intelligerent quidem aut amarent. Deinde nullo modo aßeruiße Intelligentias motionis ope vel quia mouendo imitentur diuiniſſimam intelligentiam, vel quia mouendo eandem intelligant, ac proinde etiam delectentur, conſequi id quod eſt optimum, quæ Peripatetici, maximè verò Auerroiſtæ miras huic fabulas nectentes autumant. Nam vult quidem Ariſtoteles Intelligentias eße in optimo ſtatu: (id eſt enim ſortitas eße quod eſt optimum, vt demonſtraui) licet etiam hinc colligere Intelligentias, immo entia omnia pro naturæ ſuæ conditione participare optimum: ita vt prima quæ eſt Deus quemadmodũ eſt optimũ ipſum, ita hoc non aliter aßequatur quàm ſe ipſam intelligendo & amando, vt ipſemet Ariſtoteles docet: cæteræ, quoniam ita poſtulat earum natura, intelligentes & amantes primam:*

reliqua

reliqua entia pro Naturæ conditione partim vitam, partim eße tantùm, idque siue clariùs siue obscuriùs obtinere, ita vt quicquid indies producitur, debeat pro naturæ suæ vi & capacitate consequi ac sortiri quod est optimum. At Intelligentias, quoniam statim Aristoteles mouendi munus illis imponit; per motum consequi quod est optimum, est merum commentum. Nam (vt ostendi) vult quidem Aristoteles Intelligentias quas iam per motum deprehenderat, sortitas eße quod est optimum: siue in optima dispositione & statu reperiri: ita vt dum mouent ac perpetuò mouent, non obiter id faciant, & quasi alienum munus subeuntes, sed earum statui congruens: ac proinde non eße introducendas alias Intelligentias mouendi munere vacuas: at per motum coniungi cum optimo, nullo modo neque aßeritur neque aßumitur ab Aristotele. vt propterea non neceße sit ad imitationem illam aßimilationémue aut quid huiusmodi confugere: sed statuendum potiùs ex Aristotele Intelligentias aßequi id quod est optimum, intelligendo & amando quod est optimum. nam hoc est quod ait Mentem diuinißimam eße primum intelligibile & appetibile. Postremò intelligitur etiam ex dictis non eò quòd Intelligentiæ sint in optimo statu, & ordinentur ad motum, colligi omnino poße, mouere neceßariò: ac proinde Deum etiam (id quod faciũt aduersarij) hac implicari neceßitate, cum inter Intelligentias referatur: quin potiùs colligendũ earum eße partiũ mouere ac pro naturæ conditione mouere. Nam uel ea de causa quòd sunt in optimo statu, vel quòd ordinantur ad motum, agunt necessariò: si prius, ergo homo etiam quippe qui est in optimo statu (de tota enim natura id enunciat Aristoteles) intelliget, amabit, videbit, operabitur denique necessariò semper. si posterius, ergo quicquid ordinatur ad aliquem finem & actionem, agit neceßariò: quòd tamen falsum est & absurdum: præsertim in his quæ prædita sunt intelligentia, nec agunt circa vltimum finem: cuiusmodi est actio Intelligentiæ in motu cœli. quare quemadmodum homo agit aliqua neceßariò, aliqua pro arbitratu & ex mera electione, aliqua fortuitò & planè contingenter, ac summatim quodlibet agens pro naturæ, actionis, finis denique ipsius conditione agit; ita Intelligentiæ cum ab Aristotele ordinentur ad motus orbium, nec interim hoc ipso quod mouent versentur (vt docui) circa vltimum finem: pro suæ naturæ, mobilis, finísque & instituti conditione mouebunt quidem: an verò neceßariò potiùs quàm liberè moueant hinc colligi nullo modo potest. Nec maior habenda est fides aduersarijs dum aßerunt Intelligentias aequè omnes censeri ab Aristotele tum per se ipsas absolutas & necessarias, tum purißimos actus simplicißimásque naturas. Nam illud verissimè dici potest de nonnullis Peripateticis: nimirum multa quæ de primò motore, diuinißimáque mente scripsit Aristoteles, promiscuè istos ad Intelligentias omnes transtulisse. Etenim quæ dißerit ille de primo principio aßerens non modò mouere aeterno tempore ac sine labore vllo, eßéque ens immateriale, sempiternum, abstractum, immobile & indiuisibile, verùm etiam esse per se absolutum, neceßarium omnis planè expers potentiae, ac purissimum actum, simplicißimámque naturam; haec isti aequè tribuunt Intelligentijs omnibus. Atque hinc ad maiorem semper impietatem

Iam ad ea dissidia tollenda quæ de necessitate, puritate, ac simplicitate beatarum mẽtium orta erant in. II. & III. capite, paucis exponitur causa erroris aduersariorum.

prouehentes

*prouehentes suum magistrum, cætera quoque omnia reuocant ad Intelligen-
tias quæ ex propositis conditionibus tanquam ex causis atque initijs conse-
quuntur: sed præpostere (vt demonstrabo) ac per iniuriã. Nam quæ postremo
libro de auditione physica disserit Aristoteles, ea licet de vno primo motore
tradantur ibi, Intelligentijs tamen omnibus conuenire non inficior: nimirum
mouere æterno tempore, ac sine labore: esse sempiternas, immobiles, expertes
materiæ atque ab omni magnitudine abstractas; denique indiuisibiles & im-
passibiles. hæc enim nituntur in æternitate motus qui conuenit omnibus In-
telligentijs. & ideo Aristoteles in duodecimo diuinæ philosophiæ libro † cum
sigillatim disputaret de* Intelligentijs*; hæc quæ recensebam, ex physicis initijs
ac demonstrationibus reuocauit ad Intelligentias omnes: addiditque multa
de earundem numero, orbibus, latione, & fine ipso. cætera verò quæ de di-
uinissima Mente scripsisse dicebamus, nullo modo refert, sed ne referre qui-
dem potest, ad alias Intelligentias. Quare quæ de modo & ratione † tradit
qua primum principium mouet: quæque rursus † disserit de primi principij
vita, essentia, perfectione, ac natura vniuersa; ea non conueniunt cæteris In-
telligentijs. atque idem planè de ijs assero quæ † disputat ac statuit de prin-
cipis mentis intellectione. ex quo fit vt mouere tanquam amatum & concu-
piscibile, esse ens necessarium & absolutum, idem esse secundùm intellectum
intelligibile & intellectionem, habere in se quod est optimum, ac denique
esse quid diuinissimum (hæc enim omnia prosequitur in propositam senten-
tiam) non conueniant Intelligentijs omnibus, sed primæ tantùm siue primo
principio. alioquin cum hoc ipsum ens de quo isthæc enunciat, esse velit præ-
stantissimum ac diuinissimum, primúmque principium; ab eodem pendêre
cœlum & Naturam vniuersam, esse vnum ac principem Vniuersitatis; hæc
éadem de Intelligentijs omnibus affirmasset: quod, vt constat, non modò ridi-
culum est & absurdum, verùm etiam fieri nullo modo potest. Et sanè (vt sen-
tentiam aliquam ex illis attingam) quis legere potest locum illum,* Degen-
tia, *seu* vitæ status & ratio (*id enim hoc loco significat* διαγωγή) qualis
nobis pauco tempore, optima illi est: (*loquitur autem de primo princi-
piò, non de prima siue intelligibili substantia in vniuersùm, nam ait* ἐκεῖνο)
aut illum, Si igitur benè se habet Deus semper, vt nos aliquando: ***aut
etiam locum alterum,*** Dicemus itaque Deũ sempiternũ, optimúmque
viuens esse: quare vita & æuum continuũ & æternum Deo inest: hoc
enim est Deus, *quis (inquã) hæc atque alia eiusmodi legere possit in Aristo-
tele qui nõ animaduertat talia Intelligẽtijs omnibus cõuenire nullo modo pos-
se? Quæ cũ ita sint, iã liquidò cõstare potest falsum esse Intelligẽtias æquè om
nes esse actus puros: nã Intelligẽtiæ, prima excepta, nõ habent in se ipsis quod
est optimũ, sed hauriũt hoc à prima: nec sunt sibimet ultimũ obiectũ ac sũmus
finis, quin à prima pẽdent. Nec possunt nõ inter se differre, cũ et inter se ordi-
nentur, sicut orbes qui inter se differunt perfectione: & suã quæque perinde
atque orbis cõstituat speciem: ac propterea inferior est in potẽtia (quæcun-
que potentia hæc sit) ad id quod habet superior: cum tamen interim Deus
quippe qui eminet omnibus, & (vt idem Aristoteles ait) omnis planè po-*

tentiæ

† t. 43. & deinceps.

† l. 12. met. à t. 36. vsque ad 39.

† à t. 39. vsque ad 41.

† t. 51. fusè.

Ad. II. sigillatim. Nam ex dictis ostenditur Intelligentias prima excepta nõ esse purissimos actus.

tentiae est expers, remaneat purissimus actus. Nec praeterea attributa caeterarum Intelligentiarum non differunt: cum in ijs optimè possit vnum esse causa alterius: vt cum verbi causa ex eo quòd Intelligentia est expers materiæ, colligimus esse impassibilem: hinc non fatigari, sed mouere æterno tempore, & huiusmodi deinceps alia: cum tamen in primo principio in quo ne intellectionis quidem & intellectus distinctionem compositionémue admittit Aristoteles, eiusmodi attributa quantumuis ob nostram intelligendi rationem differre videantur, idem planè sint cum Dei substantia Aristotele ipso teste. Et sanè si rectè probat Aristoteles, vt rectè ac verè probat; Dei intellectionem esse idem cum diuina substantia; idque ea ratione, quia si expleretur ac perficeretur ab aliqua re externa, esset in potentia, sine vlla dubitatione sequitur reliquas Intelligentias quarum intellectio non est idem cum earundem substantia, sed habet pro obiecto Deum qui est vltimus finis & summum bonum ac desideratum, non carere potentia. pari ratione si (quod iam antea monebamus) est valde probabile in Aristotele à primo ente siue Intelligentia cæteras omnes fuisse productas, profectò nullo modo intelligi aut concipi potest ipsas esse expertes omnis potentiæ cum fuerint deductæ ad actum ab alio. Vt propterea nō solùm quod attinet ad operationē nobilissimā, verùm etiā quod ad existentiam pertinet, nequeāt dici purissimi actus. Atque hinc fit vt si quando res æternas dicat carere potētia, id quod pertinet ad Intelligentias, omnino accipiendū sit non de quacunque potentia, sed tum de ea quæ spectat motum, cum velit eas actu ac semper mouere: tum de altera quæ est principium passiuum transmutationis & corruptionis: quo nomine cœlum etiam dicitur carere potentia: cum tamen eodem † Aristotele teste propter motum partium ea non careat. sic etiam non simpliciter sed respectu mortalium dicuntur actus puri (si tamen vspiam dicuntur actus puri) non absolutè & cum primo principio comporatæ: & ideo † primam Intelligentiam carere potentia non tam ex immaterialitate colligit, quàm ex summa absolutáque perfectione. Atque idcirco optimè se habet apud Aristotelē Intelligentias esse actus respectu inferiorum & mortalium: respectu verò primæ Intelligentiæ quæ est vltimus finis, optimum, amatum, & desiderabile; esse etiam in potentia: quemadmodum affirmat passim cœlum vtpotè æternum, esse actu, cum tamen vbi eum confert cum primo motore, fateatur esse aliquo modo in potentia; primum motorem nulla ratione. Idem planè contendo dum isti pugnant Intelligētias esse entia per se absoluta & necessaria: nam præterquam quod id Aristoteles absolutè non † tribuit nisi primo principio; ratio ac fundamentum quo eiusmodi necessitatem introduxit; quia scilicet primum principium à nullo alio pendet: non potest vllo modo conuenire cæteris Intelligentijs. Vt omittam satis indicasse Aristotelem operationes † reliquarum pendēre ab operatione primæ. Quinetiam cum Intelligentiæ non solùm pendeant à prima causa quoad operationē, sed etiam quoad finem: immo quoad substantiam quoque (nam si ab eo pendent quoad substantiam, ab eo manarint necesse est) dilucidè satis constat triplici nomine inde abesse vt sint entia omnino necessaria. Quare hæc summa sit. cum necessarium

Nunc sigillatim ad III. Intelligentias scilicet non esse necessarias, sed hoc esse Dei proprium.

† *12. met. t.* 38.

† *12. met. t.* 51.

† *12. met. t.* 38.

† *12. met. t.* 34. & 37.

sarium de quo loquitur † Aristoteles vbi primum principium facit necessarium, sit id quod non contingit aliter se habere, sed simpliciter est; Deus tantùm qui nullà ratione potest aliter se habere, sed potiùs est causa omnium, erit simpliciter & absolutè necessarius: proindéque meritò statim colligit ab eo cœlum pendêre ac Naturam vniuersam. Intelligentiæ verò cæteræ præcisè & secundum partem aliquam dici poterunt necessariæ: quatenus scilicet, si non carent dependentia originis, finis, & obiecti, sunt certè immortalis naturæ (nam hoc nomine omne † æternum, inquit, esse necesse est) ac propterea non possunt non esse: quod nos de Angelis non omnino negamus. Hos enim nos etiam quemadmodum facimus à Deo productos, fatemúrque & secundum substantiam esse à propria operatione discretos, & finem habere æternum, sic profitemur esse immortales: ac propterea si cum rebus caducis ac mortalibus conferantur, non ægrè necessarios (quamuis, ne quem ambiguitas fallat, immutabiles potiùs appellare eos solemus, quàm necessarios) esse dicemus, cũ hæ naturaliter ac suoptè intereant: illi minimè. Tametsi habita ratione absolutæ virtutis primi principij (cui contra quàm Aristoteles, sicut creandi, ita anihilandi facultatẽ concedimus, omnino negamus esse immortales & necessarios: id quod Aristoteles etiã, quemadmodum & Plato fecit, agnoscere debuisset. quare dum suas intelligentias tam apertè concedit effectas esse, siue quod ad substantiã attinet pendêre à prima causa, videat quo pacto se explicet, nam quemadmodũ in hac rerum Vniuersitate naturale est vt omne ortum occidat, ita & diuinæ naturæ cõsentaneum est vt quicquid extra se produxit, possit dissoluere. & è contrariò rerum effectarum proprium, vt cum non sint sua essentia, possint ab eo à quo acceperunt illam, in pristinum statum, ad nihilum, inquam, reuocari. Sed his omissis hoc tempore, iam animaduertere licet verissimum esse id quod à principio monebam: nimirum si id exceperimus quod ad sempiternitatem inuertibilitatémque pertinet, nihil fermè reperiri in Aristoteleis Intelligentijs quod non possit cum nostris Angelis conuenire. Neque verò hæc dissero, quòd pugnem in præsentia nostros Angelos & Aristoteleas Intelligentias essentialiter non differre: quamuis enim tum in ijs quæ conciliauimus hactenus, tum in nonnullis alijs conuenire poßint; vt cum intuitiuæ mentes nõ discursiuæ, separatæ à materia, finitæ virtutis, beatæ ac primæ tantùm causæ subiectæ tam Angeli fiunt quàm intelligentiæ; veruntamẽ & neceßitas siue absoluta inuertibilitas quam Intelligentijs tribuit Aristoteles, essentiale discrimen constituere videtur inter ipsas atque angelos: cum hi respectu Dei sint vertibiles & dißolubiles. Quamobrem redarguendi fortasse sunt Auicenna & Auerroës qui voluerunt Intelligentias Aristotelis nihil differre à substantijs illis quas loquentes in lege ac Græci (sic enim nostros describunt) Angelos vocant, nisi quòd Angeli legis siue Græcorum sunt corporei. redarguendi videntur inquam. nam licet concederemus Angelos esse planè incorporeos, quod libentißimè facimus; non facilè tamen concederet Aristoteles suas intelligentias propter absolutam illam inuertibilitatem non differre genere ab Angelis legis. Ac propterea quæ hucusque de beatis hisce mentibus disputaui, eò tantùm

† t.38.l.cit.

† lib.9 met. t.7.

Vide Auer 1. cœl. com. 22. & 10. Eth. non vno in loco. Alb. etiam 2 sen. d.3.a.3.

ſpectant vt conſtet enumerata diſcrimina, vnde videri poterat Ariſtoteles Chriſtianæ veritatis aduerſarius habendus eſſe, magna probabilitate conciliari atque componi poſſe. Ac de intelligentijs hactenus. Venio iam poſtremò ad ea quæ ob cultũ Religionémque obijciebamus Ariſtoteli. Quæ omnia, mea quidem ſententia, non ſunt ſuperioribus diſſimilia: ſed poſſunt cum Chriſtiana pietate non difficilè coniungi. Tametſi enim longè abfuit vt ſacroſancta myſteria noſtra perceperit; quæ tamen de diuino cultu ſcripſit, vix ac ne vix quidem noſtris repugnant. Etenim Religio noſtra, etſi Deum vnum ſpectat potiſſimùm, quadripartita eſt tamen. colimus enim (quanquam alia atque alia ratione) tum Deum rerum omnium moderatorem atque parentem: tum beatas Mentes quas Angelos appellamus: tum eos homines quos eximia in Deum pietate fuiſſe ab Eccleſia docemur. Denique mortuis etiam inferias ac iuſta perſoluimus. At Deum colendum eſſe, illique ſummos honores habendos, † Ariſtoteles non obſcurè ſanè, nec vno in loco & fatetur & docet. quin ſic docet, vt quemadmodum exploratum eſt (ſic enim diſſerit ipſe) parentes eſſe diligendos; ita etiam Deum eſſe colendum: vt propterea etiam qui de hoc dubitet, pœna potiùs quàm ratione indigere affirmet: atque eius eſſe perſimilem qui neget niuem eſſe albam. De cæteris verò ſic ſcribit † Anniuerſaria ſacrificia fiunt Diuis: heroëſque ritu ſuo coluntur: *(hos verò ſanctis viris, illos Angelis reſpondere non immeritò affirmes: cum diuiniſſimã mentem quam & Deum ac principem cauſam vocat, ab iſtis omnibus ibidem diſtinguat, atque † alibi vnũ Vniuerſitatis principem agnoſcat, húncque optimũ, ſéque ipſo beatum)* Poſtremò inferiæ mortuis inferuntur: *quæ ſanè in Ethnico admiranda ſunt potiùs ac celebranda, quàm improbanda. At hæc poſteriora (dicat aliquis) in libro de Mundo, quem ſuſpectum eſſe diximus: priora verò illa alieno in loco. Denique vbi maximè oportuit, oſcitanter admodum, immo malitioſè & peruersè viſus eſt de Religione loqui: nã in Politicis vbi religio, vt eſt præcipua iuſtitiæ pars, accuratè fuerat explicanda, vix eam attingit: ſi tamen dum per trãſennam id facit, ac quaſi in rem leuiſſimam incidiſſet attingit potius quàm cõtemnit ac deſpicit. Mihi verò in eo videtur carpi ac reprehẽdi, in quo potiſſimùm eximiã laudẽ meretur. Nã cum ſuperſtitioſam eſſe animaduerteret Athenienſiũ Religionẽ, (idcirco enim tandem patriæ Religionis reus eſt habitus) eóſque ſaxa pro Deo turpiter colere; ſatius fuit religionis neceſsitate propoſita, reliqua quæ de ſacrificijs atque huiuſmodi alijs dici potuiſſent, præterire: nã patrium cultum cõprobare nefas erat: reprobare periculoſum & capitale. Quocirca dum tam ſolerter inueſtigauit diuiniſsimã naturã, ac de ea (vt oſtendimus) tã præclarè multa docuit: dũ præterea decreuit Religionẽ et cultũ eſſe potiſſimã humanæ iuſtitiæ partẽ (nã ideo etiã quadripartitũ illud religionis munus legũ authoritate ſanciri uoluit) dũ poſtremò preces audiri monuit, ac pios homines Deo eſſe chariſsimos; reliqua profectò iure optimo ſiue prætermiſit ſiue diſſimulãter attigit. Atque idẽ ſtatuo ſi te illud cõmoueat quicquã, quòd Dij et Heroës illi, qui tãdẽ ſint, nõ exponit: cũ præſertim quos colebat ſuperſtitioſa illa natio, vaniſsimi eſſent ac planè repudiãdi; id enim præterquã quòd plus habebat inuidiæ*

Marginal notes: DE RELIgione. — † l. 1. top. c. 9 & alibi. — † De Mundo c. vlt. — † l. 12. met. c. 4. & vlt. & alibi.

uidiæ & offensionis, quàm vt ab eo posset eo tempore explicari, nostra sanè, qui aliundè rem omnino exploratam habemus ac certam, in præsentia minimùm refert. Vt propterea etiam cum religionis factus sit reus, mihi quidem si patriæ religionis reus verè erat, è superstitionis cœno emersiße potiùs, atque idola illa vanissima neglexisse videatur, quàm in veram pietatem religionémque peccasse. Hæc ad ea quæ nos obiecimus Aristoteli. Nam quæ ad extremùm ex Iustino aliísque subieci, partim ijs consimilia sunt quibus nos antea inuecti eramus in Aristotelem: partim etiam ad physicas rationes attinēt potiùs quàm ad pietatem & mores. Quare sua quæque locis de integro assumenda tractandaque erunt. Interim etiā atque etiam optarim vt qui huius Philosophi doctrinam nō sine pietatis honestatísque iactura retineri posse affirmant, vnum adhuc secum ipsi reputent diligēter: nimirum ex innumeris fermè locis quæ tanta acrimonia & contentione ad Aristotelis doctrinam impietatis coarguendam ventilauimus atque exaggerauimus, si illa exceperis quæ Mundi æternitatem aut continent aut consequuntur; vix tandem pauca quædam errata extitiße. cum interim cætera loca partim temerè omnino atque iniuriosè culparentur: partim apud æquum æstimatorem commodè accipi poßint ac sine vlla Christianæ rei honestatisue offensione. Quinetiam ea ipsa quæ reiecimus, vbi non seuerum iudicem inuenerint & acrem, sed facilem ac lenem; si non defendi poterunt omnia, excusari certè poterunt atque in Ethnico reddi tolerabilia. Quid enim (vt tantisper rigidus patronus euadam ac propè pugnax) si licere vult oratori fidem facere διὰ τὸ φαίνεσθαι δεικνύναι, apparentésque sectari rationes? an propterea apparentia argumenta sic probat vt ea vsurpari iubeat non solùm vbi de eorum veritate dubitetur, sed etiam vbi de falsitate oratori iam satis constet? minimè verò: sed potiùs tunc quoque cum re ipsa sunt ambigua atque adeò oratori met, tametsi habeant speciem veritatis, suspiciosa. nam quemadmodum multa sunt falsa, quæ tamen in specie vera sunt: multa item vera, quæ videri solent falsa: ita multa sunt verisimilia, quæ verane sint re ipsa an falsa dijudicare ac statuere non licet. hæc itaque sunt quæ vbi occurrant, iusta in causa vsurpari ac retineri posse non negat, & hoc ipsum facile est quod paulò ante significauerat dum diceret tunc nos rationibus fidem facere, ὅταν ἀληθὲς, ἢ φαινόμενον, δείξωμεν ἐκ τῶν περὶ ἕκαστον πιθανῶν, cum (inquam) verum siue apparens ostendimus ex ijs quæ apta sunt ad persuadendum: quasi diceret oratorem sectari id quod est aptum ad persuadendum: ac siue verum tandem siue falsum eße deprehendatur, nō magnopere curare: sed tantùm spectare vt πιθανὸν sit, ac verisimile. At enim (dicat aliquis) Oratoris demōstrationes non finguntur ad perfectā illam absolutámque argumentationis rationē ac formam, quā & Logicus fabricauit Philosopho, & Mathematicus inprimis amplectitur: sed ad Dialecticam & popularē: quæ probabile seu verisimile sectatur: quod sanè quin interdū re ipsa falsum eße poßit, prohibet nihil: nā alioquin esset necessariū non verisimile. Quare dū ait Aristoteles oratorē fidem facere διὰ τὸ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι, illud διὰ τὸ δεικνύναι, nō quamlibet demōstrationē significat Aristoteli, sed oratoriā tantū quæ scilicet cōflatur ex verisimili. ac

Concluditur sine Christianæ rei iactura honestatísque offensione retineri posse Aristotelis libros.

Denique ostenditur etiā ex ijs quæ iā antea erroris nomine damnata sūt, quædam adhuc vtcunque defendi posse: reliqua fermè in Ethnico esse tolerabilia

proinde dũ è uestigio subdit ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι, id sanè pertinere non poterit nisi ad argumentum illud quod habet quidẽ speciẽ verisimilis, sed tamen reuerà falsum est: idque, ne idem planè sit cum priore, ipsomet oratore falsitatem sentiente. & hinc est vt statim oratoris Enthymema conferat cum syllogismo quẽ interdum esse ait συλλογισμὸν, interdum verò φαινόμενον συλλογισμόν Quid plura? an non iam ante apertè satis indicauerat oratori qui falsa argumentatione vtatur, aliter quàm dialectico accidere: ac Dialecticum, si id fecerit, Dialectici nomen amittere, sophystámque censeri: oratorem verò suum adhuc retinere nomen? at hoc quid aliud est obsecro nisi mendacium verisimili respersum eidem concedere? Verisimilia sunt ista quidem, ac prope dixerim necessaria: & hac de causa ipse ne pugnax viderer, iandiu cœperam hac in re deserere Aristotelem: sed (vt verè fatear) veritus interim ne quo modo à germana Aristotelis sententia aberrarem. etenim alicubi subindicare videtur Aristoteles non usque adeò immutabile ac necessarium esse vt causæ quæ in iudicium veniunt, verisimili contineantur, quin possit interdum causa aliqua tractari, in qua veritas necessarijs perspicuísque rationibus euinci ac demonstrari possit: (cum enim † assereret quibusdam ne exactissimis quidem rationibus posse aliquid facilè ab oratore persuaderi, visus est concedere è contrariò esse aliquos quibus possit aliquid non difficile exactissimis rationibus suaderi) illud igitur διὰ τὸ δεικνύναι, significare poterit veram perfectámque demonstrationem: ac proinde τὸ φαίνεσθαι δεικνύναι, pertinebit ad verisimile. quod si illud, quibusdam ne exactissimis quidem rationibus facile est aliquid suadere; nõ de Oratore sigillatim proferri velis, sed in vniuersum, ac de quocunque disputatore: quasi idcirco Rhetoricam velit esse vtilem (id enim agebat eo tempore) quia cum apud rudes dicat Orator quibuscum subtilissimæ perfectæque rationes opportunæ nõ sunt; Rhetorica quæ communibus vtitur & popularibus, huic incommodo prospiciat; ac propterea adhuc neges illud διὰ τὸ δεικνύναι, ad necessarias perfectásque pertinere rationes, eò saltem confugiet pertinax disputator, vt velit per priorem illam particulam tecmirium intelligi: quo reuera, vt est certa quædam iudicandi assentiendique nota; gignitur oratoria demonstratio, ac sine vlla dubitatione τὸ ἀληθὲς attingitur; per posteriorem cætera verisimilia argumenta. atque hoc pacto nihil (inquiet) sigillatim statuit Aristoteles de apparenti argumento illo quod quamuis specietenus sit apparens & verisimile, re tamen ipsa orator perspexit esse falsum. Id quod ex eo etiam intelligitur quòd eodem ferè in loco in quo asserit oratorem falsa ratione vtentem non amittere oratoris nomen ab eiusdem ratiocinationis vsu quicquid significasset alibi, visus est interdixisse ipsi oratori: ita vt quemadmodum Dialectico cui simillimum facit Oratorem cognitio tantùm conceditur falsi syllogismi: (vt scilicet sophistam possit refellere) ita oratori videatur vnam cognitionem relinquere ac demandare. Denique dum falsam argumentationem vsurpanti oratori, oratoris nomen reliquit, id non ea fortasse de causa facit quòd non sentiat eum iniquè agere, ac muneri deesse suo: sed quia reuera hac in re oratori secus accideret quàm dialectico: cum hic vulgò vbi disputando deciperet,

amitteret

† l. 1. Rhet. c. 2.

amitteret Dialectici nomen, sophistaque appellaretur : orator non item. Vt propterea inconstantiæ potiùs arguendus videatur Aristoteles, atque in contrarias partes de more trahi facilè poßit, quàm sine dubitatione vlla mẽdacij vsurpationẽ turpiter permiserit oratori. Nec fortaſſe deerit ratio vnde Aristotelem in ijs quæ siue de inuidia excitanda siue de tyrannide tuenda præcepit, non dicam omnino tueri (id enim moliri, temeritatis eſſet) sed aliqua ex parte excusare liceat. Etenim quod pertinet ad inuidiam peritos Medicos imitatus videtur. Vt enim ij interdum humani corporis humores nõ idcirco pharmacorum acrimonia irritant, vt grauius dissidium in corpore excitent ac morbum: sed vt torpentes illos ac veluti tabescentes ad saniorem statum reuocẽt: nec in vniuersum periculosa medicamenta vsurpant vt inferant necem: sed vt graßantem morbum atque adeò ingruentem mortem arceant: sic orator languentem Iudicem ac populum ad inuidentiũ excitare & inflammare solet, vt quos mitioribus rationibus ad patriæ bonorúmque Ciuium commoda propugnanda, iustitiámque tuendam excitare nequit, inuidentiæ stimulis excitet: ac leuiore tolerabilioréque vitio grauius vitium depellat & detestabile. Vt enim interdũ clauo clauus pellitur, ac malo † nodo malus quæritur cuneus; ac denique malo sæpe medemur malo, sic inuidẽtiæ malo, quo inuidus per improbitatem de alieno mœret bono, vtilitatem & patriæ & bonis viris elicit ac deriuat Orator. Quapropter vbi orator honesta in causa ad inuidiam confugiat excitandam: atque huius ope iustitiam tutari nitatur, peccabit quidem, sed tolerabiliter. Sed & excusari fortaſſe potest id quod pertinet ad Tyrannidem: etsi (vt verè dicam) leuiter. Nam (si quis rectè reputet) illud fermè vtilitatis referre poterũt probi Reges ac principes ex ijs quæ Aristoteles de Tyrannidis tuendæ ratione scripsit, quod ex nautica tabula capit gubernator. Vt enim gubernator scopulis inde vadosisque locis omnibus quasi exploratis & cognitis, ea faciliùs declinat: ita Rex vbi Aristotelicas rationes istas perspectas habuerit, faciliùs cauere poterit ne ad eas in Regni administratione siue consiliariorum improbitate, siue propria culpa deflectat. Nam etsi nos aduersus illam non instruxit quemadmodum Medici remedia præscribunt quibus venena & anteuertere & curare liceat; veruntamẽ tyrannicas eße, ac vitiosas monuit interim ac docuit perspicuè. Ita fit vt ij etiam qui in suis scriptis rectæ gubernationis vias aliqua ratione indicare nitantur, ex ipsis gubernationis tyrannicæ institutis vtilitatem capere poſſint si illa sibi ex Aristotele ponant ante oculos, quæ tanquam infames scopulos commonstrent ac notent. Certè Antonius Cicarellus Fulginas tum in summorũ Pontificum Imperatorúmque historijs scribendis, tum vberiùs in varijs T. Liuij locis edißerendis hanc omnino viam atque rationem iniiſſe, ac summa cum laude iniße visus est. Etenim siue sparsim atque aliud agens (quod in Pontificũ Imperatorũmque historijs acutè sanè atque prudenter fecit) siue data opera (quod fermè in Liuianis disputationibus non minùs piè molitur quàm eruditè) rectæ politiæ atque humanæ vitæ præcepta obseruet, in eã maximè curã incubuit, vt nos ab tyrannidis Aristoteleæ scopulis multóque magis ab eorũ præceptionibus qui siue principem (vt dicebam) siue Remp. tam iniquè instituerunt abducat: &

† *Hier. ad Ocean.*

fanioribus institutis, Christianóque inprimis ciue ac principe dignis, imbuat. Nunc ad ea venio quæ sunt cum æternitate coniuncta de quibus equidem sic statuo. Ei qui æternitatem denegaret Mundo, aut materia statuenda erat sempiterna, ex qua deinde initio temporis Mundus conditus sit: aut ipse Mundus, corporatus quidem, sed ex nulla antecedente materia, erat constituendus: aut denique (quod in idem fermè recidit in dubitatione nostra) certo quodam initio temporis materia procreanda erat: tum Mundus conflandus ex ea. Quod si materiam fecisset sempiternam, iam non video cur non longè grauiùs peccasset, qui materiam potiùs quæ decenti forma ornatúque careret, atque adeò esset turpissima & inordinata, quàm Mundum, cuius admirabile est decus, præstantissimaque forma, donaßet æternitate, ac Deo æternitatis nomine parem fecisset. Quamobrē qui chaos, homiomerias, vel quid tale infinito tempore, cuiusmodi tandē hoc eßet, statuunt ante Mundi fabricationem, ij mihi turpiter ac supra quàm ferri possit abiectè philosophari videntur. Ac propterea Aristotelis ingenium ac iudicium in hoc etiam elucet vel maximè, qui clarioribus Poëtis, ac philosophis, & (si nonnullis credimus) Magistro ipsi restitit dum chaos informísue materiæ æternitatem introducerent: firmísque argumentis eorum repressit temeritatem. Quòd si materiam in tempore procreasset, atque ex ea deinde coagmentasset Mundum, vel temporis item initio Mundum ipsum corporatum, non tamen vllo temporis interuallo antecedente materia, effinxißet, iam omnino illi aßumenda erat & concedenda creatio: ac statuendum res mortales nulla subiecta materia effectas esse. quæ res etsi animorū immortalitate, veráque cœlestium Mētium effectione posita sese illi quodammodo insinuare videretur, in magnas tamē illum adduxisset angustias: cū naturalem motū vt erat physicus, et in natura demersus totus; adhiberet rebus omnibus: nullámque mutationē nisi naturalē sensu obseruasset in Vniuersitate. Denique axioma illud, quo tanquā Hercules claua, decertabat, ac tā multa de materia, de motu & generatione, déque Mundo ac beatis Mentibus, & (vt semel dicā) de Natura vniuersa statuebat, abijciendū ac deserēdū fuißet illi. Quod sanè in Ethnico qui diuinitùs minimè edoctus esset, sed humano sensu philosopharetur ac metiretur omnia, optandum magis fuit, quàm magnopere sperandū. Quamobrē rectè quidem ac sapienter Maiores nostri: qui cū edocti eßent diuinitùs de Mundi creatione, rationes deinde excogitarunt quibus ostenderēt id totum arridere rationi, & cū Natura nullo modo pugnare. Rectè etiā nos ipsi si singularē Dei erga nos benignitatē reputantes qua de ingenij nostri imbecillitate admoneri, ac cœlesti luce illustrari voluit, immortale hoc beneficium grato ac memori animo complectemur. At non idcirco Ethnico illi misero hac de causa implacabili ira succensendum est quòd vel non viderit, vel non retinuerit creationem. Quanquam si quis in ea sit sententia, vt velit Mundum (id quod non ignobiles Peripatetici tuentur ac docent) ex Aristotelis sententia à Deo verè ac sine vlla dubitatione, tametsi ab omni æternitate, promanasse, simúlque creationem non modò non fuiße oppugnatam ab eo, sed exceptam & constitutam, leuior adhuc (quod Christianæ rei interest) erit Aristotelis error: nam licet reuera Mundus sit in tempore

pore

pore conditus ac procreatus, non tamen cum pietate pugnat potuisse ab omni æternitate procreari. nisi tamen velis res corporatas parem sibi & coæuum effectum gignere posse, (id enim in instentaneis mutationibus intueri licet) Deum autem non posse. Quocirca æterna illa Mundi emanatio falsa potiùs quàm impia censenda esset: & inscientiæ potiùs quàm impietatis notandus Aristoteles. Atque eâdem siue etiam maiori facilitate id quod attinet ad Dei locum poterit non dicam defendi, (errauit enim, fateor, atque repudiandus est) sed impietatis nota excusari: quemadmodum proprio etiam loco significauimus. Quod verò pertinet ad somnia quæ à Deo immitti negat, quid si quis pugnet de somnijs propriè loqui, non de ijs quæ per visum cernuntur, ac visiones appellantur? cùm enim asserat non esse putandum à Deo immitti somnia quòd hæc † sint homini cum cæteris animantibus communia, videtur omnino de somnijs loqui non de visionibus: nos enim visiones haud volumus mutis animantibus accidere. Et quanquam dum ait somnia non esse θεόπεμπτα, additque Deum, si immitteret somnia, prudentibus tantùm ac bonis fuisse immissurum, videtur (vt ego quidem existimo) quancunque rei speciem quæ in somno diuinitùs immitti diceretur, negare; veruntamen quid si quis rursus pugnaret Aristotelem saltem varium eße, posseque in varias sententias traduci? nam cum multò † ante aßeruisset, supra humanam intelligentiam esse originem afferre cur aliqui præuidere quædam soleant, (loquebatur autē de diuinatione per somnium) nec videri nisi in diuinam causam posse referri; profectò, quicquid ad extremùm effecerit dum in melancholiam ac mentis excessum quasdam rerum prædictiones reuocare conatur, non potest omnino demonstrari haud visum esse indicare quarundam præsensionum causas vel sibi ignotas esse, vel etiam in Deum esse referendas. Qua ratione quemadmodum ex diuinis oraculis apertè satis didicimus ex somnijs quædam diuinitùs † immitti, quædam minimè, sed † vana esse, ita Aristoteli quantumuis secum pugnare videatur, fatendum esset aliqua saltem (quæ scilicet humanam intelligentiam superant) debere in diuinam causam referri.

† ad init. cap. 2.

† ad init. c. 1.

† Gen. passim, Num. c. 12. Dan. 2. Iob. 33. 3. reg. 3. & al.

† Deut. c. 18. & alibi.

HVNC itaque in modum Aristotelicæ doctrinæ scopulis quod attinet ad pietatem honestatémque obseruatis ac notatis, eoſdémque declinandi ratione ac via commonstrata; iam non sine ingenti vtilitate licebit vela in altum pandere: ac nobiles Peripateticæ Philosophiæ merces, opésque ad eius gloriam qui sapientiæ author est & elargitor, colligere & reportare.

FINIS LIBRI TERTII DECADIS PRIMAE.

IN PLATONIS TIMAEVM, SIVE IN NATVRALEM OMNEM ATQVE DIVINAM PLATONIS ET ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM

DECADIS PRIMAE LIBER QVARTVS.

QVAE tribus libris hactenus disputauimus, eò pertinebant, atque instituta erant omnia, vt constaret Christiano viro colendam esse Philosophiã: atque in primis Aristotelis Platonisque lucubrationes magna cum vtilitate retineri ac tractari posse vbi debita illis cautio adhiberetur. Neque enim antea nobis attingenda erant atque explicanda decreta Philosophorum, quàm compertum fuisset posse non inutiliter, immo cum Christianæ Reip. bono explicari. Iam itaque ad Platonis Timæum, hoc est lætissimum vberrimumque naturalis Philosophiæ campum tota sese conuertat oratio: primumque de dialogi huius argumento, ac materia disseramus. Cum enim Timæus noster in omnium propè ingenuarum artium ac disciplinarum campum intulisse pedem, ac diuina humanaque omnia attigisse visus sit nonnullis, nobis sanè demonstrandum est certo definitoque instituto ac materia contineri: sicque

PLATONIS Timæus, siue naturalis Philosophia ponitur explicanda.

De materia Timæo subiecta.

contineri, vt Physiologiæ finibus nunquam excesserit. In quam sanè rem eò diligentiùs mihi erit incumbendum, quòd in ea aberrasse alios (fatendum est enim: cum hoc ipsum paulò post discutere, atque aperire necesse sit) alios hæsitasse, nonnullosque omnino frigidos, ac pumice aridiores extitisse perspexerim: cum tamen præsentis dialogi institutum antea nosse adeò sit necessarium, vt cribro haurire aquam is velle videatur, qui eo ignorato tot tantarumque rerum cognitionem ac scientiam sesperet consequuturum. Inprimis autem dubitationes illas proponamus, quæ impedimento esse videntur quo minùs id, de quo igitur, agnoscere valeamus.

Quæ videantur ostendere Timæum nõ habere certã materiam in qua versetur.

Non videtur certi aliquid tanquam materiem in hoc dialogo statui posse, cum de rebus adeò varijs agat Plato, tamque diuersa simul permisceat, vt nec ad definitum genus reduci, nec ad certæ alicuius rei notitiam, vt decet, conspirare posse videantur. Id autem ex eo facilè patere potest, quia dum multa de rebus naturalibus edisserit, persæpè ad diuinas sese attollit: atque in ijs ipsis varia tum ex Arithmetica tum ex Geometria interponit: multaque etiam pertractat, quæ tum ad homines in officio continendos, tum ad Respublicas ciuitatesque gubernandas pertinent. Immo de ijs etiam agit, quæ continent humani corporis morbos, eorumque curationes: ita vt vel ad febrium, multarũque huiusmodi rerum, quæ Medicinæ propria cẽseri solent, definitionem, medicamentaque deueniat. Huc accedit quod quædam recenset ab Atheniensibus aduersus Atlantinos præclarè gesta, quæ siue (vt multi quidem sentiunt) vera sint, atque in historiæ habenda loco: siue (vt suspicantur alij) ficta sint omnino & commentitia: siue denique abditos quosdam sensus complexa, symbola (vt aiunt) ac quasi ænigmata sint iudicanda, ad definitum genus cum reliquis reduci non possunt: præsertim verò cum naturalibus, de quibus eum potissimùm egisse certum est. Etenim humanarum rerum euentus, qui tum ab Historico, tum à Poeta, quanquam alia atque alia ratione, considerantur; oppositis vestigijs distant ab ijs, quæ naturalis sunt contemplationis. Neque verò astrorum rationes prætermisit, cum eorum ortum exposuisse haud satis esse iudicans, cursus etiam, conuersiones, conuersionumque varietates notarit: ac præcipuè de errantium stellarum numero, situ, comparationibus, ac proportionibus mutuis, deque huiusmodi alijs verba fecerit. Atque ob id factum est, vt cum Hermocrates dicendarum rerum seriem atque rationem Socrati proponeret, primas se Timæo detulisse diceret, quòd hic non solùm esset in rerum natura contemplanda, sed etiam in Astronomia versatus. Quod nonnullis occasionem fortasse dedit vt existimarit in Platonis Timæo de Mundi harmonia, astrorumque cursu & numeris disputari. Cum ergo Platonis Timæus à naturalibus transeat ad diuina, iisdemque addat multa, quæ non ad vitæ ac Reipublicæ institutionem solùm, sed etiam ad Astronomiam, Arithmeticam, atque (vt breuiter dicam) ad Mathematicas disciplinas attinent; de humani corporis curatione, ac de moribus, non paucis edisserat; ac tandem res à priscis Atheniensibus gestas his omnibus adiungat, videtur sine dubio certum aliquod huius dialogi institutum in præsentia requirendum potiùs, ac

desiderari

desiderandum, quàm præfiniri vllo modo possit. Quanquam ne his finibus terminetur hæc dubitatio, ecce tibi Plato, qui Mundi ortum, Deorumque naturam in materiæ loco nobis proponit. Nam cum Timæus proximè disputaturus, sese excusaret, quòd exploratas atque omnino firmas rationes disputando se afferre posse diffideret, de Dijs, deque Mundi ortu sibi dicendum significauit. Cum ergo o Socrates (*dicebat Timæus*) multa de Dijs, Mundique genitura à multis dicta sint, ne mireris obsecro si rationes de ijs (*Deum autem Mundumque intelligit*) probatissimas, exactissimasque afferre non possim: satis enim factum putare debetis, si non minùs, quàm quiuis alius probabiles rationes attulerim. *Iis Timæus cum de Mundi ortu, tum etiam de Dijs sibi declarauit agendum. Quæ tamen quod attinet ad Deos præstitisse quidem Timæum, reliqua verò prætermisisse in Atlantico significare visus est Plato. Etenim Critias in Timæi ac Socratis locum ad disserendum suffectus, maioremque sibi veniam tribuendam probaturus, quòd minùs validis rationibus sibi esset vtendum, quàm Timæus ipse fecisset, ita eum alloquebatur.* Quòd quidem non rectè abs te superiora dicta sint, nemo sanæ mentis obiecerit. Quòd autem quæ restant dicenda; vtpote difficiliora, maiorem exigant indulgentiam, conabor ostendere: quandoquidem faciliùs apparet, vt qui de Dijs disserit; satisfacere hominibus videatur quàm qui de mortalibus. *Hæc Critias. Ex quibus Deorum tantùm fuisse Timæo tributã disputationem, eãdemque ab ipso absolutam, satis constare videtur. Hæc (vt breuiter dicam) illa sunt quibus efficitur (si tamen efficitur) Timæum certo aliquo ac definito rerum genere minimè contineri. Atque his (opinor) permoti veterum † plerique Platonicorum, affirmant in hoc Dialogo non de Vniuersitate illa solùm quæ sub aspectum cadit; sed de ea etiam quæ solo animo cernitur disputari. Quin † Proclus tres Mundos cõminiscitur qui huic libro subijciantur. Ac primùm quidem, qui sit* ἀόρατος, *aspectumque fugiat oculorum; collocat in Mente: atque à Timæo contendit per Ideas exemplaque rerum explicari & tractari. Alterum in Atlantinorum Atheniensiumque insulis & regionibus agnoscit: simulque in rebus ab illis gestis. quandoquidem hæc omnia à Platone* συμβολικῶς, *ac tanquam arcanas Mundi imagines mystica designatione pugnat afferri. atque hoc pacto Atlantinorum insulas in inferiorem Mundum qui elementis ac rebus corporatis constat; Atheniensium regiones in superiorem Mundum qui cœlestis est, conuertens, eorundem Atheniensium Atlantinorumque inimicitias, bellum, historiam denique omnem siue fabulam ad rerum naturalium naturas, affectiones, effectusque traducit. Postremum verò aspectabilem hunc Mundum esse affirmat, cuius ortus & natura accuratissimè describitur & explanatur. Nec tamen interim desunt † qui ea rursus ratione triplicem Mundum materiæ loco subijciant Timæo, quòd tum de Ideali (quem Platonici vocant) & archetypo disserat Mundo: tum de Mundo hoc aspectabili & corporeo: tum de homine qui sit aspectabilis compendium, & archetypi simulachrum. Sed &*

† *Ex Proc. lib. 1. in Timæum.*

† *in procem. in Tim. & deinceps l. 1.*

† *Carp. in Alcin. c. 6. n. 4. & c. 14. num. 1.*

Quàm varia semper fuerit Platonicorũ sententia de materia Timęo subiecta

† *Simplicius existimat à Platone in Timæo agi non de Natura solùm, sed & de rerum omniū effectore Deo: perinde atque ab Aristotele in postremo de physica auditione libro de motore primo. addit † ortum quoque et naturam explicari sublimiorum & intelligentium Deorum, qui omnino vacui sint corpore: & quorum imagines sint ij qui in cælo voluuntur atque cernuntur Dij. denique sentire † videtur de rebus tam naturalibus quàm supra naturam positis disputari: ac diuina cum naturalibus copulari. Quam sententiam tum † Suidas amplexus est, qui scribit multa à Platone Theologicè tractari in Timæo: tum † Ficinus † Diacetius, & † Steuchus qui & ipsi Theologicum quoque faciunt hunc Dialogum: tum inprimis † Iustinus & † Arnobius: quorum alter,* Timæus (*inquit*) qui liber magno labore ac studio à Platone scriptus est; multa de Deo ac diuinis rebus continet. *alter verò,* Plato ille diuinus (*inquit*) multa de Deo disputat in Timæo; atque illa non vulgaria & communia. *Quæ eadem (vt † Celsos, † Iulianos, † Porphyrios, & huius notæ uiros prætercam: qui ex Timæo inprimis Platonicæ Theologiæ decreta hauserunt) fuit † Origenis, † Athenagoræ, † Eusebij, † Theodoreti, atque aliorum quorundam patrum sententia. qui non modò significant de Deo diuinisque rebus non pauca in Timæo tradi; verùm etiam in eodem libro antiquæ Hebræorum veritatis vestigia, immo Christianorum mysteriorum significationes ac notas quasdam obseruant. ita vt vel crucis mysterium in Timæo adumbratum ac designatum fuisse † velint. Quod sanè argumentum, quoniam grauissimum est, præcipua cura (etsi ab illis, vt est longè varium ac multiplex, varijs in locis sparsimque tractatur) vno eodemque in loco † prosequemur. Sed iam longum esset ea recensere quæ Proclus rursus tam in Commentarijs in Timæum; quàm in sua Platonica Theologia passim disputat vt huiusmodi dialogum non physicum modò, verùm etiam Theologicum faciat. Etenim cum non satis haberet tres illos Mundos in Timæum intrusisse, ecce tibi rursus pugnat in Timæo per mathematica symbola diuinas rationes tradi: sic enim † scribit in eo loco in quo Theologicos typos atque rationes profert quibus censuit à Platone res diuinas designari.* Εἰ δὲ βούλει καὶ τῆς διὰ τῶν μαθημάτων διδασκαλίας μνησθῆναι, καὶ τῆς ἐκ τῶν ἠθικῶν, ἢ φυσικῶν λόγων περὶ τῶν θείων πραγματείας, οἷα πολλὰ μὲν ἐν Τιμαίῳ, πολλὰ δὲ ἐν Πολιτικῷ, πολλὰ δὲ ἐν ἄλλοις διαλόγοις ἔστι κατεσπαρμένα θεωρεῖν, ἐν ταῦτα δή πού σοι, καὶ διὰ τῶν εἰκόνων τὰ θεῖα γινώσκειν ἐφιεμένῳ τρόπος ἔσται καταφανής. ἅπαντα γὰρ ταῦτα τὰς τῶν θείων ἀπεικονίζεται δυνάμεις. *hoc est.* Quod si vis ex ea doctrina quæ mathematicis rationibus in moralibus physicisque sermonibus continetur, de diuinis rebus mentionem fieri (huiusmodi enim diuina multa tum in Timæo, tum in Politico alijsque dialogis extant disseminata) in ijs sanè locis etiam per imagines diuina percipere expetenti, forma atque ratio perspicua præsto erit. siquidem hæc omnia diuinas virtutes effingunt atque exprimunt. *Hæc & alia huiusmodi multa hoc in loco Proclus, qui deinde cum † sibimet obiecisset de Dijs intelligibilibus cōtemplationem assumi non alia de causa quàm propositæ*

† *l. 8. phys. com. vlt. ac partim etiā in procem.*
† *li. 8. phys. com. 89.*
† *in procem. citato.*
† *Su. Verbo Τίμαιος.*
† *Fic. in ar. Timæi.*
† *Diac. in Symp. Plat.*
† *Ste. l. 5. de per. p. c. 4.*
† *Ius. or. par. circa med.*
† *Arn. l. 2. con. gen.*
† *Cel. apud Ori. cō. Cel.*
† *apud Cyr. con. Iul.*
† *Por. apud Aug. de Ci. Dei, & alios*
† *Or. c. Cels.*
† *Ath. in Ap.*
† *Eus. de pre. præsertim li. x. & seq.*
† *Th. de cur. Gr. af.*
† *Iust. in Ap. ad Ant. ante fin. & Athenag. in Apolog. pro Christ.*
† *vide Dec. lib. 9.*
† *l. 1. Theol. 7. c. 3.*
† *c. 5. ante finem*

sitæ Physiologiæ gratia: idque quia necesse sit vbique ab exemplaribus progredi ad simulachrorũ cognitionem, cum immaterialia materialiũ, intelligibilia sensibiliũ, separata naturalium specierũ sint exempla (*ideo enim aiebat.* Ἐν Τιμαίῳ τὰ περὶ τῶν νοητῶν θεῶν τῆς προκειμένης ἕνεκα φυσιολογίας παρείληπται. διὸ δὴ πανταχοῦ τὰς εἰκόνας ἀπὸ τῶν παραδειγμάτων γινώσκειν ἀναγκαῖον. παραδείγματα δὲ τὰ ἄυλα τῶν ἐνύλων, τὰ νοητὰ τῶν αἰσθητῶν, τὰ χωριστὰ τῶν φυσικῶν εἰδῶν) *tandem his verbis diluere nitebatur argumentum.* † Ἐγὼ δὲ πρὸς μὲν τὴν τοιαύτην ἀπάντησιν, δικαίαν ποιήσομαι καὶ σαφῆ τὴν ἀπόκρισιν. καὶ τὸν Πλάτωνα πανταχοῦ μὲν τοῖς περὶ θεῶν λόγοις ἑπομένως ταῖς παλαιαῖς φήμαις, καὶ τῇ φύσει τῶν πραγμάτων μετιέναι φήσω. καὶ ποτὲ μὲν τῆς αἰτίας ἕνεκα τῶν προκειμένων ἐπὶ τὰς ἀρχὰς τῶν δογμάτων ἀνάγεσθαι. κἀκεῖθεν ὥσπερ ἀπὸ σκοπιᾶς καταθεωρεῖν τὴν τῶν προκειμένων φύσιν. ποτὲ δὲ καὶ προηγούμενον τέλος τίθεσθαι τὴν θεολογικὴν ἐπιστήμην. *hoc est.*

† c. 6. ad ini.

Ego autem ad huiusmodi argumentum cõuenientem perspicuamque afferam responsionem, nimirum Platonem vbique vulgatis Veterum sententijs rerumque ipsarum naturæ insistentem prosequi sermones de Dijs & interdum quidem causæ gratia ad dogmatum subiectorum attolli principia, atque inde tanquam ex specula spectare rerum subiectarum naturam: aliquando autem in propositi finis loco ponere Theologicam scientiam. *Hæc & alia subinde multa Proclus; in quibus concedit quidem Parmenide diuina, Timæo physica omnia contineri: sed pugnat tamen diuina multa alibi quoque quàm in Parmenide reperiri, præsertim vero in Phædro & Timæo. Quapropter, si rem in summam redigamus; Platonis Timæus ex Procli sententia tum in mathematicis illis descriptionibus* συμβολικῶς, *tum in Policis* δι' εἰκόνων, *tum postremò in alijs multis quæ non per Symbola & imagines, sed explicatè docet, &* δι' ἐνδείξεως (*vt iste loquitur*) *per demonstratione͂ inquam, tripartita ratione Theologicus existimandus est. Denique vt aceruatim dicam,* † *Chalcidius & alij quidam contendunt Geometricis, Arithmeticis, Musicis decretis Timæum esse refertum, atque ingentem mathematicorum præceptorum quasi syluam in eo reperiri.* † *B. Hieronymus, à quo non longissimè abest* † *Macrobius, de Mundi harmonia & astrorum cursu, deque numeris in eo agi:* † *Galenus plurima ex Medicorum officina eße desumpta: atque ad Medicorum artem pertinere:* † *Plutarchus,* † *Lucianus, atque Platonici quidam quos commemorat* † *Proclus, fabulis ac poëticis commentis non carere: ita vt siue ingentem illam annorum multitudinem, siue Atlantidem insulam, siue priscam Atheniensium Rempub. siue eorundem Atheniensiũ Atlantinorumque bellum spectes,* μῦθον καὶ πλάσμα (*sic enim loquuntur Platonici illi*) *fabulam & figmentum, ne dicam vlcus, id totum faciant. Atque hoc profectò est quod* † *Timon, cum in Timæum intueretur, more suo cecinit.*

Ὡς ἀνέπλασε Πλάτων πεπλασμένα θαύματα εἰδώς.

Vt conficta Plato astutus miracula fingit?

Ad extremùm idem Plutarchus Timæum varijs ac multiplicibus vestibulis, septis, atrijs cinctum esse dum † *indicat, qualia (vt idem loquitur) nullum vel poema, vel fabula, vel scriptum habuit, quis non videt hinc etiam*

indicari,

† in arg. Timæi.
† Hier. ep. 31 quæ est ad Eustat. & in c. 5. Amos.
† Macr. in som. Scip.
† Gal. l. 8. de plac. c. 15. & al. sæpè.
† Plut. in Solone.
† Luc. in lib. sacrificijs.
† Procl. li. 1. in Tim.
† ex Laer. in Platone.
† in Sol. vbi de Athlantico loquitur, qui in Tim. inchoatur.

indicari varijs doctrinarum præceptis, ac multiplici rerum varietate conflatum esse?

Ostenditur Timæum habere definitam materiã: & quæ sit.

AT VERO, etsi hæc ea sunt, quæ satis superque demonstrare videãtur Dialogum hunc definitam quasi regionem non habere, cuius terminis septus & circumclusus appareat; si quis tamen rem totam paulò accuratiùs expendet, intelliget profectò certum definitumque institutum perpetuò retinere. Atque hoc sanè nihil est aliud quàm quod ipsemet Plato τὸ πᾶν *dicere solet: nosque cum Cicerone Vniuersitatem, ac, si nostratium Philosophorum vocibus vti non grauemur, Vniuersum appellemus licet. Quo etiam nomine, quoniam non ab omnibus repudiatur, in reliquo sermone vtemur sæpè. Vniuersum autem non illud in præsentia appello, quod Deum ac res Mundi significat vniuersas: sed quod Naturæ finibus circunscribitur: atque à Peripateticis (vt eorum multi loquuntur) naturalis entis nomine designari solet. Atque hoc quidem tum Mundo, tum cælo respondere potest. Quamobrem, si quis id de quo in Timæo disputatur, vel Cælum, vel Mundum, vel aliquo eiusmodi vocabulo appellandum existimet, optimè sentiet, dummodo illius nomine naturale ens (vt antea dicebamus) intelligat.*

Et quidem huiusmodi materiam, Vniuersum inquam, esse huic Dialogo subiectam, ex triplici quasi via ac sede argumentis desumptis comprobari potest. Et primò ex inscriptione: idque siue Timæus, siue de Natura inscribatur liber. Ac quod pertinet ad inscriptionem quæ dialogo affigitur Timæi nomine, res aperta est: constat enim Platonem, quippe qui Pythagoreorum doctrinæ addictus erat, in rerum naturalium conquisitione Timæum Locrum Pythagoricum potissime sequutum fuisse: in diuinis verò Parmenidem. dum igitur Timæi nomine dialogum inscribit, se de naturalibus verba facere indicat, non secus atque in Parmenide, Parmenidis nomine pro dialogi indice vsus, de diuinis rebus agere sibi in animo esse ostendit. Ac profectò, sicut in ijs libris in quibus Plato Sophistarum superbiam disputãdo frangere ac reprimere, adolescentesque in rerum cognitione fluctuantes quidem, interdumque etiam omnino rudes, sed disciplinæ cupidos erudire instituit, sæpe contingere solet, vt si ex Sophistarũ, aut adolescentũ nominibus, quibuscum disserit Socrates, librum primùm inscribat, statim ex huiusmodi nominibus rerũ tractandarum materiẽ agnoscere liceat (in ijs enim instituit adolescentes in quibus potissimùm ab officio eos deficere, quorumue ignaros esse rumor erat: Sophistas verò in ijs redarguit, in quibus suam illam ostentabant sapientiam) ita in præsentia, dum Timæi, qui sanè in rerum naturalium studijs Platone ipso teste, maximè versatus erat, nomen dialogo affigit, eorum de quibus agere instituerat, materiam voluit indicare. Vt quemadmodum ij, qui in scenicis Romanorum ludis aures harmonijs exercitatas habebant, primo tibicinis inflatu ex audito futuræ comœdiæ genus agnoscebant, & (quemadmodum in Lucullo significauit Cicero) Antiopa, aut Andromacham esse affirmabant; ita ij quibus esset perspectum, quàm præclarè Timæus rerum naturalium doctrinam calleret, dialogi genus, atque materiam primo ipso inscriptionis aspectu percipere valerent. Hoc ipsum

(vt ad

(vt ad alteram inscriptionem pergamus) apertè confirmari potest, dum dialogus inscribitur de Natura: siquidem cum animaduerteret Plato, accidere facilè posse, vt aliquis ex prima inscriptione Timæi nomine proposita haud statim perciperet, qua de re agendum foret, inscriptionem alteram, vt in dialogis ferè omnibus vsitatum illi fuit, priori adiecit: atque ita de naturali ente (quod vocant) seu de Vniuerso in hoc libro agendum esse significauit.

Idipsum, vt alteram quasi viam ingrediar, suaderi potest ex Platonis verbis desumpta ratione: cùm enim Critias suo aliorumque nomine Socrati exponeret, statuisse ipsos, vt Timæus primus edisserens, à Mundique ortu exordium ducens, ad hominis vsque naturam progrederetur; rationem instituti afferens, asserebat id sibi cæterisque visum esse, quia hic in rerum natura contemplanda maximè esset versatus, Quod si ea quæ in hoc dialogo explicare instituerat Plato, eam ob causam detulit Timæo, quia in rerum natura contemplanda maximè versatus erat, profectò verisimile est de rebus naturalibus, seu de Vniuerso in Timæo disputari: secus enim Platonis rationem vanam omnino esse non immeritò aliquis posset suspicari. Quod si quis obijciat ibidem à Platone in Astronomia versatum appellari Timæū, & tamen ex opinione nostra de rebus ad Astronomiam pertinentibus illum non agere: ac proinde dum eodem in loco Timæus in rerum natura cognoscenda versatus existimatur, inferri minimè posse Platoni de Vniuerso, siue de rebus naturalibus esse disserendū; sciat hic tantum abesse, vt ratio nostra hinc aut falsitatis conuinci, aut labefactari vllo modo possit, vt potiùs ex hoc loco magis, atque magis illustretur. Quod quia non satis commodè explicari hic potest, infra opportuniore loco † declarabitur. Interim illud in memoriam sat erit reuocasse, multas siue artes, siue disciplinas reperiri, quæ faciliorem nobis ad aliam siue artem, siue scientiam comparandam, aditum præbere solent. Quamobrem si forte contigerit, vt Astrologia ad res arcanas Naturæ cognoscendas viam nobis patefaciat, profectò de Natura disputantem Timæum facturus Plato, nonnisi eo consilio hunc tanquam Astrologiæ peritum antea commendasse, & quasi ostentasse credendum est, quàm vt persuasum foret eum res à natura inuolutas faciliùs introspexisse. Sed dices. Esto in præsentia Astrologiam tanquam Physiologiæ vtilissimam commendarit, ac proinde hoc nihil obstet quominus Timæi disputatio naturalis futura sit vniuersa: at nulla ob id ratione euincitur, ac demonstratur res omnes naturales potiùs, ac Mundum ipsum Timæo tanquam materiem subijci, quam certum aliquod ac definitum rerum naturalium genus, ac partem: cum si vel de solo homine toto dialogo disseruisset, optimè concludatur vniuersum dialogum esse naturalem. Sed profectò ipsemet Plato ibidem ab hac dubitatione locum hunc pulcherrimè vindicauit, nam cum statuisset vt Timæus, quippe qui rerum naturam maximè exploratam haberet, primo loco disputationem iniret, continuò addidit, à Mundi ortu, vsque ad hominem ei progrediendum esse. Vbi sanè (si rectè animaduertas) extremos naturæ fines Timæi quoque disputationis

† infra vbi de Astrol. ad 7. & lib. 8. partic. 19

fines

fines futuros ostendens, totam rerum naturalium vniuersitatem ei proponit pertractandam. Sed huiusmodi verba, vt maximè significantia sunt, ita etiam vberiùs, ac subtilioribus ponderibus paulò post examinabimus. Nũc ea subijciamus, quæ habuit Timæus, dum Socrati, vt ante disputationem Deum precaretur hortanti, ita respondit. Probè consulis Socrates. Nam cum omnes, qui mentis quoquo modo compotes sunt, in operis cuiuslibet vel magni, vel parui principio inuocare Deum soleant, quanto nos æquius est de Vniuerso siue genitum sit, siue ingenitum disputaturos, nisi forte desipimus, inuocare diuinam opem? *Ecce tibi Timæus, qui non aliam quàm de Vniuerso pollicetur disputationem. Dicit autem de Vniuerso vtrum genitum sit se disputaturum, non quia illam tantùm de Vniuerso dubitationem explicare, absolutamque tractationem despicere velit: Sed quoniam Vniuersitatem contemplanti id priore loco, ac quasi omnium fundamentum & caput occurrebat inuestigandum. Quamobrem paucis interpositis, propositam hanc de Vniuerso dubitationem, vniuersæ disputationi subiectam esse negat: primo autem loco exponendam, & eorum quæ exponenda sunt, partem esse significat, cum dicat.* Vniuersum igitur hoc, (*atque ita propositam rationem dilucidabo, nouamque his ex verbis desumam*) cœlum, siue Mundum siue quo alio vocabulo gaudeat, cognominemus: de quo primùm consideremus, quod in quæstione de Vniuerso ante omnia inuestigari debet, vtrum ne semper fuerit sine vllo generationis principio: an genitum sit ab aliquo principio sumens exordium. *His (inquam) Plato, quippe qui paulò ante precationis vtilitatem demonstraturus, difficillimam de Mundi ortu controuersiam posuerat explicandam, hanc, ne statueremus disputationem continere omnem, disputationis partem aliquã sibi tantùm asciscere, Vniuersitatemque ipsam totius libri materiem esse decernit. Hoc ipsum perspicuè ex eo etiam ostenditur, quia cum Timæus ad primæ materiæ inquisitionem transire vellet*, Sed hanc (*dicebat ipse*) de Vniuerso disputationem ab ampliori diuisione, quàm supra ducamus. *Id quod confirmari potest ex verbis, quibus Timæus vsus est, dum ad mutarum animantium ortum declarandum progrederetur: ita enim loquebatur.* Sed iam disputatio illa de Vniuerso vsque ad generationem hominum nobis proposita finem penè suum adepta videtur, *Et in extremo dialogo,* Iam igitur (*inquit*) nostra hæc de Vniuerso disputatio finem habeat. *Atque hæc sit ex Platonis verbis desumpta ratio.*

Hoc ipsum tandem (vt ex postrema sede rationes depromam) ex tractationis processu demonstratur: Etenim Timæi disputatio ab Vniuersi ortu, & causis ducitur, atque in homine tanquam in contractiore Vniuersi specie (siue forma & parte) & quasi epilogo terminatur. At cum rei initia primùm & causæ in qualibet scientia explicari debeant, contractioresque eiusdem partes postremo loco sint declarandæ, sequitur vt cum Vniuersi principia primùm, ac minùs communes eiusdem Vniuersi partes postremùm

stremùm inuestigentur, vnum Vniuersum huius sit materia tractationis. Et hoc est profectò id quod nos docere voluit Plato, dum aßerebat Critias sibi caeterisque visum esse, vt Timæus a Mundi origine ac procreatione incipiens, vsque ad generis humani naturam deueniret: ita enim principia Vniuersi primò, hominísque naturam postremò explicanda proponens, indicauit Vniuersum ipsum Timæo ad dicendum argumentum suppeditare. Quod si ea de quibus disputat Timæus; sub vno quasi oculorum aspectu ponere velimus, idipsum perquamdilucidè perspicere licebit: nam cum Mundi causas atque principia in ipso disputationis ingressu proposuisset Timæus, statim eum singularem esse cõprobauit: & ad absolutam vniuersámque eiusdem compositionem deuenit. Quocirca declarauit ex elemẽtis primò, deinde ex omni materia constare: tum exposuit qua figuratum sit forma, ipsiúsque formæ ac figuræ conditiones, atque ea denique omnia, quæ ab eius eßent compositione excludenda. Atque ita Vniuersitatis mole constituta, animam illi accommodatam fuisse, & qua ratione id factũ fuerit, significauit. Postea verò de ipsius animæ constitutione, de temporis errantiúmque siderũ ac cæterarum stellarũ ortu, déque multis alijs, quæ hæc omnia consequuntur, disputationem suscepit: mox, singulis animalium generibus propositis, de diuino primùm, quod in Sidera ac Dæmones partitus est, verba fecit: subindeque de homine, vt scilicet eius generis, quod terrenis animantibus continetur, naturã explicaret, dicere aggreßus, tũ de animorum nostrorũ procreatione, eorundémque ex astris, quibus aptati fuerant, migratione, ac descensu, déque reditu et ascensu, tũ præcipuè de humani corporis principijs, ipsorúmque coagmentatione, de animi & corporis cõgressu & coniunctione, de animantis motibus, de sensuũ origine, ac de affectionibus quæ animo per sensus contingunt disputauit: (nã cur hæc materiæ, elementisque præposuerit, docebimus proximo libro vbi de œconomia differemus) ac statim humani corporis partes, munera, quaéque ei accidere dicuntur, considerare aggreßus est: deinde verò egit de materia, de elemẽtis, déque eorum motu, & concretionibus: ob ídque etiã de metallis, ac de corporibus reliquis ex cõcretione ipsa prodeuntibus. Prǽterea verò ea explicauit, quæ sensibus ex elementis cõtingunt: indéque ad sensus ipsos, eorúmque obiecta, vt vocant, deuenit; ac tandem ad hominem sese referens, de eius partibus, déque ijs, quæ illi attributa sunt, cæterorum quoque animalium procreationẽ, atque ortum eàdem oratione perstringens; sermonem absoluit. Hæc sunt, quæ Timæi complexa est disputatio. Quæ cum sint eiusmodi, vt Mundi, siue Vniuersi gratia tradita esse constet, illud sine dubio consequitur, vt Vniuersum siue Mundum, rei subiectæ locum retinere necesse sit.

Quid propriè intelligẽdum sit Vniuersi nomine, quod Timæi materia statutum est.

SED quoniã de dialogi materia ex dictis satis apertè constat, reliquum est, vt rebus naturalibus (his autem pro naturali Peripateticorum ente, quod cum Vniuerso reciprocari dicebamus, vbi commodè potero, libenter vtar: insolens est enim entis nomen, ac supra quàm ferri poßit à latinitate abhorret) Vniuersum respondere ostendam: cũ enim non eadem apud omnes sit Vniuersi notio, sed varia eius nomen apud Philosophos significare soleat, idcirco ne id quod ad nostrã de Timæi instituto opinionẽ confirmandã omnino attinet, sine

probatione relinquere videamur, operæpretium erit demonstrare illud in rerum naturalium loco esse accipiendum in præsentia. Et quanquam id colligi possit ex iisdem rationibus, quibus comprobauimus Vniuersum esse id de quo disputatur, quemadmodum constare facilè poterit eas accurate reputantibus; ipse tamen his prætermissis, noua quadam, atque admodum explorata (ni fallor) ratione ex Platone ipso ducta, veritatem hanc firmare, atque illustrare conabor: idque quoniam affirmat Plato, hoc Vniuersum corporeum, aspectabile, itémque tractabile esse constitutum: ac denique in ipsius coagmentatione nihil materiæ fuisse extra relictum. Dum enim Vniuersum corporeum facit, illud à rebus simplicibus, materiáque omnino solutis vindicat, & disiungit: dum aspectabile, & tractabile extitisse contendit; naturalibus attributionibus illud ipsum subijcit: proindeque ab ijs in quibus Mathematicæ disciplinæ versantur; differre ostendit: etsi enim magnitudo, siue quantitas (quam vocant) singulos sensus mouere possit; vt Aristoteles secundo de anima scriptum reliquit: id tamen non nisi earum qualitatum adminiculis assequitur, quarum sensus ipsos afficere proprium est. Quamobrem cùm illud quantitatis genus, quod vario modo Mathematicus contemplatur, quantum Mathematicæ contemplationis est, nec aspectabile, nec tractabile, nec denique ijs rebus quæ sensus permouere solent, expositum sit, sed sola animi cogitatione attingatur, illud citra controuersiam consequitur; vt cum Timæus Vniuersum hoc corporeum, de quo disserit, tractabile, & aspectabile fuisse doceat, à Mathematicorum corpore, siue magnitudine differre demonstrauerit. Postremò dum in eius coagmentatione nihil extra relictum, sed ex omnibus totis atque perfectis totum opus perfectum atque absolutum fuisse declarat, omne naturalium rerum genus, non autem certam aliquam earum partem comprehendere ostendit. Atque hoc modo artificiosè, accuratéque Plato noster à Mathematicæ, diuinæque scientiæ materia, id quod Timæo subiectum est, disterminat: ac simul definitam aliquam rerum quæ sub sensum cadunt, sibi partem haud vendicare, sed omnibus quæ natura constant, respondere ostendit. Quare id ipsum quod apud Peripateticos rerum naturalium nomine significari solet, Vniuersitatis, quam materiam esse statuimus huic dialogo subiectam, notione hîc designari compertum est. Atque ex his tum id de quo agitur, tum quàm latè pateat quidque propriè significet, compertum est.

Chalcidius.

Quare Chalcidij opinio hac in re non omnino mihi probari solet: cum enim existimauerit in hoc dialogo agi de statu vniuersæ rei, omniúmque eorum, quæ Mundus complectitur; causam, (vt ipse loquitur) rationémque præstari, Mundum siue Vniuersum in subiectæ materiæ loco videtur agnoscere: at qua ratione Vniuersum hîc sit accipiendum, vel peruersè explicat (subdit enim Geometrica Geometricis, Arithmetica Arithmeticis, Musica Musicis, singula denique domesticis; eius verbis vtor; consanguineisque rationibus declarari, quasi res philosophicæ omnes subijciantur Timæo) vel certè non explicat. Quod tamen dum varia eius nomine significari solent, vel maximè erat declarandum: ac præsertim quòd an res aliqua indissolubilis,

ac diui-

ac diuinæ sortis particeps effecta, ad huiusmodi Vniuersum redigeretur, quâue ratione (si id contingeret) redigeretur, non modò Platonicæ Philosophiæ rudem, sed vel eum, qui non mediocres in ea progressus haberet, facilè latêre poterat. Atque ob id factum est, vt non indocti homines Vniuersi nomine decepti (id quod in huius disputationis progressu constabit) ac rationis ignari, qua erga ea sese haberet, quæ à materiæ contagione essent separata, grauiter decepti sint. Qua in re illud cauendum etiam maximè Chalcidio erat, vt cum Plato disserens de Vniuerso, non modò eius statum respiciat, verùm etiam originem atque constitutionem, immo verò ex præstantissimo illo diuinæ mentis exemplari opificis studio & probitate iam iam proficiscentis Vniuersi originem, constitutionémque primùm declaret: ac statum tandem (cuiusmodi ille ex Platone sit) constitutione patefacta contemplandum relinquat; nequaquam assereret Platonem agere de statu vniuersæ rei, sed de Vniuerso, siue de Mundo, nihílque præterea adderet: namque hoc pacto significasset tum Mundi originem atque molitionem, tum statum, tum denique ea omnia, quæ ad illius cognitionem ex Platonis decretis facere videntur; Timæi contemplatione contineri? ob id enim Plato, ne quis suspicaretur, se de Vniuersi statu explicando ita cogitare, vt ad originem ac procreationem despiciendam animum induxißet, à Mundi ortu exordiendum exposuit. Ac Timæus cum orationem omnem concluderet & peroraret, quo munere sub Atlantici initio functus est, ne de consilio essemus incerti, quo de Vniuerso sermonem habuisset, Mundum re quidem iandiu, sermone verò nuper Deum pronunciauit effectum. Quamobrem S. Augustinus octauo de Dei Ciuitate libro dialogum hunc de Mundi constitutione appellare non dubitauit: hócque illi nomen Plato ipse indidisse visus est, dum de materiæ natura acturus diceret. Oportet igitur eum qui Mundi constitutionem verè narraturus sit, erraticæ quoque causæ speciem naturæ ipsius instinctu miscere. *Quanquam cum ex constitutione statum etiam (vt dictum est) contemplandum relinqueret, Vniuersum, qua statutum est ratione; tanquam materiem Timæo subiecisse, præstat existimare. Chalcidij itaque sententia Aristotelis Physiologiæ magis accommodata est, quàm Platonis Timæo. Aristoteles enim, quippe qui Mundum æternum esse putabat: ac (si neque ab æterno ortum duxisse ex eius sententia credendum est) illius originem in controuersiam reuocare, immo euertere cupiebat; status, aut maximè, aut solùm rationem habuit. Plato autem ita de Vniuerso egit, vt omnis propè eius oratio ab origine profecta, & in constitutione posita fuerit. Quapropter scitè admodum Cicero, qui dialogi materiam optimè contemplatus, de Vniuersitate librum inscripsit & appellauit. Proclus autem in salebris nos reliquit: etenim ad initium suorum commentariorum in Timæum scripsit quidem Platonici Timæi institutum omnem Physiologiam, seu Naturæ rationem attingere, & Vniuersi contemplationem à principio in finem vsque spectare, idque his verbis,* Ὅτι μὲν ἡ τοῦ Πλατωνικοῦ Τιμαίου πρόθεσις τῆς ὅλης φυσιολογίας ἀντέχεται, καὶ ὡς πρὸς τὴν τοῦ παντὸς ἀνήκει θεωρίαν ἐξ ἀρχῆς εἰς τέλος τοῦτο πραγματευομένου, τοῖς μὴ παντάπασιν ἐσκοτωμένοις πρὸς τοὺς λό-

S. Augustinus.

Cicero.

Proclus.

γοις, ἐναργὲς ἐστὶ μοι καταφαίνεται. *Id etiam visus est interdum confirmare in sua* † *Theologia dum diceret*, Ἡμεῖς δὲ ἄρα ἐκ μὲν τοῦ Τιμαίου τὴν ὅλην περὶ τῆς φύσεως θεωρίας περιάγειν δυνήσεσθαι, Nobis autē ex Timæo vniuersā de Natura doctrinā cōtēplationēmque afferre licebit, *ac rursus*, † Καὶ τὴν Πλατωνικὴν θεωρίαν εἰς ἕνα τὸν Παρμενίδην ἀνοίσομεν. ὥσπερ δὴ τὴν περὶ φύσεως ἐπιστήμην σύμπασαν ὁ Τίμαιος περιέχειν ὑπὸ πάντων ὁμολογεῖται τῶν καὶ σμικρὰ συνορᾶν δυναμένων. Vniuersam Platonicam contemplationem *(de diuina loquitur)* ad vnum Parmenidem referemus: quemadmodum naturalem doctrinam omnem Timæo concludi apud eos omnes in confesso est qui vel leuiter id diiudicare valēt. *Sed tamen interim dubitationes, quæ ob materiam disputationi subiectam in huius libri decursu passim emergunt, prætermisit: quæ sanè cum adeò variæ sint, ac perdifficiles, vt nec authoris institutionem agnoscere, nec certam eorum, de quibus agitur, cognitionem assequi sine illarum explicatione possimus, profectò ab interprete, & ab eo præsertim, qui tunc in Academia primas ferret, atque ob id (vt ego quidem existimo)* Διάδοχος *Academicæque Philosophiæ successor diceretur, silentio sine crimine inuolui nullo modo poterant. Quod si aliquas animaduertit attigitue dubitationes, ita sanè (id quod & iam indicauimus antea, & infra perspicuum fiet) ob eas commotus est, vt præsentem dialogum non Naturalem solùm sed Theologicum etiam interdum fecerit: interdum vim naturalem simul ac supernaturalem (vtendum enim est hac voce, quousque occurrat melior) eidē tribuat, ac mixtum denique & tripartita illa Mundorum multitudine variatū censendum esse decernat, quemadmodum iam antea quoque ostendimus? Quanquam maioribus etiam procellis iactatur: de quibus, ne eadem repetere cogamur, paulò post, nec inopportunè dicemus. At verò de Iamblicho nihil certum. nam dum ait omnem Platonis contemplationem Parmenide ac Timæo contineri, diuinatione potiùs, quàm ratione opus esset ad eius sententiā aßequendā. Sat sit optimè ex illius opinione defendi posse vniuersam Physiologiā ad dialogum hunc pertinere, si, quemadmodum Proclus existimare visus est, Platonicæ contemplationis nomine, quam omnem in Parmenide atque in Timæo positam esse voluit; diuinam, naturalémque scientiam intellexit; ita vt Mathematicæ disciplinæ nulla ratione habita, reliquas Philosophiæ partes quæ verè in contemplatione versantur, ad Parmenidem ac Timæum reuocauerit: quasi significare vellet Parmenidi diuina, Timæo naturalia fuisse attributa. In qua sententia, quod pertinet ad res naturales, Timæique materiam, Simplicium etiam aliquando, atque ante illum Alexandrum Aphrodiseum fuisse, ex ijs intelligi potest, quæ in libros Aristotelis de Cœlo idem Simplicius præfatus est. Etenim cum vellet Alexander Aristotelem ibi de Vniuerso agere, quatenus constat ex omnibus naturalibus corporibus; addebat, Platonem quoque in Timæo hoc nomine accepisse Vniuersum, atque hac de causa ex Timæo proferebat illa verba.* Vniuersum igitur hoc cœlū, siue Mūdum, siue quo alio vocabulo gaudeat cognominemus. *Ex quibus sanè verbis (vt supra ostendimus) non modò intelligitur ibi Vniuersi appellatione m pro rebus naturalibus omnibus sumi, verùm etiam eodē nomine Timæi disputationi tanquam materiam subijci. At verò Simplicius*

cum

Marginal notes:

† lib. 1. cap. 5. m.

† cap. 6. in f.

Iamblichus.

Simplicius & Alexander.

cum Alexandrum ea ratione argueret, quòd Aristoteles non in libris de cælo, sed in vniuersa Physiologia de rerum naturalium Vniuersitate dissereret, ac propterea Timæum vellet non libris de cælo, sed toti Physiologiæ respondere, sine dubio Vniuersum Timæi materiam esse sumpsit & iudicauit. Quòd si in contrariam sententiam ire visus est aliquando: ac multa attulit quibus Theologicũ fecit hunc Dialogũ, hæc verò quã vim habeant, & quò spectent, dicam paulò post. Ficinus autem Vniuersum ipse quoque Timæi disputationi subijcere; illúdque in rerum naturalium loco habere visus est, cum in huius dialogi argumento (idque primo capite) asseruerit Platonẽ naturalia omnia Timæi oratione complecti, sicut Parmenide cuncta diuinorum genera comprehendit: rursúmque ad extremam eiusdem capitis partem vniuersam Naturam huius libri subiectum (eius verbis vtor) esse statuerit. Verùm cum vniuersæ huius Naturæ nomine seminariam quandam viuificámque (quam appellat) virtutem toti Mundo infusam, animaéque mundanæ subditam, ac materiæ denique præsidentem intelligendam esse subiecerit: eandémque decreuerit Timæi (vt ille ait) esse subiectum; Vniuersum ipsum pro rebus naturalibus accipi posse, prohibuisse visus est: idque ea ratione primùm, quia cùm huiusmodi seminarium, siue (vt est apud illum) seminariam hanc virtutem, quam Timæo subiectam fecisse diximus, mediam inter animam & materiam constituat, anima & materia, quæ duo ad Vniuersum, atque ad res naturales nos redegimus, rei subiectæ rationem subire minimè poterunt. Deinde verò quia si Mundum & Vniuersum rerum naturalium locum obtinere profiteamur, non modò materiam atque animam, sed elementa etiam, concretaque corpora, ac materiatas cuiuscunque rei partes, & (vt breuiter dicam) omnia quæ natura constant, subiecta re contineri est necessarium. Ficinus autem cum seminariam virtutem illam Mundo infusam esse velit, fateri cogitur, à Mundo, atque à rebus omnibus quæ natura constant, ex sui natura esse diuersam: ac proinde, si materia, elementa, quaéque ex his coagmentata sunt, naturalia censeantur, ad Vniuersum, quod seminariæ virtuti ex Ficino respondet, nullo modo reduci poterunt. Quæ etsi virum hunc existimasse credi vix possit, ex eius tamen decretis, ex quibus id ei tribuere cogimur, consequi certum est. Quod sanè ita sese habere, apertiùs comperiemus, si quam de seminaria virtute opinionem Ficinus habuit, ex Proclo †, à quo eam abstulit, ab origine arcessere voluerimus. Nam cum animaduertisset Proclus Naturam, de qua in Timæo agitur; cuiúsque nomine dialogus inscribitur; variè à varijs acceptam, eos (vt ipse ait) perturbare, qui ad Platonicam Philosophiam incumberent; considerandum sibi proposuit, vndenam ipsa prodiret: quæ esset ipsius potestas: ac quousque denique suas vires extenderet. Quare varijs antiquorum opinionibus allatis, quas recensere nihil in præsentia interest, tandem decreuit naturam ex Platone medium locum retinere inter animam, & naturales facultates: esséque quandam substantiam (liceat autem hac voce pro ipsius Procli οὐσία vti: est enim in Philosophia satis trita, licet Ciceroni inusitata) quæ rationes, ac semina rerum omnium habeat: omnia generet, ijsdémque vitam

Ficinus.

† lib. 1. in Tim.

Proclus rursus, & Ficinus.

que vitam impertiat. Hæc Proclus. Quæ cum legisset Ficinus, pro suis vsus est, asserens huius libri subiectum esse vniuersam Naturam: hoc est seminariam quandam, viuificámque virtutem toti Mundo infusam, animæ quidem mundanæ subditam, materiæ verò præsidentem. Atque hac Naturæ definitione allata in eos sese coniecit scopulos, è quibus quo pacto euadere possit non satis video. Neque verò compertum habeo, quanam ratione eos vitarit Proclus: nam etsi non ob id in illos incidit, quòd Physiologiam, aut τὸ πᾶν, aut φύσιν pro re subiecta constituerit, dum tamen φύσιν, quam seminariam vim illam faciens, non ab anima solùm; verùm etiam à naturalibus facultatibus seiungit; ijsdémque intermediam esse contendit, profectò eâdem tempestate ad eos delatum esse perspicitur. Neque omnino mirum: nam cum sæpè contradicendi libidine potiùs quàm ratione ad multas antiquorum opiniones oppugnandas raperetur, Aristotelicaque præsertim decreta consistere ægreferret, nisi Academiam, seu potiùs sua noua dogmata, redolerent: Naturæ nomen, atque notionem, de qua variæ exortæ erant sententiæ, ita accepit, vt si consilium accuratè exquiramus, quo noster Plato Naturæ nomine in dialogo inscribendo vsus sit, Procli opinionem aut infirmam, aut à Platonis mente omnino alienam existimare debeamus. Si enim Naturæ nomine in dialogo inscribendo id intelligat Plato, quod Proclus ei tribuit; atque inscriptio, quæ ex rerum tractandarum natura petenda fuerit, ipsis rebus debet respondere, eásque etiam sui vi designare, quî fieri potuit, vt Plato de materia, de elementis, déque concretis corporibus disserens, Naturæ nomine dialogum notarit, atque illud in seminariæ virtutis loco duxerit, quæ à materia, ab elementis, & à reliquis denique corporatis rebus tanto interuallo disiungitur? Alia etiam de opinione huius essent dicenda, quæ, ne suscepta de dialogi instituto longiùs, quàm par est producatur oratio, alibi, dum scilicet de operis inscriptione agendum † erit, opportuniùs prosequemur. Nam quod scribit idem author de tribus illis Vniuersitatibus, id sanè commentitium esse docebimus paulò post.

† vide li. 6. ad init.

AD DVBITATIONES.

IAM verò dubitationibus satisfaciendum est: quæ sanè quoniam multæ sunt ac variæ, ac varias in partes Timæum veluti deriuant & distrahunt; eā mihi veniam dari postulo vt ad singulas distinctè et enucleatè dicere liceat. Etenim quod Peripatetici & ante Physiologiæ initiū, et in singulis partibus insistentes faciunt, dū de subiecta materia & in vniuersūm & pro singulis partibus tam distinctè disputant & copiosè; vt constet Aristotelem & omnes naturalis scientiæ partes explicasse: & Naturæ finibus interim non excessisse; id ego non tā varijs in locis, sed in hac vna disputatione efficiam, vt ne verbū quidem (si fieri possit) de Timæi materia siue vniuersim siue sigillatim amplius mihi sit faciendū: sed uno eodémque in loco ad omnes Platonicæ Physiologiæ partes aditum sternam ac viam. Age itaque dubitationibus (vt dicebam) satisfaciamus: atque ei primùm, qua Timaeum ad rerum diuinarum contemplationem sese attollere; proindeque naturalibus diuina permiscere dicebatur. Et quoniam non solùm Dei, atque Idearum nomine, sed & animae gratia plurimos commouere solet, atque alijs etiam obcœlestes

substantias

substantias siue naturas, dubitationem posset afferre, idcirco omni ex parte eam tollere tentandum est. Primo autem loco, quod ad DEVM attinet expendamus. An igitur iurè de Deo in naturali disputatione agere potuisse existimandum est, quoniam eorum quæ oriuntur & occidunt; adminiculis, atque ipsius Naturæ initijs ad illum peruenerit? Minimè verò. Quãuis enim Peripateticæ disciplinæ fortaße accommodata eorum sit opinio, qui tuentur in Physiologia non iniuria doceri ab Aristotele DEVM esse singularem, immobilem permanere, atque huiusmodi alia, quòd Physica ratione, motu videlicet; vtatur; hæc tamen philosophandi ratio Platonis stylum non ita redolet, vt ei addictus omnino fuerit, quemadmodum plurimi sentiunt de Aristotele. Ad quod sanè ostendendum, vel ratio, qua de Ideis egit Timæus; satis esse poterit, si naturalem eam esse concedamus. Etenim si ex ratiocinationis natura rei de qua agitur, contemplationem diiudicandam existimabat, nihil erat cur assereret Idearũ considerationem haudquaquam esse eius loci, cum sensu, Naturaéque initijs niteretur. Quanquam non minùs obscurum est in præsentia ratiocinationem illam sensu, Naturaéque initijs niti, quàm sit ambiguus controuersiæ status. Quare styli, rationísque varietate, qua de Vniuerso disserit Timæus; vtamur. Cum enim multa exemplis & translationibus illustret, plurima ad Mathematicas figuras, atque ad numeros, vel saltem ad symbola reuocet, (si enim naturales rationes in Mathematicis illis lateant, simbola potiùs erunt existimanda) nonnulla priscorum opinione decernat, aut simplici exponat narratione: quamplurima etiam comprobet rationibus ex sensu petitis, quædam etiam complectatur fabulis, atque alia alio modo tractet: profectò singula ad styli normam Characterem accipere, atque ex ratione qua de ipsis agitur, nomen formámque sortiri necesse esset. Quocirca Timæus dum disputat de Vniuersitate, quamuis Physici partes sæpissime sustineret, interdum tamen Historici, non raro etiam Mathematici; aliquando Oratoris, quandoque etiam Poëtæ personam subiret. Ac propterea dum animi naturam explicat numeris, non Physicus, sed Arithmeticus esset: dúmque elementa figuris componit, Geometra: dum autem de animantibus ijs verba facit; quos ille δαίμονας appellauit, (nos cũ M. Tullio lares, si placet, nominemus: quamquam cum ij nonnihil differre videantur; idque Tullio ipso non repugnante, nihil est quòd tritum Dæmonis nomen relinquamus) Historicus potiùs eßet, quàm Naturalis, cum à priscis vsque temporibus exortam de illis opinionem, fama & aruditione accipiens, inter Vniuersi partes eos constituat. At verò dum Terram Deam facit, Deorum antiquissimam, nec non diei noctísque custodem, Poëta euaderet. Ad extremùm dum primæ materiæ naturam artificiali auri permutatione, vnguentorum constitutione, matris, loci, atque aliarum huiusmodi rerum translationibus, & comparationibus inquirit & explanat, ac bilem vberiùs affluentem & æstuantem naui, animaéque compages funiculis, eandemque bilem ad ventrem transmissam, transfugæ, corpus verò ciuitati simile facit, fieret Orator. Quinetiam cum ea Poëtæ quoque conueniant vel maximè, Poëtæ personam rursus subiret. Quæ sanè dum Physicis de rebus

se agere

De Deo.
Prima opinio

Confutatur.

se agere passim profitetur; affirmare minimè ausim: etsi Aristoteles lib. 1. Rethoricorum ex rationis qua de re aliqua disputatur; conditione atque natura, rei ipsius considerationem perpendit, artificique nomen tribuit. atque in Poëticæ artis libro, vel Socratis disputationes, si quibusdam credimus, reuocat ad Poësim, quòd imitatione, quam Poëtæ propriam censet, minimè careant. Ergo quamuis rerum quæ oriuntur, Naturaéque præsidijs ad Deum sese extulisset Timæus, ex probationum tamen natura contemplationis genus (vt ego quidem existimo) diiudicari apud Platonem non debet. Num itaque ea ratione tuebimur Platonem quòd de Deo, non vt de re Timæo subiecta, sed vt de Vniuersi; quod tanquam materiam eius orationi subiecimus; principio & causa disputarit? Ita sanè arbitratus est Ficinus: dum enim res naturales diuinarum effectus & similitudines esse, atque idcirco ad diuina Timæum surgere affirmauit, ostendere hac ratione instituit Platonem de naturalibus disserentem, tum ad Ideas, quia videlicet sint naturalium exempla, tum (quod ad rem nostram in præsentia facit) ad Deum, quia scilicet earundem sit author & initium, iure optimo sese attollere potuisse. Neque immeritò in hanc opinionem venisse opineris, quandoquidem ita abesse videtur, vt rerum naturam contemplanti, de Deo, quatenus est Mundi opifex atque author, non sit agendum, ut potiùs is, eo prætermisso, suis partibus & potissimis defuisse videatur. Quare Aristoteles in libro de Mundo † ad Alexandrum, flagitiosè illum se gerere affirmabat, qui cum de Mundo ageret, Dei prætermitteret tractationem. Atque Trismegistus Mercurius, à quo nonnulli omnem ferè Pythagoreorum, Platonísque ipsius sapientiam fluxisse suspicantur, Dei rerúmque contemplationem ita copulandam esse duxit, vt sub Pimandri initium tum vtranque à Pimandro ipso postulauerit, tum vtranque deinde sese cognouisse testatus sit. Quid quod ipsemet Plato, cùm de Vniuersi causis verba faceret, ab eo qui scientiæ amatorem se profiteretur; de Deo agendum esse significauit? ob id enim ea etiam, quæ ad ipsum attinent, proposuit pertractanda, cum diceret. Oportet autem mentis, & scientiæ amatorem principales sapientis naturæ causas quærere: atque eas, quæ necessariò ab alijs mouentur, alia verò mouent, secundas causas arbitrari. Quocirca sic à nobis existimo faciendum, vt de vtroque causarum genere disseramus. Hæc Plato: Ex quibus facilè iudices, Deum quippe qui est sapientis Naturæ causa, & sub eo causarum genere collocatur, quod immobile perseuerat; Timæi disputatione contineri debuisse. Verùm neque hæc rem declarant: quoniam probat quidem Plato Mundum esse procreatum, & ab aliqua causa procreatum: & idcirco etiam hanc causam ποιητὴν πατέρα, τεχναινόμενον, δημιουργόν, hoc est molitorem, parentem, fabricatorem, artificem, atque huiusmodi alijs nominibus appellat: at hunc Mundi artificem esse Deum (si quis paulò attentiùs rem expendat) non demonstrat: sed tanqnam certum (id quod de eiusdem probitate fecisse constabit) exploratúmque relinquit. Atque idcirco si ea spectemus quibus ostendit Plato Mundum pendere ab effectrici causa, Anaxagoræ opinio, qui (vt in Phædone legimus)

Secunda opinio.

Confutatur.

† cap. 7. sub initio.

legimus) *Mundum ortum, & ex aliquibus cauſis ortum affirmabat quidem, efficientes tamen naturas cum aëreas, tum aquæ humoribus accommodatas, huiúſque generis perſimiles in cauſarum loco ſtatuebat* (*ad Deum enim diuinámque mentē, ſi Platoni credimus, verbotenus referebat Vniuerſitatis artificiū*) *minimè labefactetur. Vel certè, quoniā ex iiſdem* (*ſi acutiùs cernamus*) *ratio ad eā proſternēdā duci optimè poteſt, non eò ſpectant, vt quæſtionē hanc aduerſus eos definiret, qui Mundū à cauſa pendêre faterētur quidē, ſed tamen hāc cauſam negarent eſſe Deū. pari ratione profert quidē Timæus* (*vt iam iā conſtabit*) *de opifice pauca quædā, vt bonū eſſe, intelligentia vigere, & conſilia. verùm nec ea demōſtrat, nec opificis gratia effert, ſed fermè ad phyſica decreta confirmādaMundique naturā patefaciendā: eadémque ſparſim tantū & pro re nata atque adeò obiter vſurpat. Cum itaque de effectrici Vniuerſitatis cauſa ſic diſſerat Plato, vt minimè demonſtrandum ſuſceperit hanc cauſam fuiſſe Deum, ac ſi quid interim de Deo opificéue profert, id phyſiologiæ gratia ac rarò etiam ſparſímque & quaſi obiter ab eo proferatur; mirari eos potiùs debemus, qui de Deo ex inſtituto ac multa ſatis diſputaſſe Timæū opinantes, rationē afferre conātur, cur id in Phyſiologia effecerit, quàm huius rei cauſā inueſtigare. Quapropter quod ad Deū attinet, nō magnopere quidē erat quòd Marſilius quaſi benè longā aliquā de Deo habuiſſet diſputationē Plato, cōtenderet naturalia diuinorū effectus eſſe, diuinaque naturaliū principia: ac proinde iure potuiſſe Platonē à naturalibus ad diuina ſeſe referre. nā pronuntiauit quidē* (*ut dicebā*) *quædā de Deo: ſed ſparſim ac per tranſennā, & (quod rei caput eſt) phyſiologiæ cauſa. Verùm longè minùs erat cur Marſilij ſectator †Diacetius ſtatueret præcipuū Timæi inſtitutū fuiſſe quidē Naturæ opera cōtēplari, multa tamē in eo Naturæ* (*vt ipſe quidē dicit*) *ingeniū ſuperare: ac ne fateri cogeretur Platonē naturaliū, diuinarúmque rerū contēplationes permiſcuiſſe, adderet opus fuiſſe in Timæo, de iis fieri meditationē, quorū opus atque organū Natura eſt, cuiuſmodi eſt diuinus opifex. Si enim Timæus de Deo tanquā de ſubiecta re, ſubiectæue rei parte ageret, iure ſanè dubitari potuiſſet aliqua in Timæo naturalē contēplationē ſuperare: at cum de Deo non agat, vel ſi agit, vt de opifice, efficientique Mundi cauſa vel ex eiuſmet ſententia agat: ſcientiæ autē genus ex ſubiecta materia potiùs quàm ex principiorū natura ſit indicādū, profectò nō erat cur ſtatueret Timæi diſputationē è naturæ finibus egreſſā eſſe, ac præcipuū Timæi inſtitutū fuiſſe quidē in naturalibus poſitū, nō tamē ad illud referri vniuerſū. Atque eâdē planè ratione refelluntur ea quæ hac ipſa de re ſcibit Serranus. Qui licet iā ſemel atque iterū monuiſſet in hoc dialogo de Natura, ſiue de rerū vniuerſitate diſputari; poſtea tamen* Eſt (*inquit*) Dialogus maximè quidē φυσικὸς, potiſsima enim diſputationis pars in Natura explicāda verſatur; ſed tamen eſt etiā θεολογικός. nā, & DEI opificis vim & potētiā docet in Mūdo creādo & cōſeruādo, docet rerū principia, & cauſas. Et quidē ſi cū cæterorū Philoſophorū diſputationibus cōferatur, maximè metaphyſicè. *Hæc iſte: ſed præpoſterè. Etenim cū nō poſſit Phyſicus Naturæ atque Vniuerſitatis principia aliquo modo nō attingere & cōtēplari, cur Theologicus etiā erit hic liber, qui tā pau*

Authoris opinio qua ſubinde refellitur

Marſilius.

Diacetius.

† *Diac. in cōmentarijs in Symph. Platonis.*

& Serranus.

ca de Deo, atque ea tanquam de Vniuersitatis opifice exposuit? certè ipsemet Timæus satis superque coarguit hos omnes: qui cum effectricem Mundi causam statuisset, Opificem (*aiebat*) ac Patrem Mundi inuenire difficile: & cum iam inueneris efferre in vulgus ἀδύνατον. *atque hoc pacto obijcientem sese de opifice disputationem declinauit.*

Iàm explicatur partim, ac partim refellitur illorum opinio qui Timæum pugnant Theologicũ etiam habẽdũ esse: nimirũ Simplicij,

At enim, quid Simplicio ac cæteris illis à quibus fatebaris Timæum, Theologicum quoque existimari? Ego verò Simplicio Simplicium oppono: ipse enim est qui in libris† de cœlo (id quod paulò ante dicere cœperã) cũ aduersus Alexandrum dissereret Mundum siue Vniuersum libris illis materiæ loco subijcientem, non potuit non in hanc quam nos docemus sententiam venire. apertè enim scripsit reuera Platonis Timæo vniuersam Aristotelis physiologiam respondere: ac Mundum siue Vniuersum vtrique subijci. Neque verò aliud sibi tandem voluit in libris de auscultatione physica, si paulò attentiùs eius dicta spectentur. ac primò scribit† quidem in causarum contemplatione Platonis Timæum altiùs se extulisse, qui exemplarem causam quæ diuina est, in apertum protulerit: & Naturam non, vt Aristoteles, causam, sed diuinæ causæ instrumentum effecerit: formam† quoque & materiam non causas, vt Aristoteles, sed adiuuantia causarum haberi voluerit. Veruntamen fatetur† etiam hæc à Platone non subiectæ materiæ nomine tractari: sed perinde omnino atque ab Aristotele in postremo de naturali auditione libro de Deo agitur: de quo sanè tanquam de primò motore & causa, non tanquam de subiectæ materiæ parte disputauit. Scribit† præterea effectricem causam & intelligentem, & verè ac propriè existentem, & eodem semper modo se habentem à Platone iudicari: & in æuo pariter collocari. sed tamen (vt omittam & similia ab Aristotele de primo motore doceri: cum tamen physicus interim habeatur: & licentiùs ista à Simplicio confundi, cum ex istis aliqua in Timæo de Ideis sigillatim, non de Deo proferantur) hæc atque huiusmodi alia non probat, aut comprobanda ponit Timæus, sed vsurpat ac sumit inter disputandum, vt rerum naturalium quæ docenda ponuntur, vim ac naturam, physicaque decreta explanet atque demonstret. sic, vt efficiat Mundum esse pulchrum, sumit (sumit, inquam, non demonstrat) effectorem esse bonum, siue bonitate excellere: atque inuidentia penitus vacuum esse. vt verò doceat Mundum siue cælestia corpora (etsi coagmentata) posse ab interitu vindicari, sumit opificem Mundi ac Naturæ maiorem vim habere quàm ipsam Naturam; & huiusmodi alia. quæ sanè dum simpliciter ac sine demonstratione aut ratiocinatione vlla; cordati nimirum instar philosophi; arripit atque pronunciat, non à physici campo discedit, cum isthæc ad physica decreta explicanda referat: ac non Theologicas sed physicas conclusiones inde elicere aut probare moliatur. Ad extremùm, quod ait Simplicius. Πλὴν ὅγε Πλάτων τὰ τῶν Πυθαγορείων καὶ τῶν Ἐλεατικῶν ἐπὶ τὸ σαφέστερον προαγαγὼν, τά τε ὑπὲρ τὴν φύσιν ἐξύμνησεν ἀξίως κἂν τοῖς φυσικοῖς καὶ γεννητοῖς τὰς στοιχειώδεις ἀρχὰς τῶν ἄλλων διέκρινε. *hoc est.* Quin Plato Pythagoreorũ & Eleatiũ decreta planiora cum effecisset; tum ea quæ naturam superant, extulit pro dignitate: tum in naturalibus, quæque generantur, elementaria principia

† Vide in procem.

† in procem. l. 1. phys.

† l. 1. phys. com 2.

† l. 8. phys. com. vlt. & vtcunque in dicto proœ.

† locis cit.

Martinus.

pia ab alijs separauit; *iam his verbis, licet de vno Timæi argumento hactenus locutus sit: ac Timæum item Pythagoreum esse non magnopere negemus, reuera non Timæum solum intelligit: sed tam Parmenidem dialogũ qui res supra naturam positas (& ideo Eleatis mentionem facit qui in Parmenide introducitur) quàm Timæum qui res naturales complexus fuerat, indicauit. Quare egregiè paulò post vt intelligeremus communem materiam habere naturalem Aristotelis philosophiam & Platonis Timæum*, Eo differt (*inquit*) à Platone Aristoteles, quòd Plato tanquam de Mundo & eius partibus agit in his quæ de Mundo. Aristoteles perinde ac si ne Mundus quidem esset, disputat de ipso naturali corpore. *Quanquam neque hoc verum est simpliciter. nam Aristoteles initio librorũ de cœlo, ens (vt suo loco demonstrabo) siue corpus naturale conuertit in Mundum siue in Vniuersum: ostenditque naturale corpus Vniuersúmque reciprocari: ac proinde statim de Vniuersi attributionibus varijs, tum verò de singulis partibus disserit ad indiuiduas vsque Vniuersi partes in reliqua physiologia progrediens: vbi Platonis more modóque totam naturalem philosophiam absoluit. Hæc ad Simplicium: cui addimus immortales illos Timaei Deos saltem quia generantur & formae censentur cœlestium corporum (cuiusmodi formae tandem sint, de hoc enim alibi) iure optimo physica contemplatione concludi. Atque huc etiam reuoluitur Steuchi dictum. dum enim de creatore Deo in Timaeo maximè agi affirmat; de hoc non vt de subiectae materiæ parte agi intelligit (sic enim aberrasset: ac forte secum ipse pugnaret) sed vt de principio seu causa Mundi: quod verè dicitur. licet reuera non tot ac tanta de huiusmodi causa tradit Timæus, quot quantaque de motore primò Aristoteles (qui & † fatetur interim ea primo principio conuenire: & in duodecimo diuinæ philosophiæ libro ad primam causam ea refert propè omnia) protulit in physicis. cum præsertim Aristoteles ad eadem in physicis demonstranda & comprobanda neruos omnes intenderit: Plato pauca illa, non demonstrauerit, sed è re nata usurpauerit sine demonstratione vlla. Quæ cum ita sint, dissentire cogor à Iacobo Mazonio eximiæ alioquin doctrinae ac literaturae viro: qui Platonem scribit † physica cum metaphysicis miscuisse: Peripateticos contra † rectiùs physica à metaphysicis seiunxisse. Etenim, mea quidem sententia, potiori iure laudasset Platonem, qui in Timaeo, vbi Naturæ rationem (id de quo nos admonet inscriptione ipsa) tradendam recipit; statim ac Mundum ab efficiente causa pendêre docuit; de huiusmodi causa disputare recusauit, asserens opificem Mundi inueniri difficile, efferri verò nullo modo posse. ac propterea ad Theoremata de Mundo mox ferè se contulit; quàm hàc in re Platoni Aristotelem anteponere, qui statim atque ad primum motorem quem & primam causam esse voluit, in physiologia peruenit; eiusmodi causam inuenisse haud satis esse iudicauit: sed occasione arrepta copiosam de motore primo disputationem instituit: hunc tum æternum, vnicum & singularem, motionis expertem, materia vacuum & impartibilem esse disputans: tũ id genus alia multis argumentis efficiens: quæ sanè pronunciata tandem in diuina philosophia repetere coactus fuit*

Steuchi &

Mazonij.

† 8. phy. t. 3.

† cõcl. 1300.

† cõcl. 1301.

propè omnia. vt interim omittam in Metaphysica Aristotelem non hæc solùm, sed magnam eorum partem iteraße & inculcaße quæ docuerat in physicis. At enim Plato (*inquit* † *Mazonius*) physica ex Deo repetit: & in hominem desinit. *Repetit fateor, ac iure optimo repetit: sed tamen tanquam ex opifice (quod non te fugit Mazoni) & molitore. cum enim & sapienter existimaßet, et acutè ratiocinatione demonstraßet, Mundum fuiße à Deo siue opifice conditum; illud omnino postulabat ratio vt Mundum veluti ex opificis manibus prodeuntem nobis poneret ante oculos: atque opificem ipsum Vniuersitatem iam iam quasi molientem induceret. Vbi, quoniam non de Dei essentia & natura disputat: sed potiùs hanc (vt vidimus) data opera grauissimis illis verbis prætereundam esse statuit: & (vt dicam paucis) opificem Deum quem molitioni præfecit, molitioni tantùm adhibet, nullam profectò aliam inire rationem aut debuit aut sine crimine potuit: tantum abest vt physicam methodum violarit: aut Theologica cum physicis confuderit. Postremùm de Origene, Arnobio, Eusebio ac cæteris illis quos referebam, sic statuo. Equidem intelligebant clarissimi illi viri in tanta Ethnicorum Theologiæ vel peruersitate, vel turpitudine, vel varietate aut repugnantia, vnum ferè Platonem visum esse sapienter nonnulla protulisse: ac consentienter moderatéque philosophari. ita vt à nostra etiam Theologia, hoc est germana atque constanti rerum diuinarum scientia, minimè omnium discessisset. Id quod ex Timæo maximè colligebant: in quo sanè, quoniam de Vniuersitatis ortu disputat quam reuera à Deo & conditam & exornatam ac numeris omnibus expletam eße sensit; non potuit non aliqua de Deo, pro re nata saltem ac sparsim afferre: cuiusmodi est eße parentem ac molitorem Vniuersitatis: (hæc enim fermè sunt quæ ex Timæo siue colliguntur ab illis patribus: siue in nos vrgentur à Iuliano ac cæteris, quos significabam fidei Christianæ hostibus) bonum esse: immo excellere bonitate: inuidentia vacuum esse: præditum eße admirabili sapientia: difficile percipi posse ab homine: esse ineffabilem: Naturæ vim & facultatem excedere ac superare: & si quæ sunt alia; quæ (vt dicebam) in Timæo sparsim inueniuntur. Quamobrem cum Ethnicos & Christianæ fidei calumniatores quibuscum disputandum erat, Ethnicis decretis tantisper aggredi cogerentur: & cum Græcis præsertim philosophis, nisi Græcorum decretis instructi, congredi haud possent, Platonem inprimis seligunt quem ipsi quoque aduersarij maximè omnium probabant. Sic Iustinus & Arnobius inter cæteros Theologica multa in Timæo Platonis contineri aßerentes, ad Timæum prouocant, ac pugnam instituunt. Qua in re non ita locuti sunt Patres illi, quòd accuratam aliquam potiùs aut benè longam de Deo disputationem, quàm dicta quædam tantùm & pronunciata offendissent in Timæo: aut quòd non optimè scirent ibi de Vniuersitatis ortu ac natura agi, ac proinde ea quæ de Deo proferrentur, sicut sparsim, ita è re nata proferri: aut etiam vt decernerent quæ de Deo ibi pronunciantur, non in gratiam Vniuersitatis, sed tanquam subiectæ materiæ*

partem

† cõcl. 1300.

Explicatur quoque eâdē in re Origenis, Iustini, Arnobij, Eusebij, Athenagoræ, Theodoreti & Suidæ sentẽtia.

partem tractari: (nihil enim illorum intererat hoc decernere) sed quoniam ea quæ recensebam, atque alia quædam quæ ex illis veluti principijs facilè deducuntur (vt nihil esse quod non sit ab eo maximè profectum: prouidere rebus omnibus: mente fuiße complexum ac retinere Ideas & species rerum quas condidit: Deos illos cælestes quos Ethnici colerent, nostris Angelis respondere, & similia) quocunque tandem consilio ibi insererentur, Theologica erant. Quamobrem nihil obstat quo minus Timæi argumentum sit planè physicum. alioquin ipse etiam nonnulla colligam ex Aristotelis physiologia quæ de Deo efferuntur; puta † Deum & Naturam frustra nihil agere: Dei † operationem esse immortalem: in æternis † non differre esse & posse: & huius generis alia quædam: atque hinc colligam Aristotelem diuina cum naturalibus confudiße: ac physiologiæ libros Theologicos quoque existimandos esse. Atque ex his Proclum subinde refellere licet. nam primò falsum est politica illa & mathematica eße rerũ diuinarum siue symbola siue imagines. atque id quidem, etsi eâdem facilitate parique iure negari possit, quo ab eo affirmatur (rationem enim ad id comprobandum affert nullam) ostendetur in ijs ipsis locis in quibus ob res politicas & mathematicas propositam explicabimus dubitationem. Deinde falsum est etiam ad diuinam contemplationem conscendiße: atque inde tanquam ex specula spectaße & considerasse naturalia. nam præterquam quod de opifice agere omnino recusauit, ac monens ἀδύνατον eße illum in vulgus efferre, obijcientem sese de Deo declinauit disputationem; cæteri illi Dij, vtpotè aspectabiles & corporei, physicæ sunt contemplationis: quemadmodum suo loco demonstrabitur. Nam quod pertinet ad Ideas (huc enim sine dubio confugere poßet Procli sectator vt diuinum adhuc faceret hunc dialogum) id verò quam tandem vim habeat, videbimus paulò post. Iam verò (vt obiectis quoque rationibus satisfaciam) clamet Aristoteles flagitij instar esse disputationem de Deo prætermittere in Mundi tractatione: (quanquam sexcenta eiusdem loca obijci possent illi, in quibus negat esse isthæc permiscenda) profiteatur Trismegistus se vtranque scientiam à Pœmandro & postulaße, & consecutum fuisse (cui tamen illud responderi potest, non propterea ab ijs qui ratione ac via philosophiã tradant, non esse philosophiæ partes distinctè explicandas) nã Platoni, quẽ authoritate in præsentia non inferiorẽ Trismegisto & Aristoteli facimus, aliter placuit. Quod si interim vtranque scientiam, naturalem inquam & diuinam, idem Plato in Timæo affirmat à scientiæ amatore tractandam esse, cum scribat, Oportet autem mentis & scientiæ amatorem præcipuas sapientis Naturæ causas quærere: atque eas quæ necessariò ab alijs mouentur, alia verò mouent, secundas causas arbitrari. quocirca sic existimo faciendum, vt de vtroque causarum genere disseramus; *ecce tibi is qui plagam infligere visus est Plato, eidem statim adhibet medicinam: subijcit enim principes illas Mundi causas seorsim esse considerandas. Quare si Deum quoque harũ causarum nomine intelligat quispiam, eidem quoque fatendum est à Timæo ipso Dei cõtemplationem ac tractationem reijci in aliũ locum. Quod si nos de*

Deo

† l. 8. phys. c. 4.
† 2. cæ. c. 3.
† 3. phy. c. 5.

Diluũtur demũ argumenta quæ ex Aristotele, Trismegisto ac Platone ipso ducebantur.

Deo multa disputauimus hactenus: ac plura etiam disputaturi sumus, cum non modò naturalem sed & diuinam Platonis & Aristotelis philosophiam complecti atque conferre instituerimus; id sanè non ea de causa faciemus, quia nos lateat Platonem in Timæo subterfugisse diuinam contemplationem, sed quia lubet non inopportunam hanc occasionem arripere, cum Aristoteles præcipua Theologiæ capita & fundamenta in physicis nobis obijciat.

DE IDEIS.

Quod verò pertinet ad Ideas (id quod propositam dubitationem augere dicebamus) res est multis magnisque difficultatibus impedita. Ac primùm quidem (si me audias) recognoscenda eßent loca omnia, in quibus ad Ideas deflexisse visus est: tum videndum esset quo nomine eò deflexerit: & quæ tandem fuerit dicendo complexus. Ita enim faciliùs deprehendere ac statuere liceret an egressus sit Physiologiæ fines. Verùm quoniam & loca illa sunt plurima, ac toto propè disseminata dialogo, & quæ in illis continentur, vt sunt scopulosa, sine longa disceptatione agnosci non possunt, non ab re erit absolutam huius rei tractationem reijcere in alium librum, in quo multa ex illis sese offerent loca. Interim tamen, ne te in salebris hærentem deseram omnino, scias ei qui rem acri iudicio decernere velit, vix tãdem alicubi demonstrari poße Platonem in earum Idearum regionem intulißе pedem, quæ primæ rerum species, atque ab omni materia seiugatæ sunt. Etenim certum est, res caducas etiam, si ad eas acceßerit imitator, exprimi, ac propterea exempli locum subire poße. Nam idcirco Plato in libris de legibus asserebat, montes, flumina, atque huiusmodi alia esse pictorum, imitatorúmque exempla: & in Timæo quærebat, num Mundi exemplar ortum, caducúmque fuißet an sempiternum. Cur igitur vbi deprehenderimus specierum mentionem fieri, statim sempiternas illas Ideas intelligemus? sed esto sempiternæ appellentur non rarò, ac de illis verba fiant: quid inde? an non ad ea sese attollere potuit Physicus, cum sint exemplaria, & initia rerum, ac passim in Vniuersitatis tractatione tanquam principia & causæ vsurpentur? At ad extremùm dißerit de natura ipsa Idearum, earúmque eßentiam atque naturam planam facere conatur. Profectò vidit Plato, dum eiusmodi explicationem aggrederetur, ac confeßus est etiam non obscurè, ei qui aspectabilis Mundi scientiam traderet, haud ita facilè excurrendum esse in Idearum campum, ac multò minùs earum naturam, internásque notiones peruestigandas ac demonstrandas eße. Verùm quia ad veram primæ materiæ, elementorúmque vim naturámque statuendam non potuerat Ideis non vti, interímque absurdum existimabat eas quippe quæ à communi ferè omnium sensu abesse viderentur, tam facilè sumere, ac tanquam exploratas vsurpare; idcirco vt ea omnia quorum gratia Ideas introduxerat in Physiologiam, firma perspectaque redderet breui ratione cursímque sibi Idearum existentiam demonstrandam eße censuit. Atque idcirco cum monuißet explicatam quidem atque perfectam Idearum tractationem non eße eius loci, sed tamen perbreuem earum circumscriptionem haud reprehendẽdam, sed potiùs opportunam existimandam esse, bona cum lectoris venia Idearum existentiam comprobauit. Quo differendi genere Aristoteles etiam, qui visus est methodi, ac decori

scientissi-

† lib. 1. c. 5. † lib. 1. c. 8. † lib. 6. c. 3. † l. 7. c. 13.

scientissimus, vsus est frequentissime. Nam in Rhetorica, quoniam † fœlicitatem & varias † Reip. formas exploratas habere opportuit oratorem, fatetur moralis politicique muneris esse ea pertractare; sed interim ea pertractat tamen. Idem in libris de moribus † vbi disputat de scientia: quam tamen fatetur ad analyticos libros pertinere. In politicis quoque magno sibi vsui fore animaduertit humanũ finem, felicitatémque ipsam, ac multa etiam quæ ad fœlicitatem pertinebant, explorasse: cum ecce tibi fatetur hic quoque id totum ad moralem attinere, sed tamen eadem, bona cum Moralis venia, inculcat † & repetit. Verùm dies me deficiat si ea omnia persequi velim quæ Aristoteles alieno quasi loco (sed prudenter tamen ac scitè) complexus est. Quare tantùm dicam in Poëtica cum & Dictionis & Sententiæ explicatione egeret, quarum tamen illa partim Grammatico, partim Logico; hæc vni Rhetori tractanda est, haud tamen dubitasse ea omnia declarare. ita vt elementum, syllabam, coniunctionem, & huiusmodi alia Grammatici more; nomen, verbum, orationem instar Logici, atque iisdem planè verbis quibus in periermenia: sententiæ vim & naturam quasi Rhetor definiat atque declaret: cum tamen iisdem in locis ingenuè profiteatur eorum tractationem non ad Poëticam facultatem, sed ad Grammaticam Logicámue atque ad Rhetoricam pertinere. Neque verò nisi sapienter hoc factitari solet: tanta est enim doctrinarum artiúmque affinitas & coniunctio, vt mutuò se iuuent, ac sæpe etiam tueantur. Quamobrem nil mirandum si Plato in Timæo Idearum existentiam breuiter comprobat: quarum tamen germanam tractationem confitetur esse à physici munere alienam. Nam cum Ideas principij nomine semel introductas: atque in procreatione rerum iterum atque iterum vsurpatas (quibus tamen, is qui Ideas in exempli loco haberi vellet, nullo modo egressus est physici fines) easdémque tandem ad elementa principij ratione ac nomine spolianda referre institueret; maluit Idearum existentiam alieno quasi loco comprobare, quàm in temeritatis notam, quia scilicet Ideas pro certis suo iure atque adeò temerè sumpsisse videri poterat, crimênque incurrere. Nihil itaque erat cur Iamblichus atque alij nonnulli duplicem Mundum Timæo subijcerent: cum & Mundum illum qui solo animo cernitur ac diuinus censetur, tanquam principium & exemplar à Platone introducatur: & de illo non sui sed aspectabilis Mundi gratia, idque paucissimis disseratur. Nam tertius ille Mundus qui diuini aspectabilisque compendium & simulachrum fit ab alijs, pars quædam êaque indiuidua est aspectabilis huius & naturalis. Denique quem ex Atlantinorum Atheniensiúmque insulis, regionibus, bello, rebúsque gestis eruunt, is fictus omnino est & commentius: vt ostendam opportuniore † loco.

† Vide l. 7. com. 31. & alibi.

DE ANIMA.

Iam succedit animæ dubitatio; à qua ne illa quidem excluditur anima, quæ sensus dicitur continere: nos spirabilem animum (sic enim interdum Cicero) si placet nominemus. Ob id autem spirabilis quoque animus dubitationem habet, quoniam siue in homine, siue in cæteris animantibus spectetur, siue denique aëreis illis ætherei sue Academicorum vehiculis fingatur insertus, ita sese nobis offeret, ut omnino videatur sequi illius animi leges,

qui

qui est rationis & intelligentiæ particeps, immò verò ab eo nihil differre. Mirabitur hanc rem fortaße quispiam: sed Platonem ipsum huic suspicioni ansam præbuisse, ex ijs cognoscere licet quæ in Timæo docuit de intelligente animo: etsi enim tradit hunc carere omni materia, immò verò (si Academicis aliquibus credimus) ex diuina mente (falsò tamen) haustum atque delibatum esse; ab astris tamen non solùm in ætherea quædam vehicula, siue etiam aërea, ex elementis ue concreta, atque hinc in humana corpora descendere scribit, verùm etiam in cætera animantia migrare, atque ex iisdem excitari varios sensus, quorum semina, immo virtutes ac potentiæ (quas vocant) & facultates in ipso planè animo eßent insitæ, atque inde deriuarentur in corpora. Quod si ita sit, quis neget eiusmodi virtutes ac potentias, quæ intelligenti infixæ essent animo antequam concreto huic adhæresceret corpori, esse eiusdem naturæ cum eodem animo, ac proinde sensus ipsos aut diuinos esse, aut ad diuinam naturam proximè accedere? Quod autem intelligentes animi in eiusmodi corpora deturbentur, ex eodem Timæo patet, qui cum hominis procreationem atque ortum explicaret, ab animo ducto principio, eò tandem deuenit, vt ipsos animos per astra primùm distributos, iisdémque tanquam vehiculis accommodatos, atque (vt Cicero ait) in Vniuersitatis currum impositos, postea necessitate quadam ad inferiora corpora traduci voluerit: ita vt non modò in viri ac mulieris figuram, sed etiam, si ne tum quidem finem vitiorum fecerint, in varia ferarum genera, quatenus scilicet immoderatè vixerint, detrudantur. At verò prædictos sensus ex animis in corpora satis ac quasi sparsis excitari voluiße, inde intelligitur quòd aßerit ignem ac reliqua elementa fluentis riui instar in ipsum animum ferri, atque inde iram, voluptatem, dolorem, ac cæteras huius generis perturbationes, quæ in spirabilem animum referri solent; prodire. Denique (vt rem complectar breui) mortalem hominis partem sic coagmentauit, atque animo adiunxit, quasi materia quædam eßet planè inanimis, ac sine vllo vitæ sensúsque initio ac fundamento. Quamobrem cum Mundi parens Dijs Deorum satu ortis mandaßet, vt ad id quod in homine eßet immortale, partem attexerēt mortalem, Eius filij (*inquit Timæus*) cum parentis ordinem cognouissent, eum protinus sequebantur. Itaque accepto illo mortalis animantis immortali principio, sui effectorem imitati, ignis, aëris, aquæ particulas quas rursus redderent, à Mundo mutuabantur, eásque inter se copulabant, haud ijsdem illis indissolubilibus vinculis, quibus ipsi fuerant colligati: sed talibus, quæ ob paruitatem cerni non possent; crebrísque huiusmodi clauis coniunctis, vnum ex omnibus corpus efficiebant, atque in hoc ipsum tū influente, tum effluente corpore, animæ diuinæ circuitus alligabant. *Hæc atque alia multa, quæ ibidē per te ipsum facilè inuenire poßis, satis explicare videntur, quæ in homine extra intelligentem animum reperiuntur, non secus fuiße à Platone tractata, quàm si inanimatæ cuiusdam instar materiæ ad hominis constitutionem coirent. Vt proinde semina, siue potiùs vires ac potentiae, quas spirabilis animus continere dicitur, in ea anima sint collocandæ, quæ ratione, & intelligentia*

gentia

gentia prædita est. Atque ob id etiam eiusdem sequentur leges: immo verò eiusdem planè naturæ erit hominis ac reliquorum animantium anima, quippe quæ ex vno corpore migret in aliud: quemadmodum etiam impius Marcio apud Epiphanium, ac sanctissimus martyr Iustinus † ex Academicorum persona expreßerunt solẽnibus illis verbis ὅτι μία ψυχή ἐστιν ἡ ἐν ζώοις καὶ ἐν ἀνθρώποις. Intelligentis verò animi contemplationem supra naturam sese efferre ex eo statuendum videtur, quòd & motus verè naturalis sit expers, & ad multa suas porrigat vires: naturalia verò intra certos quasi cancellos conclusa ac penè fixa, vnum tantùm obeant munus, ídque definitum ac certum, ac morti in primis sint subiecta. Atque ob id Plotinus † indiuiduum esse voluit, & ab omni corpore, corporeísque qualitatibus, quæ naturalium rerum sunt omnia, seiugatum: eundem præterea in eo, qui intelligentia comprehenditur; Mundo, vna cum Mente præstantissima collocauit: demúmque decreuit † naturæ, quæ sola mente attingi poßit, diuinaéque sortis eße participem. Hinc etiam Proclus † cum de animæ ortu disputaret, tum ex motus, necessitatísque legibus exemit eam, atque in intelligentem animum ínque eorum ordinem redegit, quæ solo cernuntur animo: tum eius contemplationem statuit altiùs sese attollere, quàm naturalia. Quanquam interdum ne simplex esset dubitatio, sed multiplex ac tortuosa, eandem animam cum ex ijs quæ animo tantùm cernuntur, tum ex ijs quæ sensibus attinguntur, exclusit. Siquidem cum tres rerum efficeret gradus: in primo id quod in solam intelligentiam cadit, in postremo, quæ sensus mouent, in medio animam collocauit. Neque tamen ab hac sententia dißentire visus est Plotinus. Animam enim interdum præstantissimæ intelligentiæ inferiorem, corporibus superiorem facit. inferiorem quòd in Mundo; qui sub aspectum non cadit, diuidua sit & multiplex: cum intelligentia illa omnino indiuidua sit ac simplex: superiorem quòd ipsa ex se primò sectionẽ non expectet: corpora verò diuidua, sint & multiplicia. Ita vt medium locũ retinere videatur, ac proinde non diuinæ, aut naturalis contemplationis sit, sed mediũ quoddam scientiæ constituat genus. Atque hoc ipsum est, quod Themistius † inter Peripateticos scribit, dum à naturali contemplatione seiungere conatur animum: pugnátque proprium sibi locum inter physicam, diuinámque facultatem (id quod Simplicius etiam sentire visus est † aliquando) vindicare Mathematicarum instar doctrinarũ. Quam igitur viam tenebimus tot tantisque dubitationum tenebris inuoluti? Profectò Proclus ipse quandam quasi facem nobis interim ostendisse visus est: quæ vtinam nos non deficiat medijs in spatijs disputationis. Sed qualis est hæc tandem? Decreuit † Proclus animam de qua disputamus, in proprietatibus tum cum ijs quæ sensu attingimus, tum cum ijs quæ ratione ac sapientia comprehenduntur, aliquo pacto communicare: atque idcirco cum his quæ sub intelligentiam tantùm cadunt, ea ratione conuenire existimauit, quòd eius substantia ob diuiniores sui partes diuisionem ac sectionem minimè expectet: quòd motionem sibi ipsi impertiat omnibúsque rebus mobilibus imperet: quòd infinitam simul permanendi vim & potentiam habeat, atque huiusmodi alijs attributionibus & proprietatibus sit affecta, quas in præsen-

† Ius. in dial. cum Triph.

† Enn. 4. l. 1.

† Enn. 4. l. 2.

† lib. 3. in Tim.

† in proœ. l. 1. phy.

† l. 1 phy. in proœ.

† Vide l. 3. in Timæ.

tia non necesse est recensere. Contra verò tempori succumbere, & cum ijs quae sensu attingimus, conuenire idcirco affirmauit, quòd per sui operationes ad tempus extendatur ac fluat, in partes transeat, ac simul perficiatur: quódque ratione partium, cum non habeat infinitatem semper præsentem, in infinitum fiat, huiusmodíque alijs attributionibus sit subiecta. Atque hinc est, vt in eorum numerum quæ sola animi cogitatione cernuntur, eam referat, si cum ijs comparetur, quæ oriuntur & occidunt: æternis verò collatam, inter ea constitui velit, quæ interitui subijciuntur, obídque ἀμφιφανὴς ab eo dicitur, hoc est, vtrinque fulgens, & ἀμφιπρόσωπος, id est vtrinque faciem gerens. Quod sanè Plotinus † etiam tandem agnouisse visus est, cum eam ipsam animam, quam docuerat, & in superiore Mundo diuisioni ac sectioni haud subiectam esse; & corpore corporisque qualitatibus planè esse immunem, eandem censuerit in Mundo, qui sensu comprehenditur; diuiduam, corporique ac corporeis conditionibus mancipatam esse, atque hac de causa doceat indiuiduæ diuiduæque substantiæ à Timæo fuisse iudicatam. Vt propterea mediũ locum inter ea, quæ animo percipiuntur, & quæ sensus mouent, haud retinere ampliùs velit, sed vtriusque naturam participare: atque ob id Platonicum Timæum, cum de anima loqueretur, asseruisse Mundi artificem, tum ex indiuidua eodémque modo se habente essentia ac natura, tum ex ea quæ circa corpora diuidua fit ac multiplex, tertiam quandam naturæ siue essentiæ speciem commiscuisse atque temperasse. In quibus omnibus ea sese ad dubitationem tollendam distinctio videtur offerre, qua anima, si vna substantia spectetur; diuinæ contẽplationis censetur: contra verò ad Physicũ reuocatur, quatenus ad inferiora vergens, ea siue mouet, siue perficit, siue denique per temporis spatia & interualla, consilio & intelligentia attingit ac tractat. Itaque quemadmodum ex multorum Peripateticorum sententia egit Aristoteles in Physiologia de immortali animo, quatenus est forma corporis, atque ad corpus aliqua ratione refertur, (ideo enim & per corpus definitur, siue describitur: & non sine phãtasmate eiusdem vis & intelligentia consideratur) propter essentiam verò ad aliã scientiam, nempe ad diuinã reijcitur, quòd nimirum cũ corpore ac rebus natura constantibus nihil cõmune habeat: ita ex his quæ hactenus ex Plotino atque Proclo retulimus, de animo erit statuendum apud Platonem; nimirum qua parte cum his quæ sibi sunt subiecta, habitudinem ac quasi commertium habet, Timæo esse considerandum: ratione autem essentiæ Parmenidi aut alteri qui immortalia contempletur. Sed optimè se habere videretur ista, si quæ à Platone de animo præcipiuntur, ad ipsum animum ea ratione attinerent, qua res sibi subiectas attingit, quacunque tandem eas ratione attingat. Qua in re vtrinque sunt rationes: nam ex alia quidem parte considerari videtur vnius corporis gratia: ac primùm sanè, quia ait Timæus in medio Mundanæ molis animum fuisse collocatum, pérque totam extensum, nec non corpore extrinsecùs circundatum ac vestitum: deinde verò quòd addit Mundum animi virtute coërceri: postremò quia illum contendit à cœli medio vsque ad extrema sese porrigere. Altera autem ex parte in oppositam sententiam idcirco reuocamur,

† *Vide lib. 2. enn. 4.*

mur,

mur, quòd cum de animo differere aggrederetur, ea se relaturum significauit, quæ illius fuißent propria antequam concreto huic corpori copularetur atque praeficeretur: & hac de causa monuit fuiße eodē corpore, & ortu, & virtute antiquiorem. Ergo quae ad hanc cōstitutionem attinent, vidētur esse solius eßentiae. Huc accedit, quòd humanus animus ex Platone ijs constare nullo modo potest, quae aspectabili Mundo continentur: est enim (vt ipse eximauit) quàm Mundus antiquior: ergo eius elementa siue initia erunt sempiterna. Quare dum eius constitutio explicaretur, nihil afferri potuit nisi aeternum ac pertinens ad essentiam. Non desunt itaque rationes in vtranque partem. Quanquam etiam alia augent dubitationem; illúdque in primis, quòd incertum sit, an eádem lege Mundi animus cum humano sit iudicandus. Quid igitur nouis adhuc dubitationibus interclusi agemus? Profectò res ferè vniuersa tum in illis Platonis verbis posita est, in quibus ait. Ille verò tam generatione quàm virtute priorem antiquiorémque animā corpore constituit, vtpote quæ obedienti corpori sit imperatura. Ex his videlicet atque hoc pacto. Ex ea substantia, quæ indiuidua, & semper eádem, similísque est: & ex ea rursus quæ circa corpora diuidua fit; tertiam substantiæ speciem commiscuit mediam *: tum in alijs quibusdam, quae in hanc sententiā tradit ad huiusmodi constitutionem declarandā. Quamobrem si Platonis sententia his in locis nobis perspecta esset, haud fore dubitarem, quin facilè definire liceret propositam controuersiam. Verùm verba illa vt sunt difficillima, ita innumeras penè sententias pepererunt: quas tamen sententias pro re adeò ardua ac nobili cognoscenda definiendáque diligenter examinare necesse est. Vt propterea propositi loci explicatio, quia longiorem desiderat disputationem, ad id tempus reijcienda sit, quo de animi constitutione vnà cum Platone erit nobis agendum. Interim illud vnum monuisse sat sit, animum ex Platonis decretis, aut corporis formam esse, aut saltem circa corpus, siue cœleste illud sit & aeternum, siue terrenum ac mortale, versari: atque inde nos illius quasi aucupari naturam: vt facilè conijcere liceat ad naturalem pertinere: atque eò magis, quòd hominis, immo totius Vniuersitatis conditio atque natura ab origine, & procreationis exordio erat in hoc libro contexenda: ita vt tum Mundi, tum hominis animus, quippe qui formae obtinet locum, non poßet sine crimine praetermitti. Atque hoc etiam nomine, quae attinent ad spirabilis animi dubitationem, ad eum vsque locum referuari concedemus, in quo vniuersam huius rei doctrinam atque sententiam opportuniùs perpendere licebit. id quod eò etiam libentiùs ferendum est, quòd interdum elementa, quibus mortalem hominis partem à Dijs fabricatam commemorat Timaeus, nutritionis riuum appellat Plato; ea nimirum de causa, quòd habeant vim nutriendi: interdum etiam motus per corpus ad animum transeuntes nuncupat sensus. Denique antequam Physiologiae finem imponeret, ipsius hominis naturam ita complexus est quod pertinet ad sentientem animā, vt si quam haesitandi occasionem antea praebuisset, hanc tandem dilucida, & explicata disputatione sustulerit vniuersam.*

DE COELEstibus mentibus.

De reliquis autem cœlestibus siue diuinis substantijs, de quibus in Timæo agitur, nihil est cur laboremus: nam licet, Sol, Luna, omnia denique cũ fixa, tum errantia sidera ex Platone sint prædita mente & intelligentia, diuinóque nomine appellentur, tamen corporibus affixa sunt: motum ac, quod errantium est præcipuum; tempus progignunt: denique eam cum corporibus retinent cognationem: vt ob nexum qui sibi cum illis intercedit, animalis nomen sint consequuta, ac tandem natura censeantur dissolubilia. Atque idem prorsus de ijs substantijs erit iudicium, quas Platonicus Timæus Dæmones interdum, interdum inaspectabiles, inuisósue Deos solet nuncupare: siquidem hos animalia vocat, & ortui dissolutioníque facit subiectos. Præter has verò alias diuinas substantias Timæi disputatio complexa est nullas.

Dubitatur.

At dices: Probè isthæc fortasse quod attinet ad Deos, qui tales geniti sunt, vt cerni possint; at quod pertinet ad Dæmones inuisósque Deos, haud satis: nã primò tradit in Phædone, Deos ab omnibus muneribus vacare, soliúsque veritatis contemplatione, vnde etiam beatam vitam degant, detineri: hoc autẽ ijs tantùm substantijs conuenire videtur, quæ à Physica consideratione abhorrent. deinde ea est horum Dæmonum natura, quæ humanæ superat intelligentiæ vires, id enim Timæus ipse testatur his verbis. Cæterorum verò qui Dæmones appellantur, & cognoscere & enunciare ortum maius est opus quàm nostrum ingenium ferre valeat. *Quare Physicam effugit contemplationẽ. Quid quòd non Dæmones solùm, sed reliquos etiã cœlestes Deos, quos astra appellauit, perinde nobis proposuit ac si in scenicis ludis versarentur, variásque personas referrent? interdum enim affirmat vniuersa sidera cœlesti corpore tanquam materia, animo verò tãquam forma constare, atque ob id verè animalis locum retinere: quandoque verò, dum videlicet humani animi aut ad inferiora delabuntur, atque in corpora detruduntur, aut ad cœli verticem reuocantur (hoc enim non semel de his animis refert) à cœlesti corpore formam ipsam, siue animum seiungit: quasi verò hic ad siderum, cœlestisue animantis essentiam non pertineat. Dæmones verò primùm docet haud cerni posse: deinde conspicuos fieri, quatenus illis placet: demúmque corporeos eos videtur facere, immo verò ex elementis coagmentatos, ac quantum ipsorum naturæ interest, aspectabiles. Cum enim Mundi Opifex iunioribus illis Platonis Dijs præcepisset, vt corpora mortalia fingerent, de ijs Dijs dum diuinum mandatum exequerentur, sic verba fecit.* Itaque accepto ab illo mortalis animantis immortali principio, sui effectorem imitati, ignis, aëris, aquæ, terræ particulas, quas rursus redderent, à Mundo mutuabantur, eásque inter se copulabant haud ijsdem illis indissolubilibus vinculis, quibus ipsi fuerant colligati; sed talibus, quæ propter paruitatem cerni non possent. *Ergo apud Timæum mortalia corpora similibus ferè vinculis colligantur, quibus Dij ipsi impliciti fuerant & colligati. quinetiam horum Deorum vincula, quamuis ob sui paruitatem sub aspectum non veniant, ex sui tamen natura aspectabilia censentur, ac fortasse corporea etiam: nam cum id quod*

cernitur,

cernitur, seu visibile (vt appellant) aut color sit, aut lumen, atque hæc duo solis corporibus accidant, cur tales Deos qui vinculis aspectabilibus constent; corporeos, ex suáque natura aspectabiles, ac forte etiam ex elementis compactos inficieris? Ex quibus sanè omnibus intelligitur esse contemplationis physicæ, cum tamen paulò ante ostensum sit, eam illos refugere. Hæc, inquam, omnia facilè obijciat aliquis, dum tradimus cœlestes illas, diuináque substantias ad Timæum attinere. His igitur satisfaciamus. Ac quod ad dæmones spectat, sat sit ex Platone eße animantes in Mundo, cuius ortus traditur, procreatos: inter eius partes censeri: tandémque esse corporeos, licet aut purissimo æthere, aut tenuißima alicuius generis materia constituti sint, ac denique cum corporibus habere commertia: ídque de astris potiori iure est statuendum, cum non anima solùm constent, ob ídque moueantur, sed etiam propter qualitates & operationes, immo propter ipsius etiam substantiæ conditiones Naturæ terminis circumscribantur. Licet itaque Physico horum Deorum naturam contemplari. Nec obstat quòd in Phædone dicantur, solius veritatis esse contemplatores: nam ibidem de diuinis spectaculis, concursionibus, ascensu, certaminibus, déque eorum sedibus, ac de huiusmodi alijs quamplurimis habetur sermo, quæ etsi metaphoris sunt inuoluta, facilè tamen ostendunt aliqua naturæ conditione eße institutos. Huc accedit, quòd cum rerum veritatem non nisi per tempus contemplari dicantur, id etiam eorum notitiam vtcunque ad Naturalem indicat pertinere. Quin vbi etiam Dij isti Platonis quos ortos facit, quod attinet ad substantiam essent à materia & corpore omnino abstracti & separati (id quod fortasse non abhorret à Platonis sententia, vt suo loco dicemus) non idcirco tamen non eßent naturalis contemplationis. cum interim illos & cœlestes orbes agitare velit, & cum corpore propter vim & efficacitatem vsque adeò esse copulatos, vt hoc vno tū illos, animos, tum cœlestia corpora animata censeri velit. Sed de hac re copiosiùs, cum eā partem attingemus, in qua Timæus verba facit de huiusmodi cœlestibus Dijs: ibi enim tradémus cuius naturæ sint ex Platone, vbi degant, quem inter immortales substantias locum habeant; immo verò vniuersam animorum ac mentium seriem vnà cum Platone ac Platonicis contexentes, quid de Dijs senserint: pro virili parte explicabimus.

Respōdetur.

Nunc ad eam dubitationem progrediar, in qua dicebamus multa ex Mathematicorum officina cum Physicis præceptis fuisse permixta. Neque verò quo loci Mathematica inculcauerit, quaéque de ijs protulerit recensebo: nam præterquam quod hoc indicauimus antea, dum animam numeris, elementa figuris diximus explicari; legenti sanè vbi siue de partibus Vniuersitatis, siue de quibusdam morbis, siue de anima Mundi agitur, quasi vltro occurrere est neceßarium. Interim pro rei explicatione est animaduertendum priscos illos Philosophos, ac præsertim Græcos, ita fuisse affectos erga Philosophiam, vt apertis eam rationibus tractare, literísue mandare, nefarium esse ducerent. Atque hinc est vt alij sphyngibus pro templis appositis, fabulis, symbolis, figurísque disciplinarum mysteria

DE MATHEmaticis.

mysteria commendauerint: alij verò in sacrarijs ac per silentium ea docuerint, nonnullique etiam eadem aut ad Mathematicas rationes traduxerint, aut ijs denique rationibus complexi sint, quibus segniora deterrerēt, generosa verò ac Musis orta inflammarent ingenia. Ac præclarè quidem: nam præterquam quod diuinitati ac Naturæ (vt ait Macrobius) odiosum esse suspicabantur, Dei Naturaéque mysteria peruulgare: (ob id enim Hyparchum Pythagoreum accusatum ferunt, atque è schola expulsum) indignum quoque est (vt Leonis ille Philo asserebat) vulgaribus ea mentibus communicare: vulgares enim oculi (si Melisso atque Aristoteli credimus) diuinitatis radios nequeunt sustinere: ac Religionis Deique plenus sermo (quemadmodum apud Trismegistum Mercurium legitur) vulgari multitudine violatur. Atque hinc factum est, vt Plato interdum fabulis, quandoque verò ænigmatibus vsus fuerit; & aliquando etiam Mathematicas rationes adamarit. Cum enim esset Pythagoreorum doctrinæ studiosissimus, atque ij nihil (vt Cicero prima Tusculana refert) nisi numeris, figurísue interclusum proposuissent, ipse quoque Pythagoricas rationes, in ijs præsertim in quibus Pythagoreorum decreta probaret ac sequeretur, sibi vsurpandas censuit. Quapropter Mathematica nequeunt rei Timæo subiectæ rationem subire, sed potiùs ad modum atque rationem pertinent, quibus de Vniuersitate agitur. Itaque Mathematica minimè prohibent quin totā Dialogi materiam contineat Vniuersitas. At iam interrogabit quispiam, quî factum sit, vt ad numeros ac Mathematicas figuras reduci potuerint res naturales: quin facilè criminabitur id à nobis pro arbitratu atque adeò temerè tanquam exploratum sumi: cum iamdiu apud Academicos in controuersiam sit reuocatum, immò verò lis sub iudice adhuc pendeat: ac præsertim qua parte animū attingit: námque ob id fortasse M. Tullius cum scriberet Attico obscurissimā epistolam Platonico numero comparauit. Quid multa, cum non Aristander solùm, Numenius, Seuerus, Chalcidius ac facilè Athæneus quoque huic sententiæ aduersentur, verùm etiam Aristoteles ipse Platonis numeros atque figuras vera rerum elementa efficere videatur? Sed quæso excitatis querelis modus sit ac finis, donec ad ea deueniamus, quæ ad Mathematica illa pertinere dicuntur. Quod si interim licentiùs videamur rem tantam veluti certam accipere, ibi copisiùs etiam quod polliciti sumus ostendemus.

DE IIS Quæ ad vitam & mores pertinent.

Age verò ijs satisfaciamus, quibus ostendimus Timæum ad multa excurrisse, quæ ad vitam & mores potiùs quàm ad Naturæ rationem pertinent. Porro si politica spectemus, atque illa primùm quæ statim ab initio dialogi habentur, dum disputationes de Republica, siue de Iusto perstringit Socrates, hæc equidem existimauerim ad illam Dialogi partem attinere, quam Græci κατασκευὴν dicunt: nos præparationem, seu apparatum possumus appellare. Ad apparatum verò pertinent, quoniam licet in politico illo epilogo non proposuerit ea de quibus dicendum est, quod non postremum illius partis munus videri posset: ex eo certè arripuit id efficiendi occasionem. Immo verò non ob id solùm epilogo vsus est, quòd ad huiusmodi occasionem nanciscendam, arripiēdámque sibi vsui futurus esset, sed etiā ut libros de Republica pro-

ca pro-

ca proximis Timæi, Critiæ, & Hermocratis disputationibus, quæ sanè omnes quamuis omnino disiunctæ videantur, communem finem habent, annecteret, atque ad certum finem conspirare omnes ostenderet. Atque hinc sanè est, vt epilogus ille si cum fine comparetur, qui libris de Republica, Timæo, Critiae, Hermocratique propositus est, haud ampliùs ad præparationem pertineat: sed ad commune horum librorum institutum aliquo pacto referatur. Etenim quemadmodum epilogus non est ab oratione alienus, immo inter eius partes enumerari potest, ita etiam politicæ institutionis, siue eiusdem iterationis (quid enim hæc sibi velit, dicam planiùs suo loco) epilogum, qui habetur ad initium Timæi, ad hanc spectare dicendum est. Ergo cum Politici libri vnà cum Timæo ac reliquis de quibus dicebamus dialogis, ad certum quendam ac definitum quasi scopum dirigantur, fit vt ad commune horum quoque dialogorum institutum eiusdem Politiæ epilogus sit referendus. Hinc itaque nullo pacto efficitur, quo minùs dialogi materies sit Vniuersitas. Nam præterquam quòd à Timæi narratione ex qua res subiecta perpendi debet, huiusmodi epilogus est planè seiunctus, tantùm nectit & præparat; ac si aliquem finem etiam, qua paulò ante dictum est ratione; propositum habet, non illum quidem habet qui Timæo, sed qui prædictis dialogis omnibus praefixus est & constitutus. At verò si ea Politiæ instituta spectemus, quae priscis Atheniensibus haud longè ab Reipublicae epilogo ascribuntur, isthæc sanè Solonis historiae, cuius gratia recensentur, & qua etiam continentur; legibus sunt diiudicanda. Eiusmodi autem historia quaecunque sit, tandem si cum Timaei oratione conferatur; praeparat solùm: Epilogo enim illo, historia, atque alij, quae ante Timaei narrationem habentur, tanquam gradibus ad ipsius Vniuersitatis naturam contemplandam ascendit. Quod si referatur ad eum scopum, qui Timaeo cum libris de Republica, Critia, & Hermocrate propositus est, iam praeparationis non obtinebit locum, sed contentionis potiùs ac narrationis: ac proinde sicut ad Critiam; à quo etiam narratur, pertinebit, & eiusdem quaedam erit quasi adumbratio; ita vnà cum Critia ad eum finem erit referendus, quem communiter non Politiae solùm, ac Timaeo, sed Hermocrati etiam, ac Critiae propositum esse demonstrauimus. Quamobrem nihil est quod huius historiae nomine materiam Timaeo subiectam Vniuersum ipsum statuere dubitemus. Quod autem finis aliquis ijs omnibus dialogis communiter sit constitutus, id verò ostendemus cum de Dialogi apparatu ac praeparatione disputabimus: vbi etiam ea omnia fient perspicua, quae à nobis tum de Epilogo illo, tum de historia dicta sunt. Nam qui suadere conantur hæc ferme omnia symbolicam Mundi contemplationem continere: atque Vniuersitatis molitionem per imagines quasdam ostendere: ideóque tanquam praeludia quaedam & symbola praeponi; ij sanè fabulas texere videntur ac literis otióque abuti, quemadmodum apertè ostendam suo loco.

DE HIS quæ videntur spectare ad Medicinam.

PROXIMVM est, vt perdifficile illud dissoluamus argumentum, quo Timaeum res Medicas cũ naturalibus miscere probatum est. Quod sanè eo etiam redditur difficilius, quoniam eo tandem consilio se de ijs quae ad Medici-

Medicinæ artem referebamus, egisse professus est, vt viuendi ratio seruaretur: id enim Medici esse; præterquam quod ex ipsa medendi arte, præceptisque quibus constat, ostendi, & Aristotelis authoritate † confirmari potest; ipsiusmet Platonis testimonijs patet: siquidem viuendi ratio ex cognitione salubrium & insalubrium maximè pendet: at Medicina Platonis iudicio præcipuè in horum cognitione versatur. Quare in Charmine Medicum, vt Medicum, in salubribus eorúmque contrarijs considerari, eundémque cum sanum & salubre, tum quæ his opponuntur, cognoscere contendit: in Lachete circa sanum & salubre per omne tempus aliam scientiam vna Medicina excepta minimè prospici: ac denique in eodem Charmide Medicinam nullo alio pacto quàm sani scientiam definit. Qua in re ita Platoni consentit Galenus, vt Medicinæ præcepta tradens non modò tota secunda librorum suorum classe materiam sanitatis conseruatricem sit persequutus, ac libros etiam de tuenda sanitate conscripserit: quæ omnia viuendi rationem maximè continent, verùm etiam in libro de Sectis † disertè statuerit Medici esse non solùm cognoscere, quibus rebus absens sanitas comparetur: sed etiam quibus præsens conseruetur. Et idcirco etiam asserebat Medicinam salubrium & insalubrium scientiam ab antiquis (Platonem verò cuius erat studiosissimus, præcipuè significasse non dubito) fuisse dictam: eosdémque tum ea salubria nuncupasse, quæ præsentem conseruarent, tum quæ corruptam resarcirent sanitatem. Vt si Plato de ijs, quæ Medicinæ præceptis continentur, eo egit consilio, vt seruetur viuendi ratio, quemadmodum ipsemet profitetur, Medici partes omnino sustinuisse videatur.

† l. 1. Ethic. cap. 6.

† cap. 1. & deinceps.

At verò, dum in re ardua versamur, vtinam extarent ea, quæ de morbo & sanitate scripta reliquit Aristoteles. Vt enim magnam Physiologiæ partem ex Platonico Timæo excerpsit: suísque penicillis (erat enim acri ingenio) tantæ rei adhibitis, coloribúsque etiam permutatis, nobilissimos naturalis Philosophiæ libros conscripsit: ita etiam, quæ de sanitate & morbo præcepit, accuratè ex Timæo exposuisse credendum est: vt non ea solùm dilucidè pertractauerit, sed etiam qua ratione Physici sit de morbis agere, quáue ad Medicum pertineat, quibus hæc facultas finibus contineatur, atque ea denique omnia, quæ ad huius rei methodum attinent, non oscitantibus indicarit.

Ficini opinio

Verùm posteaquam liber hic desideratur, atque dubitatio est perdifficilis, age Platonis interpretes consulamus; ac Ficinum in primis: qui cum in Timæi argumento in hanc rem incidisset, affirmauit Platonem prosequi de humoribus, complexionibus, ac de mirabili humani corporis artificio latissimè à Medicis explicatam materiam: in eáque summam eloquentiæ copiam effudisse. Addidit præterea definitione ab eo fuisse expositum quid sanitas sit, quid morbus: simúlque febrium ac morborum speciebus distinctis, singulorum rationes fuisse traditas: denique asseruit has rationes apud Galenum legi, atque hunc cum Platone mirificè conuenire. Verùm an ad Physicum hæc pertineant, & quo pacto tam latè de morbis, déque eorum curationibus Platonis oratio sine crimine manare potuerit (id quod

Resellitur.

difficilli-

difficillimum in re hac sese offert) non explicauit. Immo verò quod tradit in ijs Platonem *cum Galeno mirificè conuenire, mirificè (vt verè fatear) deceptus est. Nam Galenus in libris de Hippocratis & Platonis decretis, vbi hanc Timaei disputationem, quæ videri posset ad Medicum attinere, cum Hippocratis dogmatibus comparat; varios in* Platone, *eosdémque graues (si illi credimus) notat errores. Quare quarto octaui libri capite scribit quatuor humoribus potiùs (quod docuerat Hippocrates) quàm igne ac cæteris elementis (quod tradidit* Plato) *constare hominem: ac statim infert.* Sed hic (*de Platone autem loquitur*) errat cum addit [ignis scilicet & aliorum, cũ plus habuerunt partes] non enim sunt hæc, quæ transmutantur, & sedem in animalium corporibus variant: sed pituita, bilis & sanguis: nam sanguis quoque sæpe numero aliena sede occupata letalium morborum causa efficitur. *Quam sententiam pluribus prosequitur*, *Platonem interim exagitans. Ac tandem extremo capite concludit.* Rectè igitur Hippocrates humores scripsit & separatos ab alijs, & in quolibet membro sigillatim collectos morborum causas existere. Plato verò de elementis non rectè. *Huc etiam tum ea pertinent quæ de calore innato, & de igne disseruit capite septimo, vbi Hippocratem laudauit, qui innatum calorem omnium operum naturalium authorem fecerat:* Platonem *verò reprehendit qui igni hoc munus tribuisset: tum ea omnia quibus capite octauo* Platonis *sententiam de respiratione mirificè exagitauit, atque ab Hippocrate & veritate ipsa in multis recedere contendit: tum quae affert capite quinto, vt ostendat diligentiùs quàm* Platonem *de secunda humani corporis constitutione egisse Hippocratem: tum illa quibus capite sexto disputauit non cõgruenti ordine* Platonem *tractasse, qui humores & morbi, & quo tempore atque aetate magis vigeant: vbi sanè eundem Medicæ cognitionis imperitum appellare non dubitauit. Quid plura? Audi quæ Galenus eodẽ sexto capite in* Platonem *ob hanc materiam scribit.* Negligenter igitur illum se gessisse manifestum est in hac inquisitione: & multo magis etiam in alijs, quæ Hippocrates de morbis scripsit, qui in singulis ætatibus & temporibus abundant atque incalescunt: quibus porro si attendisset, nequaquã illa scriptis mandasset, cum inquit. Quando igitur ex ignis excessu præcipuè ægrotat corpus, continuos ardores & febres continuas patitur: quando aëris, quotidianas, tertianas ex aquæ abundantia: quoniam aqua segnior est aëre & igne. At terra quippe quæ tardissima horum omnium est, dum in quadruplis temporũ circuitibus expurgatur, quartanas febres inducit: quibus serò liberari homines cõsueuerũt. In hac oratione primus error fuit, quòd ad elementa cõmunia omnibus corporibus, nõ ad ea quæ in sanguineis tantùm sunt redeuntia per circuitũ febrium, causam reducit. Cum meliùs ea quæ manifestè in corporibus redundare cernuntur, curari possint. Secundus error ille est, quòd ad veræ quotidianæ & tertianæ febris causam ne propè quidem accessit. Nam cum constet in quotidianis flemmaticum humorem redundare, qui

humidus & frigidus est: in tertianis verò flauã bilem, quam contra summè calidam & siccam esse constat; debuerat dicere, in tertiana ignis, in quotidiana aquæ elementum redundare, sicut in quartana atræ bilis humorem, & terræ elementorum. *Hæc Galenus. Ac proinde licet multa sint, in quibus Galenus laudat Platonem & cũ Hippocrate cõsensisse ostẽdit: tot tamen sunt, in quibus ab eo dissidet, vt non iure tradat Ficinus Platonem cum Galeno in his mirificè conuenire: præsertim verò quòd ea in quibus Plato & Galenus inter se conueniunt, magis pertinent ad principem animæ facultatem, & ad huiusmodi alia quædam, quàm ad febres & cætera in genus, quæ, & nobis dubitationem faciunt, & à Ficino, dum eos concordes esse scribit, recensentur. Foxius autem cum haec declarare vellet, hæc habuit verba.* Cum in his semper Plato de omnibus Philosophiæ partibus communem quandam tractationem tradat, hactenúsque de humani corporis natura, compositione, partibúsque disseruerit: nunc causas morborum breuiter adijcit, ne huic sermoni de homine quicquam desit: præsertim cum in superioribus mortis generum mentionem faciens, illud quod ex morbis eueniat; retulerit. Itaque de causis morborum dicendum in sequentibus est.

Foxij opinio.

Reijcitur.

Hæc Foxius, A quo, si liceret, libentissimè percontarer quid sibi velit, dum ait, Platonem in his semper de omnibus Philosophiæ partibus communem tradere tractationem. Ac si constanter censet in vniuersis Philosophiæ partibus versari, iterum ex eo quærerem, quid de Deo, aut de ijs protulerit, quæ diuinam ipsius Philosophiæ partem constituunt: quid de re familiari præceperit: quid demum (vt rem paucis complectar) nisi physicum ad Timæi disputationem (ex hac enim vna res subiecta est perpendenda) è Philosophia retulerit. Quod si ijs ipsis, quæ à principio in hanc sententiam attulimus, commoueri sese affirmaret, opinionem obijcerem, quam iam antea rationibus ex Platone firmatam, ac dubitationibus vindicatam hac de re attulimus. Etsi enim quod rei Medicæ interest, res adhuc est controuersa: in his tamen propè omnibus dubitatione caret, quæ ad DEVM, & cæteras pertinent Philosophiæ partes. Et idcirco dum suam sententiam inde comprobare conatur Foxius, quòd communem quandam, vt ipse ait, Philosophiæ tractationem prosequitur Plato, si communem Philosophiæ tractationem eam vocat quia de Deo etiam, de Ideis, de Mathematicis, huiusmodique alijs disputauerit, quæ ad vniuersam Philosophiam pertinent, nos qui oppositam sententiam probauimus, id quod ex Foxij opinione sequitur, omnino euertimus. Quod si communem tractationem ob id tradi existimat, quoniam ea omnia nobis explicauerit Plato, quæ hominis constitutioni, partibus, ac naturæ denique vniuersae sunt communia, (id enim ex ijs quae adiecit sensiße conijcio: licet supra, dum Philosophiae partes hic à Platone explicatas fuisse statuit, aliud significare videatur) profectò optimè hac in re sentit: fuit enim sine dubio Platoni vniuersa humanae naturae ratio, causarum, partium, & reliquorum huius generis contemplatione explicanda. Sed cum non solùm morborum ac mortis causas complexus fuerit, eorúmque species articulatim ferè

sit prose-

ſit proſequutus; verùm etiam ad varia medicamentorum genera progreſ-ſum fecerit; non video qua ratione hominis naturam contemplanti, haec quoque fuerint perſequenda: aut ſi ſint, quo pacto Medicina & Phyſica diſtinguantur. Et idcirco à Foxio, qui ad Timaeum ita acceſſiſſet, vt non Philoſophiae ſolùm, ſed Medicinae etiam campos excoluiſſe videretur, has dubitatioees magnopere quidem optaſſem explicari. Sed ad Proclum veniamus, qui licet vſque ad morborum tractationem ſua non perduxerit commentaria, aliqua tamen hac de re nobis propoſuit. Hic igitur cum libro tertio in Timaeum ageret de ortu ac procreatione animae, atque exemplo explicare inſtituiſſet, qua ratione Phyſici eſſet eam conſiderare, ſic ſcripſit. Ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα τὸ ἡμέτερον, ὅτι μὲν ἔστιν ἐν αὐτῷ πρόσωπον, καὶ χεῖρες, καὶ μηροὶ, καὶ πόδες γνῶναι ῥάδιον, καὶ τ' ἄλλα ὅσα προβέβληται παντί. πῶς δὲ ἐκ τῶν ἔνδεων συγκεῖται μορίων καὶ τίνων ἢ τινα λόγον ἐχόντων ἰατρικῶς τε καὶ ἀνατομικῶς εἰδέναι. κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὴν ψυχήν. *Hoc eſt, (vt ego quidem verterem.)* Quemadmodum enim facile eſt animaduertere in noſtro corpore reperiri & faciem, & manus, crura etiam & pedes, atque alia quæcunque omnium oculis ſunt expoſita: quæ verò interiorum partium ſit conſtitutio; quaéue ſibi mutuò præbeant adiumenta, tum ad Medicum, tum ad eum qui circa anatomicas ſectiones verſatur, pertinet cognitio: hoc planè modo de anima ſtatuendum eſt. *His expoſuiſſe viſus eſt Proclus qua ratione de homine Medico eſſet agendum. Sed (ni fallor) errauit, Platonique praecipuè contradixit. Nam quemadmodum Phyſici eſt de homine agere: ita etiam eiuſdem eſt interiores partes conſiderare; ac proinde earum naturam, munera, atque adiumenta quae inuicem ſibi ipſis, ac toti etiam corpori praeſtant, pro virili parte explicare. Atque ob id, ſicut Natura in humano corpore moliendo ex elementis ad fœtus generationem diſpoſitis homogeneas (quas Græci vocant) ſiue eiuſdem rationis partes conſtituit; cuiuſmodi ſunt oſſa, caro, ac nerui (neque enim in præſentia qua seric hae atque aliae homogeneæ partes generentur, cuiuſmodiue ſint elementa, quae tanquam materia huic fabricae ſubijciuntur, ſubtiliùs eſt pertexendum) atque ex ijs deinde heterogeneas ac diſſimiles, tam integrales (quas appellant) vt oculum, quàm eſſentiales, cor ſcilicet, iecur & cerebrum, componit, et ex his tum membra, quibus variae heterogeneae partes, tum ipſum hominem, quo varia membra continentur; denique perficit; ita Phyſicus ſiue compoſitionis, ſiue ſolutionis via hominis naturam contempletur, ab elementis ad hominem, vel contra per intermedios partium ac membrorum quaſi gradus progreditur: & omnē tum membrorum, tum partium naturam, ac functiones & munera articulatim quodammodo explicat. atque ob id in corde ſiue in iecore docet eſſe poſitum venarum & ſanguinis principium: à cerebro ſiue à corde neruos, atque ipſam ſentiendi vim originem ducere: atque huiuſmodi ſexcenta alia tum de his, tum de reliquis humani corporis partibus ac functionibus præcipit: quae ſanè diligentiſſimè Plato in Timæo, & Ariſtoteles in Phyſicis libris præſtiterunt. Ac licet ipſe Ariſtoteles libro quarto de generatione animalium, & in tertio de partibus, ſicut etiam libro*

Procli opinio

Reijcitur.

de respiratione, ac quarto de animantium historia moneat nonnullas humani corporis partes ex sectionibus inspiciendas esse, id tamen non idcirco effecit, quòd horum vim ac munera solius Medici & Anatomici eßet considerare, vt voluit Proclus: sed tum ad earum figuras & positiones commostrandas, tum præcipuè vt humanæ naturæ cognitionem quibus posset præsidijs, etiam mechanicis, sanciret: nam hoc propè consilio confecit etiam animalium historiam: ac propterea in secundo libro de partibus animalium, & in commentarijs de generatione animalium multis in locis ad hominis, immo animantium omnium scientiam retulit eam. Itaque tantum abest, vt solius Anatomici ac Medici sit officium istarum partium vim atque adiumenta contemplari, ac præcipuè eo pacto quo Physicus (id quod statuit Proclus) animæ naturam inuestigat, vt si cognitionis gratia id effecerint, solius Physici personam subeant. Quamobrem Anatomicus quippe qui Chirurgiae, atque ob id Medicinæ etiam inseruit (neque enim Physico quidpiam suppeditare est ei propositum: licet hic Anatomicis tanquam extrarijs adminiculis vtatur) interdum ad sectiones tantùm incumbit, vt faciliorem illis artibus præbeat aditum: alter verò dum hominis naturam eiúsque partes scrutatur, Philosophiae campum ingreditur: quando Physiologiam, qua hominis natura continetur; sibi maximo adiumento, vel certè necessariam fore intelligit, dum humano corpori appositè mederi studet. Etenim (vt multa interim prætermittam, quæ ad hanc rem confirmandam faciunt, atque illud inter cætera quod ex Plinio & Strabone, immo ex Galeno ipso (si rectè memini) afferri posset, dum veteres in tabulis pro templis appositis morborum ac medicamentorum genera in dies retulisse tradentes, Medicinam experientia partam significant) hæc ars (vt Maximus Tyrius † pulcherrimè disputat) inde exorta est, quòd cum aliquis aegrotaret, per vicos ciuitatis exponebatur: vbi qui præterirent, si eodem morbo laborassent vnquam, aut alios deprehendissent laborantes; ægrotum de medicamenti genere, quo consimilem ægritudinem leuassent, certiorem faciebant. Atque hinc factum est, vt multarum rerum, quas sibi adiumento fuiße cognouissent mortales illi, natura ac vi longo vsu & experientijs multis cognita, Medicinæ ars atque facultas exorta sit. At verò cum homines exinde intelligerent ex humanæ naturæ cognitione, partiúmque humani corporis, functionum, facultatum, ac multarum denique rerum naturalium plurimum lucis in re Medica sibi afferri, ad Physicam considerationem etiam animum contulerunt. Atque ob id cum Medici ijsdem de rebus, de quibus scripserant Physici, ederent aliquid, quod contemplatione potiùs, quàm experientia adepti eßent, protinus Medicinæ θεωρητικὴν pepererunt: ita vt Hippocrates, Galenus, Auicenna, ac sexcenti alij, qui in Medicorum numerum referuntur; de homine déque humani corporis partibus & compositione, nec non de facultatibus ac functionibus scripserint: quæ ex Philosophiæ fontibus hauserunt penè omnia. Atque ob id excusare poßumus Proclum: nam dum ea protulit, quæ continentur exemplo paulò ante allato, non ignorauit Platonem agere de hominis natura,

ac partibus,

† *Ser. 13. id etiam attingit Gal. in l. qui introductio seu Medicus inscribitur. c. 1. vbi ex Herodoto hoc profert. similia etiã habentur in hist. trip. lib. 10. c. 10.*

Idem Proclus excusatur.

ac partibus, atque has ad Physicum pertinere: immo verò (quod paulò infra videbimus) rationem etiam aliquo pacto indicauit, ob quam Physico agendum esset de morbis; sed quoniam Anatomici etiam & Medici eadem tractarent, exemplo ex his ducto, ostendere voluit qua ratione de animo agendum esset Physico. Neque verò hæc eo consilio dicta esse velim, vt ostendam Medicinam, vtpote experientia ab exordio comparatam, sola experientia contineri; (de hoc enim nihil adhuc statuo) sed illuc spectant, vt constet Medicum & Anatomicum intimas humani corporis partes, earundémque munera & facultates contemplantes, atque (vt vno verbo complectar) ad ἀνθρωπολογίαν sese referentes, Physici munus obire. Quod si quis præter experientiam scientiam quoque requirat in Medico: ac proinde ἀνθρωπολογίαν & humani corporis cognitionem aliqua ratione Medico tanquam necessariam attribuens, hanc contendat ex proprijs Medicinæ initijs ac fontibus haustam esse potiùs quàm ex alienis sumptam & comparatam, id verò à nobis infra considerabitur opportuniùs.

Quorundam opinionéqua dubitatio aliqua ex parte solui posse videbatur, Platoni repugnare ostéditur, dum illi sciétiam à Medico, reijciunt: hic eam in ipso requirit.

Nunc itaque postquam interpretes haud ostendunt, quo pacto intra Physici fines sese continuerit Plato, rem nostro marte aggrediamur. Ac profectò si nonnullorum opinioni foret assentiendum, empiricorúmque præsertim, qui solam experientiam existimarunt ad Medicum pertinere: scientiam verò neque eius esse propriam: neque in eo necessariò desiderari; nullus sanè, quod ad morbos attinet (medicamentorum enim alia est ratio) superesset dubitationis locus. etenim, quæ de morbis nobis præcipit Plato, non experientia firmat, sed contemplatione, ac germanis scientiæ fundamentis: cum humani corporis principia & elementa, constitutionémque præterea quæ non elementis solùm, sed homogeneis heterogeneísque partibus contineatur, atque alia huius generis permulta contemplatus, hinc ad morborum causas sese conferat inuestigandas. Quare hæc Physici essent potiùs quàm Medici. Verùm licet Platonis tempestate non deessent, qui Medicinæ vim totam in experientia collocarent, scientiámque in eo, si adesset; nō modò non laudarent, sed etiam omnino contemnerent, immo verò id vel Hippocratis temporibus in controuersiam fuisset reuocatum; (ob id enim & ex Hippocratis sententia illi, qui sola experientia ad medendum accederent redarguuntur in Phaedro: & ipsemet Hippocrates libro de decenti ornatu, scientiam ac Philosophiam cum Medicina omnino copulandam esse contendit) tamen cum in experientia totam vim Medicam positam esse negauerit Plato, ac statuerit scientiam Medico esse necessariam, non est quòd ea, quæ in hoc libro de morbis habentur; eo nomine tueamur esse Physica, quia scientiae legibus fuerint peruestigata. Quod autem scientia ex Platonis decretis Medico sit necessaria, non ex eo solùm patet, quia sæpe eam solet scientiae nomine appellare: sed etiam quoniam in Phaedro illum, qui admouere ea corpori sciat quibus pro arbitrio frigeat aut calescat, & vomitum praeterea, deiectiones purgationésque prouocare nouerit, & huiusmodi alia habuerit explorata, Medici nomine censendum negat, nisi ex arte perceperit, quibus, quando, & quousque horum singulis

Scientiam à Platone in Medico requiri ostenditur.

ſingulis vtendum fuerit. Sed & hanc ſententiam infra in eodem libro explicauit latiùs, vbi docuit in eo qui poßit efficere hominem robuſtum ac ſanum, non vſum ſolùm & experientiam, ſed etiam artem reperiri: atque ita medicinas & alimenta fore præbenda. Quibus etiam verbis Medicinæ diſtributionem in θεωρητικὴν & πρακτικὴν indicauit, atque vtranque ad Medicum retulit. Neque verò aliò ſpectare videntur nonnulla, tum ex libro de fortitudine, in quo affirmauit medendi artem circa ſanum & ſalubre quae fiunt, quae facta ſunt, quae fient, & quo pacto perſpicere debere: tum ex Adhortatorio & Phaedro: vbi voluit Medici eſſe non ſolùm noſſe præſentē tueri ſanitatem, & collapſam reparare, ſed etiam huiuſmodi cognitionem alijs poſſe communicare, Medicóſque efficere alios. Sed res ex ſuperioribus locis clarior eſt, quàm vt ijs vllo modo egeat.

Scientia quã in Medico requirit Plato, cuiuſmodi ſit dubitatur.

At enim, dicat quiſpiam, ſcientia quam requirit Plato in Medico, non ea eſt, quae propriè meretur ſcientiæ nomen, quaéque acquiritur ex rerum contemplatione, dum inquirimus proximas cuiuſque rei cauſas & principia, ac proprias etiam attributiones & qualitates: ſed ea potiùs quae vſu & experientia comparatur: ac non niſi fuſo vocabulo eiuſmodi cenſetur nominè: quemadmodum in Theage ac ſæpè alibi ſapientiae quoque nomen ad nauticarum, conſimiliúmque rerum cognitionem traducitur. Atque ob id fortaſſe accidit, vt cognitionem, quam (vt oſtendimus) requirit in Medico, ſcientiae nomine interdum appellet: interdum tamen, quaſi non propriè appelletur ſcientia, artem, aliiſque huiuſmodi nominibus nuncupare ſoleat. Quamobrem cum Timaeus in varijs morborum naturis perquirendis, eo ipſo ſcientiae genere vtatur, quod ex germanis Naturae initijs non experientia atque vſu comparatum eſt; Phyſici partes non Medici ſuſtinebit. Sed eſto ars appelletur nonnunquam, ac ſcientia quam in Medico requirit, pro arte vſurpetur; veruntamen ſi in re potiùs, quàm in verbis inſiſtamus, conſtat à Platone requiri in Medico cognitionem quae eſt Phyſici propria, quaéque vſui, atque experientiae opponitur: ſic enim docet varijs in locis, praeſertim verò in Hortatorio & Phaedro. Ac profectò dum Medicus ex Platone perſcrutatur elementa ſiue qualitates (neque enim eſt quod hac de re in praeſentia laboremus) quibus homo componitur, & earum naturas, quídue homini contingat dum inter huiuſmodi qualitates oritur bellum, alteraque alteram vincit; ac ſimul rimatur rerum penè innumerabilium naturas, vt ijs cognitis, poſſit medicamenta conficere, (hoc eſt enim, vt in progreſſu declarabitur; quòd ſibi voluit Plato tum in libro de fortitudine, vbi docuit oculis aut auribus mederi nos haud poße; niſi perſpecta fuerit viſus auditúſque natura: tū in Conuiuio, dum contendit peritum Medicum non amatorios ſolùm affectus corporis quod pertinet ad repletionem (quam vocant) & euacuationem, ſed etiam pulchrum & deformem amorem noſcere debere, & alium pro alio amorem introducere, mutuóque permutare poße: tum in Phaedro, vbi Medico ait debere tum corporis tum animae, tum denique totius hominis naturam eße cognitam, niſi exercitatione tantùm atque vſu medicinas & alimenta praebere velit) cur non haec eodem penè contemplationis

Decernitur de huius ſciẽtiæ genere, & natura.

tionis genere aßequitur, quo Physicus rerum sibi scientiam parit? Si itaque ex Platone in Medico requiritur vera scientia, illud consequitur necessariò, vt dum in Timaeo de morbis, déque eorum medicamentis agitur scientiae methodo, hoc non prohibeat quin medicè res conficiatur. Quare hoc nomine Plato haud videtur excusandus.

At verò (inquies) si considerare debet Medicus humani corporis tum qualitates & humores, tum partes, earundémque munera & facultates, ergo omnis penè conquirenda erit illi notitia & veritas quae haberi potest de homine: ac proinde erit pars quaedam Physices. Immo verò aut in magna Physiologiae parte, aut certè in vniuersa versabitur. Etenim praeter humanum corpus, eiusdémque siue affectiones, siue qualitates, animae quoque natura, elementa praeterea, concretaque corpora, nec non cœli vis ac potestas, & (vt summatim dicam) ipsa Vniuersitas tota Medico erit cognoscenda. Animæ quidem natura, quoniam cum morbus in functionis laesione positus sit, functiones verò ex anima potissimè pendeant, hac ignorata, eas quoque ignorari necesse est: atque eò magis, quòd cum corpus materiae locum obtineat, anima formæ, materiae naturam, quam Medico considerandam esse diximus, sine formae seu animae cognitione minimè exploratam habere licet. Cœlestis verò substantiae vis, quoniam cœlestia corpora in hæc inferiora continenter agunt, humanúmque corpus variè afficiunt; vt propterea Lunae ac reliquorum astrorum facultates notandae ac spectandae sint diligenter. Atque ex his etiam constat Medico in simplicium mixtorúmque corporum, & ipsius denique Vniuersi cognitionem incumbendum esse: cum elementa susceptas è cœlestibus corporibus qualitates in nostris imprimant. Quinetiam cum in rerum Vniuersitate ex mistis corporibus reperiatur nullum, quod non iis sit viribus ac qualitatibus præditum, quibus aliqua ratione inseruire possit Medicinæ, ac denique haec omnia sint ea serie constituta, vt mutuis actionibus retinentibus, mutuam contemplationem desiderent, nihil est in Natura, quod sine crimine ac iactura possit à Medico prætermitti. Haec, inquam, fortaße afferas ad dilucidandam controuersiam. Quanquam eam veriùs augent quàm dirimant: nam potiùs ostendunt Platonem dum scientiam requirit in Medico, eidem Physici partes etiam iniungere, ac naturalem scientiam Medicinámque confundere. Quæ si quis de Platone miretur, audiat etiam quàm salebrosa sint, quæ pro Medicinæ ac Physiologiæ terminis statuendis nos docuit Aristoteles: hic enim altera ex parte (vt primo Metaphysicae libro † scriptum reliquit) Medicinam quasi à Physiologia toto cœlo distet, circa singularia versari, ac non hominem, sed Socratem cui accidit, vt homo sit, curare ac sanare voluit: Ex altera verò (idque primo Rethoricorum †) quasi nullum cum singularibus habeat commercium, sed generalia quaedam prosequatur, aßerebat ad singulares homines animum non intendere, aut quid Socrati aut Calliæ salubre sit, sed quod tali aut talibus. Quibus rebus non videtur posse aliquid pugnantius excogitari.

Ego verò existimarim de Medicina idem iudicium eße ferendum, quod de oratoria facultate: nam quemadmodum hæc inuenire debet in vnaquaque re, quid

Margin notes: Ex dictis res in maiorem controuersiã adducitur. — Ex Aristotele etiam ostenditur rem in magna dubitatione versari. — † Cap. 1. m. — † Cap. 2. m. — Authoris sententia.

re, quid sit ad persuadendum accommodatũ; ita etiam Medicina quid aptum sit ad sanitatem aut inducendam, aut conseruandam. Quocirca quemadmodum Oratori tum iurisprudentiæ, rerúmque gestarum cognitio, tum regionum ac gentium notitia, tum animorum vim ac naturam, ac præcepta etiam quibus non respublicæ solùm, familiaéque gubernentur, sed etiam singuli homines in officio contineantur, ac sexcenta denique alia, quæ tamen proprijs definitísque artibus ac disciplinis continentur, noße oportet, (quî enim fieri posset, vt & bonos pro dignitate exornaret, & improbos vituperaret asperiùs? quî vt hominum fraudes ad perniciem, integritatem ad salutem reuocaret? quî populum siue languentem excitabit, siue moderabitur effrenatum, siue denique de ferendis, retinendis, antiquandísue legibus, de bello & pace, déque huiusmodi alijs prudenti atque explicata ratione dare consilium poterit, nisi aliqua ratione, quæ commemorauimus omnia, atque huius generis similia ipsi fuerint explorata?) ita etiam Medicus totius humani corporis structuram & compositionem, singula præterea eiusdem corporis munera facultatésque omnes, proindéque animæ vim ac potestatem, immo verò cœlestium corporum, elementorum, & corporatarum denique omnium rerum naturas, quæ tamen alicuius definitae contemplationis propria sunt vniuersa, non vulgari admodum cognitione perspecta debet habere. Cœlestium quidem corporum, quoniam haec (vt paulò ante significatum est) in inferiora corpora continenter agunt: eadémque pro facultatum varietate, lationúmque vicissitudinibus variè afficere solent: elementorum præterea, tum quoniam sunt instrumenta cœlestium corporum, à quibus perpetuò permiscentur atque commutantur; tum præsertim quoniam ob contrarias quibus affecta sunt, qualitates, mutuò inter se agunt, hominémque non modò inter ipsa degentem, sed ex ipsis etiam constitutum, ita ob continuum dissidium afficiunt, vt in continuis mutationibus ipsum versari neceße sit: concretorum verò corporum non ob id solùm, quia alimenta homini suppeditare solent, ac temperationem humorésue corporis, hominémque ipsum permiscere; sed etiam quia ob vires naturásque varias varijs rationibus medicamentis adhibentur, ac sexcentis denique vijs nobis siue noxia, siue vtilia esse consueuerunt: humani denique corporis atque animæ etiam: nam quid quæso adiumenti tot támque multiplicibus ipsius corporis partibus atque organis, interioribúsque præsertim afferre poterit, qua ratione labefactatas vires resarcire, atque ægrotum ad naturalem statum traducere, nisi tum humani corporis structuram, tum potentias ac facultates, à quibus functiones siue naturales, siue vitales, siue denique animales emanant, tum animæ ipsius vim & potestatem, atque ea denique omnia quæ ad ipsius hominis constitutionẽ attinent, non oscitanter animaduerterit?

At verò sicut Oratori multa ex ijs quæ in superioribus attulimus, percepisse magis est necessarium (iuris enim ciuilis rerúmque gestarum, atque antiquitatis memoria longè magis in eo requiri solet, quàm aut regionum, aut vectigalium, aut huiusmodi aliorum cognitio) ita etiam in Medico impensiùs expeti solet principum humani corporis facultatum, quàm elemento-

rum

rum notitia: rursúsque horum naturam exploratam habere magis necesse habet, quàm cœlestium corporum virtutes, atque aliarū huiusmodi rerum scientiam quærere. Ex quo illud consequitur, vt quemadmodum Oratori; dum ea quæ memorauimus, nec complecti, nec persequi intelligentia valet omnia, ne optatis potiùs, quàm re ipsa eum inueniri dicendum sit, illud largiamur, vt postquam dicendi præcepta dilucidè animo comprehenderit, iurisprudentiæ, historijs, moralique disciplinæ, quæ sanè magis necessaria esse solent; reliquū studium impendat; ita etiam Medicum, quippe qui tot tantarúmque rerum quasi suppellectilem ob humanæ vitæ breuitatem Naturaéque obscuritatem sibi comparare nequit, multa latêre concedamus: ac rerum, quæ maiorem præseferunt necessitatem, vt structuræ humani corporis, medicamentorum, at si quid est huius generis, cognitionem in eo requiramus. Quamobrem Hippocrates, qui cum sæpè alibi, tum præsertim libro de Arte, Philosophiam quam in Medico postulauerat, humanæ naturæ, Astrologiæ, aëris atque aliarum quarundam rerum finibus concludit, id mihi quidem fecisse videtur, vt humani ingenij imbecillitati obscuritatíque Naturæ consuleret. Nam cum Medicus, qui optimè sit Philosophiæ præceptis imbutus, DEO (sic enim planè loquitur ipse) sit æqualis, cur deinde augustiorem quandam ac magnificā Philosophiæ suppellectilem suo huic præstātissimo ac planè diuino Medico non attribuit? Quanquam Galenus, vt suam artem mirificè semper extulit, in libro qui Optimus Medicus, is Optimus Philosophus inscribitur, eam Hippocratis sententiam esse censuit, vt Medicus *non modò Astrologiæ, sed etiam Geometriæ, ac totius denique Mathematicæ disciplinis excultus esse debeat. Humanam præterea naturam ea illi ratione perspectam esse voluit, vt à seminis atque fœtus natura incipiat contemplatio: indéque ad simplices partes primò, tum verò ad compositas, atque ab his ad membra, variásque earum affectiones, ac totum denique hominem cognoscendum progrediatur: sícque etiam morborum differentias ac naturas, præsidiorúmque indicationes percipiat. Vtque recta methodo in ijs super vtatur, diuitiarúmque ac voluptatum illecebris non impediatur, tum Logica, tum Morali Philosophia excultum esse vult. Ac tandem (ne commemorem omnia) concludit.* Hic iam omnes Philosophiæ partes habebit, & quæ ad disserendi rationem, quam Logicam, & quæ ad rerum naturam, quam Physicam, & quæ ad mores, quam Ethicam vocant, attinent. *Atque ita demum qui optimus Philosophus, hunc & optimum Medicum fore contendit. Sed an verè Hippocrates* Medicum *tot disciplinis, támque perfectè expolitum suis libris effinxerit, aliorum sit iudicium. Ego certè dum ex Astrologia quaedam ob temporum opportunitatem attingenda: ac certorum locorum aquas, aërem ac temperiem exploranda, humanámque naturam ob partium positionem atque huiusmodi alia quaedam cognoscendam scribit, vt apud eum multis in locis legitur; maximè suspicor Medicum nobis eruditum quidem (vt Plato etiam sæpè monet) exprimere voluisse: sed parabilem tamē quemadmodū & decet: & Galenus ipse in libro de sectis capite decimo videtur agnoscere: vbi sanè Medico moderatiorē suppellectilem*

pellectilem tribuit ex Hippocrate: cum præsertim eam Medici diuinitatem magna ex parte referat ad mores ac temperantiam: quòd nimirum eiusmodi artem castè ac sanctè exerceri ac tractari velit. Sic enim tum in lege, tum in libro de arte, tum in libro de decenti ornatu, atque alibi etiam scriptum reliquit. Vt Medicus, tametsi aliquarum rerum naturalium atque adeò facultatum cognitione priuatus, non omnino sit repellendus. immo uerò quoniam & humani ingenij imbecillitate fit, vt in tanta rerum varietate non solùm pauca agnoscere liceat, sed & obscurè admodum ac dubitationibus inuoluta, idcirco etiam factum est, vt pro eorum cognitione firmanda, ad experientiam confugiat Medicus; ita vt non eo tempore solùm, quo re ipsa medetur; ad πρᾶξιν *descendere cogatur; sed etiam dum ipsam rerum cognitionem sibi acquirere studet. Ac profectò tanti refert* πρᾶξις *ad cognitionem firmãdam, vt ad eam vel solertissimi Philosophi confugerint, Aristotelésque in primis: qui tametsi statuerat in rerum scientia quærenda, singularium rerum notitiã esse negligendam, & in generum natura versandum; in Physiologia tamen acturus de animalibus, id nisi longa, atque multorum annorum experientijs elaborata ipsorum animalium historia aggredi minimè ausus est. Ex quo illud etiam efficitur; vt quamuis ea, quod eorum naturæ interest; contemplari sit naturalis (Naturali enim earum rerum cognitio ac veritas tanquã finis est proposita) veruntamen si eiusmodi cognitio dirigatur ad opus, Medici etiam esse possit: sicut ad experientiam quæ tamen* πρᾶξις *quædam est, Physicus etiam interderdum confugere potest. Atque ob id nec qui ad rerum cognitionem faciliùs comparandam firmandámque experientia vtitur,* πρακτικὸς, *nec qui* θεωρίαν *ad opus refert,* θεωρητικὸς *est appellandus.*

Iam quod humanæ interest naturæ soluitur dubitatio. Primùm verò ad rationes quibus in hac contemplatione eandem scientiã in Physico ac Medico requirebat Plato, explicandas descenditur.

Quæ cum ita sint; equidem (vt dubitationi satisfaciam) tantum abest, vt Timæus, quod interest humani corporis structuram, affectiones, munera, ac cætera id genus, Physici campum egressus sit, vt ab horum disputatione abstinere nullo modo debuerit. Quod si in Conuiuio (vt in Eriximachi collaudatione cernitur) hanc ipsam cognitionem requirit in Medico, quam diximus ad Physicum pertinere (vult enim tam pulchrum, quàm deformem amorem in homine à Medico spetari; tam rectè (ni fallor) quam malè cohærentes siue humores, siue elementorum qualitates, siue etiam partes intelligens) profectò hanc θεωρίαν *eo nomine in Medico expetit, vt huius adminiculis ad humorum concordiam sanitatémque ipsam humanum corpus (quantum tamen fieri potest) traducat, ac restitutam sanitatem tueatur: nam præterquam quòd manifestè id nobis indicauit, tum quia eodem in loco tradidit Aesculapiũ, cum nosset huiusmodi amorem atque concordiam in humana corpora inducere, artem quoque Medicam composuisse: tum præterea quia Medicum non ob id solùm peritum fecit, quoniam discernat pulchrum & deformem amorem, hoc est prauam, rectámue elementorum humorúmue cohærentiam ac temperationem, id quod Physicum quoque attingere volumus; sed quia ea discernat quod attinet ad repletionem & euacuationem (ita enim si placet* πλησμονὴν καὶ κένωσιν *illam Platonis, Marsilium sequuti interpretamur in præsentia) dilucidè satis rem explicauit hoc ipso in loco in quo* θεωρίαν,

scientiám-

ſcientiámque popoſcit in Medico. nam cum dixiſſet. eſt autem Medicina ſcientia,qua amatorij affectus corporis quoad repletionem euacuationémue noſcuntur. et quiſquis pulchrum & deformem in his amorem diſcernit, Medicus peritiſsimus ſit; *è veſtigio contemplationem ad opus traducens adiecit.* Quíue ita permutare hæc poteſt vt pro altero amore naſcatur alter: aut iis à quibus abeſt amor, adeſſe autem oportet,immittere valeat,& inſitum extirpare,eruditus ſit artifex:poſſe autem oportet quæ in corpore inimica maximè ſunt,conciliare & amorem inſerere mutuum. *Quo in loco humorum atque temperationis cognitionem,inteſtináſque corporis amicitias aut diſcordias eo nomine voluit Medico cognitas eſſe, vt humores ac temperamentum ipſum permutare (id quod victus ratione, ac reliquis Medicinæ præſtat inſtrumentis) inimicitiáſque componere & (vt dicam breui) humano corpori appoſitè mederi valeat. In Phædro autem vbi aſserit Medicum noſſe debere, quibus, quando, & quouſque alimenta, medicamentaque ſint adhibenda: atque illa non vſu ſolùm & exercitatione, ſed etiam arte eſſe præbenda: ídque docere Hippocratem, qui non corporis ſolùm, ſed etiam animæ, ac totius denique hominis cognitionem in Medico poſtulauerit; arbitratus eſt quidem ipſum Medicum præter medicamenta humani corporis fabricam, temperamentum, ac munera noſſe debere: immo & eorum quoque notitiam, quæ ſupra recenſuimus; ad eum viſus eſt reuocare (huc enim Platonem ſpectaſſè facilè ſuſpiceris,dum tot, tantaque Medico in medicamentis, alimentiſque præbendis præcipit cognoſcenda) at hoc nō prohibet iſthæc quo ſpectat ad ipſorum naturā ad Phyſicum attinere: Medicus enim in horum meditatione non inſiſtit, ſed ad opus rerū naturalium cognitionem traducit. Quāobrem quemadmodum Orator dum aut ex morali facultate, aut ciuili iure quidquam affert,dummodo ad ſuum finem,ad ſuadendum ſcilicet, id referat, non Moralis vel Iuriſperiti, ſed Oratoris nomine cenſendus eſt: ita etiam Medicus dum humani corporis ſtructuram, functiones, atque attributiones, animæ præterea vim & naturam, elementa etiam, concretáque corpora,ac Phyſica penè omnia contemplatur, dummodo iis ad ſanitatem recuperandam vtatur, (ſolam enim cognitionem quærens Phyſicus eſt) ac ſuum finem aſſequi contendat, Medici officio fungitur. Atque hoc etiam nomine in libro de fortitudine Medico cognitam eſſe voluit totam oculorum, auriúmque naturam ac facultatem, vt ſcilicet illorūm morbis opportunè mederi poſſit: eidémque circa ſanum & ſalubre quæ fiunt, quæ facta ſunt, quæ fient, & quo pacto perſpiciendum affirmauit. Quòd ſi in Adhortatorio & Phædro Medici eſſe vult artem docere poſſe, (id quod cognitionem ac θεωρίαν eorum penè omnium depoſcit, quæ Phyſica eſſe diximus) profectò huiuſmodi θεωρίαν, ac doctrinam ad πρᾶξιν voluit pertinere: nam cùm ab illis diſsentiret, qui ſolam experientiam tribuerent Medico, ac proinde contenderet eius artem haud poſſe ſine doctrina conſiſtere, doctrinam ei omnino attribuit, et antequam ad medendum ſeſe conferat, ſcientia quoque imbutum eſſe voluit. Et quoniam tunc maximè alicuius ſcientiæ præceptis quempiam imbutum exiſtimamus,*

cum eam alijs communicare potest (scientis enim signum est, posse docere) idcirco cum Plato præter vsum & experientiam doctrinam quoque in Medico deposceret, eum disciplinam alijs tradere, eosdémque Medicos efficere posse decreuit. Et ideo tam in Adhortatorio quàm in Phædro *hæc duo munera coniunxit, asserens Medici esse, tum suā artem communicare, tum etiam humano corpori mederi posse. Atque hac etiam de causa (vt ea quoque diluamus quæ primo ac tertio loco obiecimus) non artis solùm, verùm etiam scientiæ nomine Medicinam passim appellat. Quamobrem doctrina in Medico ob* πρᾶξιν *desideratur. Atque hoc modo dum Medicus humani corporis structuram, functiones, & huiusmodi sexcenta alia medendi gratia inuestigat, nihil prohibet ea, quod ipsorum naturæ interest;* Physicæ *contemplationis esse: proindéque Timæum de humani corporis compositione & natura iure optimo disputare. Et ob id etiam Aristoteles primo Ethicorum cum intelligeret fœlicitatem esse animæ operationem, ac proinde ad fœlicitatis vim explicandā animæ naturam certo quodam modo antea nosse oportere; ob ídque tādem de ea nonnulla ex animæ tractatione repetere instituisset, id sibi eo iure licere voluit, quo elegantes officiosique Medici de humano corpore multa pertractāt.*

Cōfirmantur ex Aristotele quæ pro solutione dicta sunt: & explicātur ea, quæ ex eodem ad dubitationē augendā afferebantur.

Quamobrem sicut Ciuilis, moralisue facultas agit de anima fœlicitatis gratia, cum tamen ipsius animæ contemplatio ad Physicā potiùs quàm ad moralem scientiam spectet: ita etiam dum Medicus ad sanitatem comparandam atque tuendā agit de humana constitutione, nihil obstat quominus hæc Physica cōtemplatione concludantur. Atque ob id etiam secundo Metaphysicæ (id quod opinionē nostram amplissimè confirmat) Si Practici (*inquit*) considerent quomodo res se habet: id ad aliquid faciūt, quia Practici speculātur. *Vbi profectò* θεωρίαν Medico concedit, *nec propterea Physicū esse vult, quia operationis gratia cōtemplatur. Et huc etiam pertinet (si quis rectè recolat) quod scribit in libris* † *de anima, vbi docet intellectum practicum & speculatiuum fine differre: quia nimirum veritatē perpendit vterque: sed tamen speculatiuus in veritate ipsa conquiescit: practicus id totum ordinat ad opus: atque operis gratia speculatur. Neque profectò minùs accuratus ijs in locis fuit, quibus (vt paulò ante dicebamus) sibi è regione pugnantia pronunciasse visus est, dū in Rhetoricis Medicū non considerare singulos homines, vt Socratē aut Calliā, in Metaphysicis autē in indiuiduis tantùm versari statuebat: nā duo habet Medicus, artē quæ præceptis continetur, & opus, quo non homini, sed Socrati (opus enim ex eodémmet Aristotele est singulariū) aut Calliæ medetur. Ars quidē quippe quæ à rebus singularibus abhorret; nō sibi Calliā, aut Socratem curandum proponit: quia ars sicut & scientia in generalibus tantùm persistit, vt in Rhetoricis loco supra allato habetur: & ideo ob artem Medicus dicitur indiuidua dispicere. At opus ad quod sese refert, dū re ipsa alicuius morbi suscipit curationem, in indiuiduis versatur, & in Calliæ sanitatem incumbit: cui quidem Calliæ (vt ego quidem sentio) idcirco accidit vt homo sit, quoniam cum ægritudo sit affectio Calliæ, vt animalis, non autem vt hominis, Calliæ vt ægroto accidit hominem esse: quemadmodum etiam vis vegetabilis (quam vocant) non humana est, vt idem Aristoteles perspicuò satis*

† *lib. 3. tex. 34.*

† l. 1. c. 13.

satis docet in † Ethicis: quia homini vt animali, non vt homini conuenit. Hoc itaque nomine Medicus in Metaphysicis dicitur per se curare indiuiduum, nempe Calliam: ex accidenti autem hominem. Quamobrem tantam abest, vt Aristoteles, dum Medicinæ fines indicaret, pugnantia loquutus sit, nihil vt magis consentaneum afferre potuerit. Atque ex his omnibus perspicuè satis demonstratum esse arbitror humani corporis atque huiusmodi aliarum rerum cognitionem ex se Physici esse: ac proinde de Vniuersitate disputanti ea nullo modo fuisse prætermittenda.

Iam ad eam partem dubitationis descēditur: quæ ad morbos attinet.

Proclus.

At enim, inquies, Physici fines tunc saltē egressus est Plato, cum ea prosequutus est, quæ sunt humani corporis extra proprium germanúmque naturæ suæ statum constituti: quæque naturam ipsam destruere solent: cuiusmodi sunt febres, ac varia morborum genera. Huic sanè dubitationi occurrere visus est Proclus in Timæi procemio: vbi cum proponeret summam quandā, ac capita eorum de quibus in ipso dialogo agitur, rem hanc pependens dixit, Πῦ δὴ καὶ ἀρχαὶ τῆς ἰατρικῆς ἀναφαίνονται. λήγει γὰρ ἄχρι τούτων ὁ φυσικός. ἐπειδὴ τῆς φύσεώς ἐστι θεατής. ἅμα γὰρ τῇ φύσει, καὶ τὸ κατὰ φύσιν. τούτῳ δὲ ἔκβασις τὸ παρὰ φύσιν. *Hoc est*, Vbi principia quoque Medicæ disciplinæ apparent. Ad hæc vsque Physici desinit industria: quoniam Naturæ est contemplatrix. vnà enim cum natura illud etiam reperitur, quod est secundum naturam. Quicquid autem ab his egreditur, prærer naturam est. *Hæc Proclus. Quæ licet spinosa sint & obscura, attamen illuc spectare existimarim, vt Proclus ostendere voluerit morbos, etsi à Natura recedunt, eidémque aduersari videntur; ita cum Natura esse coniunctos, vt & opus sit Physicum Medicinæ principia attingere: (ob id enim Medicæ artis principia in Timæo apparere contendit) & Medicum suæ disciplinæ initia ex Naturæ fontibus ducere. Et sanè dum* Plato *tres constituit morborum gradus, quod attinet ad primum, qui quidem ad elementa tum ob excessum & defectum (sic enim ad rem significantiùs explicandam* πλεονεξίαν *&* ἔνδειαν *illam* Platonis*, cum Medicis in præsentia appellabimus) tum ob regionis permutationem (namque hoc sensu* χώρας μετάστασιν *illam, Foxij pace, accipimus) ab eo reuocatur, morborum tantùm monstrauerit fontes: ac proinde* Procli *opinio hac in parte erudita mihi videri solet, veruntamen, quod spectat ad secundum morborum gradum, in quo eos ad bilem, ac cæteros humores, siue ad partes homogeneas redigit (de humoribus enim facilè putes egisse, quatenus homogeneas partes afficientes, ægritudinem gignunt) magnam adhuc vim habet dubitatio. prosequitur etenim huius capitis morbos longè exquisitiùs ac prolixiùs quàm Physicū decere videatur. Sed et lōgè difficilius est quod pertinet ad tertiū gradū morborū: etenim siue hic in praua bilis, pituitæ, ac spiritus, (quicquid spiritus nomine intelligat, id enim explicabitur suo loco) cōstitutione positus sit: siue ad deprauatas aliquarum partiū temperationem pertineat, siue ex vtroque pendeat, certū est de maculis quæ apparent in corpore, de neruorū tensionibus (quas appellant) atque intorsionibus, de dyarraeis, dysenterijs, ac denique de tertiana, aliísque huiusmodi febribus egisse, atque horum omnium causas attulisse.*

† lib. 3. ca. 34.

Quæ si quis Physici eße contendat, haud sanè explicabit vnquam, quæ tandem ægritudines sint Medicæ contemplationis.

Galenus.

Sed Galenum † audiamus, qui (si Iacobo Carpentario † credimus) cum vidißet Platonem tria facere morborum genera: atque ad primum eos referri, quos arbitrabatur ex elementorum siue defectione, siue excessu oriri, id obseruabat inter Platonem & Hippocratem interesse, quòd ille in Timæo vt Physicus ad elementorum exceßus ac defectus redegißet primum morborum genus: hic verò in libro de natura humana, vt Medicus reuocaßet illud ad quatuor humores: ac proinde aßerebat hunc tanquam Medicum, illum verò vt Physicum loquutum esse. Quocirca ex Galeni sententia, (si Carpentarium sequamur) colligere licet primum morborum genus à Platone propositum, solius Physici eße; ob id enim censuit Galenus vsque ad defectionem illam elementorum, eorundémque exceßum morbos ab Hippocrate haud fuisse reuocatos. Cuius quidem sententiae fautor acerrimus videtur Aristoteles†: Si quidem cum ostendere vellet Physicum non materiam solùm, sed formam etiam considerare, id ex arte Medica ducta similitudine comprobabat: asserens Medicum tum sanitatis & ægritudinis materiam, sanguinem videlicet, bilem ac reliquos humores, tum formam, hoc est sanitatem ipsam contemplari. Ac nequis interim existimaret elementorum aut defectionem, aut excessum non ob id à Medici consideratione seiungi, addidit materiam, quam considerat Medicus, non eße remotam, vtpote substantiam vel corpus: sed proximam, bilem nimirum sanguinem ac cæteros humores. Si itaque in horũ fundamentis atque opinione nitamur, quod attinet ad primũ morborũ genus facilè tueri poterimus Timaeum Physici potiùs quàm Medici officio functum eße. Sed nescio quàm tutum sit, ac Platonis doctrinae accommodatum hac ratione propositae dubitationi occurrere. Nam dum isti è Medicinae finibus illud morborum genus secernere atque arcere videntur, quod est ad elementorum excessum defectionémque redactum: contra verò intra eosdem fines illud concludunt, quod cum humoribus coniunctum est, præterquam quòd opitulantur ijs, qui cùm elementa tanquam remotiores morborum causas spernant in re Medica, Platonem non facilè sustinerent vsque ad elementa aegritudines reuocantem; quatuor humores (id quod Aristotelicum maximè videtur) proximam morborum materiam statuentes, Medici propriũ esse volunt, morbos ad humores illos referre: cum tamen Plato, id quod isti Medici esse decernunt, non modò attingens, sed aliqua etiam ex parte explicans, Physicus omnino voluerit existimari: atque ob id etiam ad extremùm Timæus se de Vniuersitate ac Natura tãtùm egiße professus sit. Huc accedit quòd est explicatu difficillimũ, qua fieri ratione poßit, vt cùm hi quatuor humores habeãt causas & principia physica, sint corporis physici, atque idcirco ad humanæ naturæ cognitionẽ pertineãt; morbi qui reuocantur ad elemẽta (id quod Galenus cõcedit) sint physicæ contẽplationis qui verò ex quatuor humoribus prodire censentur, nõ pertineant ad eandẽ contemplationẽ: ac præsertim quia si Physicus agit de morte, quæ tamẽ Naturæ è regione opponitur: multò magis quibusdã veluti capitibus complecti poterit aegritudines quæ ex quatuor

† Gal. l. 8. de decret. Hip. & Plat.

† Carp. in c. 16. Alcin. num. 2.

† Ar. 2. phy. t. 22.

tuor

tuor humoribus oriuntur: minùs enim cum Natura pugnant, atque interdum etiam eam appetunt quamleuissimè. Immo verò (ni magnopere fallor) quæ hac in re Galeno tribuit Carpentarius, ab ipsa Galeni mente plurimùm abhorrent. Nam cum eo loci probare instituisset de corporum nostrorum constitutione, déque sanitatis & morbi causis, quod pertinet ad elementa, Hippocratem & Platonem inter se consentire: ac quædam Timaei verba referret, quibus huiusmodi consensum demonstraret, aiebat. Hic igitur solius Platonis verba ascribam, in quibus Hippocrati consentiens, corpora nostra ex terra, igne, aëre, aqua concreta esse affirmat. Quod cum alijs in locis etiam dicat, nunc satis erit si locum ex Timæo citauerimus, vbi ad hunc modum scribit. Cum quatuor sint genera ex quibus corpus nostrum compactum est, terra, ignis, aqua, aër, horum sanè præter naturam redundantia & defectus, & sedis è propria in alienam facta mutatio, ignis scilicet & aliorum, cum plus ex vno habuerint partes: nec quod sibi conuenit, vnaquæque assumpserit, cæteraque huiusmodi, seditiones & morbos afferunt. His verbis declarauit Plato non solùm ex terra, aëre, aqua, igne corpora nostra constare: verùm etiam ex his mensura quadam inter se contemperatis secundùm naturam se habere: quod idem est quod valere: deficiente verò aliquo aut redundante, aut etiam in alterum locum migrante, ægrotare. *Hæc Galenus capite secundo: in quo alia etiam verba ad eundem consensum confirmandum attulit ex Timæo: quæ ne longior sim, omittam. Atque idcirco etiam statim, ne quis diceret Platonem in eo saltem ab Hippocrate discrepare, quòd in verbis citatis ad ignem, ac cætera huiusmodi corpora reuocasset morbos, nulla elementorum facta mentione*, At (*inquit*) neque Hippocrates elemēta nominauit: sed tantùm ex eorum concursu & confusione naturalia corpora constare asseruit: nihílque vltra hæc, cùm nulla id actiua postularet necessitas, sibi progrediendum putauit: quippe qui speculatiuam artem minimè tractaret. Plato verò qui contemplationem Philosophicam nobiliorem existimabat, solas, quæ in elementis extant, facultates considerare satis non habuit: sed causam quoque eorum generationis inquisiuit: inutilem nimirum Medico contemplationem sequutus. Nam scire cur humectet aqua, vrat ignis, vel cur fluat aqua, sursum feratur ignis, stabilissimaque & grauissima elementorum terra constiterit, ad morborum curationes nihil confert: illud enim tantùm ad sanitatis conseruationem, morborumque medeam sufficit, vt cognoscamus ex calidi & fugidi, sicci & humidi temperatura sanitatem effici. Ex horum contra intemperaturis morbos animalibus accidere. Indagare autam an ex Pyramidis partibus ignis constet, an aliqua alia causa sit, cur occurrentia corpora incidat ac diuidat, contemplatiuæ Philosophiæ opus est: quam tractans Plato, ignis partes pyramitas esse ait: cubicas terræ: figurámque eam, quæ ab octo vasibus octaëdros vocatur, aëri, icosaëdron à viginti aquæ ascribit.

Hæc

Gal. li. 8. de decret. Hip. & Plat. Carpent. 16. Alcin. cap. 11.

† Arist. cap. 11.

Hæc atque alia huiusmodi habet capite tertio. Ex quibus omnibus satis superque constare arbitror plurimùm abesse, vt Galenus voluerit Hippocratem tanquam Medicum ad quatuor humores, Platonem vt Physicum ad elementa reuocasse morbos: cum potiùs hac in re mirificam inter illos consensionem obseruarit: solúmque in eo varium quasi cursum tenuiße notarit, quòd Hippocrates, vt Medicus, satis sibi esse iudicasset ad elementa, eorúmue qualitates deueniße: Plato autem, vt Physicus, elementa peruestigarit intimiùs. Et ideo in eodem capite ad finem aiebat. Hæc quidem disserui, ne litigiosus aliquis haberet, vnde orationẽ nostram labefactaret, in dogmate asserens Platonem ab Hippocratis discrepare sententia: cum neque Hippocrates terram, aquam, aërem, ignem elementa nominarit. Sed ex ipsis nos constare dixerit, non requisita insuper causa, quamobrem illam quam inesse in ipsis euidenter cernimus, propriam vim habeant. Plato autem præterquam quòd ex quatuor his concedit omnia quæ gignuntur & intereunt corpora concreta esse, etiam illud postea perscrutatus est. *Quamobrem capite quarto contendit ea quæ ex Platonis Timæo retulerat in caput secundum, ex Hippocratis libro de natura humana fluxiße: tantum abest, vt ad humores alterum, alterum ad elementa morbos notarit retulisse. Quanquam non me latet (ie quo Carpentarium in eam opinionem adductum eße suspicor) Galenum deinde quarto capite, cum dissereret quomodo existimassent illi ex elementis constare corpora, atque morbos oriri, obseruasse inter Hippocratem & Platonem illud interesse, quòd Hippocrates, et si in libro de Natura hominis, elementorum commixtionem omnibus rebus naturalibus communem fecit, tamen cum potestate potiùs, quàm actu elementa in homine reperiri animaduerteret: atque ipsis humoribus non secus atque elementis primas qualitates contineri, ita de morbis egerit vt ad humores non ad elementa, cuius contrarium fecit Plato, ipsos morbos reuocarit. Sed Galenus hoc in loco non eò spectat, vt ostendere velit Hippocratem tanquam Medicum, Platonem vt Physicum de morbis loquutum eße, (quod ei tribuit Carpentarius) sed potiùs vt ostendat Platonem non rectè elementa in homine collocare: aut exceßum defectúmue, aut illam ex locis permutationem elementis potiùs quàm humoribus tribuere. Et ideo concludebat.* Rectè igitur Hippocrates humores scripsit, & separatos ab alijs, & in quolibet membro sigillatim collectos morborum causas existere. Plato verò idem de elementis non rectè. *Sed cum sit neceßarium in ipso morborum contextu varias controuersias explicare, quæ inter Platonem, Aristotelem, ac Medicos agitantur: immo verò ab elementorum mixtione ad homogenearum partium structuram, humorúmque constitutionem, ac morborũ denique fontes cõmonstrandos vnà cum Platone progrediendum sit; idcirco nouam hanc de morborum gradibus subortã controuersiam, quando maius negocium exhibet, quàm ijs prælud ijs confici poßit; mißam in præsentia faciamus: atque alia nonnulla adijciamus, quibus tum prior dirimi ac sedari potest: tum morborum tractatione Physicam methodum optimè conseruatam esse ostendi.*

Accura-

Dubitationis solutio.

Accuratissimus profectò ac methodi studiosissimus, si alibi vnquam, hoc certè in loco fuit Plato noster: nam cum admirabilem humani corporis fabricã illiúsque affectiones ac proprietates contemplaretur, sanitatis quoque & ægritudinis causas atque naturam inuestiganda esse prospexit. Cúmque sentiret ipsam sanitatem aut ægritudinem tunc primùm humano corpori adesse, cum debita elementorum adseruaretur dissolueretúrue proportio, nec nõ elementa ipsa aut proprias sedes desererent aut custodirent: deinde verò, cum earum partium quæ similis naturæ dicuntur, siue consisteret, siue conrueret habitudo: ac postremùm cum spiritus, bilis, puitaque certis quibusdam rationibus affecta reliquas etiam partes afficerent; idcirco vt illud ægritudinis & sanitatis genus primo loco explicaret, quod ab elementis proficisci arbitrabatur, docuit eo tempore quo elementa debita inter sese proportione seruata fluunt & reparantur, atque humani corporis partes naturalem sibi calorem, ac cæteras huius generis qualitates retinent, sanitatem nobis adesse. Contra verò cum plus debito accesserit, seu decesserit, atque intestina seditio intemperiésque suborta fuerit, ac denique è sedibus, quas sibi Natura constituit, migrauerint elementa, ægritudines generari. Quæ cum paucis ostendisset, statim innumeras penè morborum genera, ex his quasi fontibus profluere indicans, (ob id enim asserebat, Quod autem aberrat, siue accedendo, siue decedendo, mutationes varias, morbos, corruptiones infinitas inducit) *hoc primum morborum caput his monstrasse contentus, ad secundum continuò progressus est. Ita vt si concedas ab ægritudinis & sanitatis contemplatione Physico abstinendum non esse; Platonẽ, quippe qui adeò sobriè in hoc primo morborum genere versatus est, vt illud vix digito (quod aiunt) commonstrauerit, tutissimum potiùs in Physica methodo retinenda dicere possis, quàm quicquam in eam vllo modo peccasse. Neque verò minùs industrius ac consultus fuit in eo morborum genere explicando, quod secundo loco in prauam homogenearum partium constitutionem affectionémque redegit. Nam cum multæ ac variæ sint homogeneæ humani corporis partes: atque harum singulæ tum in vniuersum, tum in definita aliqua quasi regione, et innumeris ferè de causis morbo tẽtari possint: ac denique siue eas generet Natura, siue resarcire moliatur: siue noxij aliquid extrinsecùs acciderit; tot iactẽtur morbis, vt in immensũ propè eorũ augescat numerus: immo vel vnus sanguis (neque enim, Galeno etiã teste, ab homogeneis partibus ex Platonis sentẽtia sanguis est segregãdus) innumerabiles ferè ægritudines gignere possit, (alia enim ægritudo verbi causa ex generali sãguinis incẽsione oritur: alia si in uenis primũ inflãmetur ac turgeat: alia si aut refrigeretur aut putrescat: atque ita vnius sanguinis affectiones lõgo ordine producere enumerãdo valeas)* Plato, *cũ huiusmodi homogenearũ partiũ ortũ atque cõstitutionẽ primo loco exposuisset, ac deinde his malè cõstitutis, morbos quãplurimos, perinde atque ex praua elementorũ cõpositione, oriri tradidisset; & grauiorũ denique morborũ, qui ex præpostera huiusmodi ac turbata homogenearũ partiũ procreatione oriuntur, quasi fontes quibusdã generibus distribuisset, reliqua omnia prætermisit. Atque consimili tandem ratione ostenditur tertio quoque*

ægritudinis ac ſanitatis capite Phyſicam methodum à Platone optimè conſeruatam eſſe. Nam ſiue ſanitatem ac morbos in ſpiritu, pituita, & bile tanquam in proprio receptaculo collocarit: ſiue ex iis veluti ex cauſis proficiſci, ac propterea vel ad homogeneas, vel certè ad heterogeneas partes pertinere voluerit: ſiue denique quidpiam aliud de hoc tertio gradu ſit ſtatuendum, certum eſt hic quoque in ſummis quibuſdam præcipuiſque capitibus verſari. Atque idcirco factum eſt, vt de ſpiritu primùm verba faciens, ob hunc, ſi aut non emittitur vnde conuenit, aut abundantiùs quàm opus ſit recipitur, quæ refrigeratione & reſpiratione egent, marceſcere: ac ſummatim innumerabiles penè morbos hinc naſci affirmauerit: quos tamen non eſt perſequutus. Deinde verò de pituita agere aggreſſus, monuit hanc, ſi alba ſit, maculis variè corpus aſpergere, ac multas ægrotationes párere: ſi autem acida ſit aut ſalſa, languoribus omnibus qui diſtillatione fiunt, originem præbere: ac morbos plurimos gignere: bilis præterea incendium varios tumores, ægrotationéſque plurimas procreare: cum tamen hæc quoque omnia perſequi recuſauerit. Ita vt Platonem hic eruditiſſimè omnium morborum fontes commonſtraße potiùs quàm in alienos campos excurriße dicendum ſit. Quòd ſi de maculis quæ ad cutem tranſmittuntur, déque neruorum tenſionibus & cōtortionibus, de morbo ſacro, ac de dyſenteria & diarrhæa egit: ac denique vel ad tertianam ac reliquas huiuſmodi febres progreßum fecit; non idcirco eſt quòd in Medici campum quod ſpectat ad propoſitos morbos irruiſſe cenſeas. Nam maculas illas in exemplum tantùm adduxit: ſi quidem cum ex alba pituita varios morbos oriri ſentiret, hanc corpus albis inficere maculis, & alias conſimiles ægritudines (id quod in exempli loco afferri ſatis oſtendit) generare aßerebat: de quibus, cum eorum fontem indicaſſet, ne verbum quidem. Atque eâdem prorſus ratione in dyſenteriæ ac diarrhææ mentionem incidit: nam cum ad illud morborum genus deuenißet, quòd à bile permanat, hanc diarrhæas, dyſenterias, atque alias ſimiles moleſtias inferre monuit: quas etiam ſilentio omnes inuoluit. De neruorum autem tenſionibus & contortionibus ideo mentionem fecit, quoniam cum morborum qui à ſpiritu oriuntur, ſumma capita indicaßet; atque ex his pronunciaßet innumerabiles penè morbos manare; pro his, quos omittere omnes inſtituerat, hos ipſos tenſionis & contortionis morbos, vtpote maximè periculoſos atque moleſtos, voluit in exemplum adducere. Sed & quis præterea arguat Platonem, ſi dū pituitae genera tanquam fontes & cauſas innumerabilium penè (vt ipſemet dicebat) morborum recenſeret, ſacri morbi, quòd ſcilicet admirabilem quandam vim haberet, naturam etiam indicauit; cum tamen reliquos morbos, qui vt diximus, innumerabiles ferè ſunt, omnes omiſerit? Denique quod de febribus egerit, nihil te turbet: nam febris tertiana verbi gratia adhuc eſſe poteſt & ſimplex & nota: præterea & à bile, & ab aliis humoribus promanare. Varia eſt etiam quotidiana, ita vt in multas adhuc ſpecies diuidi poſſit, & conſimili ratione de continua, ac reliquis duabus febribus, quas nominat, eſt iudicandum. Quare hos veluti morborum fontes attingens, phyſicam methodum non turbauit noſter Plato, ſed optimè conſeruauit.

De ea dubitationis parte agitur quæ ad remedia pertinet. Proclus.

Nunc ad illud deuenio, quod præcipuum in hac dubitatione negotium facessere videtur. Nam esto, inquies, in morborum causis ac natura perscrutandis Physicus adhuc fuerit Timæus: at dum ad ipsorum morborum remedia progreditur, quo pacto defendi potest, quo minùs Medicinæ campos longè lateque sit peruagatus? Persensit Proclus emergentem hac in re dubitationem: atque ex fine ducta ratione remediorum tractationem pro Physica nobis studuit venditare. Quamobrem Platonem *eo nomine de remedijs agere concedens, vt Naturæ deprauationes ac vitia corrigerentur, & naturalis habitudo induceretur, hoc Physici munus esse decreuit. Huc enim spectant, quæ verbis paulò ante ex ipso relatis è vestigiò adiecit dicens,* ποσαχῶς οὖν ἡ παρατροπὴ ἀπὸ τῆς φύσεως ἦ, καὶ ὅπως ἐπανάγεται πρὸς τὸ μέτριον καὶ τὴν φύσιν, τοῦ φυσικοῦ κατανοεῖν ἔργον. τὰ δὲ τούτοις ἑπόμενα, τῆς ἰατρικῆς ἐξυφαίνειν τέχνης. *hoc est.* Qua igitur ratione à Natura sit deprauatio, & quomodo ad mensuram naturámque reuocetur, Physici officium est dignoscere. Quæ verò hæc consequutur, arti Medicæ nectanda sunt.

Refutatur.

Sed si hoc nomine Platonem *à se defensum arbitratus est, non parùm (vt ego quidem suspicor) aberrauit à veritate. Nam primùm quid est aliud humani corporis deprauationes corrigere, aut remedia ac medicamenta tractare, quàm Medici officio fungi? Deinde diaeta, quæ est ipsum viuendi institutum atque ratio; Medico non vt postremum artis instrumentum à* Platone *traditur: cum & hunc circa sanum & salubre versari contendat: & quibus, quando, & quousque alimenta (hoc est enim præcipuum diaetæ munus) præbenda sint, prospicere. At hæc potissimùm ad sanitatem aut tuendam aut reparandam pertinent. Quamobrem si corporis vitia corrigere Timæo propositum fuit dum remedia aggrederetur, sine dubio in Medicinæ campos irrupit. Quanquam cum* Plato *vbi de remedijs verba fecisset, intulerit,* At de communi quidem animali & parte illius corporea qua diligentia regenda & gubernanda sit, vt ratio viuendi seruetur, satis est dictum: *ac iam antea dixisset,* Quapropter diligentia victus corrigendi & gubernandi sunt morbi, *Proclo disertissimis verbis suffragari contendas.*

Authoris solutio.

Sed his omnibus, (si rem accuratiùs perpendamus) cum Platone ipso satisfacere poterimus. Etenim cum Plato tum de animi tum de corporis morbis, quatenus tamen Physico licere existimabat; accuratissimè disseruisset: iámque altera ex parte eorundem remedia, quasi vltro ea sese ratione viderentur ad contemplandum offerre, quòd præclarum censeri debeat eum, qui humana incommoda ac damna retulisset, illa etiam afferre quæ ad incommoda leuanda, detrimentáque resarcienda facere viderentur: ex altera verò ab hac contemplatione retardaretur, quòd ægrotantis corporis remedia Medici, animi verò Moralis scientiæ potiùs essent quàm Physici, pulcherrimum tandem consilium cepit, quo rem totam omni discrimine vindicaret. Ergo statuit initia earum rerum, quibus homo tum corporis, tum animi morbis leuari posset, attingere: & fontem quasi digito commonstrare: ac nos deinde tum ad Medicam, tum ad Moralem facultatem, vnde illa cumulatè haurirentur, reijcere. Ita vt quemadmodum Aristoteles cum docuisset

Aristot. 12. *Met. t.* 44. *& deinceps.*

[De ea dubitationis parte agitur quæ ad remedia pertinet. Proclus.]

*tot diuinas mentes ſtatuendas eſſe,quot eßent cœleſtes orbes : ſtatim etiam,
cum illud conſequi videretur, vt orbium numerus peruestigandus eßet,ſatis
eſſe cenſuit, aliquid ex Aſtrologis hac in re ſubindicare : atque vndenā ple-
nior huius rei notitia petenda eßet,oſtendere:ita ferè noster Plato,cū de mor
bis egiſſet,remedia quæ iā contēplanda ſuccedere viderentur,ex quibus quaſi
fontibus haurienda eßent , ſignificare inſtituit . Atque hac ſanè ratione ſuo
muneri ſatisfecit Quòd autem altera ex parte Timæo, quippe qui de morbis
egiſſet,remedia quaſi vltrò ſeſe cōſideranda obijcerent , eâque potiſſimùm de
cauſa,quòd decere videretur cū qui humana incōmoda & damna protulißet,
de ſalutaribus quoque ſermonem facere,ipſemet Plato teſtatus eſt cū diceret,*
Nunc iam conuerſo ordine quo cultu,quibúſue cauſis corporis ani-
míque ſalutem adipiſcamur,decet exponere,iuſtiùs enim eſt de bo-
nis,quàm de malis verba facere. *Quòd verò ex altera intelligeret quidē
hæc non eße Phyſici,ſed tamē interim iudicaret ſine crimine, non dicā expli
cari,ſed leuiter attingi poſſe,iam iam constabit.Et ſanè quod attinet ad mora-*

[Refutatur.]

*lia præcepta res aperta est , quoniam hæc non ſine excuſatione quadam , qua
ſibi aliquid ex alienis pratis decerpendum iudicauit,adortus eſt:aiebat enim.*
Exacta huius rei diſcuſsio propriam & integram diſputationem exi
geret. *Id quod iam antea paulò clariùs ſignificauerat , cum de iiſdem animi
morbis,quos monuerat educatione & doctrina curandos eſſe,diceret.* Sed ho
rum tractatio alio conſtat diſſerendi modo.*Quibus in locis,vt ad dialo
gi decorum tuendum methodi artificium diſſimularet,latenter potiùs docere
voluit,hanc conſiderationem non eße Phyſicā,quàm rem apertis verbis expo
nere.Quod verò attinet ad corporis remedia,res ſic oſtēditur:nam à corporis
morbis ad remedia eâdem planè lege progreſſus est, qua illum ab animi mor
bis ad eorundem remedia ſeſe conuertiße docuimus: idcirco enim cōmuni pro
vtroque genere remediorum prætextu vſus est,æquum eße monens,vt qui de
malis verba fecerat,contraria non prætermitteret. quare ſicut aliquid ſibi ad
animi morbos curandos ex Morali facultate delibandum , ita etiam ex arte
Medica aliquid ad corporis curationem referendum cenſuit.Denique Timæū*

[Authoris ſolutio.]

*ex Medica facultate vix carptim ac breuiter quidpiam attingere:immo ve-
rò ſola remediorum principia & quaſi fontes commonſtrare inſtituiße, ex eo
conſtat,quòd ſola Medicæ artis inſtrumenta propoſuit.Immo verò Chirurgiā
ſilentio præterijt:Pharmacia in neceſſitate ſumma vix vtendum ſignificauit:
Gymnastica,Muſica,Philoſophiaéque studijs (hæc autem quomodo inter re-
media collocauerit:quibúſue iudicauerit cōuenire ſuo loco dicemus)ac motio
nibus tandem aliquibus, diaetáque in primis ad huiuſmodi morbos corrigen-
dos vtendum,vix ſummatim curſímque oſtendit.Vbi ſanè cùm Phyſicū cam-
pum ita ſe undique ferè luſtraſſe animaduerteret,vt & in finitimū quoque pe
dem intuliſſet: ſeſe cohibens , propoſitaque curationis capita commonſtraſſe
ſatis eſſe iudicans,artificioſiſſimè ſuo muneri ſatisfecit . Ergo licet non ſit ne-
gandum Platonem attigiße huiuſmodi remedia,idque eo prorſus conſilio, vt
morborum ac Naturæ deprauationes corrigerentur, id tamen ad Philoſophū
pertinere, Platonémque id vt Phyſicum feciße , quod aßeuerauit Proclus,*

negandum

negandum est. Et ob id, vt rationi satisfaciamus quam pro Proclo attulimus, dixit quidem Plato se ostendisse diligentia victus corrigẽdos esse morbos: & qua diligentia non modò corporea pars, sed etiam homo vniuersus, regenda atque gubernãda sint; idque vt ratio viuendi seruetur; sed hoc vt Physicũ fecisse, quod docuit Proclus, nullo pacto est concedendũ: nã potiùs Medicus fuit: licet cũ hæc ita sobriè attigerit, vt vix quædam remediorum capita indicãs, ea persequi recusauerit; hoc ei summæ potiùs laudi quàm crimini vertendum est.

Esto itaque (vt iam contraria argumenta diluamus) eo tantùm consilio ad morborum remedia deuenerit Plato, vt victus ratio seruetur: esto etiam id sit Medici propriũ, ac viuendi ratio ex cognitione salubrium, in quibus Medicina præcipuè occupatur, maximè pendeat: esto etiam circa sanum & salubre per omne tempus solus versetur Medicus, *atque Medicina ipsa sani scientia definiatur: denique concedatur etiam (id quod ex Galeno afferebatur) & materiam qua conseruatur sanitas, non secus atque illam qua resarcitur, Medicæ contemplationis esse, & antiquos nomine salubrium & insalubrium, tũ quæ præsentem seruant sanitatem, tum quæ restaurãt corruptam, appellare: (quanquam interdum † salubrium nomen his tantùm quæ sanitatem tuentur, concedit: haécque sola vocat salubria: cætera quæ restaurant tantùm auxilia ac remedia vult appellari) veruntamen quia Plato, qua ostendimus ratione, id sibi licere voluit: immo ita hæc remedia attigit, vt ad eorum quasi fontem digitum tantùm intenderit, Physicæ methodi ac rationis turbator minimè censendus est. Atque ex his omnibus non solùm colligere licet Naturalis officiũ esse de humani corporis functionibus, proprietatibus, & (vt rem complectar breui) de humana natura disserere: sed etiã morbos attingere: ac (quod maximam dubitationẽ habebat) nihil medicamentorũ occasione peccasse Platonẽ; sed summo cum artificio atque consilio se in ijs gessisse. Id quod Galeni quoque pace dictũ esse velim & constitutũ. Dũ enim magnus hic author scripsit Platonem in Timæo multa tanquã Medicum tradidisse, videtur sanè, vt suã quisque artẽ amplificare & extollere solet; non propriè ac pressè Medici nomen sumpsisse: sed fusè ac minùs propriè: quatenus scilicet propter Theoriam, quæ per se tota ferè est physica, longè lateque funditur, ac corporis humani partes, functiones, affectionésque peruestigat quas Medico magna ex parte reliquerunt inertes Physici. Cũ tamen hæc Physici magis propria sint: quemadmodũ è contrario medicamenta; quæ propterea prosequi recusauit Plato; ad Medicũ omnino pertinent. Nã si quis recolens Timæũ Locrum Pytagoricũ in libro de Anima & Natura ex varijs Medicinæ instrumentis vnã Pharmaciã Medico tanquã propriã concedere, Platonem, quippe qui Pytagoreorum physiologiã sectatus sit, hoc ipsum sensisse dicat, & verbis illis confirmasse.* Medicorũ illa purgatio est, quæ pharmacis, ideſt solutiuis medelis fieri solet: *ac propterea reliqua de quibus agit, sanitatis instrumenta tanquã Physici propria cõsiderasse; equidẽ cum hæc contemplatio morborum curationem, atque sanitatem ipsam spectet: ac talem finem tum rationibus, tum varijs eiusdemmet Platonis authoritatibus à Physica contemplatione abhorrere sit demonstratum, hoc pacto dubitationem tolli posse non video. Sed quoniam in ipso morborum*

Ad argumenta quæ afferebantur ab initio.

† *in lib. de sectis ad initium.*

borum contextu res planiùs transigi poterit: ibidémque commodiùs intelligi qua ratione non Gymnastica solùm & Ἀλειπτικὴ quam ille refert, sed reliqua etiam instrumenta videantur à Medico remoueri: atque vna demum Pharmacia eidem tribui, iam tandem huic disputationi finem imponamus.

AD DVBItationem ex rebus Astronomicis desumptam.

IN HIS verò in quibus de astris cœlestique corpore dißeruit, ne transuersum quidem vnguem Physici egreßus est contemplationem. Quod vt faciliùs nobis constet, obseruandum est de cœlestibus corporibus varia tũ quæri, tum explicari poße. Etenim in primis eorum essentia occurrit: ob quam ortus ac procreatio primùm, procreationísque causæ, ac partes quibus conflata sunt; considerantur. Proprietates deinde atque attributiones consequuntur: quarum gratia tum motus, tempus, lux, situs, ordo, figura, numerus, & magnitudo: tum quæ ex motu maximè pendent, accessus, receßus, coniunctiones, oppositiones, choreæ (siue flexiones vt loquitur M. Tullius: quanquam ne ambiguitatem vllam creemus, interpretis voces interdum libentiùs retinebimus) concursiones, conuersiones, apparitiones, & occultationes, siue abscesßus: tum denique denuntiationes, portenta, atque huiusmodi alia, si quæ sunt, perpendi debent. Horum verò alia sunt Physicæ scientiæ propria: nonnulla sunt ab eius munere aliena; reliqua demum cum Astrologia censentur ei communia.

Quæ de cœlestibus corporibus aut quæri, aut explicari posſint.

Propria sunt ortus principia & causæ, atque ea denique omnia quæ pertinent ad eorum eßentiam. Etenim cum cœlum sit corpus physicum; atque inter Vniuersi partes collocetur, ipsius principia, quæque ad eiusdem constitutionem attinent, Physici proprium est contemplari.

Quæ sũt Physici propria.

Aliena sunt magnitudo, numerus, choreæ, conuersiones, reuolutiones, oppositiones, coniunctiones, acceßus, receßus, apparitiones, occultationes siue abscesßus, denuntiationes, portentaque & euentus. Cum etenim partim ea sint, vt ex tractatione & notitia quantitatis (vtendum est enim) pendeat illorum explicatio: partim cœlestium magnitudinum, quibus maximè intima sunt, constituant proprietates: partim denique iudicio quodam de singularibus habito, & experientia peruestigentur; Astrologus, quippe qui continuam cœli quantitatem, atque eiusdem quantitatis proprietates contemplatur: huícque etiam ad futura quædam exploranda iudicium & experientiam refert; acceßus, recessus, euentus, portenta, ac reliqua denique omnia explicat, quæ hoc secundo gradu continentur.

Quæ sint à Physica contemplatione aliena.

Communia denique sunt motus, tempus, lux, situs, ordo, & figura: si quidẽ, siue id contingat, quòd Astrologus cœlestium corporum figuram, motus, atque huiusmodi alia tanquam subiectam rem consideret, quatenus scilicet (vt ita dixerim) quanta sunt: Physicus autem vt rei subiectæ, physici inquam corporis, attributionines: siue quòd Astrologus Mathematicis rationibus, Physicus physicis, pro ijs explicandis vtatur: siue quoniam ipse Astrologus has cœlestium corporum proprietates atque attributiones speciatim, articulateque prosequatur: siue denique exploratior huius rei causa, quam etiam ad huius dubitationis finem afferemus, sit requirenda, receptum est ac tritum apud Philosophos ea Physico cum Astrologo (quanquam non eâdem prorsus ratione) eße communia.

Quæ sint Physico cũ Astrologo communia.

Quæ

Quæ omnia cum animaduerteret Plato, tum cœlestium corporum ortum atque causas, tum naturam & essentiam considerauit. Atque ob id (vt interim multa prætercam quæ de cœlesti corpore in vniuersum exposuit) docuit astra ab ipso opifice fuisse condita, tum vt temporis numerum ac mensuram distingueremus, & obseruaremus, tum præcipuè vt Mundus hic, illi qui sola intelligentia comprehenditur, similis redderetur: ostendit quoque eadem astra igne maxima ex parte fuisse conflata, vitalibúsque nexibus compacta, simúlque diuina animalia euasisse: denique ea omnia complexus est quæ ad ipsorum naturas facere videbantur. At verò Choreas, coniunctiones, accessus, ac reliqua omnia quæ ad secundum gradum redegimus: quaéque quæ physicã contemplationem refugere dicebamus, statuit prætermittere. Et idcirco dicebat. Horum verò Deorum Choreas, & inter ipsos concursiones, circulorúmque ipsorum reuolutiones varias, & accessus, quales præterea fiant coniuncti inuicem, vel oppositi, siue ante inter se, siue retro, quídue ex illorum serie nobis proueniat, & quo pacto delitescant singuli, vel emergant, quídue portendant quando orientes hominibus harum rerum peritis timorem incutiunt: hæc (*inquam*) omnia absque diligenti simulacrorum inspectione explicare velle inanis est labor. *His Plato quæ secundo loco collocauimus, magnitudine ac numero exceptis (de quibus postea) significauit prætermittenda. Cætera verò quæ tertio loco habentur, quaéque Physico (quod infra demonstrabimus) cum Astrologo sunt communia, quatenus Physici erant, scrutatus est. Atque ob id cum pronuntiasset, errantes illas stellas fuisse à Deo conditas, circulísque affixas, situm & ordinem explicare aggreßus, aiebat.* Lunam in primo supra terram circuitu posuit: in secundo Solem; Luciferi deinde globum, & Mercurij sacrum, vt dicitur, orbem circulis affixit. *His vt apparet astrorum situm & ordinem aliqua saltem ex parte complexus est: & inde ad motum & tempus protinus deuenit. Nam cum de ipsorum astrorum constitutione adhuc loqueretur, dicens.* Postquam verò singula quæ ad seriem temporis pertinebant, conuenientem sibi progressum sortita sunt, corporaque nexibus compacta uitalibus animalia euaserunt, *addidit statim.* Præscriptum tenorem & institutum tenuerunt, ut uidelicet secundùm alterius, diuersaéque naturæ obliquam agitationem eiusdem ipsius agitationi subiectam orbes illi partim ampliorem, partim angustiorem circulum peragant: & quæ minorem velociùs, quæ maiorem tardiùs reuoluantur. Secundùm verò ipsam eiusdem naturæ lationem, quæ uelocißimè percurrunt, comprehendentia, à tardioribus percurri videntur. Omnes quidem eorum circulos superna vertigo uaria circuitione reuoluẽs, propterea quòd isti duobus simul contrarijs motibus agitantur, id quod tardißimè ab ipsa quæ uelocißima est, recedit, proximum declarauit. *Hæc atque huiusmodi alia de motu & tempore. Quibus etiam nonnulla adiecit, quæ cum ad motum & tempus, tum præcipuè ad lumen pertinent, idque his verbis.* Vt autem esset quædam uelocitatis tarditatísque

Quæ considerauit Plato, quaéue prætermisit.

tatísque illorum mensura certissima, omniúmque octo motuum prodiret in lucem chorea, accendit lucem clarissimam DEVS in secundo a terra circulo, quem modò Solem vocamus: cuius splendore cœlum omne illustraretur: & animantes omnes, quæcunque natura numeri capaces sunt, ipsius participes efficerentur, vsum numerandi discẽtes ab illo eiusdem similísque naturæ circuitu. Hinc quoque noctis diéique varietas orta est: propter hæc etiam vnius sapientissimíque circuitus reuolutio. Mensis verò prouentus quando Luna lustrato circulo suo, Solem consequuta est. Anni vbi Sol suum peragrauerit orbem. *His (inquam) omnibus Plato noster tum ea complexus est, quæ ad astrorum cœlestiúmque corporum naturam cognoscendam faciebant: tum proprietates illas quas ad tertium gradum coniecimus, explicauit. Vt propterea hinc quoque satis constare possit quo consilio dixerit B. Hieronymus in Timæo agi etiam de astrorum cursu. verè enim astrorum cursus attingitur, ac non paucis attingitur: sed temporis gratia. Nam de harmonia & numeris idcirco, vt opinor, scripsit in eodem libro disputari, quia Macrobium offendit in Somnio Scipionis cœlestem illum Ciceronis seu potiùs Pythagoræ concentum ijs ipsis numeris explicantem, quibus Timæus Mundi animam constituit. quasi verò solæ illæ numerorum proportiones ad cœlestem illum concentum & harmoniam essent idoneæ. Quare sequitur quidem Macrobij sententiam: at verò numeros illos, aut quæ in numeris illis latet harmoniam, subiectæ materiæ partem eße, non (quod nos contendimus) naturalis animæ constitutionis symbola, non definit.*

Dubitatur ad huc primo loco.

Sed fortaße ad superiores dubitationes rediens, sic instabis. Cur de stellis egit, quas aßerunt mutabili ratione moueri, ac vagas appellant: de ijs verò quæ suis circulis perpetuò inhærent, ac fixæ nuncupari solent, non disputauit? cum præsertim hæ etiam, quippe quæ mobiles sunt, ac tempus gignunt, eâdem ratione qua errantes ac vagæ pertineant ad Physicum? Ob id enim videmus à Platone, tam eas quæ mutabili ratione labuntur, quàm quæ suis sedibus fixæ permanent, temporis instrumenta appellari.

Secundo.

Cur inter vagas ita accuratè perpendit inferiores: reliquas verò penitus ferè prætermittit?

Tertio.

Sed & cur aßerit, Cæterarum stellarum ordines, progressúsque & rationes si quis omnino percurrere velit, plus erit opere ipso, quod operis gratia sumetur?

Quarto.

Quid causæ illi esse potuit, vt quatuor errantium astrorum motum, & quibus temporibus suos orbes conficiant; circulorum præterea omnium reuolutiones seu conuersiones non paucis attigerit: atque octo motuum choreas à Sole docuerit mensurari; cum postea sui propè immemor choreas ipsas ac circulorum reuolutiones omittendas esse pronunciauerit?

Quincto.

Qua etiam de causa perpendit progressiones & motus quatuor inferiorum astrorum, déque absoluta illa egit omnium orbium conuersione, ex qua oritur ac completur perfectus temporis numerus & perfectus annus; cum hæc Astrologi industriam præcipuè desiderare videantur?

Sexto.

Contra verò cur lucis, cuius naturam cumulatè explicare videtur esse Physici, vix subindicauit ortum ac procreationem, prætermisitque astrorum singulariúmque sphærarum cœlestium

figuram

figuram, & magnitudinem? Nam si forte hæc ei videbantur Astrologi propria, ea saltem ad eorum numerum reuocare debuißet, quæ retinenda esse monuit: quemadmodum de conuersionibus, portentis, atque huiusmodi alijs multis fecit, de quibus minùs fortaße suboriri poterat dubitatio. Qua præterea ratione permotus est, vt cum Vniuersitatis disputationem se Timæo ob id tribuere affirmasset, quòd in Astronomia eßet versatus, nunc quæ Physici sunt (vt tua fert opinio) tantùm complexus est Timæus: quæ verò ad Astronomiam pertinent, omnino præterijt? Denique quænam eum impulit causa, vt cùm attributiones spectent ad eandem scientiam, qua & ipsa substantia continetur cui inesse dicuntur, earum plurimas ab ipsius substantiæ contemplatione disiungat? Neque enim apparet adhuc ratio, ob quam potiùs de motu, situ, ac de huiusmodi alijs, quæ tempori, temporisque instrumẽtis annexa sunt, quàm de reliquis fuerit disserendum: cum præsertim noster animus, dum cœli naturam ac vim contemplatur, non secus alia omnia de eo percipere cupiat, quàm quæ de motu, situ, atque eiusmodi alijs à Platone traduntur. Hæc (inquam) Platoni obijcias in re proposita.

Septimo.

Octauo.

Veruntamen certum esse debet, Platoni in Timæo haud fuiße propositum quidquam nisi physicum pertractare: siquidem, cum exposuisset qua de re Timaeo dicendum foret, à Mundi ortu exordiendum esse, indéque ad hominis naturam vsque deueniendum affirmauit. Atque idcirco etiam nihil est, quòd suspicemur Astronomi personam Timæo fuiße subeundam. At verò (inquies) hoc quoque est, quod adhuc vocatur in controuersiam, nam si praesens Timaei disputatio omnino est naturalis existimanda, mirum quidem est ea prorsus ratione Timaeo à Mundi ortu incipiendum, atque ad hominis vsque naturam progrediendum fuiße, quòd non solùm in rerum natura contemplanda versatus esset, sed longè etiam in Astronomia reliquis qui tunc adeßent; omnibus antecelleret. Mirum sanè, (fateor) sed quod tandem opinionem nostram (vt iandiu etiam monebam) magis ac magis confirmat. Etenim Astronomia id præcipuè vtilitatis attulit hominibus, vt ea duce, Mundi, vniuersæque Naturæ ordinem scrutati, ipsam denique Philosophiam sint adepti. Atque hoc appositè quidem in Timaeo docuit Plato: nam cum de oculis ageret, atque vtilitatem proponeret, quam ex oculis percipimus, horum vsu Solis ac reliquorum astrorum cursus, cœlique reuolutiones atque ambitus, mensium quoque & annorum conuersiones notatas; atque (vt rem paucis cõplectar) Astrologiam ipsam, ex qua deinde vniuersa Naturæ ac Mundi notitia, seu potiùs Philosophia profecta sit; cognitam fuisse voluit. Et idcirco asserebat. Optimarum rerum (vt arbitror) cognitionem nobis oculi attulerunt: nam hæc quæ de Mundo disputantur; nunquam inuenta essent, si neque sidera, neque Sol, neque cœlum suspici potuissent. Cognitio verò diei ac noctis ab oculis orta fecit, vt dinumeratione quadam mensium, annorumque ambitus metiremur, tẽpus cognosceremus, vniuersæ Naturæ ordinem scrutaremur. Quibus ex rebus Philosophiam adepti sumus. *Hæc Plato. Quæ cum ita sint, quis est, qui non videat, hic non alia ratione Astrologiæ*

Dubitationibus respondetur.

Ad septimũ.

cognitionem in Timæo probari, atque adeò ostentari, quàm vt cum Plato de Mundi ortu atque natura eum faceret disputantem, præclarè Vniuersitatis ordinem obseruaße, atque illarum rerum omnium, quæ à Natura inuoluta sunt; acriter inuestigaſſe intelligamus? & hinc est; vt quemadmodum à principio disputationem quæ ad Vniuersum attinet, Timæo detulit, quia & Astronomiæ peritissimus esset, & in rerum natura cognoscenda versatus: ita in orationis progreßu, quæ de Mundo ab ipso Timæo disputabantur, Astrologia duce inuenta esse significauerit. Atque ex his etiam satisfactum putarim dubitationi, quæ hoc nomine de dialogi instituto à principio oriebatur: dũ nõ in vniuersis rebus naturalibus solùm, atque in physiologia ipsa versari, sed in aliquibus etiam quæ ad Astronomiam pertinent, hinc videbatur ostendi. **Egit** *verò (vt ad reliquas dubitationes progrediar) non de stellis solùm, quæ vaga & mutabili ratione labi videntur; sed de iis etiam, quæ suis sedibus perpetuò inhærent. nam quæ supra obseruauimus de astrorum ortu ac natura, déque eorundem principiis à Platone fuiße disputata; eadem (si attentiùs inspicias) magna ex parte ei quoque astrorum generi conueniunt, quod suis circulis fixum permanere dicebamus: siquidem hæc sidera ad exemplum quod sola intelligentia percipitur, atque ex eâdem materia ex qua errantia, condita fuiſſe, eadémque diuina animalia euasiße, ac cætera id genus ostendit. Atque ob id etiam dicebat.* Qua ex causa facta sunt astra illa erroris expertia: quæ diuina animalia sunt: propereáque in eodem semper circuitu perseuerant. *Quoniam verò quæ errantia ac vaga dicuntur; cum oculorum aspectui magis exposita sint, ob manifestas lationes id præcipuum habent, vt tempus, vtpote lationum mensuram ac numerum, perfectiùs referant; idcirco Plato, cum de tempore agere eßet aggreßus, illustriorem de errantibus mentionem fecit, ac præcipuè Solis & Lunæ, quibus annos, menses, dies, atque omnia denique temporis interualla dimetimur. Et idcirco cum de temporis ortu disputaret, dicebat.* Hac ratione consilióque Dei tempus creare volentis, Sol & Luna, & aliæ quinque stellæ quæ vocantur erraticæ, factæ sunt, quò temporis numerus distinguatur atque obseruetur. *Et hac etiam de causa Solis præcipuam rationem habuit: ab hoc cœlum vniuersum illustrari: ex eiusdem circuitu à nobis numerandi vsum perdisci; hinc etiam diei ac noctis varietatem eße profectam, atque huiusmodi alia pluribus declarauit. Quamobrem etsi stellæ etiam, quæ erroris expertes eße dicuntur, cum ipsæ quoque sint mobiles; tempus progignunt: atque ob id temporis instrumenta à Platone censentur; veruntamen cum earum lationes, siue ob distantiam, siue ob motus tarditatem, siue alia de causa non ita facilè percipiantur, ineptissimum fuiſſet ex iis temporis mensuram desumere, vbi Sol & Luna certas nobis numerandi atque dimetiendi rationes præberet. Atque hinc etiam licet animaduertere cur dixerit Plato.* Cæterarum stellarum ordines, progreſſúsque & rationes, si quis omnino percurrere velit, plus erit opere ipso, quod operis gratia sumetur. *Iam etenim complexus fuerat ordines progreßúsque & rationes Solis & Lunæ, ac Luciferi præterea & Mercurii: ac propterea succe-*

Ad primam & secundam.

Ad tertiam.

rea succedere videbatur, vt hæc eadem de reliquis stellis doceret ac prosequeretur. Ipse igitur cum animaduerteret id non sine longa disputatione effici posse: immo verò intelligens ex reliquorum astrorum progressionibus temporis atque eorum denique omnium, quorum gratia astrorum disputatio suscepta fuerat, explicationem inopportunè requiri vbi ex quatuor inferioribus stellis, atque ex Sole in primis petita eßet, cæterarum stellarum contemplationem, quippe quæ longiore disputatione indigeret, seu veriùs eo tempore eßet superuacanea, prætermittere instituit. Atque hac etiam de causa factum est, vt quatuor inferiorum astrorum progressiones inter se contulerit. Nam quemadmodum de singulis horum astrorum lationibus ob id præcipuè egit, quia hinc tempus commodiùs quàm ex superioribus obseruari poterat: ita ad eandem temporis naturam patefaciendam has ipsas astrorum flexiones ac periodos maximè decuit comparare. Verùm cum tempus & eius partes in his inferioribus stellis, atque in Sole praecipuè & Luna obseruaßet; iam ne quis tempus ipsum ea ratione ex ijs pendêre iudicaret, vt tota eius natura in his posita esset atque constituta; monet cum in caeteris etiam sideribus reperiri; tum præsertim perfectum tempus, absolutámque mensuram in perfecta omnium circulorum conuersione, absolutóque anno versari. Atque ob id cũ in quatuor illis sideribus tempus eiúsque partes diligenter notaßet, aiebat. Cæterorum autem siderum ambitus ignorantes homines præter admodum paucos, neque nomine certo illos appellant: neque numeris inter se distinctis commetiuntur. Itaque (vt ita dixerim) nesciunt horum peruagationes id ipsum esse, quod ritè dicitur tempus. *Ac denique cùm de perfectissima illa mensura absolutóque tempore verba faceret, addebat.* Est tamen intellectu facile, quòd perfectus numerus temporis perfectum tunc demum compleat annum, cum octo ambitus confectis suis cursibus, quos orbis illis semper idem, similitérque procedens metitur, ad idem se caput retulerit. *Atque ex his, reliquísque omnibus, quæ in hanc sententiam attulimus, non modò absolutum cœli motum, temporis quasi fontem eße ostendit; sed (si rectè animaduertas) tempus ipsum, sicut motum consequitur, & ipsius est mensura; ita in vniuersis cœlestibus corporibus quippe quæ continuis lationibus feruntur; reperiri, ac denique tempus vnà cum cœlo factum, in eiúsque motu, id quod à principio significauerat, situm esse; pulcherrimè demonstrauit. Quamobrem cum hæc temporis gratia tradiderit; profectò nihil est quòd hoc nomine suspicemur Timæum egressum eße Physiologiæ fines. Neque verò, dum in haec interim incumberet, lucis naturam praetermisit: nam exposuit cœlum spectabile factum eße, idque vi atque ope ignis: astra praeterea ipsa, vt splendidissima euaderent, igne magna ex parte eße composita: atque hunc denique ignem non vrere: sed suauiter illuminando diem Mundo afferre. De cœlesti figura etiam multis sine dubio disputauit: nam cum rotunda figura cœlo aut solùm, aut praecipuè conueniat, sine crimine non potuißet de ea non agere; sicut peculiares astrorum, aut singularum sphærarum figuras; quippe quæ ad Astrologum pertinent; iure optimo*

Ad quintam.

Ad sextam.

praetermisit. Vt non mirum videri debeat Platonem dum de ijs attributionibus verba faceret, quæ in tractatione cœli essent Physico prætereunda, figuræ mentionem non fecisse: cùm ad Physicum etiam pertineret. De cœlesti autem magnitudine (si Peripateticis placet) primaria saltem ratione, non est Physici disputare: quia quemadmodum magnitudine sustinetur Geometrica contemplatio: ita Astrologus hanc sibi in cœlesti corpore tanquam propriam materiam substernit. Et licet Plato tanto studio eas cœli attributiones ac qualitates collegerit & enumerauerit, quas Timæus, vt qui Physicus erat, præterire debebat: nihil tamen de magnitudine mentionē facere oportuit: cùm cōuersiones, choreas, & huiusmodi alia, quæ, quoniã motũ includunt, atque ad physiologiã proximè accedunt, dubitationem facere potarant, proponere; & ad Astrologiã reijcere maximè conueniret. magnitudinem verò qua sublata, Geometriam ruere necesse est; physicam contemplationem postulare non est cur suspiceris: ac si suspiceris, statim atque ex eo audias conuersiones, & cætera id genus non esse physica, omnis suspicio cesset necesse est. Ad quartam. *Dum verò negat Timaeus de choreis, déque circulorum reuolutionibus sibi agendum esse, cum tamen paulò ante explicauerit quibus temporibus nonnullæ ex errantibus stellis suos orbes conficiant, docueritque Solem tanquam certissimam mensuram octo cursuum velocitates tarditatésque declarare, & huiusmodi motuum choream suo lumine manifestare, ac denique de circulorum reuolutionibus verba fecerit; quod ad Choreas attinet; profectò hae nihil aliud Platoni significant hoc in loco quàm iugem illam ac perennem positionum aspectuum atque constellationum (quam aliqui vocant) varietatem, ob quam astra ipsa in perpetuo quodam tripudio ac motu versari, & quasdam quasi Choreas agitare videntur. Quamobrem cũ ea omnia de sideribus exposuisset, quæ ad ipsorum essentiam atque naturam pertinebant: iámque illud superesse videretur, vt horum Deorum, astrorum inquam, lationibus collatis, quinam cōcursus inter eos fierent, exponeret, Plato quippe qui animaduertebat id nō esse propositi instituti, ac proinde ab hac tractatione esse abstinendum, monuit mutuas horum Deorũ Choreas, idest motus, flexiones, & quæ ex ijs apparēt, positiones atque tripudia sine diligenti simulacrorum inspectione frustra ad explicandũ assumi: atque hoc prætextu inopportunã tractationē subterfūgit. Atque hoc ipsum (vt alteram huius argumenti partē diluam) de circulorum reuolutionibus seu conuersionibus iudiciũ ferendum est, dum easdem circulorum conuersiones recusat prosequi. Nã cum eas saltē, quod attinet ad quatuor inferiores, cōsiderasset paulò ante: sine repugnantia vlla mox abnuit easdē cōferre mutuò. & quãuis, quod spectat ad velocitatē & tarditatem, eas inuicē cōparasset, tum quia docuerat vniuersas eiusdē alteriúsque naturæ circuitu permoueri, tũ præsertim, quia ostenderat vndenã velocitas tarditásque in illis proueniat: hoc tamen ad vnã temporis naturam retulit explicandã. Vt cùm varia tũ de astrorum cursu, tũ de orbium cōuersionibus inuestigari possent, in primis verò (quod in Epinomide Astrologi maximè propriũ iudicatur) octauã sphærã inferioribus circulis conferenti occurrerent multa, quæ diligenti contēplatione indigerent; ipse ea tantùm attigerit quæ ad Physicum pertinerent.*

Non igitur

Non igitur aut sui immemor fuit Plato, aut pugnantia loquutus est: sed cùm & ea quidem, quæ de Choreis tradidit, ad cœlestes orbes; quæ verò omittēda indicauit, ad sidera pertinerent, & quæ præterea de circulorū conuersionibus docuit, ad tēpus, quæ autē reiecit, ad Mathematicā quantitatē spectarent; physiologiæ leges optimè conseruauerit. Iā verò progrediar ad postremā dubitationē: in qua dū quæritur ratio, ob quā Physicus in varias incidens cœlestiū corporū attributiones, quas omnes noscere expetit animus, vix aliqas attigerit: cùm præsertim magna pars earū, quæ prætermittuntur, quendā quasi nexū atque coniunctionem cū reliquis habere videantur, obseruandū sanè est, à nulla scientia, si tamē vera cognitionis via progrediatur, eas attributiones de subiecta materia cōsiderari, quæ sunt ipsi materiæ cū alia re, quæcunque ea sit, cōmunia. Nā vt res nouissimis, maximéque proprijs differentijs perficiūtur, atque ad suas species rediguntur: vera expletaque scientia nisi proprijs ac postremis differentijs cognitis cōparari haud potest. Verùm, quamuis scientia in huiusmodi attributionū atque differentiarū cognitione posita sit, quia tamen hæ nobis sunt ferè sēper ignotæ, idcirco, dū in tanta rerum ignoratione versamur, necesse est, vt sæpenumero persequamur ea quæ subiectis rebus cum alijs sunt cōmunia: ita vt vbi definitionē, quæ propriam differentiā desiderat, attingere nō valemus, descriptione, quæ extrinsecùs assumitur, atque communibus differentijs cōtinetur, contenti esse debeamus. Et hinc est, vt in artiū disciplinarúmque tractationibus multa reperiātur passim, quæ ad proximas differentias, perfectámque scientiā non pertinent: sed leuioribus quasi indicijs, quod quæritur, ostendūt. At verò cœlestis corporis attributiones sunt in quadruplici genere cōstitutæ: primæ enim ea tantùm ratione cōueniūt cœlesti corpori quâ quātitate cōtinetur: aliæ quâ est corpus naturale: tertiæ quatenus certa quadā corporis naturalis specie, cœlesti scilicet cōcluditur: postremæ denique quatenus noua rursus ac magis definita ratione coarctatur; cuiusmodi sunt quæ Solis verbi gratia propriæ sunt: ac nōnullæ etiā (si quinctū genus ex alijs permixtū non spernas) nō vnius, sed multarū attributionem notionē includunt. Quæ cū ita sint, profectò dū tot támque multiplices attributiones in cœlesti corpore obseruamus, ac simul quærimus, quæ Physico cōsiderandæ sint, quæ prætereundæ, ac iure ne has quidem attingerit Plato, illas omiserit; ex superioribus res erit dijudicanda. Attributiones enim, quæ ad primū gradum pertinent, ac cœlo insunt quatenus continua (de discreta enim infra dicetur) quātitate concluditur, Astrologi interest considerare. Nā dum merus Mathematicus omne quantitatis genus tā continuum, quàm discretum, nulla substātiæ, cui inhæret, ratione habita cōtemplatur; Astrologus, qui Geometriæ substernitur, magnitudines cœlestium corporū perpendit: ac propterea Solē docet verbi causa aut Saturnū esse huius vel illius ambitus: Lunā ab octaua sphæra tanto interuallo distare, & (vt dicā breui) quālibet cōtinuæ quantitatis rationē in cœlesti corpore peruestigat. Itaque iure optimo (vt ad rē redeā) Plato continuā cœlestiū corporū quantitatē prætermisit. At verò, quæ cœlesti corpori nō ea planè ratione accidūt qua concluditur qtantitate, sed vel vt est naturale: vel quatenus certa corporis naturalis specie, nimirū cœlesti, continetur: vel deni-

Ad octauam.

que

que noua quadã ac magis definita ratione constringitur, hæc cum sæpe Astro logi, tum præcipuè Physici contemplationem desiderant. Et sanè, quod interest Physici, ratio in promptu est: nam cum Physicus subiectam sibi materiã, tum in vniuersum, tum in singulis speciebus generalibus, ad indiduas vsque progrediens, contempletur; primùm quidem, quod attinet ad proprietates, principes physici corporis attributiones perpendit: deinde verò ad eiusdem magis communium specierum attributiones descendit: atque ita primo loco disputat de motu, vtpote generali subiectæ materiæ proprietate: deinde ad minùs generales progrediens, et in cœlo motũ qui fit in orbem, (circularẽ appellant illũ) & rotunditatẽ globosámque formã, si tamen aut solùm aut primaria ratione illi cõueniat, et in Sole luciditatẽ seu claritatẽ mauis, vel certè id quod ei primò ineße arbitratur, obseruat: atque hoc ordine ad indiuiduas vsque species proficiscitur. De Astrologo verò satis id ipsum constare potest: nam cũ cœlestis corporis quantitatẽ (vt paulò ante explicauimus) tractet, fit vt quemadmodũ cœlum vniuersum, orbésque considerat, atque in singularum etiam stellarum consideratione versat[illegible]; ita etiam attributiones, de quibus loquimur, vel quoniam quantitate concluduntur, vt de motu, tempore, & figura contingit; vel quòd sunt cum quantitate coniunctae, quod in situ & ordine cernitur: vel quia veluti quantum assumantur, quemadmodum in lumine fieri solet: vel denique quòd cœlestis quantitatis sint affectiones, quod motui ac reliquis omnibus attibutionibus accidit, eiusdem Astrologiæ contemplationem effugere nullo modo possint. Ac simili ratione iudicarim eorundem cœlestium corporum accessus, recessus, oppositiones, coniunctiones, Choreas & concursiones, conuersiones, apparitiones, atque occultationes ad Mathematicum omnino esse reijcienda. Nam licet hae attributiones ipsis corporibus cœlestibus non ea planè ratione conueniant, qua sunt quanta, (sic enim omni quanto conuenirẽt) veruntamen cùm non sine quantitatis & Geometricarum rationum præsidio explicari queant, ac præterea (quod rem continet maximè) cœlestibus corporibus ob quantitatem, motum, ac lumen perquamintimæ sint, & proprietatum instar adiunctae; Astrologus vt cœlestem quantitatem tanquam propriam materiam contemplatur, sic in eiusdem quantitatis proprietatibus versari debet. Quod si tueri velis non modò cœlestes magnitudines, verùm etiam ipsarum motum, tempus atque figuras continuae quantitatis partes (id quod paulò ante indicauimus) censeri posse: immo lucem quoque & ordinem, quantitatis ratione atque legibus ab Astro logo tractari, ac proinde accessus, recessus, reuolutiones, atque alia omnia, quæ nuper cum his recolebamus, propter quantitatem, motum, lumen, ac tempus, quibus sunt adiuncta, attributionum rationem omittere, ac materiæ locum subire dum sub Astrologi considerationem cadunt, equidem non valde in præsentia repugnabo: nã præterquam quòd eodem planè modo tueri poteris ea omnia, quibus docuimus quænam inter tot tantásque cœlestium corporum affectiones sint Astrologi aut Physici propriæ, quæue sint vtrique communes; hanc eandem viam Auerroës, clariùs autem Themistius tenuit: ille enim † huiusmodi affectiones materiæ subiectae potiùs, quàm proprietatum

† lib. 2. phys. com. 18.

prietatum rationem sibi voluit vendicare, dum à Mathematico considerantur: alter verò id de Astrologia disertissimis verbis † expressit. Immo verò Plato ipse septimo de Republica, dum de Mathematicae disciplinæ partibus loqueretur, ac singulis propriam materiam assignaret, statuit Astrologiam in profundi agitatione, hoc est (vt ego quidem arbitror) in motu eorum quæ trina dimensione constant, versari. Vbi sanè videtur, motum non minùs quàm ipsam quantitatem Astrologi materiam facere.

† lib. 2. phy. par. 5.

Cuius sit orbium cœlestium, astrorúmque numerum inuestigare.

Verùm vt dubitationem per omnes cœlestium corporum affectiones explicemus, quid de numero tandem dicemus? Num huiusmodi corporum numerum inuestigare, siue circulos spectemus, siue etiam astra, ad Physicum pertinebit? an verò Astrologo, seu potiùs vtrique conueniet? Etenim Astrologus (vt de eo primùm dicam) ita sanè circulorum astrorúmque numerum persequitur diligenter: ita etiam discreta temporum interualla in cœlestibus motibus notat, atque Solis cursum gnomonis beneficio ad eadem interualla temporis in rebus inferioribus configurãda refert atque dignoscenda, vt non minùs discretam quàm continuam quantitatem spectare videatur. Huc accedit, quòd cum Musicus longè absit ab huiusmodi affectione in cœlesti corpore contemplanda; Physicus verò, quippe qui Mathematico non substernitur, ab hac ipsa quantitatis parte refugiat; Astrologo certè nisi humanam mentem hac numerorum cognitione, quam tamen expetit, carere velimus, totum munus erit committendum. vt iure Aristoteles xij. Metaphysices † cœlestium circulorum numerum inuestigans hunc sibi ab Astrologo petendum esse statuerit. Quid plura? Cum varia suae artis theoremata probare non possit Astrologus, nisi numerorum vim ac naturam animo habuerit comprehensam (secus enim in illis docendis in ingentes quasi ruinas incideret) iam, si de circulorum astrorúmque numero sit disputandum, quis Astrologo ipso perfectiùs præstare id poterit? Quanquam ex altera parte, cum Astrologia subalternetur (vt aiunt) Geometriæ: atque haec à discretæ quantitatis cõtemplatione abhorreat; quis audet ab Astrologo tale quantitatis genus requirere? Ergo cum homo astra cœlestésque motus inspiciens, maximè cupiat ipsorum circulorum & astrorum etiam tam errantium quàm inerrantium numerum percipere, profectò, vnus Naturalis superesse videtur qui huic muneri satisfaciat. Res itaque vtrinque habet dubitationem. In qua; si eam quidem rationem ineamus, qua Astrologum diximus quantitatem continuam in cœlesti corpore tanquam materiam habere quam tractet: cætera verò persequi tanquam eiusdem materiæ proprietates, res non difficilis est quæ explicetur. nam sine dubio circulorum & astrorum numerum Astrologi erit contemplari. Neque propterea in hac discretæ quantitatis contemplatione Arithmeticæ subibit imperium: nam (vt diximus) non considerat quantitatem hanc discretam tanquam subiectam materiam, aut eius speciem: quemadmodum facit cum considerat Solis magnitudinem, & huiusmodi alia: sed tantùm vt materiæ proprietatem atque additamentum. At subalternatio, siue subiectio fit ratione materiæ, non ratione accidentium. Et ideo Astrologus materiam accipit à subalternante omnibus accidentibus vacuam.

† Cap. 8.

† lib. 2. phy. tex. 12.

vacuam. His accedit quòd quamuis huiusmodi cœlestium corporum numerū tanquam materiam contemplaretur (quod tamen non cōcedimus) non idcirco tamen Arithmetico subijceretur. Nā numerus, quē Astrologus tractat atque obseruat in cœlo, nō eius generis est, quo Arithmetica disciplina sustentatur: sed potiùs ex supputandi siue ratiocinādi arte desumptus, quā Arithmeticam practicam nonnulli vocant. Atque idcirco omnibus est in promptu, Naturáque ipsa duce in publicis priuatísque cōmercijs ab omnibus hominibus atque artibus vsurpatur: ac sine eo (vt septimo de Republica & in Epinomide tradit Plato) consistere artes non possunt. Quamobrem Astrologus non probat aut requirit in cœlesti corpore proprietates, quas tractat Arithmeticus de suo illo numero abstracto; tunc enim sine dubio Arithmetico subijceretur; sed in cōtinua quantitate (quod omnes artes in suis materijs facere solent) inquirit eū: atque hoc etiam numeri genere vtitur in discriminandis temporis interuallis. Neque propterea Timæus attigit Astrologi munus, dum in cœlesti contemplatione haud omnino visus est à numero abstinuisse. Etenim dum septem errantium astrorum mentionem faceret, non hunc quidem numerū de orbibus cœlestibus (id quod Astrologus tum de ipsis orbibus, tum de astris facit) aut probauit, aut conquisiuit: sed potiùs ipsum, vt vulgatus atque aspectui propè obuius est, ad motus & tēporis, atque eorū etiā quæ tempore mensurantur, cognitionē, & (vt summatim dicā) ad Mundi constitutionem explicandā vsurpauit. Atque ob id dum hanc tractationem aggrederetur, aiebat. Hac ratione consilióque DEI tempus creare volētis, Sol, & Luna, & aliæ quinquæ stellæ quæ dicuntur erraticæ, factæ sunt; *atque multa alia habuit, ex quibus satis intelligitur hunc numerum temporis ac rerum naturalium gratia ab eo tantùm memorari. Quòd si ad hanc eandem dubitationem explicandam eam viā atque rationem inire velis, qua dicebamus proposita cœlestis quantitatis accidentia ac proprietates, dum ab Astrologo considerantur, non amplius videri affectionū, sed potiùs eiusdem quantitatis locū retinere; res paulò difficiliorem habebit explicatum. nam numerus, sicut & situs, non potest vt quantus considerari: quare nec ab Astrologo vt quantus poterit pertractari: nisi forte cum discreta cœlestium corporum quantitas oriatur ex continuæ diuisione, ac situs præterea non extet sine magnitudine, hac ratione ad quantitatis continuæ leges hæc quoque reuocentur, ac tanquā subiectae materiae partes statuantur. Quanquam longè commodiùs agi videatur, si haec omnia (vt diximus in priore explicatione) tanquam accidentia attingi ab Astrologo tueamur. Cùm praesertim hoc pacto optimè tueri possimus in Astrologia, sicut & in reliquis disciplinis, praeter materiam subiectam, eiusdémque partes seu species, proprietates etiam atque accidentia reperiri: quod hac secunda responsione vix ac ne vix quidem efficitur. Quamobrē quicunque inter tot cœli attributiones nexus intercedat, ne vagetur animus, hoc solùm ordine, quem attulimus, earum notitia quaerenda est. Dum itaque Timæus Physico more cœlestis naturae cognitionem quaerens, alias quidem ipsius cœli, astrorúmque attributiones amplectitur, alias aspernatur ac negligit, eius consilium ac methodi artificium probemus necesse est. Haec*

habui

habui in præsentia quæ de hac re grauissima dicerē. Vbi sanè vt in solerti Platonis methodo atque doctrina totus hæsi, in qua ijs enumeratis quæ de cœlo sese nobis ad contemplandum offerrent, Astronomicísque repudiatis, Physica est prosequutus: ita etiam libenter ad ea, quibus Aristoteles cum alibi, tum præcipuè lib. 11. de Physica auditione harū disciplinarum discrimen exposuisse dicitur, tum agnoscenda, tum verò cum Platonicis comparanda progrederer. Verùm cū illis tantas tenebras offudisse visus sit vt Peripateticos in varias opiniones, ne dicam syrthes, disiecerit: ac vel ad Astrologiam Physicae partē faciendam, quæ illius fuit in dicendo obscuritas, non ignobiles Peripateticos impulerit; iam ne ego aut ipsis Peripateticis non citatis, aut controuersijs scopulísque neglectis, quid sentiam in medium afferam: aut illis etiā accersitis, cognitísque opinionibus, longiori huic disputationi adhuc plurima cogar addere, rē ad proprium Timæi locum reijciā. Vbi ne aliquid prætermittā, quod existimem ad hanc disputationē pertinere, quæram primò, An Astrologi intersit solas cœlestium corporū, an verò totiùs Mundi, eiusdémque partium magnitudines contemplari. Tum hoc constituto, nexum videbimus, qui cum Geometria, seu Sterometria potiùs ac naturali etiā Philosophia intercedit ei: germanas quoque eius partes quasi nascētes, ac munera denique vniuersa cōsiderabimus, ea interim agnoscentes omnia, quæ Plato tum alibi, tū praesertim septimo de Republica, in Epinomide, atque in Conuiuio, & Aristoteles secundo de Physica auditione atque alijs in locis hac de re tradiderunt.

AD DVBItationemqua Dij vna cum Mnndo subijciebanturTimæo.

Superest vt eam rationē diluamus, qua dialogum hunc non modò Physicū, sed etiam Theologicū esse ideo probauimus, quòd Timæo non solùm Vniuersi ortus, verùm etiā Dij ipsi tanquā materia subijciantur. Cùm enim dixisset Timæus multa de Dijs, déque Mundi generatione à multis fuisse prolata: excusassétque sese, quòd exploratissimas rationes afferre nō posset, de ijs ipsis, de Mundi inquam generatione & Dijs, se dicturum professus est: ita vt haec ipsa aut subiectam dialogo materiam constituere, aut certè ad illam referri sit necessariū. Quod tamen, quod pertinet ad Deos, opinioni nostræ nullo modo consentit. Haec autem dubitatio (vt verè fatear) diu me torsit: nam quid prorsus Mundi generatio significet in præsentia, non facile est primo aspectu assequi: quid autē Deorū nomine intelligendū sit, difficillimū. Et quod attinet ad Mundi generationē, res inde ostēditur, quia eius nomine Mundi originem intelligere nō possumus: quasi significare voluerit Timæus se omnino firmas perspectásque rationes quæstioni illi adhibere non posse, in qua quaeritur, an Mundus fuerit semper sine vllo generationis initio: an verò ortus sit ab initio sumens exordium: nā hæc quæstio multò antea fuerat explicata: Quòd si vniuersam Mundi procreationē intelligamus; iam afferenda erit ratio, cur non de Vniuersitate solùm, sed etiam de Dijs dicendum proposuerit: cum Timaei disputationē per Vniuersum tātùm tanquā per subiectā sibi materiā pertinere varijs atque perspicuis ipsiusmet Platonis testimonijs cōstet. Difficillimū verò est agnoscere quid Deorū nomine significetur: nam vel Dæmones intelligit, vel astra (hæc enim à Timaeo disertissimis verbis in illorum Deorum numero reponuntur, quos ab Vniuersitatis opifice voluit procreatos) vel Deos

illos Deorum, ad quos verba fecit Mundi fabricator. Non Dæmones, quia de Dijs se loquuturum pollicetur Timæus, si non exploratissimis rationibus, haud certè minùs validis quàm fecissent alij: ac denique probabilia se profitetur allaturũ. At dũ de Dæmonibus, de Saturno inquã, Iouе, atque huiusmodi alijs agit, quos superstitiosissima illa natio in Dæmonum loco habebat, nulla prorsus ratione vtitur. Immo, cũ reliquos omnes qui de ijs disserunt, aut certas, aut verisimiles rationes negat afferre: tum se huiusmodi argumentationis genere (idque vt tacitè stultam illam opinionem deluderet: quando apertè per patriam religionem, seu potius superstitionem, citra periculum non licebat) rem hanc complecti posse desperans, auditionem ac famam quam de illis emanasse animaduerterat; consectatur. Non astra: hæc enim simplici ac mera expositione potiùs, quàm argumentatione ad Vniuersitatẽ visus est retulisse: nã tradidit diuini animalis speciem igne esse constitutam: duplici genere motus agitari: atque huius generis multa quæ mera enunciatione, nõ ratiocinatione continentur. Non Deos illos Deorum: nam vel Dæmones, aut etiam cœlestes Deos de quibus diximus, horum nomine accipies: atque hoc pacto in superiores salebras reuoluêris. vel ad alios denique, quicunque ij sint, confugies: vbi eo rursus argumento premeris, quòd cum in hos Deos Deorum incidisset; nec eos probauit existere: nec de eorum natura disputauit. cum tamen de ijs qui in præsenti controuersia versantur, probabilibus saltem rationibus se acturum profiteatur. Non leuis itaque est hæc dubitatio. Pro qua animaduertendum est Græcum codicem ita habere. Ἐὰν ὦ Σώκρατες πολλὰ πολλῶν εἰπόντων περὶ θεῶν καὶ τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως, μὴ δυνατοὶ γιγνώμεθα πάντη πάντως αὐτοὺς αὐτοῖς ὁμολογουμένους λόγους καὶ ἀπηκριβωμένους ἀποδοῦναι, μὴ θαυμάσῃς. *Vbi sanè, licet Ficinus verba illa* περὶ θεῶν καὶ τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως. De Dijs Mundíque generatione *vertens, optimè vim verborum expresserit: veruntamen, si sententiam spectemus, sine dubio generatio Deos illos etiam attingit atque comprehendit. quod tum ex verbis quæ alibi habentur, tum ratione colligitur. Ex verbis quidem, nam cum Timaeus de his Dijs dicturum se affirmasset; præter astra & Dæmones, adde etiam cœlum & Vniuersitatem ipsam quam diuinitate donauit, haud alios Deos complexus est: cum tamen hos modo ortos esse dicat: aliquando satu editos, aut generatione procreatos: quandoque etiam natura dissolubiles: ac denique Deos omnes tam cœlestes, astra scilicet; quam Dæmones, rerum naturalium finibus circumscribat. Ratione autem euincitur: quoniam cum sibi proponeret agendum de Dijs & Vniuersitatis generatione, ac sese etiam excusaret, quòd ea in re omnino perspicuas rationes afferre non posset, tandem de re proposita loquuturus, dixit.* Dicamus igitur quam ob causam ille rerum author generationem, & hoc Vniuersum constituit: *statimque superiorẽ quæstionem generationis nomine est persequutus. Huc accedit quòd Plato, cum duas Vniuersitatis causas, opificem scilicet atque exemplum, promulgasset, iámque de ea, quæ finis rationem habet, instituenda sibi esset disputatio, asserebat.* Rationes vtique cum his rebus quas exprimunt, cognationem quandam habere videntur. Ergo cum de re firma & stabili, & mente com-

te comprehendenda differitur, stabiles similiter immutabilésque, & quàm maximè fieri potest inexpugnabiles rationes esse oportet. Cùm verò de ipsius rei firmæ stabilísque simulachro disputatur, verisimiles rationes sufficiunt: quæ ita se ad superiores habeant rationes, vt simulachrum ad exemplum. Nempe, quod est ad generationem essentia, id ad fidem est veritas. *Quibus ad subiectam materiam probabiles tantùm rationes afferri posse cum monuisset conclusit.* Cum ergo ô Socrates multa de Dijs Mundíque generarione à multis dicta sint, ne mireris obsecro, si rationes de ijs exactissimas probatissimásque afferre non possim. *Cum itaque huiusmodi Dij geniti sint, atque mutabilis naturæ, aeternísque rebus oppositis quasi vestigijs respondeãt; profectò ad Physicam contemplationem pertinebunt. Idque eò magis, quòd Dij isti astra præcipuè censendi sunt. Nam prisca illa Graecorum natio, vt superstitionibus & fabulis erat imbuta, non modò astra in Deorum loco habebat: ac (si† Aristoteli credimus) existimabat hunc Mundum plenum esse innumera ferè Deorum turba: verùm etiam aëreos quosdam terrestrésque Deos introducens, hos mirè varios multiplicésque faciebat: atque ita de Mundi ortu disserens, longas de illis pertexebat genealogias. Plato itaque licet illis non facilè assentiret, in astrorum tamen ortu explicando priscorum saltem appellationes sequutus est. Et quanquã de ijs Dijs se dicturũ recepisset, de quibus multi multa tradiderant, Hesiodúmque in primis intelligere videretur, qui Dæmones in Deorũ ordinem reuocasset: & idcirco etiã hos Dæmones inter Deos nõ secus atque astra recẽseat: veruntamẽ cũ in animo haberet Græcorũ Dæmones ex albo potiùs abradere, quàm confirmare: ob ídque se de Dijs probabilibus saltẽ rationibus disputaturũ professus; hos Dæmones nulla prorsus ratione decerni posse cõtenderit; Deorum illorũ nomine astrorum præcipuè rationẽ habuisse iudicarim. Neque est laborandum, quòd simplici expositione astrorum generationẽ proponere uisus sit: nam (si paulò accuratiùs rẽ perscrutemur) dũ non breui oratione de illis disserit; multa etiam ostendit rationibus, atque ijs præcipuè ex fine desumptis. Cũ itaque Deorum nomine astra significet, quæ interim corporata facit, & quantum in illis est, dissolubilis naturæ, liquet Timæi disputationem hac de causa Theologicam censeri minimè posse.*

† lib. de Mundo ad Alex. c. vltimo & 12. met. t. 50.

Dum verò ad extremùm Dij tantùm Timæi disputationi substernebantur, ídque eade causa quòd in Athlantico significauerit Plato, Timaeum egisse de Dijs solùm, sciendum est pro Dijs diuina opera accepisse, res scilicet à Deo procreatas: quemadmodum ibidem pro mortalibus, res accepit à mortalibus gestas. Sed durior fortasse alicui videri posset huius loci expositio: immo verò cõmentitia ac futilis. At verissimam esse ex Platone ipso perquam dilucidè ostendetur. Pro quo vnum antea animaduertisse oportet, quod in dialogi introductione fusiùs explicabitur. Platonem videlicet in Atlantico, vt hominem in Timæo procreatum, rectè ad Reipublicae officia informaret, siue in Politia rectè informatum esse ostenderet ac tueretur, res quasdam ab Atheniensibus præclarè gestas commemorare instituisse. Quamobrem cum Socrates Critiæ ac caeteris quandam quasi ansam praebere moliretur, qua eli-

AD Postremũ argumentum, quo Dij tantùm proponebantur in argumenti loco.

cere posse ac decernere Atlantici materiam ex ijs quae de Republica disputauerat;ac propterea aßereret. Audite deinceps quo pacto erga hanc quam descripsimus Rempublicam,sim affectus. Rem comparatione aperiam. Quemadmodũ si quis animalia eximiæ pulchritudinis intuitus, seu picta,seu viua quidem, sed torpentia,motus gestúsque viuentium certamen aliquod eorũ spectare desideret:sic ego nunc libenter aliquẽ narrantem audirem quo pacto supra descripta Ciuitas cũ finitimis ciuitatibus decertaret:quídue tanta eius educatione, disciplináque dignum,vel bello,vel pace, tam dicendo quàm agendo erga ciuitates singulas demonstraret,*Hermocrates ad ea eliciendaproperans, de quibus Socratem disputari percupidũ senserat,* Nos quoque omnes(*inquit*) ò Socrates quod iubes pro viribus exequemur:præsertim cùm nulla excusandi sit ratio quo minùs id facere debeamus: nam præterito die,cum disputatione peracta, mox ad hospitiũ quo apud Critiam suscepti sumus, rediremus,& inter eundum primò & domi rursus de his rebus verba fecimus. Hic igitur veterem nobis narrauit historiam, quam velim o Critia Socrati modò recenseas: vt cum audierit,iudicet nunquid ad eam rem quam nos exequi iusit,conducere videatur. *Vbi sanè ad res illas præclarè gestas explicandas (hae nanque historia illa continebantur) aditum patefecit. Quanquam ibi Critias ea breuiter atque compendiaria quadam ratione exposuit: rem interim vniuersam copiosiùs articulateque persequendam in illud tempus reijciens quo Timaeus de Mundi ortu disseruisset. Quamobrem aiebat*. Visum est nobis vt Timæus tanquam in Astronomia nostrum omnium peritissimus; maximéque in rerum natura cognoscenda versatus, primus edisserat: ita vt à Mundi generatione exordiens, vsque ad generis humani naturam deueniat. Atque ego deinde suscipiens homines à Timæo quidem genitos, à te verò vt plurimùm institutos, secundùm Solonis sermonem legémque in iudicium vestrum adducam: Ciuitatísque istius Ciues efficiam eos, qui prisci illi Athenienses fuerunt: quos iam extinctos sacræ Aegyptiorum litteræ in lucem è tenebris eruerunt: adeò vt de illis deinceps, vt de veteribus Atheniensibus verba fiant. *Et idcirco etiam ipse Critias sub Atlantici initio cum Timaeo ad disputandum suffectus esset, Atheniensium historiam, ac res illas gestas de quibus se dicturum receperat, explicatiùs declaranda suscepit. Quod cum ita sit, profectò dum ibidem sibi veniam ab auditoribus expetebat, id huiusmodi rerum gestarum occasiane fecisse cernitur. Nam(vt rem argumentatione concludam) quemadmodum de ijs hoc loco debet agere Critias, quæ sibi in Timæo omnium nomine ab Hermocrate fuerant demandata, quaéque ipse ibidem receperat, (ideo enim Timaeus disputationi suæ Critiam substituens,* sequentem, *inquit*, disputationem Critiæ, vt inter nos conuenerat, concedamus) *ita ad ipsam disputationem descendens pro ijs veniam postulat, quae in Timaeo sibi delata & commendata fuerant. Sed in Timaeo res quaedam gestae, quae videlicet Atheniensium*

niensium historia continerentur, ei delatae fuerant: pro his igitur rebus gestis sibi hoc in loco veniam petit. Et proinde dum in venia petenda aßerit difficilius eße agere de mortalibus, per mortalia, mortalium facta, res inquã à priscis Atheniensibus gestas, intelligit: ac similiter sicut à Mundi ortu Timaeo exordiendum, atque ad naturam vsque humani generis progrediendum (id quod demonstrauimus supra) inter illos fuerat constitutum, ita dum maiorem sibi quàm Timaeo veniam tribuendam dicit Critias, quòd sibi quidem difficillima, Timaeo autem minùs ardua obtigißent; sine dubio Vniuersitatis procreationem Timæo obueniße intelligat neceße est. Ergo cum rationem reddens, qua difficillima sibi, faciliora Timaeo obtigisse, proindéque maiorẽ sibi veniam tribuendam eße, ostenderet; asserat de Dijs facilius esse agere, quàm de mortalibus, necessarium est pro Dijs diuina opera, Vniuersitatis scilicet molitionem intelligere: sicut pro mortalibus res à mortalibus, à priscis scilicet Atheniensibus, gestae accipiendae sunt. Idque etiam ita sese habere ex Critiæ verbis apparet clariùs. Cùm enim dixisset facilius esse hominibus satisfacere, cum de Dijs agitur, quàm cum de mortalibus: atque huius rei rationem redderet. Neque (*inquit*) latet quæ in pictorum effectione circa diuina humanaque corpora vel facilitas sit ad hoc, vt sufficienter ea repreſentasse spectantibus videantur. Profectò cũ terram pingimus, & montes, flumina, syluas, cœlúmque omne, quaéque circa cœlum consistunt, & quæ uagantur; primùm quidem satis putamus factum, si quis uel exiguam quandam referre poßit earum rerum imaginem: deinde utpote talium prorsus ignari, ne examinamus quidẽ pictorum opera; neque etiã redarguimus: sed confusa quadã adũbratione fallacíque utimur. Cùm uerò quis fingere aggreditur nostrorum corporũ similitudinem, tunc propter familiarem ipsam rerũ nostrarũ animaduersionẽ acutiùs errata persentimus: seueríque & acres iudices exactorésque sumus aduersus eũ, qui nõ singula lineamenta colorésque expresserit. *Hoc (inquã) pictoris exẽplo luculenter opinionẽ nostram cõfirmat: nam quemadmodũ eos, qui montes, syluas, atque huiusmodi alia pingũt, licet indoctè atque impolitè id fecerint, facilè (vt ait Critias) sustinemus: qui verò corporis nostri similitudinẽ effingũt, si quid deliquerint, coarguuntur: sic etiã qui de diuinis operibus egerint, faciliùs possunt hominibus satisfacere, quàm qui de mortalibus atque humanis. Et hinc quoque est, vt hoc picturæ exemplũ (id quod dilucidè sententiã nostrã confirmat) ad eã rẽ, quã illustrare instituerat, referens; quicquid supra Deorũ nomine proposuerat, cœlestiũ atque diuinarũ rerũ appellationibus explicet: cõtra verò quæ mortalia nũcupauerat, in humanorũ operũ loco habeat. Ait enim.* Idẽ in sermonibus ĩtueri licet: nã satis esse putamus, si de cœlestibus humanísque rebus quicquã uel parũ, quod cõueniens est, afferatur: mortalia uerò humanáque opera exactè nimiũ examinare solemus. *Perspicuũ igitur est pro Dijs, diuina opera, res inquã procreatas, intelligere: pro mortalibus verò humana. Et ideo etiã (si loquendi modus subdurior videatur) nõ omnino dixit Critias, de Dijs dicẽtẽ faciliùs satisfacere posse, quàm qui de*

qui de mortalibus: vt habet latina editio: sed. facilius est satisfacere περὶ θεῶν λέγοντά τι ἢ περὶ θνητῶν, aliquid de Dijs dicentem quàm de mortalibus. *Vbi si accurate vocis illius* (aliquid) *vim exquiras, eam esse senties, vt qui de rebus à Dijs effectis aliquid dicat, non immeritò dici possit, aliquid de Dijs dixisse. Quamobrem hic Atlantici locus nihil obstat quominùs Vniuersitas rerum omne Timaei compleat institutum. Nam si te aliquid commoueat, quòd cum in Timaeo DEVM opificem vnum fecerit ac singularem, hîc eiusdem opera plurium Deorum nomine non rectè videantur significari; iam aut ex patrio vsu scriptorúmque illius gentis omnium more, quod alibi etiam illi contigerat, in multorum Deorum mentionem incidit: aut etiã id ea ratione protulit, quòd in Timaeo minores quosdam Deos rerum mortalium molitioni tanquam summi Dei administros adhibuisset. Atque ex his satisfactum putarim ijs dubitationibus, quæ efficere videbantur, quo minùs præsens dialogus certam materiam retineret. Atque haec de Timaei materia & instituto. Nam illa quibus effici videbatur multa in Timaeo esse commentitia, atque ad Poëtarum facultatem pertinere potiùs quàm physica ratione contineri, haec sanè quam vim habeant docebimus † suo loco. Interim tamen sat sit politicis attexi de quibus iam antea diximus: ac propterea, quoniam ijsdem ferè legibus iudicanda sunt quibus politica, nihil esse cur hinc Timaei argumentum ac materiam perturbari atque confundi suspicemur.*

† Vide lib. 8 & 9.

FINIS LIBRI QVARTI DECADIS PRIMAE.

IN PLATONIS TIMAEVM, SIVE IN NATVRALEM OMNEM ATQVE DIVINAM PLATONIS ET ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM

DECADIS PRIMAE LIBER QVINTVS.

INSTITVTUM ac capita præcipua quinti huius libri.

NON sum immemor ea me pollicitatione ac lege Platonis Timæum explanandum suscepiße, vt ea omnia in quibus summi Philosophorum Principes Aristoteles ac Plato de rebus naturalibus atque diuinis siue consentiunt, siue dißentiunt, et (vt vno verbo complectar) philosophantur, mihi tradenda sint. Quamobrem cum superiore libro de Platonicæ Physiologiæ materia institutóque vniuerso multa satis dixerim; age Aristotelem in proposito instituto cum Platone conferamus: ac nobilis arduaéque comparationis fundamenta, quantũ in nobis est, firmissima iaciamus. Et quoniam, vbi vtriusque institutum ac materia perspecta fuerit, œconomia siue ordo & artificium quo ad eam tractandã accessere, sese obijciet contemplandum; de naturali quoque vtriusque œconomia atque ordine agendum erit in vniuersũm. Vbi etiã vt instructiores illud quoque munus obeamus quo Platonis Aristotelisque decreta ad Christianæ veritatis normam iudicanda limandaque sunt; addam vter ad Christianam Philosophiam

congruen-

congruentiùs initia posuerit ac fundamenta suæ Physiologiæ. Ad extremùm, quò statim dialogũ expeditiores attingere possimus, dialogum ipsum distribuam in suas principes partes. Hæc (vt summatim dicã) peragenda sunt in hoc libro. Atque vt ab instituto ac materia exordiar, profectò dum Platonis Timæo Vniuersum siue Mundus subijcitur pertractandus, non est existimandũ aliud esse huius dialogi institutũ, nisi illud quo physica Aristotelis volumina cõtinentur. Etenim vterque versatur in vniuersa rerũ naturalium cõtemplatione. Quamobrẽ quemadmodũ Plato dialogũ hunc Naturæ notauit indice, ita etiam Aristoteles tũ de Natura eos libros inscripsit: tum † sæpe testatus est illorum scopum esse Naturam. Quòd si Plato in disputationis progressu Vniuersi ac Mundi nomine subiectam hanc materiã tractare solet, Aristoteles autem rerũ naturalium, seu Physici corporis (in idẽ enim hæc atque huiusmodi alia tandẽ recidunt) appellatione prosequitur; in nominibus quidẽ, philosophãdique ratione differunt: re verò optimè inter se cõueniunt. Quod enim Plato Vniuersi nomine intelligit, hoc planè significauit Aristoteles corporis naturalis appellatione. Nihil est enim aliud Vniuersum de quo disputat Plato, quàm omne corporeũ, cuius principia, partes, atque attributiones, & (vt cõplectar breui) naturã atque vim inuestigauit Aristoteles. Quod tum ex Platone, tum ex ipsomet Aristotele animaduertitur: ex Platone quidem, nam (vt multas interim rationes omittam, atque eam præcipuè, qua, quæ Timæi disputatione continentur, singula aut physica corpora esse, aut circa illa versari, ac summatim, ad Naturæ cognitionẽ pertinere demonstrauimus) cũ Vniuersum siue Mundũ de quo egit, tractabilem & aspectabilẽ fecerit, ac non modò ex elementorum vniuersitate, sed ex tota materia conflatum esse docuerit; apertè intelligitur physico Aristotelis corpori respondere. Ex † Aristotele verò, quia in Physicis Platonem carpit, quòd tum de generatione nec satis, nec rectè egerit in Timæo: tum accretionem atque alia huiusmodi quaedam prætermiserit. Quo nomine eum profectò non reprehenderet, nisi ibi de physico corpore dißeri, tanquam exploratum accepisset: ac proinde proprietates atque attributiones physici corporis, ac motus species silentio inuolui non debuisse. Id quod ex Aristotelicæ etiam Physiologiæ progreßu cognosci facilè potest: nam cum in ijs libris qui de naturali auditione inscribuntur, de communibus physici corporis principijs atque attributionibus, vel (vt quibusdam placet) de corpore naturali in vniuersum egisset: reliquum erat vt vel ad eiusdem species ac partes, uel certè ad alias cõmunes attributiones aut theoremata, si quæ supererant, explicanda progrederetur. Quod dum facere aggressus, ipsum naturale corpus, perfectum esse ostendisset; iam se ad cætera comparans; De ipsius Vniuersi natura († *inquit*) siue infinita sit, siue finita posteriùs considerabimus. Nunc de ijs quæ secundùm speciem ipsius partes sunt dicamus. Quamobrem ne ridiculus sit Aristoteles, qui cum de corpore naturali agere instituisset, eiusdémque principia & proprietates varias primò, tum perfectionem explicaßet, postea de speciebus & partibus siue etiam de alijs communibus atributionibus acturus, non de corporis naturalis, sed alterius rei speciebus, siue attributionibus egerit, profectò Vniuersum

CVM ARIstotelis Physiologia comparatur Timæus: & in re subiecta optimè interse conuenire ostenditur.

† li. 1. phy. t. 1. l. 1. cœ. t. 1 & alibi.

† Vide 1. de gen. & cor. cont. 5. & 6.

† l. cœ. t. 5.

uersū pro naturali corpore accipi, haécque inter se cōuerti atque reciprocari fatendū est. idē itaq. erit Aristoteli Physicū corpus atque Platoni Vniuersū.

Simp. 1. cœ. in proœ. Th. 1. phy. in pr. Iāb & Syr. referente Simpl. lo. ci.

Sed dices. Grauißima Simplicij, Themistij, Iamblichi, ac Syriani authoritas huic sententiæ refragatur. Vt enim duo priores simplex corpus quatenus cœlum & elementa comprehendit; posteriores verò corpus cœleste tantùm, Aristotelis libris qui de Cœlo inscribuntur, subijciunt tanquam materiam: communique consensu Vniuersum, ac præcipuè qua nos accepimus ratione, ab huiusmodi materia excludunt, ita etiam ne quis Vniuersum de quo loquitur Aristoteles, subiectam ibi materiam facere attentaret, illud naturali corpori negarent respondere. Addes. † S. Thomas etiam qui huius loci vi permotus, fatetur Vniuersum eorum librorum esse materiam, id situs & partium nomine tantùm concedit, quas constitutiuas appellat: animalia, plantas, & cætera mixta corpora ab huius Vniuersi notione seiungens. Quinetiā † Philoponus, etsi horum librorum materiam Vniuersum siue Mundum appellare non recusauit, id tamen fecit, non quòd mixta corpora ad illud pertineant: sed quia in illis agatur de corpore indissolubili (vt ipse explicat) tum ratione totius ac partium, quale est cœlum, tum ratione totius, sed non ratione partium, cuiusmodi sunt elementa: atque horum quinque corporum aggregato (quod vocant) cœli seu Mundi nomen ex antiquorum appellatione conueniat. Vt proinde Vniuersum de quo ibi loquitur Aristoteles, & naturale corpus, cuius principia & attributiones antea complexus fuerat, minimè inter se reciprocentur.

† 1. cœl. in proc.

† 1 de gen. in procem.

Sed vt ius nostrum tueamur: atque hîc inprimis, vbi totius Physicæ cōparationis fundamenta iacimus, age positā quæstionem diligenter examinemus. Et sanè quod ad Iamblichū ac Syrianum attinet, cum Aristoteles fusè ibi egerit de elementis, immo in duobus postremis libris nihil planè aliud sit prosequutus quàm elementorū naturam ac proprietates: proindéq; etiā ad tertij libri initiū affirmet, se de cœlesti corpore egisse, atque ad elementa transire velle: & post eorundem tractationem iā disertissimis verbis † contendat de cœlesti corpore, déque elementis disputatū esse; quis nisi temerè elementa non propter seipsa, sed vel vt cōtinētur & pēdēt à Cœlo, quod statuit Iamblichus; vel vt ad cœli cognitionē conducūt, quod asseuerauit Syrianus; tractari dicat? cū præsertim, si de illis egit, quia pendēt & continētur à cœlo, atque eius virtuti sunt subiecta; animalia, plantæ, ac mortalia denique omnia quippe quæ à Cœlo maximè pendent, & illius virtuti subijciuntur, omnino fuissent ad eandē considerationē referenda: si, quia ad Cœli cognitionē cōducunt, fuisset prætermittēda (vt optimè obseruauit S. Thomas) nō postponēda tractatio. Simplicio verò ac Themistio, qui sine dubio paulò accuratiùs hac in re philosophari videntur; grauißimam primùm Theophrasti atque Alexandri sententiam oppono: quorum primus tradit non solùm de diuino corpore agi, sed etiam de his, quæ in generatione versantur. Et ne horum nomine, quæ dicit in generatione versari, elementa intelligeres, addidit. & horū principijs: quòd scilicet ad cœlum, elementa, & mixta corpora pertineret disputatio. Alter verò cùm in Theophrasti sententiā

† 1. li. met. c. 1.

discedit : tum illud Platonici Timæi ad suam opinionem firmandam recenset. Vniuersum igitur hoc cœlum, siue Mundum, siue quo alio cognomine gaudet, cognominemus. *Vbi Vniuersi appellatione aggregatum (vtendum est enim) ex omnibus Mundi speciebus intelligit: ac Platonem significat reuera omnes Vniuersitatis species esse persequutum. Immo in horum sententiam (quod pace aliquorum dixerim) Auerroës etiam propendet. Nam primùm cum ad eorum librorum initium † doceret materiam totius scientiæ naturalis ibi ab Aristotele statui: atque ijs occurreret, qui quærere potuissent, cur ibi potiùs id faceret, quàm in libris de Physica auditione, qui sunt communiores,* Præsens liber, *inquit*, est primus in ordine librorum particularium, in quibus particulatim de rebus natnralibus, seu de singulis totius Mundi partibus loqui incipit. *Vbi non Mundum siue Vniuersum proponit, quod ex simplicibus tantùm partibus constet: sed quod ex omnibus rebus naturalibus conflatum est. Tum † verò, cùm dixisset ex his quæ paulò ante † dicta fuerant, perfectionē Mundi fuisse demonstratam, statim tradit Aristotelem velle determinare de partibus eiusdem Mundi siue Vniuersi, à partibus simplicibus ducto initio. Vbi sanè, cùm à simplicibus Vniuersi partibus dicat incipere, constat Vniuersum de quo fuerat demonstrata perfectio, ac de cuius partibus adhuc erat agendum, non illud esse quod ex corporibus tantùm simplicibus coagmentatur: nisi tamen de Vniuerso disputantem, ab Vniuerso tanquam ab eius parte incœpisse velis. Ac demum in Paraphrasi de Cœlo summa prima & quarta, Mundi de quo in Prooemio dixerat,* Aristotelis in hoc libro de Cœlo intentio est de Mundo; *facit partes non simplicia solùm corpora: sed res naturales vniuersas. Quare si alicubi contendit in libris de Cœlo considerari corpus mobile ad vbi, de subiecto materiali potiùs (quod vocant) quàm de formali (id quod fortè decepit Albertum) intelligēdus erit. Nam licet cœlum & elementa, quæ considerantur in libris de Cœlo, sint mobilia ad vbi: & nihil sit mobile ad vbi, quod aliqua ratione propter ea quæ dicuntur de Vniuerso seu de substantia naturali, illa non attingatur disputatione; horum tamen essentia & natura absolutè consideratur quatenus sunt Vniuersi partes. Deinde (rem vt ratione concludam) sic argumentor. Illud Vniuersi nomine intelligit hîc Aristoteles, quod significauerat per id cuius principia & attributiones communes complexus erat: sed complexus erat principia atque attributiones communes corporis naturalis quatenus continet omnes species tam simplices, quàm compositas: hîc igitur Vniuersi nomine intelligit corpus naturale, quatenus omnes species tam simplices continet, quàm compositas. Secunda pars argumēti siue Assumptio aperta est. Nam licet fortasse difficilè possit intelligi quo pacto non sine methodi perturbatione horum omnium principia tradiderit, dum à generalibus lateque manantibus ad minùs generalia se progressurum professus, à principijs tamen rerum mortalium ad ea processisse videtur quæ mortalibus sunt cum cœlo communia: tamen aut certum est de generalibus etiam egiße: aut saltem (quod hoc tempore maximè quærimus) rerum mixtarum principia &* attri-

† li. 1. cæl. com. 1

† comm. 1.
† cont. 3.

attributiones non prætermisisse. Prima verò pars, siue Propositio, ostenditur hoc pacto. In rerum contemplationibus eadem prorsus debet esse materia, cuius considerantur principia & attributiones, & cuius considerantur species ac partes: dum igitur Vniuersi species hic considerandæ proponuntur, idem Vniuersum debet attributionibus & principijs esse subiectum. Illud itaque Vniuersi nomine hic intelligit, quod per id significauerat, cuius principia & attributiones communes complexus erat. Atque ita, cum ibi principijs & attributionibus subiectum sit corpus naturale, idque vniuersas species tam ex elementis permixtas atque coagmentatas, quàm simplices complectatur, Vniuersum, cuius considerantur species, debet eidem corpori respondere: neque aut pro cœlesti corpore, aut pro aliquibus Mundi partibus tantùm, quod cæteri faciunt, vsurpari.

Sed Theophrasto atque Alexandro cum Simplicio & Themistio respondebis, ac nobis simul obijcies. Nam cum Aristoteles in libris de Cœlo præter Cœlum & Elementa, nullam aliam speciem siue partem Vniuersitatis consideret: contra verò Plato in Timæo non ea solùm tractet, sed etiam omnes species compositas vsque ad hominem, qui est indiuidua & specialißima (quam vocant) species Vniuersi; nihil absurdius dici posse videtur, quàm Aristotelem in libris de Cœlo non modò agere de elementis: sed de ijs etiam quæ ex elementis sunt constituta: eâdémque sibi prorsus ratione substernere Vniuersum, qua & Platonicum Timæum fecisse constat: vt proinde eorũ authoritas atque sententia futilis omnino appareat. Ad nostram verò rationem dices, corpus naturale re vera esse Aristotelicæ Physiologiæ subiectum: hócque primò in duas species diuidi, in simplicem & compositam: atque hoc corpus simplex nihil esse aliud, quã quod Cœlo & Elemẽtis cõtinetur, & hoc nomine aggregatum ex his corporibus simplicibus Vniuersum ibi ab Aristotele appellari: atque ita dum dicit de Vniuersi speciebus disserendum, species simplicis corporis intelligere: ac propterea de Cœlo primùm, tum de Elementis egisse. Vt cum Vniuersum non pro aggregato ex omnibus naturalibus, sed pro simplicibus tantùm vsurpetur, in eo ratio nostra peccet, quòd in certis ponimus species illas quas proponit considerandas, esse species totius materiæ subiectæ, corporis scilicet naturalis: cùm tamen sint primæ tantùm speciei, corporis videlicet simplicis, species.

Hæc ad Simplicium & Themistium defendendum, & ad nostram opinionem prosternendam validißima fortasse præsidia atque argumenta videbuntur. Quæ si diluerimus, non dubito quin maximum sententiæ nostræ fundamentum sit constitutum. Ergo si Vniuersum ea ibi ratione ab Aristotele accipitur, qua significat aggregatum ex cœlesti corpore & elementis, vúltque tractandas esse huius tantùm aggregati species, non eius quod simplicia mixtaque corpora comprehendit, cur tu Simplici rem subiectam facis, non Vniuersum, quod ibi ab Aristotele hoc saltem nomine materia subiecta constituitur, sed corpus simplex? Immo verò hoc ipse concessi, dummodo Alexander & alij simplicia tantùm corpora, non autem res naturales vniuersas Vniuersi nomine intelligant. Nam hoc Aristoteleum esse ibi præci-

puè confeſſus ſum, vbi cum Alexandro de illorum verborum, De his quæ ſecundùm ſpeciem Vniuerſi partes ſunt dicamus, *ſententia diſputarem. Sed neque eſt hoc ſatis: nam cum docuerit Ariſtoteles Vniuerſum & ſingulare, & vndique abſolutum ac perfectum eſſe: ac præterea tradiderit & generatione carere, & nihil materiæ, immo nec vacuum fuiſſe extra relictum, ſed ex tota materia conflatum eſſe; iam cum metalla, animalia, ſexcentaéque demum mixtorum corporum ſpecies ad Vniuerſi conſtitutionem maximè pertineant; & Vniuerſum ipſum corporatis ſpeciebus excluſis, nec tanquam vnum ac ſingulare concipi poſſit, nec tanquam ex tota planè materia conſtitutum, quomodo Vniuerſum pro ſimplicibus tantùm corporibus accipiemus? At dicet rurſus Simplicius.* Quæ de toto Mundo dicuntur in his, quòd ingenitus & incorruptibilis, quòd vnus & finitus, & ſphæricus, & nihil extra ſe relinquens, neque corpus, neque vacuū, hæc cœleſti primò inexiſtentia, & per cœlum toti Mundo, meritò in ſermonibus de cœlo dicuntur ineſſe. *Sed profectò licet fortaſſe hæc ſiue expoſitio, ſiue tergiuerſatio in nonnullis aliquam probabilitatis ſpeciem referat, vt cum Mundus & carere ortu, & rotundus cenſetur; in reliquis tamen ab Ariſtotelis doctrina valde abhorret. Ac primùm quidem dum perfectus atque finitus dicitur. Nam (ſi Ariſtoteli credimus) motus & tempus potiore quidem iure conuenit mixtis corporibus per cœlū, quàm finitū eſſe, atque perfectum: ſublato enim primo corpore mobili, vel eius motu, finitate & perfectione non priuabuntur: cum hæc eis tanquam corpori propter trinā dimenſionem conueniant: & anihilatio (quam aliqui vocant) non fuerit Ariſteli cognita. Sed de motu & tempore egit omnium ſpecierum naturaliū gratia tam ſimplicium quàm mixtarum: multò itaque magis de finitate, & perfectione. Deinde Ariſtoteles (id quod vehementer vrget) cum de perfectione † ageret Vniuerſi, corpora quæ in partis forma ſunt, hoc eſt ſingula corpora, docuit eſſe in ſuo genere perfecta; quia ſcilicet ſingula habent omnes dimenſiones: πᾶν verò, cuius ſingula illa corpora ſunt partes, eſſe omnino perfectum, quia non ſolùm habet omnes dimenſiones, ſed etiam cōtinet, & (quod de partibus dici non poteſt) non continetur. At hæc ratio nihil cōcludit ſi πᾶν ſiue Vniuerſum pro ſimplici corpore accipiatur: quia Ariſtoteles quicquid habet omnes dimenſiones, ſingula ſcilicet corpora, facit huius Vniuerſi partes: Simplicius verò à ſuo Vniuerſo, quæ mixta ſunt, excludit omnia. Præterea (quod rem maximè declarat) ea ratione oſtendit † Mundum eſſe finitum, quia corpora tàm ſimplicia, quàm mixta finita ſunt: quin etiam cum ſe cœlū pro aggregato ex omni corpore † affirmaſſet accipere, corpus in ſimplex & mixtum partitus eſt: docuítque Mundum ſeu Cœlum conſtare ex tota materia, tum quia conſtat ex omni corpore naturali, tum quia nec corpora ſimplicia, nec mixta poſſunt extra hunc Mundum conſiſtere. Quæ omnia vſque adeò apertè demonſtrant Vniuerſum pro aggregato ex omnibus corporibus tā mixtis quàm ſimplicibus vſurpari, vt mirū ſit Simpliciū id nō animaduertiſſe: vel certè, ne Alexandrum ac Theophraſtum ſequi videretur, tam pertinaciter vel diſſimulare, vel etiam negare auſum eſſe. Denique Plato etiā*

in

† 1. cœ. t. 4.

† 1 cœ. cōt. 33.

† 1. cœ. 97. 98. & 99.

in Timæo Vniuersum finitum, singulare, & perfectum esse docet: ac tradit etiam ex tota materia constare, cum tamẽ Vniuersum (vt ostendimus supra) pro aggregato ex omnibus rebus naturalibus accipiat. Cur itaque dicemus Aristotelem hæc eadem de Vniuerso alio consilio & significatione tractasse, cum præsertim iisdem planè rationibus ita in plerisque vtatur, vt (si rem accuratè animaduertas) interpretis munere functum potiùs, quàm noui aliquid excogitasse arbitreris?

At verò (inquies) permagnam vim habere videntur hæc argumenta: veruntamen ratio illa qua dicitur nihil præter simplicia corpora tractari, fortasse est efficacior. Nam quòd ais ea omnia theoremata, quibus traditur Vniuersum esse finitum, vnum, perfectum, sine vacuo, constare ex tota materia, & generatione carere, Vniuerso omnium specierum naturalium gratia conuenire; non omnino hanc rationem euertit: cum mixtorum corporũ species, in quibus tota controuersiæ sũma consistit, successiuè in reliquis Physiologiæ disputationibus tractentur: quemadmodum idem Simplicius ac Themistius monuerunt. Adde etiam, quòd si ea Theoremata probasset de Vniuerso, quatenus vniuersis naturæ speciebus continetur, priùs de aliquibus partibus seu speciebus egisset, quàm de proprietatibus, siue attributionibus communibus: nam priùs disputauit de partibus Vniuersi, ac præcipuè de Cœlo, quod ostendit nec esse graue nec leue sed simplicis naturæ, atque ortus interitúsque expertis: deinde ad communissima illa theoremata se contulit. Vt proinde corporibus simplicibus potiùs, vel certè, vt methodi confusio omni ex parte vitetur, de cœlesti corpore illa probentur: cum illi primò, & per cœlum elementis conueniant.

Ergo si huiusmodi argumentum aut omnino infirmum eße, aut sententiæ nostræ nihil obesse demonstrauero, controuersia omnis erit sublata. Age itaque quoniam in re ardua versamur, atque inprimis ad institutam comparationem pernecessaria, Aristotelis artem atque consilium hac in re breuiter explicemus. Cum recta Physiologiæ methodus postularet, vt antequam ad subiectæ materiæ species descenderet explicandas, communes illius attributiones siue quæstiones, siue Theoremata, si quæ essent, omnino expediret, (id quod & multi, Platóque inprimis fecerat in dialogo de Natura, & ratio ipsa ostendebat agendum) idcirco de ipso naturali corpore, quod naturali contemplationi subiectum esse monuerat, hæc Theoremata posuit disputanda.

Num perfectum esset vel imperfectum.
Num infinitum esset magnitudine vel finitum.
Num vnum, vel multa, vel infinita censenda sint.
An plenum, vel inane, siue etiam locus ac tempus sit extra relictum.
Vtrum ortus atque interitus esset expers, vel è contrario.

Itaque primo loco egit de perfectione: atque hanc conuenire ostendit tum corporibus singulis, quia omni dimensione concluduntur, tum præcipuè παντὶ, hoc est toti, seu omni, idque ea ratione, quòd non

omni

† 1. cœ. t. 4
† 1. cœ. t. 33.
† 1. cœ. t. 97. 98. & 99.

omni solùm dimensione constat, sed etiam continet omnia; cum tamen contineatur, aut terminetur à nullo. Tum verò, cum ostendisset τὸ πᾶν *ex omnibus corporibus perfectum esse, idque eo nomine, quia nullum esset corpus, cuius tactu seu finibus terminaretur (quod enim propinquo tactu terminatur, non ex omni parte perfectum esse, sed quod contineret, & non contineretur, iam docuerat) statim quia succedere videbatur inuestigãdum an ipsum* πᾶν, *quoniam à nullo continebatur, esset infinitum magnitudine, an verò, licet nõ comprehendatur, tamen finitum esset, ad hoc sese conuertit. Sed cùm expeditior via ad hoc ostendendum non appareret, quàm si partium finitas statueretur, Mundi verò fabrica, ipsiúsque partibus ignoratis, hæc finitas ostendi non posset, idcirco ante secundi huius Theorematis explicationem partem à parte internoscere, & quibus partibus constitueretur explicare contendit. Et ideo postquam concludens summam primi theorematis dixit.* † Ipsum autem omne perfectum necesse est esse: & quemadmodum nomen ipsum significat omniquaque, & non hac quidem, hac autem non: *significans differendum esse hoc quod secundo sese offerebat theorema, subdidit,* De ipsius igitur Vniuersi (*hic autem est locus, vbi corpus naturale quod paulò ante subiectam materiam fecerat, nomine Vniuersi tractari, tanquam conuerterentur notiones, obseruauimus*) natura siue infinita sit secundùm magnitudinem, siue non, posteriùs considerandum. *Atque ob id cùm docuisset quibus partibus conflatum esset Vniuersum, ad secundũ illud theorema reuersus est, probauitque Vniuersum esse finitum: ac statim reliqua Theoremata est persequutus. Atque hoc pacto cum primum librum his theorematibus conclusisset, mox in secundo de prima specie Vniuersi, de Cœlo scilicet; egit: tum in tertio & quarto de elementis. Ex his igitur primùm habemus Vniuersum sine dubio esse materiam primo libro de Cœlo subiectam: quia omnia ea Theoremata de illo explicantur: deinde verò in secundo ad specierum tractationem descendere. Quibus positis facilè erit intelligere re vera hoc Vniuersũ pro aggregato ex omnibus corporibus tam mixtis, quàm simplicibus accipi. Quod ostenditur primò, quia primum theorema de finitate ea ratione concluditur, quoniam illud Omne, siue Vniuersum duplicem habet perfectionem: alteram, quæ illi conuenit per triplicẽ dimensionem, quibus carent reliquæ magnitudines: alteram quia & triplici constat dimensione, & non terminatur aut continetur termino alieno. De prima perfectione ait.* † Vnumquodque igitur corporum quæ in partis forma sunt (*singula verò corpora intelligit*) secundùm rationem tale est: omnes enim habet dimensiones: sed ad propinquum tactu terminatum est, *De secunda.* Ipsum autem omne, cuius hæc partes sunt, perfectum necesse est esse: & quemadmodum nomen ipsum significat, omniquaque, & non hac quidem, hac autem non. *Ex quibus liquet primum genus perfectionis non posse excludi ab vllo corpore naturali; cum habeat triplicem dimensionem: secundam non posse conuenire Vniuerso nisi per omne corpus naturale, tum quia vult hoc Vniuersum constare omni eo quod habet trinam dimensionem, & proinde omne corpus esse huius par*

tem

† *l. 1. t. 4.*

† *loco cit.*

tem:tum quia tactu alieno alicubi terminaretur Vniuersum, si pro simplicibus tantùm corporibus sumeretur. Idem colligitur ex secundo Theoremate quod pertinet ad finitatem: ibi enim Vniuersi finitas demonstratur, quia eius partes, videlicet tam mixta quàm simplicia corpora, finitæ sunt, nã ait.

† 1. cœ. t. 34 † Necesse est igitur omne corpus aut simplicium aut cõpositorum esse. Quare & infinitum aut simplex erit, aut compositum. At verò & quòd finitis simplicibus, necesse est finitum esse compositum manifestum est: quod enim ex finitis & multitudine & magnitudine componitur, finitum est & multitudine & magnitudine: tantum enim erit, quanta sunt ex quibus est compositum. *Itaque ostendit Aristoteles Vniuersum esse finitum ex finitate mixtorum corporum: ac statim ad eandem ex simplicium finitate demonstrandam descendit. Quare ne ridiculus atque absurdus sit Aristoteles, qui Vniuersum pro simplicibus corporibus vsurpans, eius tamen partes & simplicia & mixta corpora fecerit: eiusdémque finitatem ex ambarum partium finitate probarit, fatendum est Vniuersum pro aggregato ex omnibus corporibus naturalibus vsurpari. Id quoque ex tertio Thoorematè, in quo vnum numero Mundum esse ostendit, apparet. Nam licet ex simplicium corporum motu rationes ducat, id tamen fit, quia mixta (vt ipse monebat) ab elemento dominante motus rationem accipiunt: & propterea sicut statuta simplicium corporum finitate constabat, & mixta esse finita: ita etiam statuto ex motu simplicium corporum Mundum esse singularem, non opus erat de mixtorum motu disputare. Et*

† 1. cœ. t. 95. *ideo in conclusione huius theorematis dicebat.* † Hoc igitur ipsum restat ostendere, quod ex vniuerso naturali, & sensibili constat corpore. *Ex quibus verbis talis ratio constituitur. De eo ipso vnitatem ostendit, de quo dicit se demonstraturum constare ex vniuerso corpore naturali & sensibili; ergo Mundus de quo demonstrauit Vnitatem, est Mundus constans ex vniuersa materia naturali & sensibili: Vniuersum itaque tertio theoremati subiectum, non est corpus tantùm simplex: sed vniuersum corpus naturale atque sub sensum cadens. Quartum etiam Theorema hoc ipsum euincit, quo ostenditur plenum extra Mundum siue Vniuersum non esse relictum: atque id, quia probat constare ex tota materia, quoniam constat ex omni corpore tam simplici, quàm mixto. Et propterea cum statuisset non inueniri corpus extra Mundum statim textu centesimo concludit, nec quæ illum sequuntur, ibi reperiri: locum videlicet, tempus, & opinatum inane. Atque de hoc eodem Vniuerso, (nisi tamen præstigiatorem facias Aristotelem) reliqua omnia tradidit, quæ fusè disputauit, vt Mundum ab ortu & interitu vindicaret. Ergo verè quidem aggressus erat (vt methodi ratio postulabat) communium illorum Theorematum tractationem priusquam de partibus disputaret, coactus tamen fuit theorematum cursum tantisper interpellare: quoniam ad secundum theorema, Mundi scilicet finitatem explicãdam, necesse erat antea corporum simplicium numerum ostendere: ac proinde etiam necesse fuit probare cœlum ab elementorum natura esse dißimile: atque quintum corpus constituere. Et ideo quæ ibi de Cœlo disputauit, secundi Theorematis gratia*

dispu-

Et hoc est quod sibi voluit Alexander cum diceret ibi de Cœlo (id quod à multis, inconsideratè tamen, illi vitio vertitur) per accidens, siue obiter agi. Et ideo cùm primo libro Theoremata illa absoluisset, in secundo de ipso Cœlo per se, & vt de prima specie Vniuersi splendidissimè agitur. Ex quo illud etiam sequitur, vt licet non de omnibus speciebus Vniuersi sigillatim disputauerit in libris de Cœlo: tamen ea saltē omnia quæ in illis continētur, ad Vniuersum sint referenda, cum & in primo libro theoremata seu quæstiones illæ omnes de Vniuerso disputentur, & in reliquis libris ad cœlū & elementa, vt sunt species Vniuersi, deueniatur. Vt proinde rationes illæ futiles omnino appareant.

Quare dum Simplicius Alexandrum accusat, quòd ex eius sententia vagum sit atque ad multa pertineat institutum; aut falsò aut præter rem loquitur. Nam si existimat cœlum & elementa corporis naturalis nomine fuisse consideranda, vt scientiæ vnitas conseruetur, optimè sensit. Sed quia hoc vel Simplicio ipso teste, non negat Alexander: immo verò tanquam Vniuersi seu naturalis corporis species censuit considerari, atque ad idem Vniuersum quæstiones illas referri, nihil est quòd hoc nomine authoris consilium & institutum vagum atque incertum esse suspicetur. Si verò noua adhuc ratione, atque arctiore quasi vinculo ea omnia vult copulari, vt tā attributiones illæ, quæ de Vniuerso traditæ sunt, quàm cœlum & elemēta certā aliquā Physiologiæ partem constituant; quòd optimè (vt ipse tamen opinatur) efficitur, si Vniuersum pro simplici corpore accipiatur, adhuc etiam fallitur: nam Aristoteles non accepit tanquam certum cœlum esse corpus simplex: sed potiùs hoc in progressu demonstrauit: at benè vt certum posuit cœlum & elementa esse corpora naturalia: hoc itaque nomine hæc atque illud accepit consideranda. Huc accedit, quòd cum scientia secentur sicuti res, puerile est ex voluminum sectione potiùs (quod facit Simplicius) quàm ex rebus ipsis, quæ in contemplationem adducuntur, Physiologiæ partes secare. Immo verò vt in prima Physiologiæ parte materia & forma cōsiderantur vt principia communia: motus ac tempus, vt attributiones: nec tamen commune aliud vinculum habent, quàm corpus naturale: sic etiam hæc omnia theoremata quæ explicantur in priore libro de Cœlo, & quæ in prima Physiologiae parte continentur, quamuis dystincta volumina efficiant, vnum tamen Vniuersum sibi tanquam materiam subijciunt. Vt proinde perfectio, finitas, & huiusmodi alia non de aliqua subiectæ materiæ parte tractentur, sed de ipsa materia in vniuersùm. atque ita in Theorematibus illis vniuersalis adhuc (quod teste †Themistio docuit Alexander) de Mundo tradatur disciplina. Atque ex his satis superque constat quo modo Vniuersum, quòue Theoremata illa ac cœlum denique & elementa materia sint subiecta. Hæc enim Theoremata in primo libro sunt (vt loquuntur multi) subiectum quod: sicut eodem modo in secundo est cœlum: in tertio & quarto sunt elementa. Subiectum verò quo (vt multi vocant) siue materia attributionis; ad quam videlicet omnia referuntur, in quatuor libris omnibus est Vniuersum quatenus omnes species naturales,

† Them. in procem. Phys.

tam

tam mixtas quàm simplices comprehendit: cū omnia eius gratia in illis considerentur: theoremata quidem illa, ut attributiones: reliqua ut species. Quare dum obijcitur hic non considerari omnes species Vniuersi, concluditur tantùm Vniuersum nō esse subiectum quod, praesertim secundùm omnes partes: non autem non eße subiectum quo, siue materiam attributionis. sicut hoc sensu neque corpus naturale est materia subiecta in libris de Physica auditione; cùm ibi non tractentur corporis naturalis species, sed principia et affectiones. Atque idcirco toto cœlo aberrant, qui Simplicium & Alexandrum verbis solùm discrepare ea ratione conantur ostendere, quoniam vterque tandem subiectum, quod, faciat præter Theoremata illa cœlum & elementa: Vniuersum verò, quatenus omnes species naturales continet, subiectum, quo, siue attributionis. Nam Simplicius ea theoremata vult ostendi de subiecto quod, idest de Vniuerso, quod corpora tantùm simplicia comprehendit, quod est falsissimum: Alexander verò docet demonstrari de subiecto, quo, idest de Vniuerso quatenus omnibus corporibus cōtinetur, quod est verissimum. Et in hanc ferè sententiam dixit Theophrastus in libris de cœlo agi non solùm de diuino corpore: sed de his etiam quæ in generatione versantur, & horum principijs. Vniuerso non modò cœlum, sed & corpora quæ generantur, & horum principia, hoc est elementa contineri sentiens: quòd Vniuersum pro aggregato ex his omnibus sumeretur. Quanquam non me latet hanc Theophrasti authoritatem à nonnullis ad eorum sententiam trahi; qui ex libris tum de cœlo, tum de generatione vnicum opus confici dicunt. Id quod si verum eßet, nobis etiam maximè faueret, quia adhuc in corporibus naturalibus in vniuersum, nō in simplicibus versaretur. Neque verò (vt nullus supersit dubitandi locus) si Vniuersum pro aggregato ex omnibus corporibus naturalibus sumatur, erit vnum quoddam per accidens: cum sit totum quoddam continens naturas diuersas, id quod materiae vnitatem videtur euertere. Nam si fundamentum hoc eßet verum, sine dubio concluderet etiam contra Simplicium, quia † cœlum est indissolubile ex Aristotele: † elementa verò sunt naturæ dissolubilis. quocirca cum † mortale & immortale differant plusquam genere; elementa & cœlum non conuenirent in aliquo genere: ergo non possent constituere certam atque vnam materiam subiectam: quia (vt habetur in posterioribus † analyticis) materia subiecta debet eße vnius generis. Respondeo igitur si concedamus Mundum ex sententia Aristotelis esse animatum; quòd sanè aliqui videntur contendere, falsum erit esse aggregatum, siue vnum per accidens: nisi tamen ex materia & forma substantiali vnum per accidens fieri dicamus. Si verò negemus esse animatum, vt re vera videtur negandum, (secundo enim de cœlo iam egit Aristoteles de ipso cœlo, quatenus est species corporis naturalis: ac si vult esse animatum, præterquam quod aequiuocè ac similitudine quadam id est accipiendum, non de Vniuerso loquitur) certè nisi temerè haud negare poterimus Vniuersum eße vnum analogicè. Nam vt ens reale dicitur analogicè de suis speciebus, & tamen statuitur materia Philosophiae subiecta: ita Vniuersum analogicè de omnibus corporibus praedicabitur, ex quibus constat: hoc

† 1. cœ. 20. & 2. cœ. 1. & 2.
† 3. cœ. 52. & 53.
† 10. met. 16.
† l. 1. t. 43.

autem ex † Aristotele satis est ad materiæ subiectæ vnitatem retinendam ac conseruandam.

† 1. post 43. & 2. met. 1. sum. 2.

Denique, quamuis propositam à me sententiam de Aristotelis artificio atque instituto in libris de cœlo certissimã esse constet; age tamẽ eorum opinioni aßentiamur qui Simplicij ac Themistij partes sequuntur: cum alio nomine ex ijs met alijsque etiam Peripateticis Platonis Vniuersum cũ Physico Aristotelis corpore, totiúsque Physiologiæ materia reciprocari (id quod à principio docere institueram) demonstretur. Hoc autem ex Simplicio primùm apparet, quia cum dixisset † Plato in Timæo principia naturalium materiam, formam, & motum, & tempus, & communem Mundi constitutionem tradidit: et sigillatim de cœlestibus, & de his quæ sub Luna, docuit, & horum meteora, & quæ in terris metalla, & plantas & animalia: h*i*c autem ab Aristotele de Mũdo toto dicta sunt paucissima: *addebat*: Sed si velit aliquis Aristotelis Theoriam de Mundo videre, in omnibus simul ipsius negocij naturalibus ipsum de Mundo tractasse dicendum. *Licet itaque neget Simplicius Vniuersum, qua diximus ratione eße materiam librorum cœlo, vniuersæ tamen Physiologiæ subijci non inficiatur; cùm id pro sua opinione aduersus Alexandrum firmanda tanquam certũ acceperit. Deinde Themistius, Simplicius, atque alij Alexandri sententiam oppugnant, quòd in libris de cœlo non de omnibus speciebus naturalibus disputetur: atque ita concludunt Vniuersum nõ eße materiam subiectam. iam itaque cum in Aristotelis Physiologia de omnibus speciebus naturalibus agatur, Vniuersum sine dubio erit Physiologiæ materies. Vniuersum igitur & corpus naturale conuertuntur. Ac propterea non malè Auerroës, qui vt partes Mundi, de quo loquebatur Aristoteles in libris de cœlo, voluit esse res naturales vniuersas, atque hoc nomine proprietates illas de Mundo osten di: ita etiam prom scuè res naturales ac Mundum vniuersæ Aristotelis Physiologiæ subiecit: vt propterea ex Auerroë etiam Vniuersum siue Mundus cum corpore siue substantia naturali conuertatur. Quanquam vt aperiam in præsentia, quod hac in re sum sæpe de eo suspicatus, haud omnino animaduertisse videtur Auerroës Aristotelem in primo de cœlo totum adhuc in communi rerum naturalium seu Mundi tractatione versari, ac per accidens disputare de ipso cœlo: (videlicet quia cum demonstrasset Mundum esse perfectum, quod erat primum Theorema; Mundi finitatem quæ pertinebat ad secundum, explicare non poterat, nisi de cœli natura, vt supra docuimus, ad partium omnium finitatem statuendam constaret) ac proinde cum nec satis intelligeret, cur de natura corporis cœlestis, quod est certa quaedam Mundi pars, antea ageretur, quàm de reliquis Mũdi propritatibus, quæ veluti attributiones generales præponi debuißent, nec fortaße haberet vndenam expli caret sese ab Simplicij argumentis, quibus pugnabat de corpore simplici non de Mundo ea tradi omnia, non incallidè videtur tandem initio suæ paraphrasis pronunciasse tum de Mundo vniuerso, tum de simplicibus corporibus eas proprietates ostendi. Vbi sanè magnopere secum ipse pugnat: nam cum iam antea † docuisset perfectionem demonstratam esse de Vniuerso quatenus*

† Sim. 1. cœ. in proœ.

† 1. cœli com. 5.

nus omnes species naturales continet: eodem nomine; ne Protheum quendam faceret suum Vniuersum; debuisset fateri quatuor reliquas proprietates de illo ostendi.

CVR Aristoteles sua Physiologia alijs planè nominibus de Mũdo disputare aggrediatur, quàm Platonis Timæus.

QVOD si quis adhuc percontetur, cur factum sit, vt cum Aristoteles Platonis Timæo sua Physiologia respondeat, eandémque planè materiam suæ disputationi subijciat, rei naturalis, seu Physici corporis nomine huiusmodi materiam maluerit pertractare, quàm Vniuersi siue Mundi nomen, quo Platonem ipsum passim vsum esse perspexerat, conseruare: equidem cum huius rei explicatio ad institutæ comparationis aditum muniendum, præcipuaque dissensionum semina ac fontes deprehendenda plurimum momenti habeat, rem agnoscere non grauabor. Ergo (ni valde quidem fallor) id ea ratione commißum est, quoniam Platonis tempore, vt in Sophista ac primo de legibus scriptum reliquit, maximè increbuerat eorum opinio, qui tantam vim in Natura collocabant, vt animalia, plantas, atque animata denique inanimataque omnia ab hac vna sine Mentis opera prodire contenderent. Quod Platoni nullo modo placuit. Nam cum videret animalia, ac cætera quæ commemorauimus omnia, tam appositè ac bellè in hanc lucem prodire, nec sibi persuadere posset Naturam mente atque consilio orbatam, opera edere tam præclara, ac tam perennibus vicissitudinibus edere; existimauit hæc nisi à Mente aliqua seu Anima quæ ratione duceretur, oriri nullo modo posse. Quamobrem sicut Vniuersitatem, vtpote pulcherrimam, à Mente prodijße censuit: ita etiam quæ in eâdem Vniuersitate in dies procreantur, ne temere generari dicerentur, tum Naturæ effectus eße negauit, ac naturalia etiam recusauit appellare: tum ab intelligenti principio originem ducere, ac Mundi Vniuersíque nomine sua disputatione prosequi voluit. Et ideo cum in Sophista effectricis facultatis duas tantùm species fecißet, diuinam scilicet & humanam; naturalem, quam alij traderent, idcirco repudiandam esse dicebat, quòd animalia, plantæ, ac reliqua id genus non Naturæ opera essent. Quare eos etiam redarguebat, qui cùm rerum effectionem tribuerent Naturæ, hanc temere ac sine ratione operantem faciebãt. Atque ob id etiã in Phaedone Anaxagoram reprehendit, qui verbis potiùs, quàm re ipsa Mentem ad Mundi constitutionem retulißet. Sophistæ verba (sunt enim verè aurea, ac digna quæ ad rem propositam illustrandam ex Platone ipso audiantur) hæc sunt. Hospes. Effectricis igitur facultatis duæ primùm sint partes. Theætetus. Quæ? Hos. Diuina, & humana. The. nondum intelligo. Hos. Si modò, quæ dicta sunt, recordamur; effectricem facultatem dicimus vim quandam, quæ causa est, vt sint postea, quæ ante non fuerant. The. Recordamur. Hos. Animalia cuncta mortalia, plantásque quæcunque terra ex seminibus radicibúsque nascuntur, & quæcunque inanimata in terra consistunt, siue liquefieri posſint, siue non posſint; nunquid alio quodam opifice fabricata, quàm Deo, facta esse cùm priùs non essent, dicimus? an multorum doctrinam sermonésque sectabimur? The. Quorum? Hos. Dicentium ista natura ipsa gigni à causa quadam fortuita, sine

mente hæc agente: vel cum ratione potiùs, ſcientiáque diuina, quæ ab ipſo Deo ſint orta? The. Ego forte propter ætatem tum hoc, tum aliud opinor. In præſentia verò ad te reſpiciens, putánſque exiſtimare te per DEVM hæc omnia gigni, idem ipſe quoque exiſtimo. Hos. Rectè admodum Theætete. Ac ſi te putaremus in poſterum aliter opinaturum, nunc ratione ſimul cum neceſſaria quadam perſuaſione, vt nobis crederes, efficeremus. Quoniam verò eius ingenij eſſe te noui, vt etiam ſine noſtra demonſtratione vltro ad illa ſis profecturus, ad quæ nunc trahi te dicis, dimittam. Ponam verò illa, quæ natura gigni dicuntur, arte diuina fieri: quæ autem ex his ab hominibus componuntur, humana, atque hac ratione duo effectricis facultatis genera, humanum videlicet & diuinum. *Et paulò poſt.* Homines vtique & animalia cætera, atque ea præterea ex quibus iſta gignuntur, ignis & aqua, horúmque germana Dei opera eſſe cognoſcimus. *Hæc in Sophiſta. In Phaedone autem,* Verùm cum audiſſem aliquando ex Anaxagoræ libro legentem quendam eius ſententiam: videlicet Mentem omnia exornare; omniúmque cauſam eſſe; hoc vtique cauſæ genere magnopere ſum delectatus; exiſtimans conſentaneum Mentem eſſe omnium cauſam: putabámque ſi ita eſſet, vt Mens omnia exornaret, ſingula per hanc ita eſſe diſpoſita, vt optimè diſponi potuerant. *Et paulò poſt.* Hæc vtique mecum ipſe reputans, gaudebam inueniſſe ratus Anaxagoram magiſtrum, qui me, quod tantopere cupiebam, cauſas rerum doceret. Hac igitur mirabili ſpe ductus, cum legere pergo: video hominem Mēte nullo modo utentem, nec cauſam vllam ad ipſorum ornatum referentem: ſed aëreas naturas, & aethereas aqueáſque, & talia multa incredibilia pro rerum cauſis aſsignantem. *His atque huiuſmodi alijs Plato noſter rerum naturalium efficientiam ad DEVM reuocauit. Et hac etiam de cauſa ita in Timæo vniuerſam naturam explicauit; vt iam iam ex ſummi opificis manibus ſingula ferè prodire videantur. & in Atlantico cum ſuam Phyſiologiam abſoluiſſet, diuina opera ſe complexum eſſe affirmabat. Vt dum Timæum Naturæ indice notauit; id cum vulgarem multorum conſuetudinem ſequutus fecerit, qui (vt ipſemet tradit in Lyſide, de Natura diſputauerant) tum præcipuè ipſius Timæi Locri veſtigijs hæreat, cuius de Natura librum ſibi propoſuit initandum. At verò Naturæ genius Ariſtoteles, qui pugnabat Mundum eſſe æternum, réſque natura quadam gigni, has tanquam Naturæ effectus perpendere voluit. Quocirca cum humanæ contemplationi, atque Philoſophiae ipſi omne ens reale (quod vocant) ſubijciens, ídque pro tribus formarum generibus in tres partes diſtribuens, tertiam huius portionem, quæ ſcilicet formas in materia contineret, tractandam ſuſcepiſſet, primo Phyſiologiæ in limine hanc entis partem nomine naturalis entis conſiderare cœpit: cúmque in progreſſu deprehendiſſet omne ens naturale eſſe mobile, atque omne ens mobile eſſe corpus, & è contrario eandem materiam quam entis naturalis nomine declarare*

clarare cœperat, sub nomine corporis naturalis (atque ob id supra monebam nihil ferè referre siue ens naturale, siue corpus vel aliquid huiusmodi subiectam materiam statuamus) persequebatur. Et idcirco sub initio librorum de cœlo, vbi nobis ponit ante oculos totius Physicæ *tractationis institutum ac materiam, in instituto perseuerans, contendit Physicum versari circa naturalia corpora, atque eorum initia & affectiones. Vbi cùm hoc posito, pergeret ad ostendendã eiusdem corporis perfectionem, incidit in Vniuersum: cum omne quidem corpus in genere corporis perfectum; illud verò quod alieno termino non finitur sed coërcet & cõplectitur omnia, ex omni parte perfectũ esse statuens, hoc fateatur esse Vniuersum: déque Vniuerso subinde theoremata illa, generalésque attributiones demonstret ac tractet. Atque ex his satis constare arbitror, cur Plato & Aristoteles varijs quasi insignibus ad* Phy*siologiæ palaestram descendere videantur. Nam si aliqua forte extent in Aristotelis Physiologia, de quibus haud differat Plato: ac nonnulla etiam ad Physicam rationem reuocauerit Plato, quæ Aristoteles omnino prætermiserit, nihil est quod nos perturbet: cùm pro suis quisque principijs quæ Physica duceret, pertractarit, vt in progressu ostendemus. Atque hæc de summorum Philophorum instituto atque argumento in Physiologia in vniuersum. Quanquam ne istiusmodi consensum abundè quidem & copiosè declarasse: si quid autem in eâdem materia suis physiologijs subijcienda discrepant isti, leuiter attigisse, atque adeò dissimulasse videar; vnum adhuc explicabo vberiùs, in quo Plato sanè longè quàm Aristoteles accuratior appareat necesse est. Etenim apud Platonem vsque adeò perspicuè intelligitur Timæum nulla alia de re quàm de Vniuerso disputare: hócque ipsum ab initio ad finem vsque tam sæpè testificatus est idem Plato, vt de germano illius disputationis argumento ac materia (id quod fusè satis docuimus superiore libro) reuera non possit nisi temere dubitari. Apud Aristotelem verò contra. is enim, quippequi non Platonicae doctrinae atque artificij sectator aut etiam amplificator videri vellet: sed tum eorum quæ traderet decretorum, tum rationis ac viae quibus ea traderet, author atque magister; nouum in proposita materia constituenda excogitauit artificium. Siquidem (nisi confugias ad librum de Mundo ad Alexandrum, in quo sanè libro perinde ac Plato Mundum siue Vniuersum primo ipso tractationis ingressu statuit in materiae loco, idémque retinet disputatione tota) non Vniuersum aut Mundum (quod tamen ab physiologiae initio, immo in octo ipsis de physica auditione libris animaduertere vsquam possis aut coniectare) pro materia statuit: sed vel nulla ei de materia priùs constituenda ac patefacienda subijt cogitatio: vel certè (id quod in proœmio † cernitur) Naturam, aut etiam ens naturale posuit de quo ageret. Quod etiam, siue Naturæ entísue naturalis fines non omnino exploratos haberet, siue non tam morosos ac difficiles, ne dicã perpugnaces ac litigiosos sectatores se habiturũ putaret, quibus una semper eâdémque appellatione, eâque materiæ penitus adæquata (vt isti requirunt & postulant)*

Dum Aristoteles in subiecta Physiologiæ materia cõuenit cum Platonis Timæo, ostenditur non ita eam sibi tractandam desũpsisse quin Platoni sit lõgè inferior.

† *tex.* 1. *et* 8.

ſtulant, ac propè librata, argumentum eſset deſignandum; mirum eſt quàm in phyſiologiæ progreſſu, maximè verò in diuina philoſophia varijs adhuc nominibus rationibúsque deſcripſerit ac deſignarit. rurſus enim † ens mobile viſus eſt ſubijcere naturali ſcientiae: interdum † naturalem ſubſtantiam: aliquando † mobile corpus, nonnunquam formas † in materia, ſæpè etiam † corpus phyſicum aut aliud eiuſmodi quidpiam. quibus ſanè factum eſt vt miſeris Peripateticis phyſicam authoris ſui tractationem explicantibus, ne illud quidem adhuc planè cōſtet, quod quiſque artifex initio ipſo perſpicuum habere debet ac penitus exploratum: nimirum quaénam omnino & qualis ſit quam tractat materiam: atque idcirco etiam altercationibus pleni, in varias diſceßere ſententias. Quanquam ij quantumuis inter ſe diſceptent acriter ac pugnent, plerique verbis potiùs diſſident quàm rebus. Siquidem Natura, ens ſiue naturale ſiue mobile, corpus phyſicum, corpus mobile, et ſi quid huiuſmodi, Vniuerſum ipſum ſignificant tandem Ariſtoteli: & ideo naturalem ſubſtantiam ſiue ens naturale, à ſubſtantia vniuerſa ſiue à toto reali ente quod totius Philoſophiae materiam facit, † præciſum; Naturae ſiue naturalis entis nomine aggreſſus in primo phyſiologiae limine, ens naturale (vt paulò ante monere cœperam) in ens † mobile, hoc rurſus in † corpus, idque tandem (ne vagaretur diutiùs, ſed dilucidioribus finibus phyſiologiam concluderet ſuam) in † Vniuerſum conuertit: de cuius ſpeciebus ac partibus, ſtatim atque eiuſdem Vniuerſi theoremata quaedam expediuit; ſubinde egit in reliqua naturali facultate: à cœleſti corpore & elementis, quippequæ generaliores partes ſunt ac patent latiùs, ad indiuiduas vſque per intermedias progrediens. Denique ſic ſtatuo. Reuera in propoſita dubitatione à cæteris ij vni diſſident, qui vel corpus † miſtum, vel corpus item generabile & † mortale materiam ſtatuunt Ariſtotelicae phyſiologiae ſubiectam. ij namque, cum hac de cauſa cœleſtia corpora & elementa, vel cœlum ſaltem arceant à contemplatione naturali, nullo modo cum ijs componi poſſunt, qui in cœli, elementorum, & (vt ſimpliciter dicam) ſimplicium corporum contemplatione magnam ac ferè praecipuam naturalis ſcientiae partem conſtituunt. Tametſi dum componi cum caeteris coniungique nequeunt, réque ipſa omnino dißentiunt, ne ipſi quidem validiſſimis carent argumentis ex Ariſtotele ipſo ductis. Nam (vt caetera taceam hoc tempore) cum à generalibus (vt par erat) ſe inchoaturum pollicitus Ariſtoteles, vna principia rerum miſtarum ac mortalium non modò ab initio ſtatim perquirat ac tradat, verùm etiam poſt eorundem conquiſitionem conſtitutionémque apertè † profiteatur ſe principia rerum quæ oriuntur & occidunt inueniſſe ac ſtatuiße ſolùm, facillimum fuit iſtis haeſitare atque adeò labi in iſtiuſmodi opinionē. Vt propterea quantum perſpicuitatis, et conſtantiæ cernitur in Platone noſtro, dum argumentum ac materiam præfigit Timæo; tantum obſcuritatis in Ariſtotele, hæſitationiſque & inconſtantiæ in reliquis Peripateticis appareat in propoſito argumento. Atque hæc de eorundem diſcrimine ac varietate.

Iam verò quoniam Platonis Timæum non modò cum Ariſtotelis Phy-

ſiologia

† 6. met. tex. 1. & 4. met. c. 1.
† Vide 6. met. tex. 1. 2. & 3. & 12. met. t. 5.
† 1. phy. t. 8. & al.
† 6. met. ad init. & al.
† 1. cœl. tex. 1. & alibi.
† Vide 4 me. ad in. & al.
† 2. & 3. ph.
† 6. phy. 32.
† 1. cœ. ad in.
† M. Ant. Genu. i proœ. phy.
† Neoterici quidā et alij ex Gal. l. de arte Medica. c. 8.
† lib. 1. phy. tex. 66.

ſiologia comparare debemus, ſed etiam vbinam Chriſtianæ veritati aut con-ſētiat, aut aduertetur oſtēdere; ſupereſt vt ad huius quoque partis fundamēta iacienda pauca quædam dicamus. Et ſanè in diuinis litteris, præcipuè verò in Geneſis exordio agi de Vniuerſitatis origine atque procreatione norunt ferè omnes. Ac proinde etiam factum eſt, vt qui primi librum illum ex Hebraicâ veritate in Græcum ſermonem verterunt, γενέσεως illi nomen præfixerint. Nam licet apud Hebræos à prima libri voce nomen inueniſſet: ac præterea etiam conditi orbis narratio exiguam libri illius partem occuparet; veruntamen quia Mundi procreatio eſt illius libri vertex ac caput: atque inde tanquam ex fonte deriuatur cæterarum rerum hiſtoria, prudenter hoc illi nomen indidere, quo intelligeretur in ipſo exponi Vniuerſitatis ortum. Quanquam ſi deinde ad partes vtriuſque Vniuerſitatis, Moſaicæ inquam & Platonicæ; agnoſcendas accedas; facilè exiſtimes Moyſem corporeas naturas tantùm, eáſque magna ex parte generalibus appellationibus ſtrictímque eſſe complexum. Platonem verò præter eas naturas, quæ ſenſibus ſubijciuntur. alia etiam attigiſſe, quæ ex ſui natura effugiunt ſenſus noſtros: atque hæc etiã tractaſſe fuſiùs. Cuius rei ea potiſſimùm fuit cauſa, quoniam Moſes Hiſtorici more potiùs quàm Philoſophi rerum procreationem texere inſtituerat: atque ad humani generis propagationem, diuinæque legis ac rerum geſtarum tractationem properabat. Platonis autem Timæus de vno tantùm Vniuerſitatis ortu atque molitione, ídque Philoſophi more agere ſibi in animum induxerat. Ac propterea ille breuiter Vniuerſitatis procreatione expoſita, ſtatim non modò ad humani generis amplificationem, verùm etiam ad res geſtas, diuinámque legem deuenit: quæ omnia varijs libris diſtinctè, copiosè, ac ſumma cum diligentia tractauit. Hic verò illuſtri quodam apparatu ad vnum Mundi ortum atque naturam explicandam deſcendit, ſinguláſque eius partes fusè atque diſtinctè eſt proſequutus. Quanquam quæ breuiter complexus eſt Moſes de rerum creatione, vt veritatis ſunt plena, atque omnium rerum initia continent, ita etiam ſi quis ea diligenter reputet ac meditetur; non omnino obſcuros aditus habent ad ea aliqua ex parte inueſtiganda atque intelligenda, quæ vir ſanctiſſimus, etſi phyſicis etiam diſciplinis apprimè imbutus, conſultò prætermiſit. Cum tamen contra, quæ Plato ita ſplendidè ac copiosè diſſeruit, ea ſint, quæ vt ab humano ingenio profecta ſunt; ita falſitatibus aliquando implicata deprehendentur. Sed iſthæc ſuis locis fuſiùs. Nunc ad inſtituti muneris fundamenta ſat ſit tam Moſem in ſua Geneſi, quàm Platonem in Timæo de Mundi conſtitutione diſſeruiſſe: atque ab ortu ſtatim incœpiſſe. Nam Ariſtotelem ab huiuſmodi tenore atque ordine, etſi Naturæ aptiſſimo, atque à laudatiſſimis Philoſophis in Mundi tractatione diligenter cuſtodito, magna ex parte receſſiſſe, nihil attinet commemorare. Neque verò hoc aſſero quòd cum admonere viſus eſſet à generalibus Mundi, rerúmue naturalium in ijs, affectionibus ac partibus ſibi incipiendum eſſe, præpoſtero deinde ac turbato ordine ſit vſus: (nihil enim de hoc ſtatuo in præſentia) ſed quia ſiue de Mundi ortu atque origine dubitaret: ſiue ortus rationem ac viam omnino ignoraret, de Mundo non egit ab ortu &

conſtitu-

VT AD Chriſtianæ veritatis normam expendi poſſit quid veri aut falſa contineat Platonis Timaeus, oſtēditur primùm Moyſis Geneſi in materia ſubiecta aliqua ex parte reſpōdere.

constitutione incipiens, sicut cæteri. Sed rerum naturalium, siue potiùs mortalium initia, præsertim materiam & formam, conquisiuit priùs: tum post longas disputationes tortuosis quibusdam vijs ad Vniuersum, eiúsque æternitatem reuocauit orationem: quasi verò rerum initia apposite requiri & constitui possint antequam constiterit ortum sit nec ne ipsum Vniuersum. Sed de his cum alibi tum post paulo opportuniùs ac fusiùs. Nunc verò, quoniam subiectam vtriusque Physiologiæ materiam institutúmque explorauimus; age dum eorundem apparatum & œconomiam (hanc enim secundo loco posueram inuestigandam) artificiúmque agnoscamus. Qua in re (vt à Platone incipiam) mirum est sanè quot quantaque tradiderit in Timæo Plato de Reipublicæ institutis, déque rerum antiquitate, antequam de Natura, siue de Mundo disputaret. mirum etiam quot deinde post ipsam disputationem de Mundo, scripserit de rebus ab Atheniensibus gestis, & cum Timæo ipso copularit. quorum sanè ordo atque consensio etsi propter incredibilem earum varietatem ac dissimilitudinem, perdifficilis est quæ intelligatur, Deo tamen benè iuuante intelligetur tandem. Ergo vt huius dialogi œconomiam artificiúmque aggrediar in vniuersum, (nam de eo sigillatim agemus in Physicæ disputationis progressu) Sciendum est libros de Republica, Timæum, Critiam, atque Hermocratem (dialogus verò hic non extat, sicut & Critias est imperfectus) eo artificio fuisse à Platone elaboratos; vt miro quodam ordine inter se omnes cohæreant: atque ad certum veluti scopum pulcherrimè referantur. Nam cùm Reipublicæ vtilitati consuleret Plato, ac quantum in eo esset et prudentiæ & ingenij ad humanam fœlicitatem referret; primùm sibi explicandum esse duxit, qualis deberet esse Respublica. Quòd cum præstasset, animaduertit ita constitutæ Reipublicæ virtutem tunc non apparere solùm, verùm etiã illustrari ac perfici, cũ ad agendum traducitur: atque ob id continuò sibi statuit demonstrandũ esse quo pacto talis Reipublicæ homines in bello (in bello enim præcipuè ac difficillimis in rebus elucet virtus) vel etiã in omnibus vitæ muneribus se gerere deberent. Sed dum de huiusmodi exemplari effingendo cogitaret, vidit commodè se illud ducere posse ex antiqua quadam Solonis historia, quæ res domi forísque ab Atheniensibus tum bello, tum pace præclarè gestas complectebatur. Et idcirco, vt quam rerum gerendarũ Ideam exprimere moliebatur, eliceret ex Solonis historia, hanc illis priùs enarrare instituit: cúmque eandem summatim expositam, sigillatim quoque explicare in animo haberet, & exemplum ex ea tandem depromere; animaduertit non præposterè factum iri, si antequam aut exemplum ex hac assumeret historia, aut eandem explicatiùs referret, totam humanæ naturae vim atque rationem explanaret. Ita enim plurimùm sibi adiumenti in suscepta disputatione afferri necesse erat, si ex intimis Philosophiæ fontibus perspectũ haberet eius ortũ ac naturã cui viuendi norma cõmonstranda esset ac præficienda. At verò cùm ad huiusmodi ortũ ac naturam cognoscendam aditus intercluderetur, nisi illorum causæ explaratæ antea forent: causæ autem perfectè explorari haud possent omnes, nisi Mundi etiam perspicuus esset ortus ac procreatio (vt enim homo est totius Vniuersitatis non modò epitome

DE APPARATU & œconomia Dialogi huius in vniuersum.

quædam

quaedam atque compendium, sed membrum ac pars: ita eius ortum, ortúsque causas Mundi causis atque initijs eße annexas, ex ijsdémque pendêre necesse est) idcirco à Mundi ortu ac procreatione exordiri decreuit. Ergo cum Rempublicam tanquam Regiam constituißet, à Mundi ortu ad hominem, ab homine ad Solonis historiam progreßus est: atque ab hac etiam ad Ideam ac normam de qua paulò ante loquuti sumus, effingendam se conferre, hominémque denique in belli pacisque muneribus tractandis ad normam illam institutum, ad Socratis Rempublicam traducere cogitabat, dum morte praeuentus, rem omnem perficere haud potuit. Atque hinc sanè factum est, vt ij dialogi omnes in quibus (si Hermocratem, qui desideratur, exceperis) haec omnia, quo praedixi ordine, continentur, ad certum finem, nempe ad humanam fœlicitatem, conspirent. Atque hinc facilis habetur aditus ad Timæum. Cum enim Plato in libris de Republica Rempublicam formaßet: iámque de exemplo & Idea effingenda cogitaret, ad quam homo belli munera obire debuisset: ob ídque priùs Solonis historia fuißet promulganda, ex qua Ideam statuerat elicere ac deriuare, (ob id enim summatim eam proposuerat) ac de ipso homine etiam foret agendum, vt perspicua fieret eius vis ac natura, cui rerum gerendarum exemplum esset praescribendum; de Mundi origine atque ortu iure optimo in Timaeo antea disputauit.

Iam varia Platonis loca referuntur & declarantur, quibus confirmantur ea quæ de dialogi huius apparatu dicta sunt hactenus.

Verùm (dicet aliquis) difficiliora sunt isthæc quæ pro Timæi multorúmque aliorum dialogorum introductione, nexu et œconomia abs te dicta sunt, quàm vt sine probatione aliqua credi poßint. Tuo enim arbitratu libros de Republica Timæo & Critiæ adiunctos facis: cum tamen siue dialogorum personas ac materias spectemus, siue locum, tempus, atque occasionẽ denique intueamur qua singulæ disputationes conciliantur, maximè diuersæ appareant ac ferè contrariæ. Hermocratem præterea tute ipse pro tua opinione firmanda commentaris: atque ea tandem omnia de quibus in his dialogis disputatur, ad Reipublicæ fœlicitatem nulla ratione refers. Ergo superest, vt & Timæi allatam introductionẽ verissimam esse demonstrem: ac simul quæ pro huiusmodi dialogorum instituto atque nexu statuendo proposui, planissima omnia efficiam. Primùm verò ex his quæ protulit Socrates sub initio Timæi, postquam epilogum fecit eorum quæ habentur in libris de Republica; constat Platonem post Reipublicæ tractationem describere instituiße quo pacto descripta Respublica, tum belli, tum pacis, tum denique totius vitæ officia ac munera (aut belli saltem vt suo loco docebimus) tractare deberet. Huc enim spectant ea quæ de pulcherrimis, sed torpentibus animantibus, quas cum sua Republica comparat, pronunciauit his verbis. Audite deinceps quo pacto erga hanc, quam descripsimus Rempublicam, sim affectus: comparatione vobis aperiam. Quemadmodum si quis animalia eximiæ pulchritudinis intuitus, seu picta, seu viua quidem sed torpentia, motus gestúsque viuentium, & certamen aliquod eorũ spectare desideret: sic ego nunc libenter aliquem narrantẽ audirem, quo pacto supra descripta Ciuitas cum finitimis ciuitatibus

decertaret: quídue tanta eius educatione disciplináque dignum, vel bello vel pace, tam dicendo quàm agendo erga ciuitates singulas demonstraret, *Hócquè etiam planissimè constat dum paulò post dicit.* Quapropter rogantibus vobis heri de Republica disputari, libentissimè parui: cum cogitarem, quod instituto deinde operi superforet, à nemine commodiùs quàm à vobis, modò velitis, posse tractari. Cum enim Ciuitatem ad bellum idoneam constitueritis, Soli omnium vos quæ eam decent, vicissim omnia tribuetis. Cùm verò in superioribus, quæ mihi iniuncta fuerant, perfecissem, quæ modò retuli vobis; tractanda commisi. *Iam itaque intelligitur Platonem post libros de Republica Reipublicæ ipsi altera disputatione exemplum atque Ideam proponere instituisse, ad quam aut omnia sua opera, aut saltem bellica conformare deberet. Constat deinde iudicaße etiam hanc Ideam ex Solonis historia sibi eliciendam eße. Nam cum hæc quæ modò retuli ex Socrate, cognouissent cæteri, statim vt ei morem gererent, decreuerunt quandam Solonis historiam breuiter à Critia narrandam eße, vt iudicaret Socrates, an ex hac desumi posset exemplum ad ea, quæ ipse optarat, implenda. Quare aiebat Hermocrates.* Nos quoque, vt pollicitus est modò Timæus quod iubes pro viribus exequemur: præsertim cum nulla excusandi sit ratio, quo minùs id facere debeamus. Nam præterito die, cum disputatione peracta, mox ad hospitium quo apud Critiam suscepti sumus, rediremus, & inter eundum primò & domi rursus de his verba fecimus. Hic igitur veterem nobis narrauit historiam, quam velim ò Critia Socrati modo recenseas, vt cum audierit, iudicet nunquid ad eam rem; quam nos exequi iussit, conducere videatur. *Hæc Hermocrates de Solonis historia: quam è vestigio Critias summatim retulit; ac relata, sese vltrò Socrati obtulit ad eam distinctiùs sigillatimque narrandam: si tamen ad id quod iubebat, conducere iudicaßet. Atque idcirco ea relata, asserebat.* Verùm vt ad id, quò hæc omnia spectant, me conferam, paratus sum o Socrates non modò summatim, sed sigillatim, sicut audiui omnia enarrare. Ciuitatem vtique & Ciues, quos quasi per fabulam hesterna disputatione finxisti, rem veram esse ponemus. Ciues quoque, quos ipse excogitabas, nostros illos maiores à sacerdote narratos fuisse censebimus. Nempe omnino hæc congruunt, neque ab re fuerit, si ciues tuos reuera priscos illos extitisse dixerimus. Quare communiter rem ipsam inter nos partientes, conabimur omnes muneri abs te imposito pro viribus satisfacere. Sed vide ò Socrates nunquid sermonem hunc probemus, an alium exigamus. *Hæc Critias: cui annuens Socrates, historiam distinctè narrari postulat, dicens.* At enim quem ò Critia sermonem magis quàm istum probemus? *& quæ in hanc sententiam sequuntur. Quod verò antea quàm id efficeret, de homine agere, immo à Mundi procreatione atque ortu disputationem ordiri, & inde per Naturæ gradus ad hominis naturam deuenire cõstituisset, ex eo ostenditur, quoniam cum Socrates à Critia*

exposceret,

exposceret, vt historiam de qua paulò ante dictum est, latiùs referret, continuò Critias nouum sociorum consilium Socrati patefaciens, communi eorum consensu decernit, vt antequam historia sigillatim narretur, de Mundi procreatione ad hominem vsque dißeratur. Et idcirco ait. Considera Socrates an commodè mutuum tibi conuiuium disposuerimus. Visum est nobis vt Timæus, tanquam in Astronomia nostrum omnium peritissimus, maximéque in rerum natura cognoscenda versatus, primus edisserat, ita vt à Mundi generatione exordiens, vsque ad generis humani naturam deueniat. *Quo etiam in loco omnem horum dialogorum nexum paucis quidem uerbis, sed lucidissimè tamen, si rem attentiùs æstimes, commonstrauit. Cum etenim proposuisset de Mundo vsque ad hominem agendum esse, addidit.* Atque ego deinde suscipiam homines à Timæo quidem genitos, (*atque hic confirmat Timæo fuisse disputationem obeundam*) à te verò vt plurimum institutos (*hic verò libros de Republica indicat*) secundùm Solonis sermonẽ legémque in iudicium vestrum adducam: ciuitatísque istius Ciues eos efficiam, quos sacræ Aegyptiorum litteræ in lucem è tenebris eruerunt, (*his autem Atlanticum proposuit*) adeò vt de illis deinceps tanquam de veteribus Atheniẽsibus verba fiant: *atque hic denique Hermocratem designare videtur: sicut eidem quoque disputationem eße tribuendam supra planiùs indicauerat: neque ob id solùm, quia Socrates per mutuas eorum disputationes Rempublicã perficiendam proposuerat dicens,* Vos Reipublicæ vicissim omnia tribuetis: *verùm etiam quia singuli receperant disputationem aliquam se esse suscepturos. Quare eorum omnium nomine dicebat Critias.* Cõmuniter rem inter nos partientes, conabimur muneri abs te imposito pro viribus satisfacere. *Ac propterea etiam cum peroraret Timæus, Critiaéque locum ad dicendũ concederet asserens,* Sequentem disputationem Critiæ, vt inter nos conuenerat, cõcedimus: *& Critias id munus susciperet dicens.* Accipio equidem ò Timæe: & quam tu supra veniam petisti tanquam de rebus magnis disputaturus, eandẽ ego nũc peto; *rationémque simul afferret, ob quam sibi maximè ignoscendum foret, si minùs pro dignitate rem sibi impositam pertractaret; Socrates nõ solùm huic, verùm etiam Hermocrati veniam exhibendam esse affirmauit his verbis.* Nihil obstat ò Critia quo minùs tibi quod postulas tribuatur. Quinetiam Hermocrati hoc idem à nobis tertio detur: Cõstat enim hunc paulò post cum dicturus erit, eandem precaturum. *Quamobrem* Hermocratis etiam dialogum *cum libris de Republica, Timæo, & Critia ad certum quasi scopum referri nihil est cur dubitemus. Quanquam (vt dixi) nec Hermocrates extat: nec Critias absolutus est. Nãmque (vt supra etiam monuimus) dum Critiam conscriberet Plato, repentè occubuit. Hinc* † *Cicero.* Est etiam quietè & purè atque eleganter anteactæ ætatis placida ac leuis senectus, qualem accepimus Platonis, qui vno & octogesimo anno scribens mortuus est. *Et Plutarchus.* † Atqui Plato argumentum Atlanticum prægestiens, vt amœni loci aream desertam, excolere & expolire, cinxit

† *in l. de Senect.*

† *in Solone sub finem.*

ingentibus veſtibulis, ſeptis & atrijs, qualia ſcriptum nullum aliud, nec fabula, nec poëma habuit aditum. Sed quia ſerò admonuit ei manum, opus leto anteuertit. Et quò magis quæ ſcripta ſunt, oblectant, eò grauiùs opere angunt nõ conſummato. Vt enim Vrbs Athenienſis, templum Iouis Olympij, ita argumentum Atlanticum inter ſcripta multa præclara ſolùm reliquit Platonis ſapientia imperfectum.

CVM ex dictis de ordine & œconomia conſtet huius dialogi, iam ratio affertur cur tali ordine & artificio eũ diſpoſuerit atque confecerit.

Quod ſi quiſpiam ex his quæ hactenus retulimus pro apparatu Timæi & introductione (iam enim hanc vocem quam εἰσαγωγῇ *reſpondere volumus, ſatis ſuperiore ſermone triuimus) omnem ſeriem ſe agnoſcere fateatur qua hos dialogos elaborauit ac diſpoſuit Plato: conſilij verò rationem quærat, in primíſque intelligere cupiat, cur ea quæ certa ſerie inter ſe ad fœlicitatem comparandam nexa ac colligata eſſe demonſtrauimus, ita fuerint à Platone tractata, vt nullo modo communem ſcopum ac finem habere videantur, id equidem non grauabor explicare: cum admirabile Platonis in ijs pertractandis conſilium atque artificium hinc apparere: introductionémque ipſam lucidiorem reddi neceſſe ſit. Cùm Politicæ fœlicitatis normam præſcribere, immo Rempublicã ipſam formare, atque ea denique omnia quæ paulò ante retuli, præſtare inſtituiſſet Plato, illuc primùm appulit animum, vt quoniã pro dialogi decoro tuẽdo, perſonarũ maximè habenda erat ratio, perſonas etiam quammaximè fieri poſſet accõmodatas tot tãtiſque rebus adhiberet: præcipuè verò doctrinæ partes præclaris uiris committeret. Atque idcirco inſtituit Socrati, hoc eſt viro in ijs quæ ad vitã & mores pertinent, longè omnium quos ea retulerunt tempora, ſapientiſſimo, Iuſti ac Reipublicae effingendæ munus imponere. Timæo autem qui in rerum naturalium cognitione illi maximè probatus erat, ea omnia demandare quæ attinent ad Mundi atque hominis conſtitutionem ac naturam. Critiæ verò, quippe qui tum varijs diſciplinis floreret, tum præſertim rerum geſtarum ſtudijs ac notitia excelleret, explicandam tribuere Solonis hiſtoriam, atque Atlantinorum Athenienſiúmque bellum. Atque Hermocrati demum, qui rerum gerendarum eſſet peritiſſimus, ac belli paciſque officia calleret, homines à Timæo genitos commendare: vt iuxta normam à Critia ex Solonis hiſtoria depromptam eos erudiret, & ad Socratis Rempublicam tandem aliquando traduceret. Atque hinc factum eſt, vt ob perſonarum, temporum, locorum, ac multarum denique rerum, quibus diſputationem conciliari neceſſe erat, varietatem ita tractarit ea omnia, quæ (vt dixi) certa ſerie nexa ſunt, vt omnes politicas diſputationes per Socratem, cui Glauconem ac multos alios adiunxerat, antea abſoluerit, quàm tantarum rerum ſeriem & nexum ne obſcuro quidem indicio ſignificarit. Quanquam poſt diſputationes de Republica Timæum aggreſſus, ſtatim ab initio de propoſita dialogorũ ſerie retinenda, nexúque firmãdo, déque vno omnium fine, quem mente complectebatur, patefaciendo cogitauit. Quare è veſtigio Socratem introduxit, qui ſe ſuperiori die, cum Timæo, Critia & Hermocrate de Republica diſputaſſe: immo verò ijs Reipublicæ diſputationem vna cum Polemarcho, Glaucone ac cæteris habitam retuliſſe, ſignificauit: tum verò eandem rurſus breuiter ſtrictimque recenſuit, atque ex*

dictis

dictis futuras Timaei, Critiae & Hermocratis disputationes elicuit: demúmque ad certum finem pulcherrimè referri omnes indicans, latentem horum dialogorum nexum, communémque finem ipsius dialogi decoro optimè seruato commonstrauit. Atque ex his constare satis arbitror, cur Plato vniuersam Reipublicae tractationem antea peregerit quàm institutum ac finem, quē in ijs omnibus dialogis sibi proposuerat, vel in vmbra intueri liceret. Ex quibus omnibus apparet etiam non à nobis conficta, sed verissima esse, quae pro dialogi introductione atque artificio declarando exposueramus.

Dubitatur aduersus ordinem ac rationem propositam.

At enim adhuc dixerit quispiam. Cur Socratem de Republica vna cum Timaeo, Critia & Hermocrate non fecit disputantem, atque hos deinde omnes vicissim suas disputationes obeuntes, cum hac ratione communem horum dialogorum finem à principio nobis indicare, ac nullo penè negocio propositum ordinem ac nexum perpetuò retinere sibi liceret? Profectò neque id temerè fecit sed consideratè atque prudenter. Etenim ea est dialogi natura et ratio, vt inter disceptandum doctrinae partes praestanti eruditóque viro sint tribuendae, infirmae autem quaéque confutatione egent, aut Sophistae, aut adolescenti, aut ijs denique qui si eruditionis cupidi atque ingenui videantur, non tamen eximia eruditione polleant. Quare cum multa ac varia pro Iusto ac Republica instituenda in controuersiam venirent, potiores partes Socrati tanquam disputationis principi commendauit: atque eas quae explodendae forent, Thrasymacho atque alijs dedit: quorum prior Sophista, reliqui ingenui quidem, sed mediocris eruditionis erant, ac non paucis etiam poëtarum commentis persuasi. Nam si temperatum dicendi genus atque contentione carens, cui Sophistae minimè adhibere solet, in multis Reipublicae libris adamauit; id sanè non antea fecit, quàm acrioribus quibusdam disceptationibus multa aut refutasset aut confirmasset: vt proinde in politicis disputationibus hoc genus hominum potiùs quàm Timaeus, Critias & Hermocrates, hoc est viri grauissimi & eruditissimi, cū Socrate debuerint congredi: quemadmodum è contrariò in reliquis tribus dialogis, in quibus perpetua ferè oratione singulis dicendum erat, ac nihil ex Sophistarum Poëtarúmue delirationibus depromendū, sed praeclara ingenióque plena futura erant omnia, illustres viri isti producuntur, qui mutuis sese disputationibus, quasi lautissimis conuiuijs, excipiant. Licet enim in ijs dialogis eos aliquando auditorū partes subire sentias, qui cum mirificè laudati essent, haud iudicandi viderentur ingenio aut eruditione dicenti impares: ij tamen (si rectè animaduertas) ijs in rebus auditorum partes tuentur in quibus dicenti nonnihil concedunt: sicut è contrario, cum ad dicendum suffecti fuerint, propterea eum qui dixerat auditorem fieri intelliges; quia iam de ijs sit agendum, quibus nouus disputator alijs antecellere iudicatur. Atque hinc est vt nullas voluerit partes Timaeo, Critiae & Hermocrati in libris de Republica iniungere: sed potiùs, vt quem animo conceperat, dialogorum ordinem seruaret, & quatuor illas disputationes ad propositum finem referret, simúlque earum partes atque officia pro dignitate distribueret, consilium illud ceperit, quod iam demonstrauimus satis. Haec pro introductione. Quae sanè obseruanda

Tollitur dubitatio & per hanc occasionē alia quaedam traduntur quae non parùm pertinent ad allatam oeconomiam.

uanda sunt diligenter: siquidem vt vniuersum Platonis consilium in his dialogis complectuntur, ita etiam in tanta rerum ac personarum varietate & quasi facie ad eorũdem dialogorum cognitionem omnino sunt necessaria. Nã quod scribit Chalcidius Platonem, cum in politicis disputationibus quæsita atque inuenta esset iustitia quæ versatur in rebus humanis, iam naturalem iustitiam inquirere: ita vt Socrates de iustitia & æquitate disputarit qua in Reipublicæ muneribus tractandis, cæterísque rebus gerendis vtuntur homines: Timæus verò eam iustitiam atque æquitatem complectatur qua vsus est Deus in Mundi huius procreatione, equidem ingeniosè potiùs (ne dicã poëticè) excogitatum est, quàm ad id quod quærebamus accommodatè. Atque hæc sanè omnia quæ pro Timæi introductione sum præfatus, eo nomine accipi velim vt nullum fiat præiudicium explicationi nonnullarum dubitationũ, quas in octauo libro persequemur. Nam hic primùm Marsilij interpretationẽ atque sententiam secutus, affirmaui Socratem à socijs postulasse vt illustri aliquo exemplo exprimerent quo tandem pacto sui illi ciues tum pacis, tũ belli, tum denique totius vitæ officia obirent ac tuerentur. Quod fortaße Socrates in belli muneribus tantùm effici postulauit: sic ut singulas nõ pacis, aut vitæ, sed belli partes tractantes induci vellet. Deinde diximus Hermocratem postremo loco disputare debuisse: quod etiam apertis rationibus ostendimus. Verùm an exemplum illud ex Solonis historia ductum paulò distinctiùs ad rem subiectam referendum illi esset, an verò ciues illos ad Socratis Rempublicam traducere, aut denique aliud quidpiam præstare deberet, non satis fortasse euinci atque demonstrari potest. Quod tamen præcipuè ex verbis illis pendet. Visum nobis est vt Timæus tanquam in Astronomia nostrũ omnium peritissimus, primus edisserat: ita vt à Mundi generatione exordiens, vsque ad generis humani naturam deueniat. Atque ego deinde suscipiens homines à Timæo quidem genitos, à te verò vt plurimùm institutos, secundùm Solonis sermonem logémque in iudicium vestrum adducam: ciuitatísque istius Ciues efficiam eos, qui prisci illi Athenienses fuerunt, quos iam extinctos sacræ Aegyptiorum litteræ in lucem è tenebris eruerunt: adeò vt deinceps de illis tanquam de veteribus Atheniensibus verba fiant. *Ex his, inquam, verbis res maximè pendet: quæ plerique tribuunt Critiæ: Ficinus verò Hermocrati tribuiße videtur, vt suo loco dicemus. Quamobrem quoniam aliter de Hermocratis materia statuendum videtur si hæc ipse protulerit, aliter si Critiæ concedantur, res integra in eum locum est reijcienda. Denique dubitari poßet, an reuera Plato aggressus eßet ad scribendos libros de Republica ac cæteros illos dialogos eo planè cõsilio, quo inter se cõiunctos eße diximus, atque in eum scopum omnino intuens quem omnibus proposuimus: an verò inter scribendum politicos libros, vel etiam postquam eos scripsisset, atque ad reliquos accederet, noua occasione adductus id consilij ceperit: atque pulcherrimum hunc ordinem excogitarit, quo tum certam materiam continere singuli, tum in vnum veluti scopum intueri omnes viderentur. etsi enim hoc postremum varijs rationibus mihi est persuasum, atque omnino existimo id feciße,*

ciße, vt notas atque calumnias in eius Politiam cõflatas, si quo modo poßet, eleuaret, rem tamen opportuniori loco relinquamus. Atque idcirco etiam alteram dubitationem superiori affinem omittam in præsentia, quæ ad dierũ ac temporum seriem pertinet qua huiusmodi congressus omnes conciliati & habiti sunt. Hæc, inquam, opportunioribus locis explicabimus omnia: nã præter quam quod plurimum ad horum dialogorum œconomiam, introductionẽ atque artificiũ pertinent; multa extant loca & ea grauissima in Timæi proœmio, quæ percipi nullo modo possunt, nisi priùs hæc omnia fuerint explorata. Hæc de totius dialogi œconomia & apparatu. Nunc verò his veluti scopulis superatis, eò progrediamur, quo maximè nostra spectabat oratio: Platonicaéque Physiologiæ quæ præcipuam ac maximam huius dialogi partem complectitur, œconomiam aggrediamur. cum enim de totius dialogi ordine egerimus in vniuersùm, nunc sigillatim methodus ordóque omnis & artificium exquirendum agnoscendúmque est, quo in Vniuersitatis natura explicanda vsus est Timæus noster. Qua in re eum sanè ordinem seruauit, quo vti consueuerũt accuratiores Philosophi, quíque in disciplinis tradendis Naturam imitantur. Primùm enim de Vniuersi principijs disputauit: tum quæ ab ijs profecta sunt, diligenter est persequutus. Quæ cum nostræ vtilitati studens officiosissimus præstaret Plato, eâdem se gessit solertia, qua Romanus ciuis benignus in hospites vteretur, dum peregrino ex remotis terræ partibus Romam primò adeunti, atque illius monumenta inspicere cupiẽti, obuius ipso in limine diceret. Hæc vrbs, amice, quam cernis, à Romulo huius gentis authore constructa est, dũ loco in quo expositus educatúsque fuerat inspecto, magno illius illustrandi studio teneretur. Móxque his enarratis, totius vt structuram vrbis commonstraret, pereginum circunducens, singulos Romanos colles, Tyberim, Adriani sepulchrum, Antonij Traianíque columnas, Diocletiani & Antonij thermas, Vespasiani Theatrum, Adriani aliorúmque circus, Boarium et Septimium arcum quem sanctissimo crucis signo cohonestatum cernimus, Licaonij Iouis atque Aesculapij templa, Fabritij & Cestij pontes, vetustissimũ Pantheon, ac tandem antiqua omnia quæ aut integra, aut diruta extant monumenta, ostenderet. Deinde verò Pontificis summi ædes, magnificas aras ac templa, geminas bonarum artium Academias, Quirinalia Tempe, atque omnia tandem, quæ recentiora tulerunt tempora, ostenderet monumenta. De amplitudine tandem Pontificis Maximi disserens, qua nihil inter mortales præstantius reperitur, ac per quam praepotentis Dei authoritas refulget in terris. Hac industria ac benignitate vsus est officiosissimus Plato. Cùm enim intelligeret quàm vehementer noster animus, quem in terris peregrinum existimabat, totius expeteret Mundi rationem atque naturam percipere: quámque mirificè eius cognitione delectaretur, obuius illi prodiens, benignéque eundem excipiens, primo institutionis ingreßu, Mundus, inquit, quem cernis à summo Deo omnium bonorum authore conditus est, dum præclarum quod in se gestabat exemplum contemplatus, praeclarum etiam, quae illius est probitas, eiusdem simulachrum effingere, atque ex fluctuanti, quæ que temerè agitaretur natura, coagmentare & constituere instituißet. Mox verò his

DE VNIuerso Platonicæ Physiologiæ ordine

expositis, admirabilem huius Theatri fabricam explicare aggressus, elementorum compositionem ac nexum, cœlestium orbium, mundanique animi constitutionem, Solis, Lunae, ac reliquorum astrorum naturam, temporis ortum, animaliúmque omnium procreationem ostendit: ac de prima materia, de elementis, de mixtis corporibus, de eorundem attributionibus, attributionúmque causis, ac de ijs denique omnibus disputauit, quae totius Mundi continentur amplexu. De præstanti hominis natura, vnde potissimùm summi opificis probitas atque sapientia fulget in Vniuerso, præcipuo quodam studio disserens. Atque hæc quidem ad Mundi molitionem ita referens, vt iam iam exædificari atque ex opificis manibus prodire videretur.

Dubitatur

Primo loco.

Verùm obijcies. Optimè sese habere haec viderentur, si ea etiam quae de Vniuersi forma ac materia disseruit Plato, eum ordinem retinerent, quem (vt ipsemet fateris) disciplinarum esse constat. Nam quod attinet ad formam, certum est de ea non à principio tractatum esse perinde ac principiorum postulat contemplatio: sed posteaquam non pauca de quibusdam Vniuersi attributionibus ac partibus disputata fuerant & constituta. Etenim antequam mundanæ animæ, quæ sanè Vniuersitatis formale (vt vocant) principium est, constitutionem & naturam inuestigandam susciperet, docuit Mundum non singulare quoddam atque imperfectum, sed generale absolutúmque animal esse: vnigenam præterea ac singularem esse procreatum: mutuam etiam in eo constituendo elementorum conspirationem patefecit: eundem ex tota materia docuit esse conflatum: ac denique de eius figura, figuraéque conditionibus egit. Quae sanè partim ipsius Mundi attributionibus, partim eiusdem species spectare constat. De materia verò tunc est ad disceptandum progressus, cum non ea solùm statuta fuerant quae iam retulimus: sed etiam cum singulis animalium generibus propositis, ad hominis constitutionem, partes, attributiones, munera, & huiusmodi alia fuißet aggressus. Quae cum ad indiuiduas Vniuersi species pertineant, materialis (quod appellant) principij consideratione præponi, atque ante ipsum declarari sine insigni methodi perturbatione non potuerunt. Atque ex his etiam inspicitur non solùm in formæ ac materiae tractatione disciplinarum methodũ fuiße contemptam, sed etiam in nonnullarum partium atque attributionum contemplatione. Neque ob id dumtaxat; quòd (vt paulò ante significatum est) de tempore, de vnitate Mundi, ac de reliquis omnibus quæ supra obseruauimus, intempestiuè egerit, sed etiam quia de homine aggressus sit disputare antequam aliquid de animantibus rationis expertibus attulisset: qui vt propriùs accedunt ad genus, ita priùs explicari debebant. Quinetiã de mutis huiusmodi animantibus, tametsi magnã, nec eã ignobilem, cõstituunt partem Vniuersitatis, videtur tum obiter, ne dicã oscitanter, tũ verò hominis tantùm gratia, quia scilicet humani migrationis animi causa conflatae eßent, disputare. Id quod Theodoretus etiam aliqua ex parte obseruaße visus est qui † affirmauit eiusmodi animantes à Platone humani animi vehiculum tantùm censeri: ac Plato ipse quodammodo fateri visus est: qui cum longam illam hominis tractationem absoluisset,

Secundo.

Tertio.

Quarto.
Quinto.

Sexto.

† l. de nat. hum. & l. de iudicio.

subdebat

subdebat. Καὶ δὴ καὶ τὰ νῦν ἡμῖν ἐξ ἀρχῆς παραγγελθέντα διεξελθεῖν περὶ τοῦ παντὸς μέχρι γενέσεως ἀνθρωπίνης, σχεδὸν ἔοικε τέλος ἔχειν. τὰ γὰρ ἄλλα ζῶα ᾗ γέγονεν αὖ διὰ βραχέων· ἐπιμνηστέον ὃ μή τις ἀνάγκη μηκύνειν. οὕτω γὰρ ἐν μετριώτερός τις αὐτῷ δόξειεν περὶ τοὺς τούτων λόγους εἶναι. τῇδ᾽ αὐτὸ τοιοῦτον ἔστω λεγόμενον. *hoc est.* Sed iam disputatio illa de Vniuerso vsque ad generationem hominum nobis proposita, finem penè suum adepta videtur. cæterorũ verò animantium generationem, quatenus duntaxat necessitas postulat, paucis perstringemus. Sic enim modũ in hac disputatione tenere sibi quisque videbitur. Verùm de his iam ita dicamus: *Hæc Plato. Qui statim etiam, quasi vnius migrationis illius causa cæteras animantes attingeret,* Τῶν γενομένων ἀνδρῶν (*subdit*) ὅσοι δειλοὶ καὶ τὸν βίον ἀδίκως διῆλθον, κατὰ λόγον τὸν εἰκότα, γυναῖκες μετεφύοντο ἐν τῇ δευτέρᾳ γενέσει. Quicunque virorum iniusti timidique vixerunt, quemadmodum nobis probabilis ratio ostendit, in generatione secunda in fœminas sunt conuersi. *Hæc, inquam, & alia huiusmodi multa quæ fortaße attingam paulò post, in hanc sententiam habet Plato. Denique susceptam de homine tractationem non antea ad finem perduxit, quàm multa de materia prima, de elementis, déque huiusmodi aliis interieciß et. Idque etiam ostendi facilè poßet, dum de fœminæ ortu (de ea enim ita videtur agere, quasi à viro differat specie) de metallis, ac de aliis multis, nulla ordinis ratione habita, disputauit. vt iure à multis, atque ab aliquibus Peripateticis in primis id ei uitio uerti soleat, quòd germanum doctrinæ ordinem cum alibi sæpe contempterit ac turbarit, tum præcipuè in rerum naturalium explicatione.*

Respõdetur dubitationibus.
Ad primam & secundam.

Sed profectò si in hanc rem diligentiùs intueamur, intelligemus tum huiusmodi dubitationes nihil momenti habere, tum obtrectatores istos (quod ad Timæum attinet) quamlongißimè à veritate aberrare. Neque verò (vt dubitationes ipsas diluamus) ad Mundanæ animæ primæéque materiæ naturam explicandam antea deuenit Plato, quàm de iis omnibus dißeruißet, quæ paulò ante notata sunt. Sed Mundi animam ac materiam, quatenus sunt ipsius Mundi principia quædam & causæ, iam multò antea proposuerat: & ad Vniuersitatis effectionem retulerat: dum scilicet de principiis disputaret. Nam cum finalem Mundi causam (vt enim, quod volumus, planiùs explicemus, finalem, & materialem causam, & huiusmodi alias voces in Scho lastico pul uere Græcarum appellationum similitudine tritas, vsurpabimus aliquando) Timæus inueniß et dicens. Bonus erat, bonus autem nulla vnquam inuidia tangitur. Ergo cum liuor ab eo alienissimus esset, omnia sibi quantum fieri potuit simillima fieri voluit. Si quis hanc gignendi Mundi causam præcipuam à prudentibus viris acceperit, rectissimè profectò accipiet. *Cum, inquam, his finalem causam statuißet, è vestigio ad materialem se contulit, dicens.* Itaque cum vellet Deus bona omnia fore: nihil verò, quoad Natura pateretur, malum; quicquid erat quod in cernendi sensum cadere posset, assumpsit, non tranquillum & quietum: sed temerè agitatum & fluitans: ídque ex ordinata iactatione redegit in ordinem. *Atque hoc pacto cum fluxam hanc, quæ-*

que nullo ordine agitaretur; materiam diuinae efficientiæ subiectam fecisset, continuò de formali causa etiam statuenda cogitans, pauca quædam ad huius inuentionem præmisit cum diceret. Fas autem neque erat, neque est, quicquam nisi pulcherrimum facere eum qui est optimus. Cum igitur excogitasset, inuenit nihil eorum quæ secundùm naturam aspectui subiecta sunt, si expers intelligentiæ sit, intelligente alio toto pulchrius vnquam fore: intellectum verò alicui sine anima dari non posse. *Ac statim ex his ipsam formam elicuit, paucisque proposuit afferens.* Hac ratione mentem quidem animæ, animam verò corpori dedit: totúmque ita Mundum constituit. *Animam igitur mente atque intelligentia præditam pro Mundi forma (cuiusmodi tandem fuerit hæc forma, nam de hac re alibi opportuniùs) proposuit. Et hinc est, vt, cum protinus Mundum per causas & principia allata definiret, dicens.* Quocirca sicut ratio nobis hæc probabilis persuadet, dicendum est hunc Mundum animal esse, ídque intelligens, reuera diuina prudentia constitutum; *intelligentis animalis nomine tum formae, tum materiæ rationem habuerit: cum animal per corpus significet materiam: per intelligentem verò animam referat formam. Ergo quamuis infra explicet Mundanæ animae constitutionem, idque tum demũ cum multa de aliquibus Mundi partibus & attributionibus disputauerat: ac de materia etiam agat, postquam non solùm magnam partem attributionum Vniuersitatis erat prosequutus; sed specierum etiam, atque ipsius denique hominis, qui inter indiuiduas species collocatur, ferè expleuerat tractationem; satis est tum formale, tum materiale principium tempestiuè, in ipsa videlicet disputatione de principijs, fuisse inuentum & comprobatum. Atque ita principiorum inuentio disputationem antegressa est, quæ est habita ad Mundum vnigenam ostendendum, atque ad reliqua omnia explicanda de quibus supra loquuti sumus. Nam si quis Platonem adhuc accuset, quòd de huiusmodi principiorum natura ibi planè fuerit disserendum vbi inuenta essent & comprobata, quemadmodum Aristoteles fecit, qui disputationem de prima rerum naturalium materia ac forma ibi omnino (quantum tamen Physico licuit) absoluisse dicitur, vbi ipsa principia statuit; profectò quamuis ea quæ in priuati alicuius Philosophi authoritate nituntur solùm, exiguam atque adeò nullam aduersus summum hunc Philosophorum principem vim obtineant; huius tamen dubitationis, cum sit ex Aristotelis physiologia desumpta, quæ ob methodum præcipuè censetur illustris, omnino erit habenda ratio. Quamobrem cum eam dialogi partem explicabimus, in qua Plato de ipsis principijs verba facit, de horum Philosophorum œconomia, quod pertinet ad hæc principia, disseremus: maximè verò persequemur ea quæ attinent ad propositam controuersiam.*

Hæc pertinet etiam ad tertiam.

Ad Quartam & Sextam.

Nunc itaque rem omnem reijcientes ad eum locum, explicemus reliquas dubitationes. Et sanè mirum videtur de homine priùs egisse, quàm de reliquis animantibus: cum à genere ad species sit progrediendum: atque homo, quippe qui rationis est particeps, longiùs distet à genere quàm muta animantia. Etenim de homine egisse priùs quàm de cæteris

ris animantibus, non inde solùm patet, quoniam cum de homine disputasset, subiecit, Cæterorum verò animantium generationem, quantum necessitas postulat, paucis perstringamus. *Sed etiam quia tunc planè disputationem de Vniuerso conclusit ac perorauit, cum de ijs animantibus sermonem fecißet quae ratione carent. Quare cum de his egisset, dicebat.* Iam igitur nostra hæc de Vniuerso disputatio finem habeat. *An igitur ea de causa postremo loco disputauit, de reliquis animantibus, quoniam hos reuera (id quod obijcere cœperam) non alia ratione ad Vniuersum censeret pertinere, nisi vt humani animi migrationibus, quas ex Pythagoreorum fontibus hauserat, tanquam mera vehicula inseruirent? Ita sanè poßet aliquis suspicari: tum quia nulla alia ratio videtur afferri posse, ob quam Plato exorsus à Mundi ortu, atque hinc ad hominis naturam per intermedias species progressus, interiectas horum animantium naturas non antea explicarit, quàm ad hominem deuenißet: tum præsertim quòd ea omnia quæ de huiusmodi speciebus pronunciauit, non alio nomine (quod †Theodoretum animaduertisse monebam) visus est attulisse, quàm vt & humani animi receptacula seu vehicula apparerent: & qua ratione animorum migratio fieret ostenderetur. Quamobrem cum de ijs animalibus disserendum proposuisset dicens.* Cæterorum verò animantium generationem, quatenus duntaxat necessitas postulat, paucis perstringamus; *deinceps de hac generatione dißerens, dixit.* Quicunque virorum iniusti timidíque vixerunt, in generatione secunda in fœminas sunt conuersi. Quo quidem tempore hanc ob causam Dij coitus amorem machinati sunt. *Auium præterea explicans ortum aßerebat.* Auium autem genus ex nostro ita est aptè formatum, vt pro pilis pennas acciperet. In hoc illi homines transeunt, qui simplices & innocentes cùm sint, leues tamen sunt, & frustra in rebus sublimibus curiosi, quíue adeò fatui sunt, vt oculorum iudicio cõfisi, hoc altissima quæque firmiter demonstrari posse non dubitent. *Verùm hoc ipsum magis ac magis inspicitur dum ferarum aquatiliúmque explicat ortum: de feris enim ait.* Gressibilium verò ferarum genus ex his natum hominibus, qui à Philosophia penitus alieni, ad cœlestia nunquam oculos erexerunt. *De aquatilibus verò.* Quartum genus aquatilium est ex illis natum, qui stolidissimi & imperitissimi fuerant: quos nostri illi transformatores pura respiratione dignos idcirco non iudicauerunt, quia propter extremæ transgressionis iniquitatem animam impurissimã prorsus habebant. Ideo ex tenui ac pura aëris respiratione in aquæ respirationem profundam turbidámque merserunt. Vnde piscium & ostrearum, ac denique aquatilium orta est multitudo, in qua certè mutationi illi ex sediũ extremarum habitatione inscitiæ quoque dant paenas. Hunc in modum & olim & nunc in se inuicem animalia migrant, dum mentis & dementiæ iactura vel adeptione mutantur. *Haec Plato. Ex quibus satis supérque constare videtur, ipsum non alia ratione horum animalium ortum fuisse aggressum, nisi vt de*

†lib. de nat. hum. & lib. de Iudicio.

animorum migrationibus & vehiculis exponeret ſententiam ſuam. Quod ſi ita eſt, haud mirum videri debet poſt hominis tractationem de his egiſſe: cum non aliter ad Vniuerſum pertineant, quàm vt migrationibus ijs inſeruiant.

Verùm huic expoſitioni duo potiſſimùm officiunt. Ac primùm quidem, nam etſi Plato in his totus eſt Pythagoricus, & Locro præcipuè addictus; non tamen Locrus ac Pythagorici omnes exiſtimarunt reuera humanos animos in cæterorum animalium corpora trudi atque commigrare. Sed quoniam homicidæ feris ſimiles eſſent, libidinoſi capris (eius verbis vtor) atque alij denique qui alijs vitijs ſuccumberent, aliquibus ſe animantibus ſimiles redderent, vt nos ab huiuſmodi vitijs auocarent, noſtrorũ animorum migrationem ſunt commentati. Quamobrem cum Ionium Poëtam ob id laudaſſet Locrus, quòd vt improbos reuocaret à vitijs, varios cruciatus fuerat (vt ipſe ait) commentatus quibus impij apud inferos affligerentur; ſtatim ad eoſdem impios deterrendos Ionium Poëtam ſiue ſequutus, ſiue imitatus, pronunciauit timidorum animos in mulieres tranſire, homicidas in feras, ac ſingulos denique pro errorum conditione in mutorum animantium corpora demigrare. Locri verba (vt rem ita planè ſe habere intelligas) hæc ſunt.

† Ὅτι κολάσιες ἀπαραίτητοι ὑπόκεινται δυσδαίμοσι νερτέροις, καὶ τἆλλα ὅσα ἐπαινέω τὸν Ἰωνικὸν ποιητὰν ἐκ παλαιᾶς ποιεῦντα τὼς ἐναγέας. ὡς γὰρ τὰ σώματα νοσώδεσί ποκα ὑγιάζομες, εἴκα μὴ εἴκῃ τοῖς ὑγιεινοτάτοις, οὕτω τὰς ψυχὰς ἀπείργομες ψευδέσι λόγοις, εἴκα μὴ ἄγηται ἀλαθέσι. λέγοιντο δ' ἀναγκαίως καὶ τιμωρίαι ξέναι, ὡς μετενδυομένας τᾶν ψυχᾶν, τῶν μὲν δειλῶν ἐς γυναικέα σκανέα, ποθ' ὕβριν ἐκδιδόμενα. τῶν δὲ μιαιφόνων ἐς θηρίων σώματα, ποτὶ κόλασιν. λάγνων δ' ἐς συῶν ἢ κάπρων μορφάς. κούφων δὲ καὶ μετεώρων ἐς πτηνῶν ἀεροπόρων. ἀργῶν δὲ καὶ ἀπράκτων, ἀμαθῶν τε καὶ ἀνοήτων ἐς τὰν τῶν ἐνύδρων. *Hoc eſt.* Nam illis miſeris qui ſunt apud inferos, inexorabiles impendent cruciatus, & reliqua tormẽta, quibus impios affligi Poëtam Ionium multo iam tempore fingentem laudo & probo. Nam vt quandoque rebus peſtiferis noſtra ſanantur corpora, ſi à ſalutaribus refugiamus: ſic animas falſis ſermonibus auertimus, ſi veris non pareant. Ob id igitur noua & inaudita (cum cogat neceſſitas) narrentur ſupplicia: vt timidorum animæ muliebribus induantur corporibus, quæ contumelijs expoſitæ ſint: vt homicidarum animæ in figuras ferarum transferantur pœnas daturæ: libidinoſorum item & mollium in ſuum & caprorum corpora: leuium atque eorum, qui elato ſunt animo, in volatilium formas: vt pigrorum atque otioſorum, rudium & imperitorum in ſpecies aquatilium conuertantur. *Hæc Locrus. Ex quibus Platonem in Metempſycoſi illa (vt paulò ante dicebam) Pythagorico Locro hæſiſſe totum, & Pythagoreos ad flagitioſos terrendos eam vſurpaſſe intelligitur. Immo verò cum Plato Metempſycoſim hanc aggrediens ſe* κατὰ λόγον τὸν εἰκότα, *veriſimili ſcilicet ſermone, ea de re loquuturum profiteretur, tacitè ab eo indicatum exiſtimarim ſe Poëtarum inſtar ad mores inſtituendos potiùs eam referre, quàm quòd ex animo ita ſentiret. Quanquam (vt verè fatear) maximè optaſſem vt in re tàm graui paulò clariùs, ac ſaltem non minùs quàm Locrus apertè, loquutus eſſet. Certè*

† *Vide ad lib. fin.*

Hierocles

Hierocles qui non Pythagoream doctrinam modò sed & Platonicam in primis quin & Stoicam amplexus est, in eiusmodi Pythagoræ Platonisque decreto tradendo nos omnino admonuit similitudine tantùm intelligendum eße homines in feras aut cæteras animantes migrare. cum enim in illud incidisset Pythagoræ,

Γνώσῃ δ' ᾗ θέμις ἐστὶ φύσιν περὶ παντὸς ὁμοίην.
Ὥστε σε μήτ' ἄελπτ' ἐλπίζειν, μήτε τι λήθειν.

Quâque licet Mundi naturam noueris, vt ne
Te lateant vera: aut forma fallaris inani. *aiebat.*

Προσδοκᾷ ἃ μὴ δεῖ, ὁ θηρίου μεταμφιάσασθαι σῶμα ἐλπίζων, καὶ ζῶον ἄλογον γενέσθαι διὰ κακίαν, ἢ καὶ φυτὸν δι' ἀργίαν αἰσθήσεως. καὶ ἔστι †ἀντιστρόφως τοῖς εἰς τὰ ἄνω γένη μεταβάλλουσι τὴν τοῦ ἀνθρώπου οὐσίαν, πρὸς τὰ κάτω αὐτὴν συνωθεῖ πεπλανημένος, καὶ ἀγνοῶν τὸ ἀμετάβλητον τοῦ κατ' οὐσίαν ὑπάρχοντος εἴδους τῇ ἀνθρωπίνῃ ψυχῇ. ἀεὶ γὰρ μένουσα ἄνθρωπος, τῇ τῆς ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνὰ μέρος κτήσει, θεὸς ἢ θηρίον γενέσθαι λέγεται. φύσει δὲ οὐδέτερον, ἀλλὰ σχέσει τῆς πρὸς ἑκάτερον ὁμοιώσεως. Quæ non debet sperat quisquis sperat se vel in feræ corpus esse migraturum: vel propter improbitatem rationis expers animal induturũ, vel etiam per ignauiam stuporémque sensus plantam euasurum. sed & qui commutata proportione hominis naturam in superiora, cum ad inferiora depressa sit, commutant genera, aberrant, ignorantes humano animo talem inesse vim, vnde secundùm substantiã sit immutabilis. cũ enim animus idem semper perseueret, homo sanè quia virtuti vitióue succumbat, Deus feráue fieri dicitur: cum interim natura neutrum sit: sed tantùm per similitudinem quandam cum vtroque communicet.

† Suspicor mendosum, esse locum: sententiam tamen eam germanam puto quam expressi.

Alterum verò quod propositæ expositioni aduersatur, inde desumitur, quoniã Plato antequam diuinorum animalium aggrederetur ortum, affirmauit quatuor esse animantium genera quæ ad Vniuersum essent traducenda: atque has ipsas species quas modò obmigrationem conditas dicebat, docuit perse ipsas ad Vniuersitatis perfectionem requiri, quare aiebat. Quot igitur & quales Mens ideas in eo, quod est animal, conspexit, totidem & tales hoc Mundo contineri oportere excogitauit. Sunt autem quatuor: vna quidem Deorum cœlestium genus continet: altera volatile & aëriuagum, tertia aquæ liquoribus accommodatum: quarta terrenorum animantium genus. *Atque ob id etiam cum de primo animantium genere disseruißet; tria adhuc alia ad Vniuersitatis perfectionem requiri affirmauit aßerens.* Tria adhuc genera mortalium nobis generanda restant: absque horum generatione cœlum imperfectum erit: omnia enim animantium genera non continebit: contineat autem oportet, si est Mundus omnino perfectus futurus. *Quamobrem licet ex Platone statuas veram esse animarum migrationem, neceßariò tamen fatendum erit de singulis animalium generibus, quatenus ad Vniuersitatis perfectionem faciunt, disputari. Atque idcirco, cùm falsum sit Platonem posteaquam de homine egisset, de cæteris animantibus ea ratione disputasse, quòd censeret has ad solam humani animi migrationem requiri, hinc nullo pacto defendi poterit,*

quin

quin de his animantibus praepostero ordine dißeruerit.

Num igitur id euenisse dicemus, quoniã cum instituißet Plato, quemadmodum alibi etiam obseruauimus, Vniuersitatem quasi ex opificis manibus prodeuntem ante oculos nobis ponere: atque eius naturam ex ortu & constitutione patefacere, illud consequebatur, vt cum rationi consonũ iudicaret hominem primùm inter mortales animantes fuisse conditum: deinde verò aues, tum feras, ac postremùm pisces; eodem quoque ordine horum exponeret constitutionem? ita profectò est statuendum. nam cum duo summa rerum genera ad Vniuersitatis constitutionem traducenda forent, mortale scilicet & immortale: atque hoc quidem sentiret à principe tantùm causa prodire potuiße: illud verò à secundis causis deriuasse, quibus veluti ministris Princeps illa Vniuersitatis causa (vt ipse putauit) est vsus, id quod à prima causa primo loco, quod verò à secundis postremò, explicãdum suscepit. Quamobrem ab summo opifice vno diuina animalia, ac cætera denique omnia prodijsse docuit, quæ immortalitate donata sunt: ex secundis verò causis, à iunioribus scilicet Dijs, quos satos etiam dicit, & ex Necessitate præterea erraticáque causa, aues, feras, pisces, atque (vt vno verba complectar) mortalia.

At verò, quoniam inter hæc summa rerum genera, homo quippe qui ex altera parte mortalitatis, ex altera immortalitatis præseferebat argumenta, ex ambigua seu potiùs promiscua natura constare videbatur; Plato quod pertinet ad immortalem, ad Principem Deum, quod verò interest mortalis & caducæ, ad secundas causas eius retulit ortum. Quare cum animum à summo rerum opifice conditum esse, & qua ratione, quibúsue initijs atque elementis conditus eßet, aut vbi insertus, ac cætera id genus exposuisset, statim docuit à iunioribus Dijs corpus fuisse conflatum, atque eodem animum interclusum: manifestauit etiam cuiusmodi humani corporis elementa fuerint atque principia: qui sensus ex animini & corporis coniunctione prodierint: ac denique tum totius hominis, tum singularum partium constitutionem ac naturam complexus est. Quamobrem quemadmodum diuinorum animalium tractatione expleta, de homine, quippe qui ipse quoque à principe causa originem atque eam immortalem duceret; priùs quàm de mortalibus animantibus instituenda fuerat disputatio: ita necessitate quadam est consequutum, vt eiusdem hominis naturam, ne omnino interpellata atque idcirco confusa haberetur, quã mortalem quoque partem continet, ante cætera animalia attrectauerit. Quanquam non ob id solùm agere debuit de procreatione hominis ante caeterarum animantium ortum, quòd cum existimaret hominem ante illas fuisse genitum, ortus rationem sectari debuit: sed etiam quia opinabatur humanos animos statim ab ipso procreationis exordio cœlestibus corporibus veluti formas quasdam fuisse accommodatos: ac multò antea animantis vim ac naturam habuisse, quàm ab astris ad humanum hoc corpus detruderentur. atque idcirco non, quemadmodum Aristoteles docere visus est, hominem putabat ali prius atque augeri, deinde sentire, ac denique intelligere: sed contra in cœlesti corpore primùm intelligentia vigere, deinde in caetera corpora detrubatum, spirabilis & alentis animi vi

contineri,

contineri. quare nihil est, quòd statuas Platoni à caeteris animantibus ad hominem fuisse progrediendum. Atque hoc sanè fuisse Platonis consilium ac methodum tum facilè constare poterit, si sedulò in ea omnia intueamur, quibus Mundi author iuniores illos Deos alloquebatur, dum ad humani animi procreationem deuenisse, ac reliqua illis perficienda tradidisse commemoratur: tùm præcipuè ex ijs quæ subijciam, amplissimè demonstratur: siquidem cum in disputationis progreßu consilium atque artificium indicaret, quo de Vniuersitate & ad eum vsque locum egisset, & in reliqua disputatione sibi esset agendum, aiebat. Tunc profectò (*loquebatur autem de statu materiae quae Vniuersitatis molitioni fuerat subiecta*) nihil ordinis erat, nisi forte casu aliquo particeps: nec quicquam tunc aqua vel ignis, vel aliud aliquid eorum, quæ modò apud nos nominantur, iure vocandum erat. Verùm hæc primùm omnia exornauit: deinde ex ijs hoc Vniuersum constituit, animal vnum, animalia in se omnia mortalia & immortalia continens. & diuinorum quidem ipse est author: mortalium verò generationem natis suis tradidit absoluendam. Illi igitur suũ imitati parentem, principiumque animæ immortale suscipientes, animam ipsam mortali corpore clauserunt: totúmque corpus animæ quasi vehiculum subdidere: atque in ea aliam animæ speciem mortalem fabricauerunt. *Hæc Plato. Ex quibus perspicuè intelligitur, tum duo summa rerum genera hoc Mundo contineri debuiße, mortalium nempè & immortalium: tum hæc à summo opifice, illa à iunioribus fuiße perficienda: tum denique immortali hominis parte à summo opifice expleta, continuò minores Deos ad mortalem fabricandam concessisse, atque hominem intelligente animo priùs quàm spirabili viguiße. Vt satis constet non immeritò* Platonem *sua hac de humani animi origine ac vita opinione, ne dicam commento, posita & constituta, priùs de homine, quàm de reliquis animantibus esse ad disputandum aggreßum. Neque verò de fœmina aut tanquam ab homine differret specie; aut intempestiuè ullo modo egit: nam licet ipsius mulieris ortum non antea susceperit explicandum, quàm vniuersam hominis tractationem ad calcem perduxerit: quemadmodum & Timaeus ipse professus est: tamen post disputationem de homine fœminæ gratia ea tantùm complexus est, quibus illam & à viro differre, & humani animi migrationibus tanquam vehiculum inseruire docemur. Etenim, cum animantibus in quatuor genera distributis, de immortali primùm egißet, statim de secundo, quod partim mortale, partim immortale esse dixit, de homine scilicet, dißerere aggressus est. Quare tradidit humanos animos primùm in eodem cratere cum Mundi anima fuisse temperatos, pérque sidera quasi sparsos ac satos: deinde verò ad mortalia corpora esse delapsos: tum hominem ortum esse affirmauit, cuius natura gemina esset, ac tum in virum, tum in fœminam distribueretur; atque hinc denique ea omnia est prosequutus, quæ ad humanam naturam pertinent in vniuersum. Atque idcirco hominis natura, eiúsque partibus ac muneribus explicatis, quae omnia viro cum fœmina erant communia,*

Ad Sextum quatenus pertinet ad fœminam.

statim

statim quemadmodum monuerat hominis naturam geminam esse, eandémque in virum & fœminam distribuerat, sic tum de viro, tum de fœmina sigillatim, quæ occurrebant, aperuit. Sed esto mutorum animantium, aut fœminæ occasione germanam Philosophiæ methodum non fuisse turbatam. At qua tandem ratione defendi hoc poterit, dum disputationem quam de humana natura instituerat, noua primæ materiæ, elementorum mixtorúmque corporum tractatione in medio quasi cursu interpellatur? Perplexa hæc sanè primo aspectu videri possent: sed si orationis progressum attentiùs inspiciemus, comperiemus profectò accuratissimè fuisse disposita. Etenim Timaeus, vt ostensum est supra, de ijs primo loco agere decreuerat, quæ à prima causa nullo medio profecta erant: de rebus videlicet quibus (vt ipse dicebat) mortis fatum subeundum non esset: secundo autem loco de ijs quæ à secundis causis prodijssent, nimirum de mortalibus & caducis: atque ob id cum ab immortalibus cœpisset, eorúmque ortum ac naturam explanaret, de homine etiam agere aggressus est, quòd eius animus esset immortalis, atque à principe causa promanaret: cúmque eò perduxisset ipsum animum, vt iam à iunioribus illis Dijs susciperetur, qui mortalem partem attexerent immortali, statim etiã mortale rerum genus sese obtulit contemplandum. Quamobrem eò redacta res est, vt si alterum hoc rerum genus suscepisset, atque à generalibus exorsus inde per quosdam quasi gradus, nempe à prima materia, elementis ac mixtis corporibus ad hominem redijsset, humanæ naturæ tractatio dispersa & imperfecta, vixque etiam inchoata, diu fuisset relinquenda: cùm tamen ob immortalem ipsius hominis partem maximè cum primo rerum genere esset coniungenda. Ergo statuit corporeae hominis naturae contemplationem adhuc prosequi, donec sine elementorum primaéque materiae, & omnium denique rerum mortalium disputatione continuari posset, atque cum diuina illa summi opificis effectione commodè copulari. Quod fecit: nam docuit iuniores illos Deos humano corpore ex elementis conflato, diuinam animam inclusisse: ostendit quoque corpus motioni fuisse subiectum quæ fit in loco, hominémque ipsum amentiæ primùm fuisse obnoxium: temporis verò progressu sibi prudentiam comparasse. Tum de oculis, de capite ipso, ac de huiusmodi alijs disseruit: atque ijs denique omnibus eum figurauit atque descripsit, quae cunctis in promptu sunt: ac, si non sine elementis & rerum mortalium societate consistere possunt, sine exquisita certè eorum cognitione intelliguntur. Sed cum iam ea de humana natura essent tradenda, quæ & magis interiora sunt, & exploratam quandam primae materiæ, elementorum, atque huiusmodi aliorum notitiam requirunt; cuiusmodi sunt voluptas & dolor, sanitas & aegritudo, vita & mors, atque alia his affinia: cúmque praeterea humanam ipsam compositionem suis partibus expleuisset, ad mortale rerum genus ac caput descendit, atque illud à generalibus, nempe à materia prima, inchoans, tandem ad humanas affectiones, totiúsque humanae naturae rationem omni ex parte explicandam reuersus est. Et idcirco ab hominis tractatione ad mortale rerum caput progrediens dicebat. Hactenus opera Mentis(*hic autem intelligit cœli, daemonum, atque omnium denique*

Ad Quintam & Sextam.

rerum

rerum procreationem, quæ a primo opifice prodijssent (paucis exceptis tractauimus. Oportet autem de his quoque quæ Necessitas inuehit dicere. Mūdi enim huius generatio ex Necessitatis & Mētis coitu mixta est. Nam cum Mens Necessitati dominaretur, propterea quòd persuadendo eam ad optimos vt plurimùm rerum euentùs induceret; ipsaque hac ratione cedens sapienti persuasioni parêret, Mundi huius exordia constiterunt. Oportet igitur eum, qui Mundi constitutionem verè narraturus erit, erraticæ quoque causæ speciem naturæ ipsius instinctu miscere. Quod ita commodè fiet, si horum ipsorum conuenienti principio sumpto, sic de his, quemadmodum de superioribus, ab ipsa rursus origine differemus. *Hæc Plato. qui sane cum eò disputando progressus esset, vt, quæ iam superarant, mortalia essent omnia, monuit se Vniuersitatis constitutionem haud posse longiùs persequi, nisi de erratica quoque causa ageret. Quare de prima materia, de elementis, ac de huiusmodi alijs disserere cœpit, quæ erratica causa dixerat contineri. Deinde uerò horum tractatione expleta, ad ea sermonem retulit, quæ cum sine absoluta elementorum aliarúmque huiusmodi rerum notitia explicari non potuissent, intermiserat. & idcirco dicebat.* Rursus ad principium breuiter redeamus: citóque illuc regrediamur, vnde hucusque processimus: atque ita demum finem apicémque disputationi, qualem superiora exigunt, imponamus. *Quibus uerbis, quemadmodum & alijs multis, quæ proximè addidit, ne ob uarietatem orationis quam de prima materia, ac de alijs multis habuerat, legentis hæreret animus, pulcherrimam suæ Physiologiæ œconomiam ac methodum miro cum artificio aperuit. Nam si ille tibi scrupulus adhuc insideat menti, quòd non probè fecisse uideatur Plato, qui post materiæ erraticæque causæ conquisitionem, de oculis, de auditu, de capite ipso, ac de alijs huiusmodi non egerit, quæ extrinsecùs apparent sicut de corde, de liene, ac de alijs partibus fecit; quæ intestinæ sunt: cum & ad humanam constitutionem omnes pertineant, & materiæ erraticæque causæ ui coërceantur; profectò licet ex his quæ dicta sunt, facilè intelligere possis, satis nos huic dubitationi fecisse, tamen quia hinc sese nobis occasio offert, qua Platonicæ Physiologiæ artificium explicatiùs patefacere possimus, libentissimè illam suo loco arripiemus. Nam cum Vniuersum Platonis Timæum accuratissimè conscriptum esse censeo, tunc quæ nunc in controuersiam uenerunt, summo cum artificio digesta esse non dubito.*

ORDO Platonicæ & Aristotelicæ Physiologiæ comparatur.

SED iam Platonis œconomiam cum Aristotelica comparemus, in qua sanè Aristoteles sicut in sua Physiologia eandem cum Platonico Timæo materiã tractãtita etiam eâdem methodo, συνθετικῇ scilicet (nos compositiuam in præsentia appellemus) progressus est. Quare à principijs & attributionibus rerum naturalium ad species, speciesúmque proprietates deuenit: atque à simplicioribus primùm & communibus (id autem an seruauerit semper, uidebimus suo loco) ad compositas & indiuiduas;

quemadmodum Platonem etiam fecisse ostendimus. Quanquam non ita progressi sunt, quin vniuersum Physiologiæ cursum intuenti aliquam methodi differentiam obseruare liceat. Nam si rerum naturalium causas ac principia spectes, sicut alia à Platone, alia ab Aristotele pro principijs statui intelliges: ita illum aut immortalium principia priùs & horum effectus, deinde res mortales, earundémque causas proposuisse senties: aut certè generales simul, quæ scilicet tū cælo tū reliquis corporibus conuenirent, attulisse. Hunc autē deprehēdes vel rerū mortaliū principia tantùm, uel certè mortaliū quidē & immortaliū, sed præpostero ordine retulisse: ita vt rerū dissolubiliū causas primū, tū uerò dissolubiliū atque indissolubiliū in vniuersùm sit persequutus. Quod si ad illa cōuertas animū, quibus tractant ea quæ principijs ipsis proximè succedūt, summā primò in illis conuenientiam, tum verò differentiam haud sanè exiguam reperies. Plato enim, cùm DEVM Vniuersi efficientem causam fecisset, exemplarem verò, sempiternam Ideam, finalem, bonum seu boni communicationem, materialem, fluxam quandam ac temerè agitatam materiam, formalem animam intelligentem: atque ita conclusisset hunc Mundum esse animal, idque intelligens, ac diuina prouidentia constitutum: statim descendit ad varia ipsius Mundi theoremata, quibus præcipuæ quædam & generales illius proprietates atque attributiones continentur. Vbi primùm docuit non ad singularis alicuius, sed ad generalis, absolutique animalis similitudinem esse conditum: nam ortum esse, (id quod apud Platonem disputationis caput est ac vertex) iam docuerat antea. Deinde non infinitos esse Mundos, sed vnigenam ac singularem. Tum quibus partibus esset conditus: & ex omnibus totis perfectisque partibus perfectum & indissolubilem constare. Ac denique (ne consecter singula) de figura egit ac motu. Atque his statutis, latiùs exposuit quo pacto & magno huic corpori sic constituto, animus tributus sit, & Mundus ipse beatum quoddam animal euaserit. Vbi etiam monens animum esse antiquiorem corpore, ad perdifficilem illam conquisitionem processit, qua mundani animi natura atque compositio continetur. Atque inde de tempore ac de errantibus stellis, quantum tamen eius loci erat, disputauit. Hócque ordine ad singulas animalium cæterarúmque rerum species progressus est. At verò Aristoteles, cum sua illa principia proposuisset, materiam, formam, priuationem, & (si huc spectare non neges) Naturam, simúlque de causis multa rursus disputasset; statim tum ea complexus est quæ rebus naturalibus essent tribuenda: motum scilicet, locum ac tempus: tum quæ ab ijsdem essent remouenda, infinitum & vacuum. ac de motu rursus multis fusè satis ostensis, nos contendit ad sempiternum motum, motúsque authorem immobilem, perpetuum, vnum, indiuiduúmque deducere. Tùm verò de Mundo Platonica illa theoremata (eo tamen relicto, quod ad Mūdi exemplum pertinebat: neque enim cum illius cohærebat principijs) integro libro est prosequutus: vt in his quidem Theorematibus magnam me-

methodi consensionem, in reliquis non leuem dissensionem statuas inueniri. Quanquam in ijs etiam, in quibus Platonica hæc Theoremata considerauit, varius eiam videri voluit à Magistro. Nam cum Plato inter Theoremata principem locum obtinere illud voluisset, in quo quærebatur, an Mundus ab aliqua causa sumpsisset exordium: immo (ne scilicet Mundi principia priùs requirere videretur, quàm esset constitutum an habuisset principium) hoc idem theorema disputationi etiam de principijs præmisisset; Aristoteles contra illud voluit esse postremum. Similiter cum deinde Plato de exempli conditione quæreret: tum verò Mundum vnigenam ac singularem conditum ostenderet, Aristoteles cum exempli tanquã sibi infensissimi, conquisitionem prætermisit: tum Mundum singularem esse, ferè ad extremum tradidit. Et (vt rem complectar breui) magna ex parte Theorematum illorum ordinem ac seriem immutauit. Denique hoc ipsum agnoscere poterimus, si vtriusque ordinem atque rationem in specierum tractatione conferemus. Sed hæc suis quæque locis potiùs quàm breui hoc œconomiæ prælудio sunt pertractanda. Cum præsertim huiusmodi differentia, vt magna etiam ex parte ex dogmatum principiorúmque varietate manauit; ita, vt explicatiùs intelligi possit, in Physiologiæ cursu vnà cum principiorum ac dogmatum varietate notanda & cognoscenda sit.

ORDO Mosis in Mũdi procreatione describẽda & quatenus illi Plato respõdeat

INTERIM non ab re erit œconomiam etiam agnoscere, qua in Mundana procreatione describenda vsus est Moses. Nam præterquam quod obseruare interim licebit vter ex summis istis Philosophis ad Mosaicam methodum dispositionẽmque, quæ sanè dispositio (vt videbimus) pulcherrima est ac nobilis; exprimendam magis accesserit; commodiùs deinde, hoc veluti fundamento iacto; intelligentur ea, quibus ad Christianæ veritatis normam expendemus quid veri aut falsi doceat Platonis Timæus. Meminiße enim debemus lucubrationes hasce nostras non eo consilio institutas eße vt Ethnicorum Philosophorum opinionibus, aut Platonicis Aristotelicisue finibus cohiberentur; sed eò potiùs producendas ac dilatandas esse, quò in philosophicis tractationibus Christiano Philosopho spectandum esse demonstraui. nimirum vt pro uirili parte ostendamus, ubinam Aristotelis Platonisque doctrina in Vniuersitatis ratione atque natura tradenda & explicanda cum Christiana ueritate consentiat: aut etiam, vt offensiones & scopuli faciliùs declinentur, ab ea aberret atque dißentiat. Fuit autem uniuersus Moysis ordo compositiuus: nam à simplicibus corporibus atque communioribus ad res coagmentatas atque minùs communes processit. Vbi etiam res eâdem planè seriè nobis ob oculos posuit: qua ex opificis quasi manibus prodijssent. Idque, si accuratè æstimes, hoc planè ordine & ratione. Etenim cùm in Vniuersitatis molitione Natura quoque ipsa institueretur & conderetur, à rudi quodam auspicatus opere, ad perfectissimum absolutissimúmque peruenit. Quamobrem posuit nobis priùs quasi sub aspectum cœli & terræ nomine totam

Mundi materiam, ac molem primorum corporum: atque hanc à DEO procreatam quidem, nõdum tamen distinctã atque ornatam. Et idcirco hãc tũ inanitatis, & uacuitatis (id enim significat תהו ובהו, thou uauohu) tũ abyssi nomine descripsit. Tũ uerò molitionũ prosecutus est rerum omnium quæ per genera exprimis illis corporibus, tanquam ex initijs conflauit. Ex quo factum est, ut ad creationem, tum distinctionis, tum ornatus opus accesserit: quæ duo per rerum segregationem, conformationem, pulchritudinem denique pro generibus singulis accuratissimè notatam expressit. Ratio autem ac uia qua à rudi illa & imperfecta rerum constitutione ad expolitam perfectámque processit, ac digerendis inter se rebus tenuit, fuit eiusmodi. Nam priùs complexus est quæ sensu carent: tum quæ eodem sunt prædita: ac tam in his, quàm in illis à generalibus ad specialia (ut ita dicam) atque à minùs nobilibus ad nobiliora progressus est. Quapropter ea persequens quæ carent sentiendi facultate, elementa priùs cœlestésque orbes distinxit & composuit: tum herbas, stirpes, arbores, stellas denique per genera procreauit absoluítque. Quibus absolutis conuertit sese ad sentientes naturas; ac minùs perfectas animantes complexus priùs, per intermedias ad hominem usque, in quo absoluta est molitio omnis, deuenit. Quibus omnibus lucis quasi facem aut rotam ideo antetulit, quòd rebus tum per temporis interualla condendis, tum distinguendis explicandísque & ornandis esset penitus necessaria. Ita Moses. Quo cum, si non in omnibus, quòd pertinet ad Oeconomiã, certè in summa rerum mirificè consensit Plato: nam & methodo compositiua usus est, cum à principijs, simplicibúsque corporibus, immo ab indigesta illa Vniuersitatis mole auspicatus, ad coagmentationem rerum per genera & à communioribus ad minùs generales, tum partes, tum speeics gradum fecerit. Mũdum quoque nobis posuit ante oculos, quasi iamiam fabricaretur, & ab opificis manu prodiret. præterea opus distinctionis & ornatus, immo & creationis, si prima corpora exceperis, expressit egregiè. Diuersus tamen fuit quòd opus creationis, ut significare cœperam, quòd pertinet ad initia rerum atque indigestam illam molem, non expressit in Timæo. At Moses, ut hoc erat ferè caput, docuit in sua Genesi, ac ratum esse uoluit ante omnia in hac Vniuersitate nihil non creatum fuisse ab Mundi artifice atque authore DEO. Duobus quoque capitibus complexus est uterque omnia: sed mortalium & immortalium Plato: sentientium ac sensu carentium Moses. Quanquam haud dissidentem œconomiam reddunt hæc: cum præsertim Plato etiam totam Vniuersi molem compleuerit priùs, tum ad quatuor animalium genera concesserit. Hæc summatim pro instituta œconomiæ comparatione. In qua sanè cur Platonis Timæus admirabilem Moysis Genesim tanta ordinis similitudine & coniunctione attingat, ea (ni fallor) fuit potissima ratio. Nam procreatio Vniuersitatis per genera singula à Moyse primùm descripta, atque a Trismegisto deinde repetita (tametsi additis multis ex Aegyptio-

Quid causæ fuerit vt Plato in proposito ordine cum Mose consentiat.

ptiorum superstitione: multis etiam proprio ingenio ac iudicio interiectis) ab Orpheo etiam aliisque multis tum Poëtis, tum Philosophis, prout occasio tulit, decantata atque tractata fuit. Vt proinde apud illas gentes de molitore Deo, Mundique ipsius origine & constitutione, constitutarúmque rerum serie constantissima esset opinio. Ex quo factum est, vt Plato etiam Trismegistum, Locrum, huiusmodique alios more Maiorum secutus; tum cum Idololatris illis multa habeat communia: tum maximè quæ faciunt ad Mundi ortum, rerúmque procreatarum seriem vix interdum à Mose dissentire videatur. Cùm præsertim, vt erat excellenti quodam ingenio, ac minimè superstitiosus, quæ à Maioribus suis accepisset, non sine delectu aliquo & cautione vsurparit. Sed de re hac, quoniam videtur inter multos iampridem agitari, nec idem fuit omnium sensus, opportuniore † loco fusiùs. Nunc ad Dialogi huius partitionem (hæc enim ex ijs quæ ab initio libri huius proposuimus, superest facienda) aggrediamur, atque in principes partes secemus illum. Ergo in duas potissimas partes diuiditur hic liber: quemadmodum duo sunt quæ in eo potissimùm efficit Plato. Atque altera pars præparat: altera narrat. Quæ præparat, Dialogi exordium, atque ea denique omnia complectitur, quæ vsque ad Timæi orationem habentur. Huic autem quæ narrat succedens, ad finem vsque perducitur. Immo verò Atlantici qui Timæum subsequitur, exordiũ aliqua ex parte occupat: etsi quæ in eo habuit Timæus, perorationis potiùs aut etiam relaxationis, quàm narrationis locum sibi debent in disputatione vendicare. Rursus præparatio ipsa (vt suis locis constabit clariùs) in quatuor alias partes diuiditur: ac prior sanè pertinet à Dialogi initio, vsque ad Epilogum Politiae. secunda verò, quæ continet ipsum Epilogum, & ad Atlanticam disputationem sternit viam, vsque ad Critiæ historiam. Tertia posita est tota in ipsa Critiæ historia. postrema in rerum dicendarum inuentione & propositione: in qua Timæo, ac socijs definitæ partes demandantur, quas singulis disputationibus tractent ac tueantur singuli. Atque haec postrema proœmijs pars ἀνακλήσει clauditur, qua poscit diuinum auxilium. At verò quas rursus in partes Narratio distribui possit, dicetur suo loco. Interim te moneo Lector, vt cum in eam præparationis apparatúsue partem incideris, in qua Critias historiam quandam recenset, memineris ei tum præparationis, tum narrationis nomen deberi. Narrationis enim meretur nomen, si ad communem librorum de Republica, Timæi, Atlantici, & Hermocratis scopum referantur, de quo in introductione multa satis. nam cum haec historia ijs annexa sit, quæ habentur in Atlantico, quæ autem Atlantico continentur, pars quædam sint eorum quæ ad communem horum librorum scopum referuntur, historia haec Critiæ, ad narrationem pertineat necesse est. Præparationis verò sibi vendicat locum, si cum propria Timæi narratione conferatur: siquidem neque Vniuersi, de quo disserit Timæus, principium est, neque pars, neque attributio, neque demum ad eorum conquisitionem notitiámque dirigitur. Atque hæc tum de subiecta Timaeo materia institutóque vniuerso: déque varijs ac multiplicibus, addo etiam spinosis ac difficillimis

† Vide l. 10. dec. 1.

DIALOGI in principes partes distributio.

mis quæ hac de re in tanta authorum dissensione ac varietate controuersiæ ac dubitationes oriebantur: tum de ijs quæ Platonis Aristotelisque physiologiam vniuersam comparanti; materiæ, ordinis, totiúsque œconomiæ gratia tractanda & explicanda fuerant: tum præterea de his quæ ad eosdem in instituto argumento & comparatione ad Christianæ veritatis normam limandos Christianos agnoscenda erant: tum denique de summa ac generali totius Dialogi Platonicaéque physiologiæ partitione dicenda erant, satis.

FINIS LIBRI QVINTI DECADIS PRIMAE.

IN PLATONIS TIMAEVM, SIVE IN NATVRALEM OMNEM ATQVE DIVINAM PLATONIS ET ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM

DECADIS PRIMAE LIBER SEXTVS.

CVM in superioribus libris ea omnia complexus sim, quibus existimaueram Platonicæ Physiologiæ aditus aperiri posse, ac florentissimos eius campos veluti è specula quadam commonstrari, iam vt in ipsis pedem ponamus, ad Timæi disputationem deueniam. Quæ dum à M. Tullio, hoc est ab eloquentissimo interprete, in libro de Vniuersitate fuit in latinum conuersa (quanquam an meri interpretis munus in huiusmodi conuersione obierit, videbimus libro septimo) vtinam ad nos integra peruenisset. Etenim qui Græcas literas non attigerunt, haud valde haberent cur admirabilem illam Platonis eloquentiam requirerent, quasi latino sermone omnem florem atque venustatem amisisset. Contra verò qui illis imbuti sunt, Græcæ atque Romanæ eloquentiæ parentes grauissimè & copiosissimè disputantes audirent: naturalisque Philosophiæ decreta ex aureis orationum fluminibus haurirent. Sed quoniam pulcherrimo illo Ciceronis libro propè funditus interempto, id cumulatè sperare non licet,

Marsilij

Marsilij Ficini & Iohannis Serrani interpretationes apponendas censui, vt hinc saltem aliquam (si fieri possit) detrimenti partem resarciamus. Eidem verò nostram quoque interpretationem addere voluimus, vt si fortè adiumentum aliquod hac etiam ex parte nostro operi, aliorúmque studijs accedere posset, muneri defuisse non videremur. Qua in re quid effecerim aliorum sit iudicium. Ipse certè illud affirmare possum, me summo studio contendisse, vt et vniuersam hanc Platonis disputationem syncerè ac dilucidè explicarem: atque ἑλληνισμοὺς, Græci inquam sermonis proprietates, omnino vitarem. Visum est autem Græcæ literæ latinas Ficini atque Serrani interpretationes ex altera parte opponere, nostrámque continenter subijcere, vt faciliore negocio conferri possint. Sic enim fiet, vt ij etiam qui in Græcis non vsque adeò magnos progreßus habent, earum præsidijs Platonicæ orationis suauitatem faciliùs degustare possint, atque illius instituta percipere. Quanquam ne vllam viam atque rationem omittam, qua nobilem hunc dialogũ cumulatiùs explicari poße intelligam: ex Græcis præcipuè codicibus, hoc est ex puro ac liquido fonte, commentarij nostri manabit oratio. Etenim si quis vnis interpretationibus hæreat, atque inde authoris sententias, dogmatúmque vim exquirat, incredibile est quot ipsum, quantisque suspicionibus, atque interdum etiam tenebris, obrui neceße sit. Quapropter multa statim Platoni affinget, quæ vt ab vno interprete profecta sunt, nihil omnino faciũt ad eum locum. Contra verò alia improuidus non sine magna iactura & rerum ignoratione præteribit. demúmque (vt me paucis expediam) multa ac magna paßim peccabit. Vt propterea illius decreta ex Græco fonte potißimùm haurienda sint. Neque tamen eorum vtilitati minùs prospiciemus qui Græcarum literarum inscij sunt ac rudes: immo longè meliùs consultum erit. Nam primùm nihil ex Graecis proferam, quod non statim Latinè quàm possim lucidißimè exprimam. deinde propositarum Ficini ac Serrani (hunc autem noui interpretis nomine appellabo sæpè in posterùm non iniustis de causis) interpretationum sic rationem habebo, vt vbi germanæ mihi visæ fuerint, in ipsis etiam nostrarum lucubrationum quasi ædificium quoquo modo sim extructurus. Ac denique vbicunque illas à Platone discedere existimauero, rem totam (si alicuius momenti erit) aut strictim, aut etiam paulò vberiùs attingam: simúlque Chalcidij atque aliorum omnium, qui hunc Platonis librum de Græcis conuerterunt, sensa difficilioribus in locis indicabo. Tametsi enim Ficinus, vt est vulgatior, ita etiam accuratior quàm cæteri mihi videri solet, contra verò nouus Interpres, si cum Ficino conferatur, plerunque vel lusiße, vel dormitaße, atque adeò operam olcúmque perdidiße deprehendatur: inprimis verò Asiatico illo multiplicique interpretandi genere ab Attica Platonis venustate ac suauitate receßerit quamlongißimè; ac denique nec limatus, nec elegans, nec quod rei caput est, fidus interpres vocari poßit, veruntamen nullus tandem interpres erit inpræsentia, qui in veritatis conquisitione calculum atque sententiam ferre non poßit.

IAM verò ad Dialogi inscriptionem veniamus, quæ sic se habet.

ΠΛΑΤΩΝΟΣ ΤΙΜΑΙΟΣ, Η ΠΕΡΙ ΦΥΣΕΩΣ.

PLATONIS TIMAEVS, VEL DE NATVNA.

DE TIMAEI inscriptione.

HAEC EST præsens libri inscriptio: in qua vt de authoris consilio atque artificio planiùs nobis constet, obseruandum sanè est eos, qui aliquid literis mandarent, ex varijs quasi sedibus librorum suorum titulos atque indices desumere consueuisse. Siquidem non à re de qua agitur solùm, & ab authore ipso eos petere solebant, sed etiam à loco in quo, quæ illi præciperent, aut conscripta aut disputata proponerentur: ac demũ sexcentas properationes atque occasiones ad eos inscribẽdos arripiebant: ita vt vel à prima libri voce (quemadmodum Hebræis vsitatum fuit) suis sæpe libris nomen tribuere non dubitarint. Plato autem quippequi rerum dicẽdarum seminarium ipsa dialogi fronte cõmonstrare hac in re præcipuum esse animaduerterat, reliquis librorum indicibus prætermissis, duo tantum inscriptionum genera adamauit: quorum primum ab eius duxit nomine, cui aut sermonis tribueretur principatus, aut euertendæ partes committerentur, aut denique eruditio ac disciplina decerneretur. Alterum verò ex re ipsa desumpsit, de qua sibi proposuisset agendum. Atque illud quidem, vt scenici quasi actoris ostentatione futuri spectaculi genus acutè cernentibus indicaret: hoc verò vt totius negotiationis seminario atque argumẽto proposito minùs acutis ac perspicacibus mentibus inseruiret. Et hac etiã de causa hæc duo inscriptionum genera perpetuò ferè semper cõiunxit: vix enim libros de Republica, aut etiam de legibus inuenies, qui eius quoque nomen ipsa quasi fronte haud referant, qui vel doctrinæ tradendae munus suscepisset, vel redarguendus instituendúsue introduceretur. Ex quibus omnibus (ne in ijs vagari videar, quæ cum caeteris dialagis sunt Timæo communia) optimè præsentis inscriptionis ratio intelligi potest. Etenim hîc quoque noster Plato duplici inscriptionis genere materiam indicare voluit, de qua agendum est: nempe totius Naturae rationem, siue aspectabilis Mundi ortum atque naturam explicari. Quamobrem cum Timaeus Locrus (id quod iandiu animaduertimus) nonnulla de Mundi molitione literis consignasset, Plato sui Timæi initia, atque adeò seminarium inde accipiens, eiusdem Locri nomine dialogum notandum censuit. Vt quemadmodum ij qui scenicis spectaculis aßueti essent, ex primo siue tibiarum concentu, siue histrionis aspectu, quódnam spectaculum daretur, intelligebant: ita etiam naturalium commentationum non ignari, Timaei nomine ac quasi aspectu oblato, futuri dialogi genus praesentirent. Qua etiam inscriptione eò libentiùs Platonem hîc vsum esse arbitror, quòd intelligeret hac ratione debitam gratiam Locro referri posse. Nam idcirco paulò post eidem primas in disputatione detulit, ac Socratis Critiæque verbis eum mirificè commendauit. Adiecit autem priori huic inscriptioni alteram quoque, qua dialogus περὶ φύσεως, siue De Natura inscribitur, tum vt hinc disputationis argumen-

tum apertè constaret omnibus, tum fortasse, vt cùm Locrus etiam περὶ φύσεως *libellum suum notasset, eâdem insciptionis parte conseruata adhuc eiusdem Locri laudibus ac dignitati faueret. Et sanè cum Plato tam acriter conatus esset efficere, vt quæ Naturæ opera iudicarentur, in diuinam tantùm effectionem referremus, atque idcirco rerum efficientiam in humanam atque diuinã distribuens, naturalem decreuißet eße tollendam, non uideo cur hic de totius Vniuersitatis ortu atque effectione disputaturus, librum de Natura inscripserit, nisi vt hac in re ipse etiam receptum institutum ac morem (quod alibi docuimus) retinens, dialogi materiam planissimam faceret: ac Locrò, quem præcipuè sequebatur, meritam gratiam hac ratione persolueret. Quamobrem si Timon ille in criminis loco (vt semper fuit contumeliosus ac mordax) Platoni obiecit, quòd ingentem pecuniæ vim ad Locri libellum coëmendum, Timæúmque scribendum profudißet: nos contra summopere laudare eum debemus, qui tam ingenuum animum erga illum ostenderit, cuius vigiliæ in Timæo scribendo aliquid sibi profuissent: tantum abest vt eos imitari voluerit, qui rerum notis ac signis deletis, eos ne agnouiße quidem simulant à quibus plurima interdum in suum vsum conuerterint.*

Quid intelligit hîc Plato Naturæ nomine.

Verùm ne illud præterire videar, quod & huius inscriptionis caput est, & ipse iampridem explicandum receperam, age videamus quid intelligat hîc Plato Naturæ nomine. Quanquam enim subiectæ materiæ respondere solet inscriptio, illámque non obscurè significare, dummodo ab ijs rebus ducta sit de quibus agendum est, quemadmodum in hoc dialogo factum esse iam supra non modò asseuerauimus, sed etiam tanquam ratum ac firmum habere visi sumus; verũtamen ex Academicis nõ postremi in ipsa Timæi inscriptione Naturæ vim ac notionem sic accipiunt, vt tũ ea quibus Naturam cum Vniuerso conuerti, eorundémue notiones intersese reciprocari ostendimus, explodere, tum argumentum illud quod in dialogi instituto constituendo ex libri indice desumpsimus, labefactare, tum denique omnem quam de re hac attulimus, opinionem euertere videantur. Cum ijs igitur nobis agendum est. Quare eorum opinionem ac si quas ad eam confirmandam rationes habẽt, afferamus.

Plotinus.

Ergo Plotinus octauo tertiæ Enneadis libro altiùs (vt sui moris est) Naturae vim & essentiam contemplatus, existimauit Naturam eße animam principis animæ, Mundanæ scilicet, partum: atque ipsius quidem Mundanæ animæ fœcunditate ea ratione fuisse progenitam, qua sapientis alicuius artificis ars sui fœcunditate alterã artem in adiscente puero gignere solet: addiditque hanc rerũ omnium quæ circa corpus & materiã fiunt, habere semina ac rationes: eadem intelligere: ac motu cæterisque etiam corporeis qualitatibus in rerum procreatione vti: quemadmodum artifex ipse rerum arte gerendarum semina atque rationes mente cõplectitur, & ad eas efficiendas instrumentis vtitur.

Proclus.

Quamobrẽ Proclus, cùm in Timæi proœmio in hanc ipsam inquisitionẽ propositæ inscriptionis occasione deuenisset, variásque antiquorum de Natura opiniones attulisset, easdémque, ne Aristoteli quidem parcens, improbasset, tandẽ Plotinum sequutus decreuit Naturam esse substantiam quandam mediã inter animam & materiã, rationésque rerum omnium quas seminales appellat, in se habere:

ſe habere: ea omnia generare, atque iiſdē denique vitam impertiri. Et quãuis eodem in loco aſſerat Platonem vix ac ne vix quidem adduci potuiße, vt huiuſmodi ſubſtãtiæ tribueret animæ nomē, ac proinde Plotino minimè aſſentiatur, qui in quarto propoſiti libri capite ipſi Naturæ animæ nomē libentiſſimè concedit; (quanquam ſi eos tantùm Platoni contradicere cenſuit Proclus, qui Naturam non niſi principem animam eße volebant, ob idque ſolùm Naturæ ipſi animæ nomen non concedit, verbis potiùs quàm re ab eo diſſidet) in hoc tamen de Naturæ vi atque eſſentia cum Plotino conſentit, quod ſeminariam vim eſſe vult, materiæ præſidere, Mundanæ animæ eſſe ſubiectã ab eâque pendêre. Marſilius autem quoties ferè in ſermonem de Natura incidit, ita Plotini ac Procli decretis addictus eſt, vt ea explicare potiùs ac dilatare videatur, quàm aliquid ex ſui officina proferre. Quod tum alibi fecit, tum præſertim capite primo libri tertij ſuae Theologiae, & in Timæi argumento capite primo ac vigeſimoſexto. Ac priore quidem in loco Naturam dicit eſſe artem quae interiùs materiam temperet, perinde ac lignarius faber efficeret, ſi in ligno reperiretur. Vbi ſanè, vt tum Naturæ eßentiam, tum vim & poteſtatem quam in rebus agnoſcendis procreandíſue obtinet, explicaret, rem omnē Geometricæ contemplationis explicauit exemplo: aſſerens in naturali arte nō ſecus à diuina ſapientia per rationes intellectuales vim ipſam viuificam & motricem (ſic enim ipſe loquitur) illi coniunctam, naturalibus ſeminibus imbui, pérque hæc materiam quoque facillimè intrinſecùs formari, quàm Geometræ mens figurarū rationes ſecum ipſa volutans, huiuſmodi figurarū imaginibus intrinſecùs formet phantaſiam pérque hanc ſpiritum quoque phantaſticum ſine labore aliquo vel cōſilio. Haec Ficinus ad Naturae vim explicandam exempla appoſuit. Quæ tamen (ni valde quidem fallor) ex Plotino Enneade tertia ſuſtulit: poſtremum quidem ex tertio octaui libri capite, alterum verò ex primo. Poſterioribus verò locis tradidit Naturam eße ſeminariam quandam virtutem toti Mundo infuſam, animae quidem Mundanae ſubditam, materiae verò praeſidentem, atque hanc quidem ſeminariam virtutem ab eâdem quoque anima infuſam eſſe affirmauit. Vbi Procli opinionē quaſi interpres ad verbum ferè expreſſit. Atque haec ſanè quæ in hanc ſententiam tum ex Plotino, tum ex Proclo diſperſè ad ſua tranſtulerat, omnia in ſeptimae Enneadis argumento (vt in capite octauo videre eſt) ſimul coniunxit. Neque ab hac opinione (quod maximè refert) omnino abhorruiſſe viſus eſt Locrus dum περὶ ψυχᾶς Κόσμω, καὶ φύσιος, hoc eſt De Mundi anima & Natura ſuum libellum inſcripſit: quanquam enim ſeminariam vim illam Naturae nomine hîc deſignari minimè videas; facilè tamen ſuſpiceris ad illos rerum gradus reſpexiſſe, quos deinde Academicorum plurimi profitentur: ac diſtinctionem illam indicaße, immo ratam habuiße, quam Proclus & Marſilius de Anima, de Natura, & de materia attulerunt: ac proinde Naturae nomine quid medium inter animam & materiam conſtituiße. Ac profectò, dum Platonici ſummum DEVM atque eiuſdem Mentem Mundique opificem, Animam, Naturam, & Materiam, quibuſdam quaſi gradibus diſtribuunt, Locrus quippe qui de Mundi anima primum, tum de Natura ſibi agendum

Ficinus.

Locrus.

dum proposuit, atque hæc duo membra quasi ex rerum continuatione ac serie selegisse, Naturámque inter Materiam & Animam collocasse visus est, hac saltem in parte Platonem atque Academicos sectatores habere potuit. Quapropter cùm Plato in hoc dialogo Locrũ præcipuè sequutus sit, eiusdem quasi legibus Naturae nomine vsus erit: ac propterea Natura ad ea, quæ materia constant, non pertinebit: sed aliquid superius significabit, quale est illa seminaria virtus. Quod ex ijs etim suaderi posse videtur, quae Stoici Academicis finitimi, ac sæpissimè verbis potiùs quàm re (vt Cicero vtrorunque dogmatum studiosissimus sentire videtur) dissentientes de Natura præceperunt: ij enim (quemadmodum in secũdo libro de Natura deorum legimus) Naturæ vim pictoris exemplo explicant, et aliorum artificum, qui rerum gerendarum quasi semina gestant in mente: eandem Naturam artificiosam appellant, sensúque & ratione praeditam faciunt: ac quandam quasi viam ac sectam habere volunt, qua in rerum procreatione sequuta, miro ordine progrediatur, summámque solentiam præseferat. Haec, inquam, atque huiusmodi alia quaedam de Natura tradunt Stoici, quae suadere videntur eos ab Academicis de quibus supra loquebamur, minimè dissentire. In quorum omnium numerum M. Tullius etiam referri facilè posset, qui vt sese Academicorum decretis adijcere libentissimè solebat, ita hanc ipsam de Naturae vi ac potestate sententiam visus est consectari.

Stoici.

M. Tullius.

Authoris sententia.

Ego verò, siue Cicero ac Stoici in Naturæ essentia ac vi explicanda Platoni consentiãt nec ne, non valde in præsentia laboro: nec valde etiam curandum censeo, an Ficinus cæterique quos recensuimus Academici, ipsius Platonis sententiam hac in re sint assequuti. Licet enim operæpretium eos fecisse arbitrarer, si dum huiusmodi opinionem Platonis esse cõtendunt, ipsas quasi sedes cõmonstrassent, ex quibus aut eam deprompsissẽt, aut rationes ad eã confirmandã desumi posse arbitrarentur, cũ illis tamen hac de re altercari nihil sanè ad hoc tẽpus. Porrò huius temporis, atque institutæ scriptionis potiùs est ostendere Naturæ nomen à Platone hoc saltem in loco in eam sententiã haud fuisse vsurpatum, qua illum Proclus ac Ficinus vsum fuisse venditant. Id autem ea ratione ostenditur, quia si Natura vim illam corporibus infusam quidem sed longè illis dissimilem significat: & elementa ac corpora omnia de quibus agit Timæus, ex eorum opinione seminariae virtutis effectus dicenda sunt potiùs, quàm seminariae virtutis dignanda nomine, profectò cum de huiusmodi elementis & corporatis rebus disserat Plato, id quod sibi in inscriptione proposuerat nequaquam fuisset prosequutus. Quòd si contendas Platonem de rebus natura constantibus hic sibi agendum proposuisse quidem: non ob id tamen eas inscriptione quam Naturae nomine proposuit, significare instituisse, primò quaeram quo nomine haec ibi affigatur inscriptio, nisi à rebus de quibus agendum sit, petatur. Deinde cum Plato sub Critiae persona proponens ea de quibus hic foret agendum, dixerit, Visum est nobis vt Timæus quippequi in rerum natura cognoscenda maximè versatus est, primus edisserens, ab Vniuersi generatione vsque ad hominis naturam deueniat; *subindeque*

que huius Naturæ nomine de elementis déque cõcretis corporibus egerit, ac rerum denique naturalium essentiam vim ac potestatem protinus sit amplexus, quid commentius aut insulsius excogitari potest, quàm eundem Platonem cum de Natura disputandum ipsa dialogi inscriptione moneret, nequaquam indicare voluisse de rebus naturalibus esse agendum? ac quamuis aliud sit Natura (vt Proclus pro sua opinione firmanda ratiocinatur) aliud sit res naturalis, quemadmodum etiam aliud est ars, aliud res arte elaborata, veruntamen non ob id sequitur Platonem de elementis, de animalibus, atque (vt rem complectar breui) de rebus Natura constantibus disputaturum, in dialogi inscriptione minimè habere debuisse Naturæ nomen in rerum naturaliũ loco: nã cum Locrus, Melissus, Pherecydes, atque alij qui de rebus naturalibus disputauerant, de Natura suos inscripsissent libros, veteri quadam consuetudine consequebatur, vt cum eadem tractaret Plato, eodẽ instituto ac more suũ quoque librum inscriberet. Quod autẽ Melissus de rebus naturalibus disserens de Natura librũ inscripserit, ex Simplicio animaduertere est, qui dũ in II. libro de Physica auditione, quædam proponit ex Melisso, in quibus hic ab Aristotele reprehenditur, ea citat ex libro de Natura. De Locro autẽ, quicquid de illis rerum gradibus inter materiam ac summum Deum constitutis sentias, res apertior est, quàm vt noua egeat ostensione: nam quẽadmodum cum de Mundi anima latè ageret, hanc indicis loco ipsi libro præfixit: ita etiam cum de elementis ac cæteris rebus natura constantibus fusiùs disputaret, hæc omnia Naturæ inscriptione significasse fatendũ est. Denique de Pherecyde ex eiusdem testamento constat, in quo Thaleti (vt est apud Laërtium) librum suum de Natura legat, vt eum recognoscat atque edat in vulgus. Et hoc ipsum de illis colligere possis, quos de Natura, ac de Vniuersitate egisse in Lyside testatur Plato. Atque eodem nomine etiam † Aristoteles de rebus naturalibus disputaturus, de Natura sibi agendũ professus est. Ac Cicero prima Academica, et primo de Oratore Philosophiam in Naturæ obscuritatem, disserendi subtilitatẽ, in vitam ac mores distribuens, Naturæ nomine res Natura constantes accepit, etsi alicubi cum Stoicis (vt paulò ante monebam) Naturam materiæ ac corpori superiorem facit. His accedit duplicem Naturam esse spectandã: alteram quidẽ per quã res naturales gignantur (neque enim si cõsilio quodam Naturã vti concedamus, hanc rerũ caducarũ molitioni interesse ex Platone negandũ est) quæ & que naturans (barbarè tamen) a quibusdã appellatur: alterã verò quæ nihil aliud sit nisi ipsa rerũ naturaliũ vis atque essentia (nãque hoc quoque nomine ea vsũ Platonẽ sexcentis locis reperies) quámque naturatã, si tãta vocũ barbaries atque insolẽtia ferenda sit, cũ aliquibus dicere possis. Dũ itaque de Natura dialogũ inscribit Plato, de rerũ naturaliũ essẽtia ac vi agendũ significare cõmodè potuit: sicut Aristoteles cũ sæpe alibi, tum præsertim in libro de Diuinatione per somniũ † Naturã quam δαιμόνιαν, ἀλλ' οὐ θείαν, dæmoniã inquã (vt ita dicam) non diuinam esse monet, ijs saltem præfecit, quæ oriũtur & occidũt,

† 1. phy. t. 8.

† cap. 2.

cùm tamen illius nomen, tum Materiæ, tum Formæ, tum ijs demum, quæ ex illis permixta & coagmentata sunt, passim concedens, ad rerum essentiam ipse quoque traduxerit. Ac proinde licet communi quadam lege & consuetudine (vt nuper dicebamus) dialogum hanc sibi inscriptionem vendicare non dubitem, tamen si rem acri iure cum Proclo decernere velimus, Naturam, quæ pro ipsa rerum naturalium vi atque essentia vsurpari solet, ab ipsis rebus physicis differre negantes, res quæ Natura constāt Naturæ nomine optimè in dialogi indice significatas atque expressas asseuerabimus. Quicquid igitur sit de seminaria illa virtute, constat eam nihil ad hunc locum attinere. Quamobrem Plotinus quæ de huiusmodi seminario fusè lateque disputauit, cum hoc Platonis loco nunquam coniunxit: sed Proclus deinde ac Marsilius, quasi aprum fluctibus appingere nihil interesset, hic ea inculcare ausi sunt. Quanquam (ne quid dissimulem) haud existimauerim per inscitiam hac in re peccasse Proclum. etenim de elementis, de materia, ac de huiusmodi alijs Platonem in Timæo disserere, non potuit non animaduertere. Verisimile quoque est perspectū omnino habuisse dialogū idcirco de Natura fuisse inscriptū, quia rerum naturalium scientia in eo traderetur. Quare dum Naturam, qua Timæum inscripsit Plato, seminariam virtutem quandam facit, atque a rebus naturalibus distinguit, id eo consilio potius ab ipso factum esse putauerim, vt Naturæ vim ac potestatem explicaret, quàm vt pertinaciter tueretur Naturæ nomine res naturales de quibus in Timæo agitur, non designari. Et quāquam neque hic locus esset de Naturæ essentia disputandi, summa tamen cōtradicendi libidine, qua Proclus non in Peripateticos solùm, sed in eos etiam ferebatur, qui in eadem quasi naui philosopharentur, factum est vt ipse hinc etiam intempestiuam obtrectationis occasionem arriperet, & in prima arena moræ impatiens, suas uires ostentaret. Quod tamen eius magno malo factum est: cum de aliorum decretis euertendis solicitus, in salebras de quibus dictum est, se ipsum Ficinúmque etiam simul coniecerit. Sed iam tandem ad dialogum propiùs accedamus, quem antequam ordiatur Plato, personas ad congressum introducendas proponit his verbis.

ΤΑ ΤΟΥ ΔΙΑΛΟΓΟΥ ΠΡΟΣΩΠΑ.

ΣΩΚΡΑΤΗΣ, ΚΡΙΤΙΑΣ, ΤΙΜΑΙΟΣ, ΕΡΜΟΚΡΑΤΗΣ.

DIALOGI PERSONAE.

SOCRATES, CRITIAS, TIMAEVS, HERMOCRATES.

DE TIMÆI personis: déque uerisimili & decoro.

VBI sanè videndum est quàm probè fecerit author, qui ijs vti voluit in Physica disputatione. Cum enim ex personis maximè decorum & verisimile in dialogo oriantur, obidque (vt Aristoteles Nichomachiorum tertio & Macrobius etiam primo Saturnalium præceperunt) verisimilis tuendi causa personarum habenda sit ratio, ratio quoque postulare videtur, vt ea primùm requiramus, quæ aut decori, aut verisimilis gratia ad personarum dignitatem in dialogo conseruandam requiruntur: tum quàm scitè in his inducendis laudē

quæ-

quæsierit Plato inuestigemus. Satis autem apertè (vt rem aggrediar) explicasse ea Cicero mihi videri solet, quæ tum pro decoro, tum pro verisimili tuēdo ad personas attinere videntur, cum eos qui ad disputationis certamen deducti fuerint, illúmque præsertim cui primæ in dicendo deferantur, authoritate plurimùm valere, ac scientia, ea præcipuè in re de qua dicendum sibi est, excellere debere indicauit. Etenim neque decoro, neque verisimili inseruire eum dixeris, qui plebeium hominem introduxerit, & earum quoque artium fecerit disputantem, quarum aut ignarus sit, aut ieiunus. Quamobrem ille quidem (quod ad authoritatem attinet) in Lælio sermones in hominum illustrium authoritate positos plurimùm grauitatis habere asserebat: atque ad Q. Fratrem cum scriberet, orationi quæ in libris de Republica haberetur, aliquid ponderis afferri censuit quòd P. Affricanum, C. Lælium, & L. Furium nobilitate, opibus, gloria, & authoritate præstantes in ijs loquerentur: & in libro de Senectute sese demum omnem sermonem Catoni tribuisse significauit, ut maiorem authoritatem haberet oratio. At uerò (quod pertinet ad scientiam) iure etiam Hortensium, Lucullum, & Catulum viros quidem nobiles authoritatéque præstantes ab Academicis disputationibus auocauit, rémque totam ad Varronem traduxit, quòd illi in subtilioribus Academicorum quæstionibus ac studijs minimè versati eßent, hic verò eorum dogmata & controuersias pertractasset. Atque hac etiam de causa cum Catoni in libris de Senectute primis delatis maiori eruditione eum loquentem fecisset, quàm ipsemet Cato in ijs quæ hominum memoriae consignasset, facere soleret id totum Græcis literis tribuendum monuit, quarum in senectute fuerat studiosißimus. Atque hac quidem ratione personarum authoritate ac scientia decorum & verisimile in suis dialogis conseruauit. Iam igitur cum personarum authoritas & eruditio maximè spectanda sit in dialogo, age videamus an rectè hac in parte se gesserit noster Plato, qui Socratem, Timæum, cæterósque quos commemorauimus, introduxit in eum. Accuratißimè, vt ego quidem sentio, ac sapienter sese geßit Plato: nam si eruditionem inquiramus, Timæo primas dedit, qui ex celeberrima atque eruditißima Pythagoræ officina prodierat: atque inprimis præclarè quaedam de ijs ipsis conscripserat de quibus sibi dicendum foret. Quare quemadmodum M. Tullius cùm Attico scriberet, se ad res Academicas disputandas Varronem traduxiße testatus est, quòd hic obscurißimas Academicorum quaestiones tractasset: ita Plato de Natura Timaeum loquentem fecisse voluit, quòd in Natura contemplāda, quemadmodum etiam supra commemorauimus, esset exercitatus. Quòd si in ijs qui loquuntur, authoritatem spectemus, Platonis industriam atque artificium summopere probemus necesse est. Nam vt de Socratis existimatione sileam qui vel Apollinis oraculum laudatorem summum inuenit, quásnam ad Timaei, Hermocratis, & Critiae authoritatem illustrandam laudes excogitare potuit, quibus eos minimè cumulauerit? Timæus hic ex Locris (*inquit Socrates*) quæ Vrbs in Italia iustißimè gubernatur, nobilitate, & opibus præstantissimus, summis magistratibus & honoribus functus est, & ad summa Philosophiæ (*id quod eruditionis quoque ratio-*

tionem habitam docet) scimus hæc vtraque consequutum. Hermocratis etiam naturam, educationémque omnibus quæ diximus tractādis esse accomodatam, cum multis testimonijs moneamur, dubitare non licet. *His a Platone illorum quos loquentes facit, eruditionem & authoritatem quæsitam, ijsdémque dialogi decorum & verisimile, quæ omnia ex authoritate ac scientia oriri diximus, expressa satis apparet,* † *l. de dial.*

Sigonius in Platonem.

Quare non possum non vehementer mirari, quid in mentem venerit Carolo Sigonio viro alioquin satis erudito, cum personarum rationem hac in parte Platonem habuisse neget: siquidem (quod ad Timæum attinet) id falsum esse ex dictis satis superque constat: neque ob eruditionem solùm, sed ob eam etiam quæ ex morū probitate, personarúmque nobilitate exprimitur authoritas.

Confutatur.

Neque quidquam virium habet Sigonij ratio dum ait, Platonem suadere cupientem ea quæ in suis dialogis tradit, sua non esse sed Socratis, atque ab hoc sese accepisse omnia, in omnes congressus Socratem introduxisse: atque ob id personarum, quæ pertractandis rebus magno delectu arcessi debēt, rationem habere non potuisse: nam vt omittam in libris de legibus Platonem Socratis persona non vti: atque ea quæ Timæo & Atlantico continentur, quæque sub Hermocratis persona desiderantur, ad Socratem non referri, si res de quibus in singulis dialogis agitur, ac personarum quas ibi loquentes facit Plato, mores ac studia diligenter attendamus, comperiemus profectò in tanta dialogorum ac rerū varietate uix unquam accuratiùs haberi potuisse personarum rationem. Etenim (vt rem breuiter explicemus) cur de sanctitate disserens, de fortitudine, de temperantia, déque alijs omnibus quæ ad vitā & mores pertinent, primas referre Socratem voluit, nisi quia hunc eiusmodi studijs maximè deditum intelligeret; ob idque è Cœlo Philosophiam deuocasse, & in Vrbes & domos introduxisse diceretur? Cur de rerum natura, de legibus, déque rebus ab Atlantinis & Athieniensibus gestis agere aggressus, sermonis principatum Socrati negauit, nisi quia hanc rerum naturalium cognitionem non magni fecisse, déque rerum gestarum memorijs externorúmque populorum legibus cognoscendis parùm admodum fuisse solicitum; Timæum verò Physiologiæ, Critiam rebus gestis, Eleathem hospitem varijs gentium legibus hærere totos animaduertet? Quid præterea ad Sophistarum audaciam leuitatémque detegendam, elatámue eorundem sapientiam euertendam Socratis ir[onia] accommodatius excogitari potuit? quid ad ingenuos erudiendos eiusdem humanitate ac comitate præstantius? Et quanquā dum † *Xenopho (id quod Sigonium in eam sententiam impulisse sum aliquando suspicatus) negat Socratem, aut de cœli Naturæque rationibus disputasse vnquam: aut disciplinas ullas attigisse, quæ ad benè beateque uiuendum non pertinerent, ideóque turpiter mentiri contendit eos, qui illum de ijs disputaße voluerunt, non defuit (si* † *Gellio credimus) qui his Platonem imprudentiæ notari iudicarit, quòd fecerit Socratem de Physicis, Musicis, ac Geometricis disserentem, non idcirco tamen existimandum est Platonem haud habuisse decori authori-*

† *lib. 1. de dictis & factis Socratis sub initio.*

† *Gell. c. 13.*

thoritatísque rationem, quæ ex personæ eruditione oriuntur, nam vel Aristophanem cæterósque huiusmodi calumniatores significare voluit Xenophon, quos ex† Platone & †Aristophane ipso constat tales quasdam collocutiones de Socrate per contumeliam iactasse: vel si Platonem aliquo pacto perstringere voluit, id per inuidentiam potiùs ac temerè, quàm ratione fecit. Tantum enim abest vt Socrates de rebus physicis huiusmodíque alijs aut disputet, aut earum peritus videri velit apud Platonem, vt se harum rerum planè ignarum profiteatur: solúmque interrogationibus quibusdam alios interdum prouocet, vt ea exprimant, quæ de oblata quæstione sentiant. Atque hinc illud dialogi genus profectum est quod μαιευτικὸν, obstetricium, inquam, a Laërtio atque Galeno appellatur. Sic enim in ijs agit Socrates, vt alios ad animi conceptiones exprimendas obstetricis instar iuuare videatur. Quare in Theæteto (vt alia loca prætercream) Quin etiam (*inquit Socrates*) quod obstetricibus, idem & mihi accidit: sterilis sum, & sapientia vacuus: & quod mihi obiecerunt multi, quòd interrogem singulos, respondeam nulli, propterea, quia nihil habeam, quòd sapienter respondere possim, verè nimium obiectant: huius profectò hæc est causa: parturientibus succurrere Deus me cogit: generare prohibuit. Quocirca non sum ipse quidem vlla in re prorsus sapiens: neque extat aliquod meæ mentis inuentum ex me natum. *Ex quibus constat ea omnia a Xenophonte, si tamen Platonem calumniari voluit ac carpere, per iniuriam fuisse prolata. Poterat itaque iure Sigonius magnam hac in re Ciceroni laudem tribuere: fuit enim in decoro & verisimili exprimendo, atque in varijs dialogorum ornamentis quærendis studiosissimus: at cur Platonem hac in parte carperet, certè non habuit.*

† Plato in Apologia.
† Aristophanes in Nebulis.

Sed ad Macrobium deuenio, qui sub initio Saturnalium cùm ex illis quos ad disputationis cœtum introduxerat, nonnulli posteriore seculo prætextati essent, id se ea licentia facere ait, qua Plato etiam Timæum cum Socrate fecerat congredientem, cùm tamen non fuisset eodem tempore. Quare si in ratione potiùs quàm authoritate nitamur, noster author hac in re ex Macrobio non omnino carebit reprehensione: cum temporis quod ad uerisimile tuendum maximè facit, rationem haud habuisse uideatur. Atque ob id Carolus Sigonius libro de dialogo cùm uitiosum esse dixisset eos qui ob temporis interuallum in congressum uenire non potuissent, introducere, atque ea ratione Macrobium excusaret, quòd tantum authoritate ualeat Plato, ut id quod in ipso uitiosum atque absurdum sit, Macrobio sumere licuerit, Platonem non modò a tacita Macrobij calumnia non purgat, sed eius factum tanquam absurdum & vitiosum non dissimulanter admittit atque improbat. Verùm ut in præsentia concedamus eos ad dialogum non esse aduocandos quos eodem seculo haud fuisse constet, nescio quàm uerum sit Timæum ac Socratem eâdem aetate non floruisse: siquidem Timaeus Locrus unus fuit ex Pythagoreis, quos Plato in magnam Graeciam profectus conuenit, ac reconditarum rerum habuit præceptores: quod tum alij, tum præsertim Cicero luculenter testatus est, qui cum de contemnenda morte

Macrobius & Sigonius in Platonem.

Confutatur.

da morte disputaret, Platonem cum Locro fuisse, Pythagoreaque cognouisse affirmat. Immo verò Socrates in Phædone se cum Phylolao, quem Pythagoræ discipulum fuisse legimus, colloquutũ profitetur: ita ut facilè sit conijcere Socratis temporibus Timæum qui & ipse Pithagoræ auditor fuit, sospitem esse potuisse. Ac profectò mirarer Athenæum animaduertere tum Socratem adolescentem cum Parmenide iam sene introduci à Platone, tum Paralum & Xantippum Periclis filios, qui tamen cum Pythagora non introducuntur, sed cum eo loquuti commemorantur solùm, eiusdem ætatis cum Pythagora haud fuisse; de Timæo autem & Socrate, quos tanto apparatu introducit Plato, ac de rebus adeò præclaris atque arduis loquentes facit, ne verbum quidem habere, si ob ætatis interualla in congressum venire non potuerunt. Sed cum nec Macrobius nec Sigonius temporum inæqualitatẽ probauerint (quod tamen uel ob id eis erat agendum, ne Ciceronis à quo ipsi pendebant omnes, testimonium contemnere uiderentur) rem hanc dimittamus: ac iam tandem uerborum contextum aggredientes, Socratem audiamus, qui dialogum hunc in modum exorditur.

Particula I.

ΣΩΚΡΑΤΗΣ. ΕΙΣ, δύο, τρεῖς. ὁ δὲ δὴ τέταρτος ἡμῖν, ὦ φίλε Τίμαιε, ποῦ τῶν χθὲς μὲν δαιτυμόνων, τανῦν δ' ἑστιατόρων;

Socrates. Vnus, duo, tres, quartus autẽ o amice Timæe, eorum qui à me heri conuiuio accepti, vicissim me accipiunt nunc vbinam est? — Ficinus.

Soc. Vnus, duo, tres, quartus verò ille mi Timæe, qui heri conuiuarum vnus erat, nunc conuiuatorum esse debuerat, vbinam est? — Nouus interpres.

SOCRATES. Iam video tres ex ijs adesse, quos hesterno die conuiuio disputationis excepi. At verò quartus, amice Timæe, qui mutuas mihi rependat epulas, vbinam est? — Benius.

Comm. I.

Qua differẽdi ratione cõstet Timæi exordium.

HOC est dialogi exordium: cuius natura, ut quod attinet ad differendi rationem, plana omnino fiat, sciendum est duplici stylo ad rem sibi propositam accedere consueuiße Platonem: interdum enim rem de qua sibi agendum proposuit, subitò aggreditur, ac quos ad contentionem suscepit peragendam, sine vlla quasi armorum ostentatione aut præparatione ad ipsam disputationis palæstram certaménque traducit. Atque hac sanè ratione Hipparcum, Memnonem, aliósque nonnullos dialogos, conscripsit. Quare in Hipparco in quo de lucri cupiditate agere institutum illi erat, Socratem inducit, qui statim rem aggrediens, Hipparcum hunc in modum interrogat. Quidnam lucri cupiditas est, aut qui sunt lucri cupidi? *In Memnone etiam in quo de uirtute, & quomodo ea homini insit, inquirit, Memnonem ita primo dialogi in limine loquentem facit.* Potes ne mihi ostendere Socrates doceri virtus posit necne, an exercitatione potiùs acquiratur? *Interdum uerò non statim rẽ aggreditur: sed quibusdam tanquam leuis armaturæ excursionibus præmissis ad contentionem disputationémque descendit. Ac talem conscribendi rationem in Amatorio, in Parmenide, in Protagora, atque in maiore dialogorum parte adamauit. Quamobrem in Amatorio cum de Philosophia disputatu*

rus

rus esset, sic dialogum orsus est. Socrates. Dyonisij Grammatici ludum ingressus, iuuenes quosdam vidi honesta indole, claris ortos parentibus: cúmque ijs vna etiam eorum familiares. *Hæc aliaque multa præmittens, paulatim ad contentionem descendit.* In *Parmenide uerò in quo de uno omniũ principio uerba facit* Cum domi (*inquit Cephalus*) è Clazomenis Athenas profecti essemus, iuxta forum Adimantum & Glauconem offendimus: & manum meam prehendens Adimãtus, salue, inquit, o Cephale. *Hæc atque alia permulta hîc quoque præfatus est Plato, antequam propositam attingeret disputationem. sicque in Protagora & in multis alijs dialogis. Atque hoc sanè stylo Timæi exordium confectum est. antequam enim ad Vniuersitatis tractationem descendat Plato, longa sanè inter Socratem & cæteros qui ad dialogum traducti sunt, habita est oratio: in qua perinde atque in tractationis progressu factũ est, non acrem & pugnacem amauit stylum: sed remissum ac perpetuum ferè sermonem qui expositione continetur: quemadmodum in Phædro, & in libris de Republica & legibus maxima ex parte fecit: cum in cæteris dialogis aliud propè semper tractationis genus sequutus sit, quod inquisitione constat, interdúmque etiam ex inquisitione atque expositione mixtum est ac temperatum. Atque hæc de forma & ratione præsentis exordij. Quod ut antequam explanandum aggrediar, sic partitione complectar, ut de singularum partium materia atque argumento planiùs constet; in quatuor partes secari commodè potest: in quarum prima ex rerũ dicendarũ præstantia (in vniuersũm tamen) attentos efficit legentium animos: ac simul opportunitatem requirit, qua ut primùm posita ea fuerint de quibus sigillatim agendum sit, habitis de Republica disputationibus posteras coniungere possit. In secunda huiusmodi opportunitatem sibi comparat: atque huius rei gratia epilogum eorum facit quæ de Republica in Piræo disputata, siue in Vrbe repetita fuerant: quo peracto, inde statim aggreditur dicendis aditum patefacere: nam Socrates id ponens quod iam cuperet explicari, ad Atlantinam Solonis disputationem aditum Critiæ sternit. In tertia uerò Critias ipsam Atlanticam Solonis historiam (si tamen historia potiùs est quàm commentum ac fabula) incipit recensere, ex ijs quæ tractanda statuerat Socrates occasionem arripiens: & idcirco etiam nouam hanc disputationem politicis nectit, atque ad eundem quasi scopum omnes referri significat. In quarta demum perfecta quædam communísque rerũ dicendarum inuentio ac propositio continetur. Nam quemadmodum Atlanticæ historiæ argumentum vniuersúmque Solonis sermo obtigerat Critiæ, ita denique Timæo atque Hermocrati certæ tribuuntur partes, quas singulis disputationibus singuli tueantur. Ob idque statim Timæus diuino numine inuocato suam disputationem aggreditur. In his quatuor partibus totius exordij præparationísque cardo uertitur: hæcque breuis est eorum quæ in eo habentur summa, quemadmodum in dialogi processu ostendetur apertiùs. Quanquam si hæc eadem (id quod iam ostendimus in libro tertio) cum Atlantico ac cæteris illis dialogis coniungatur, unum*

Eiusdem exordii partitio & argumentum.

eundémque scopum habent propositum: ac propterea non exordij solùm sed etiam rei subiectæ locum obtinet. Atque idcirco etiam paulò vberiùs explicabimus partes singulas: duabus prioribus quintum hunc librum, duabus posterioribus sextum attribuentes. Interim ad propositam exordij partem reuertamur, in qua Socrates eos omnes enumerat qui secum ad futuram disputationem conuenerant, ac simul ex Timæo de quarto quodam inquirit, qui cum superiori disputationi interfuisset, nunc aberat.

PRIMA Procemij pars: in qua quatuor quæstiones ponũtur explicandæ.

Quo in loco multa occurrunt consideranda: ac primò quidem quo consilio proximæ disputationis conuiuio præter Socratem tres socios ac consortes decernere voluerit Plato. Deinde cur eos enumerauerit: tertio quid ei causæ fuerit, vt & quartum illum fecerit absentem, quem Socrates superiori conuiuio a se dicit exceptum: & eundem etiam quæsierit: quarto ac postremò, cur ex Timæo potiùs quàm aut ex omnibus, aut ex aliquo cæterorum absentem illum requirat. Hæc sunt quæ ad propositæ periodi artificium intelligendum quæri posse videntur: nam si quid superestit cuius explicatio ex iisdem verbis pendeat, considerabitur postea. At verò quoniam Græci interpretes varios sensus, tum ad mores, tum ad Physiologiam Theologiámque attinentes his ex verbis depromere impensissimè studuerunt, idcirco vos monitos velim, me ab hoc philosophandi genere omnino abstinere instituisse. Si enim omnem Platonis disputationem ad eorum sententiam & cognitionem retulero, quæ splendida literae facies postulare videtur, atque vniuersum artificium quo oratio ipsa continetur, quantum in me est patefecero, satis muneri meo fecisse existimauero. Quanquam ne alicui videar interpretis deesse muneri, qui eiusmodi sensa prætermittam, in prima hac proœmij parte totus ferè in his Platonicorum mysterijs ero: ij enim (vt verè atque ingenuè fatear) ocio abutentes ac literis, importunis mysterijs seu veriùs nugis, augustissimum hoc Timæi proœmium cumularunt: eiusdem interim artificium contemnentes, in quo eloquentiæ atque prudentiæ lumina elucent quammirificè. Quamobrem omnino faciendum putaui, vt hasce nenias atque commenta ab ipso initio detegerem, frigidúmque hoc explanandi genus exploderem: quod quàm expediat ingenuè philosophantibus, quámque optimis rationibus perfici possit ex ijs maximè constabit, quæ duobus proximis commentarijs fusissimè disputabimus. Ex quo etiam fiet vt si deinde a nobis in commentariorum progressu huius generis mysteria vix strictim, ac non sine nausea attingi viderit lector, aut etiam per risum ac iocum refelli, id verò non temerè sed iure optimo (vt scilicet eum his tricis ac nugis quamcitissimè expedirem) factum esse intelligat. Sed iam videamus cur tres illos quasi conuiuas vna cum Socrate hic adesse voluerit Plato.

Explicatur prima.

Qua in re Proclus† hunc dialogum Pythagoreo more institutum esse admonens, Pythagoreorũ quoque decreta hinc eruere contendit: atque ob id cum naturali quadam significatione, explicasset, cur a numero principiũ duceret Socrates, docuissétque dialogũ quippequi naturalis est, a numeris fuisse ordiendũ quibus res Physicæ ex Pythagoreorum sentẽtia comprehenduntur, statim explicaturus cur ternario numero potissimùm vsus sit, ad Theologicam

†l. 1 pag. 6.

cam rationem confûgit, tradens ſenſiße Pythagoricos διὰ τῶν πρώτων, καὶ ἡγεμονικῶν ἀριθμῶν, per primos, inquam, ac principes numeros omnia eſſe procreata, atque vniuerſis rebus, quæ in Mundo ſunt, à tribus Dijs ὑπόστασιν (tu ſubſtantiam ſeu cohærentiam dixeris) fuiſſe tributam, & idcirco Platonem à ternario numero, quoniam trium De rum ſpeciem quandam præſeferret, ordiri voluiſſe. His addit Platonem primum fuiſſe, qui finalem & exemplarem, quas vocant, nec non effectricem cauſam inuenerit & explicarit: atque ob id per huiuſmodi numeros haſce cauſas proponere voluiſſe: finalẽ quidem per vnitatem: exemplarem per dualitatem: effectricem per trinitatem. Hæc Proclus. Cuius ſententiam ſequutus Foxius, inde confirmat, quòd cùm Pythagorici † Ariſtotelis teſtimonio ternarium numerum inuocarent, ſummámque in eo diuinitatem ſtatuerent, iure optimo Plato, vtpote Pythagoricæ diſciplinæ ſtudioſus, à numero ternario exorſus ſit. Sed vtinam hæc tam verè dicta eſſent, quàm ſubtiliter excogitata: nam licet concedamus Proclo voluiſſe Pythagoreos per principes numeros omnia fuiſſe procreata, atque à tribus Dijs rerum natura conſtantium cohærentiam emanaſſe: tamen nimiæ licentiæ eſt tam abſtruſos ſenſus ex huiuſmodi numeris eruere: præſertim verò quoniam ſi Platoni in animo fuiſſet hæc de Vniuerſitatis origine indicare myſteria (quanquam tam mira obſcuritate nequaquam erat audendum) non antea id feciſſet, quàm inter eos qui ad diſputandum conuenerant, ſtatutum eſſet de Vniuerſitatis ortu eſſe dicendum. Huc accedit, quòd ſi per ternarium numerum tres cauſas, trésque Deos hoc in loco intelligamus, nullam rationem afferre poſſumus, ob quam quartus ille à reliquis ſocijs aut ſegregatus pronuncietur, aut abſens requiratur: nam ſi quis aſſereret ea de cauſa ſegregari atque requiri, vt amicitiæ leges deſcribantur, quemadmodum voluit Proclus dum quarti abſentiam ad moralia præcepta † traduceret, is profectò nouum Protheum moliretur: cum huiuſmodi numeri non ita diſſidentibus ſignificationibus coniungi, ſed ad definitam quandam ſententiam referri debeant. Mitto ex Pythagoricis Vniuerſitatis opera alijs quoque numeris contineri: nonnulla præterea lineis potiùs ac figuris componi: anima enim non modò ex ternario, ſed ſenario aliiſque quamplurimis numeris conſtitutam, elementa verò varijs triangulorum generibus conflata apud Pythagoreum Locrum reperies. Mitto etiam quaternarium numerum hac ipſa de cauſa apud Pythagoricos magno fuiſſe in honore, immo ſanctiſſimum eſſe iudicatum: quemadmodũ Nazianzenus oratione in ſanctam Pentecoſten, ac Plutarchus libro primo de placitis Philoſophorum luculenter teſtatus eſt. ob id enim iuſiurandum vel per eum concipiebant qui quaternarij myſteria tradidiſſet: & hunc eundem numerum rerum cauſam atque perennem fontem appellabant. atque ob id etiam cecinerunt.

Ναὶ μὰ τὸν ἡμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν
Πηγὰν ἀεννάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν. hoc eſt

Teſtor eum numeri nobis arcana quaterni
Qui tribuit rerum cauſæ fontíſque perennis.

Et idcirco etiam animam ex tetrade, ex quaternario, inquam, conflabant:

Mitto

† Ar. lib. 1. cœl. t. 2.

† pag. 5. ſuſtè.

† cap. 3.

Mitto denique quæ in Proclũ rursus vrgeri possent ex Hierocle qui Pythagoreã doctrinam apprimè calluit: siquidem de quaternario sic scribit. Κριτικαὶ δὲ δυνάμεις ἐν τοῖς οὖσι τέσσαρες, Νοῦς, ἐπιστήμη, δόξα, καὶ αἴσθησις. κρίνεται γὰρ πάντα, τὰ ὄντα ἢ νῷ, ἢ ἐπιστήμῃ, ἢ δόξῃ, ἢ αἰσθήσει. καὶ ἁπλῶς, τὰ ὄντα πάντα ἡ τετρὰς ἀνεδήσατο, στοιχείων, ἀριθμῶν, ὡρῶν τοῦ ἔτους, ἡλικιῶν συνοικισμῶν. καὶ οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ὃ μὴ τῆς τετρακτύος, ὡς ῥίζης καὶ ἀρχῆς ἤρτηται. ἔστι γάρ, ὡς ἔφαμεν, δημιουργὸς τῶν ὅλων. *hoc est.*

Et quidẽ in tota rerũ vniuersitate quatuor sũt iudicandi facultates: nimirũ Mens, scientia, opinio, sensus. quicquid enim iudicatur, aut mẽte iudicatur, aut sciẽtia, aut opinione, aut deniqne sensu: & in vniuersũmquicquid est, id quaternarius numerus colligauit siue elemẽta spectes, siue anni tempestates, siue ætatũ constitutiones & cõiunctiones. Nec proferri potest quicquam quod à quaternario tãquam ab radice initióque nequaquam pendeat. est enim, vt diximus, opifex & causa rerum omnium. *Hæc, inquam, Hierocles. Quæ omnia satis ostendere possent non idcirco à ternario numero omnino incipiendum fuisse, quòd eo rerum omnium natura constantium substantia ex Pythagoræ sententia coërceatur. Atque hæc fermè ipsa Foxio obijci possunt, dum in Procli sententiam reuoluitur. Nam quod ait iure à ternario numero ordiri Platonem quòd Pythagoreorum disciplinæ studiosus esset, qui ternarium numerum & inuocare solerent, & summam in eo diuinitatem collocarent, id verò si inter inuocandum huiusmodi numeri mentionem aliquo modo vsurpasset Plato, scitè obseruasset Foxius. Sed cum nihil minùs faciat hic Plato, frigidum mihi commentum videtur: cum præsertim non Pythagoricum Timæum, sed Socratem, qui Pythagorica instituta minimè callebat, isthæc loquentem faciat: ac paulò post, vbi Timæus idcirco inuocat diuinum numen, quòd iam de Vniuersitatis ortu dicendum esse statutum fuerat, longè opportuniùs hoc mysterium ternarij vsurpatione subindicare potuisset, si tamen id ei fuisset in animo. Quamobrem ne ipsi germanam literæ sententiam ac* πεχρονο.. αν *cum istis contemnentes, ad tam reconditos, seu commentitios potiùs futilésque sensus confugiamus, statuendum erit, tres quidem esse illos qui disputationis conuiuio vnà cum Socrate accersere voluit Plato, pro earum numero quæ obeundæ ac peragendæ restabant disputationes: cum enim quatuor in vniuersum totidem sermonibus (vt in dialogi introductione manifestauimus, ac paulò post etiam patebit) præstare author instituisset: primúmque (vt vidimus) iam per Socratem in libris de Republica absoluisset, tria suscipienda perficiendaque succedebant. itaque cum singula singulis quasi actoribus commendare, totidémque ea disputationibus peragere decreuisset, iure tres Socrati ad disserendum suffecturi, ad dialogum in præsentia aduocantur. Et hinc est vt in præparationis progressu tribus illis quasi capitibus, de quibus dicendum esset, inuentis atque constitutis, ea inter sese tres illi, Timæus scilicet, Critias, & Hermocrates partiantur: ac mutuis disputationibus (id quod propositam quæstionem ab omni dubitatione vindicat) explicanda recipiant.*

Explicatur tertia.

Sed iam inquiramus, quæ causa fuerit, vt Socrates eos qui conuenerent, enume-

enumerans, quartum hunc superiori colloquio interfuiße significet, eundémque rursum ab hodierno absentem pronunciet atque requirat: cum præsertim eo in superioribus disputationibus (si tamen vera sunt ea quæ pro dialogi introductione ex Platone *ipso præfati sumus) nequaquam sibi foret vtendum. Abstrusa quidem inquisitio, immo verò curiosa alicui videri facilè poßet: sed profectò omnino est neceßaria. Cum enim turpe sit existimare id temerè à Platone factum eße, reliquum est, vt vniuersum dialogi artificium, doctrinámque ipsam percipere cupienti, Platonis consilium hac in re quoque sit agnoscendum. Neque verò, vt rem aggrediar, existimandum est eo consilio Platonem de quarto illo vbi sit sciscitari, vt veritatis rationem habeat: quia videlicet reuera habita fuerit disputatio, ac proinde quartus hic, quippequi illi adfuerat, neque adhuc cum cæteris ad proximam conuenerat, in præsentia desideretur: constat enim dialogorum doctrinam non eam esse quæ dum aliquorum sermones recenset, immo verò homines tanquam sapientiæ negociatores inducit, neceßariò addicta sit veritati sermonum quos immitari videtur. Id autem ex* Parmenide *perspici potest, vbi author Parmenidem cum Socrate congredientem, déque grauissimis rebus disputantem facit, quorum ætates (si Macrobio, aliisque nonnullis credimus) ita annorum spatio disiunctæ erant, vt Socratis pueritia vix Parmenidis senectutem attigerit: ac proinde ad disputandum congredi nullo modo potuerint. Quod si quis asseret Platonem cum ad Parmenidis initium Socratem ad disputandum traduceret, hunc eo tempore admodum iuuenem fuiße sub Cephali persona fateri quidem: idque etiam Socratem ipsum profiteri, dum se adolescentem cum Parmenide iam sene colloquutum in Sophista testatur: refragari autem dicentibus infantem atque omnis disciplinæ fuiße expertem: atque idcirco congressus sermonúmque veritatem à Platone in dialogo neglectam hinc apparere neget, huiusmodi veritatis rationem haud qnanquam habuisse Platonem saltem aliunde discat: ac præsertim ex † Athenaeo, qui cum de* Platonis *ac* Xenophontis *contentione loqueretur quam in conuiuijs scribendis ostendissent, scribit* Phædonem Platonis Phaedone, *ac Gorgiam Sophistam eiusdem* Platonis *Gorgia lecto, negasse sese aliquid eorum protuliße vnquam quæ ipsorum nomine traderentur. vt acutè quidem ac salsè Timon quasi* Plato *ἀπὸ τοῦ πλάττω, quod est fingo (quanquam interpretem deficit vis omnis dicacitatis) dictus esset, de eo cecinerit.*

† *Ath. lib. 11. c. 21.*

Ὡς ἀνέπλαττε Πλάτων πεπλασμένα θαύματα εἰδώς;

Vt conficta Plato astutus miracula finxit?

† *ex Laër. in Plat.*

Quin Socrates etiam Platonis *dialogis quibusdam inspectis dixisse fertur. ò quàm præclarè de me multa mentitus est hic adolescens? Atque hanc ipsam veritatem in dialogo neglectam optimè significauit Cicero, qui cum ad Varronem scriberet, quem in Academicis quæstionibus loquentem fecerat,* Puto *(inquit) fore vt cum legeris, mirere id nos loquutos esse inter nos, quod nunquam loquuti sumus: sed nosti dialogorum morem. Atque ex his omnibus satis superque constare arbitror quartum hunc non idcirco desiderari, quia habitae disputationis rationem habendam author ipse existimauarit.*

Refelluntur veteres quidam Academici.

Itaque nullo modo probare poßum Aristoclis, Ptolomæi, Dercyllidisque sententias: quorum primus † contendit absentem illum fuisse Theætetum: idque (si perobscuram eius rationem rectè sum assecutus) ob id potissimùm quia γνώριμος ἐγεγόνει τοῖς ἐκ τοῦ ἐλεγκτικοῦ διδασκαλείου, *familiaris, inquam, euasisset eorum qui in redarguentium Schola versarentur: alter † verò Clitophontem quòd in eo dialogo qui Clitophon inscribitur, Socrates eũ indignum iudicauerit cui responderet: postremus Platonem, quòd in Phædone idcirco cum Socrate haudquaquam fuiße dicatur, quoniam ægrotaret. has inquam sententias probare nullo modo possum: nam vt omittam superuacaneum eße de absentis persona ac nomine tantopere altercari, cum commentitius fuerit conuentus ille ac disputatio, Theætetum sanè aut eorum aliquem, de quibus isti, absentem statuere nisi temerè non poßumus & ineptè. Ac quod attinet ad Theætetum, licet veri rationem habitam à Platone concedamus, res aperta est, si ijs quæ ipse Plato in libro de scientia de illo tradidit, fidem habeamus. Etenim cum scribat Theætetum Socratis tempestate fuisse adolescentulum, vixque puerilia disciplinarum attigisse rudimenta, constat non potuisse aut res graues tractare, quales Socrati, Timæo & cæteris commißas legimus: aut ijsdem sine disciplinarum contemptu intereße. His etiam accedit, quòd Socrati vix eo tempore perspectus ac cognitus fuit Theaetetus, quo illi fuit de vita decedendum: id enim ex eo qui Theæteti nomine inscribitur libro animaduertitur, vbi exponitur Socratem paucis diebus ante mortem cum Theæteto adolescentulo colloquutum fuisse, ac puerilibus quibusdam eum interrogatiunculis compellaße. Quod verò attinet ad Clitophontem, grauiter errasse Ptolomæum certissimum est, neque ob id solùm, quòd Clitophon dialogus ex quo suam coniecturam atque adeò vaticinium ducit Ptolomæus, nec Platonis fuisse creditur, nec inter Platonicos dialogos enumeratur: sed etiam, quia si ea ratione statuit absentem illum fuiße Clitophontem, quoniam indignus à Socrate censeretur, cui responderet, cur igitur præclaris de Republica colloquijs admißus fuisse dicitur? cur requiritur? cur aliquæ etiam partes fuerunt ei delatæ, quas proximis disputationibus sustineret? cur excusatur, atque eo præsertim nomine quòd non sponte absit, sed inuitus? Cur denique Timæo, quem paulò post eximiæ eruditionis fuiße docet, summisque laudibus extollit; eius qui ignarus ac ne responsione quidem dignus haberetur, partes deferuntur? Platonem etiam absentem faciens Dercyllides absurdus est. neque ea solùm de causa, quia nullo modo est verisimile absentis illius nomine seipsũ indicare voluiße Platonem, quasi verò aliquas sibimet tuendas imposuißet partes, sed etiam quoniam id quod pro sua opinione attulit Dercyllides, cum tempore non consentit: tametsi enim Plato ijs diebus ægrotasse dicitur, quo Socrates venenum sumpsit in Carcere, non idcirco tamẽ in absentis loco haberi debet cùm extra carcerem, atque diuerso admodum tempore hæc disputatio habita significetur. Atque in eâdem ferè naui est Atticus, dum absentis nomen vaticinari haud quaquam ausus, aliquem tamen Timæi socium fuiße † contendit: etenim si ea vera sunt, quibus propositum Socratis & aliorum congreßum, atque colloquium commentitium fuisse probatum est, commentitium*

Aristocles.

Ptolomæus.

Dercyllides.

Atticus.

† Apud Proc. pag. 7. ad ym.

† Pt. apud Proc. loc. cit.

† Derc. ibidem.

† Apud Proc. p. 7. ante m

tium quoque erit quartum illum, qui tanquam absens requiritur, Timæi fuisse socium. Sed iam Porphyrium audiamus, qui rem hanc morali significatione † explicans scribit Platonem per huius absentiam quam morbi nomine excusat, καθῆκον ἀπογράφεσθαι, *officium describere, atque docere nos voluisse prudentibus eruditisque viris ab huiusmodi disputationum cœtu per aduersam valetudinem tantùm abeßẽ licere. Verùm etsi hæc expositio planum literæ sensum non ita turbat, quemadmodum faciunt superiores, ostẽdi tamen potest eam Platonis consilio aduersari, ac denique omnino eße repudiendam. repudienda quidẽ est, quia quamplurima alia sunt ob quæ à disputationibus, licet grauissimis, sine vlla criminis nota abesse licet, vt si quis diuini cultus ac religionis munera pertractet, vel iustitiæ Reipublicæque administratione detineatur. abhorret autem à Platonis consilio: nam si concedamus ab huiusmodi disputationibus absentes vna inualetudine poße purgari, Platonẽ suimet immemorẽ fateamur necesse est, cũ † Cephalum à nobili illa disputatione quã paulò ante de Republica habuerat, non ob inualetudinẽ vacare permiserit, sed vt curaret sacra. Iãblichus autem † existimauit Platonem à physica disputatione quartum hunc feciße absentẽ vt significaret* τοὺς περὶ τὴν νοητῶν θέαν ἐγγυμνασμένους ἀσυμμέτρως ἔχειν πρὸς τὴν περὶ τὰ αἰσθητὰ διατρίβειν. *Illos, inquã, qui in earum rerum cõtemplatione versantur, quæ sola intelligentia percipi possunt, nõ ita affectos esse, vt aptè possint in eas res, quæ sensibus obijciuntur, incumbere: nã quemadmodum, inquit, ij qui in puro lumine sunt educati, vbi specus aliquod ingressi fuerint, ob caliginem ac tenebras cæcutiunt: ita eos qui se contemplationi tradiderint earum rerum quæ solus animus attingere potest, vbi ad res sensui expositas mentis aciem deflexerint, cæcutire & caligare necesse est. Sed esto res æternas indagantes alieni sint ab ijs rebus quæ sub sensum cadunt: seque etiam abdicent ab ijsdem: at qua ratione quartus hic, dum ægrotare dicitur, eum designare poterit, qui in rerum æternarum contemplatione versatur? Vidit sanè Iamblichus suam sententiam hac ratione euerti poße, atque hinc euinci Platonem per quarti quem ægrotum facit, absentiam, haud innuere voluisse rerum æternarum studiosis caducarum cognitionem esse spernendam: atque ob id è vestigio huic vt occurreret argumento, aiebat excellentiam quoque virtutis ac facultatis illorum qui in rerum æternarum contemplatione versantur, morbum & langorem existimandam eße: cum eos ad inferiora infirmos & languentes reddat. Sed hæc opinio, mea quidem sententia, sustineri non potest: nam vt ea praeteream, quæ illi ex Ammonio obijcit Proclus, primò eâdem qua aßeritur, ratione ac facilitate refellitur, quia nimirum illius, qui sublimioribus studijs dat operam, natura non ea est, quæ morbi nomine significanda sit. quare dum ad ea quæ sub aspectum cadunt, conuertere animum recusat, potiùs benè firmus, atque optimè valens, quàm languens & imbecillus dicẽdus est. Vt igitur ad eum qui fruitur rerum aeternarum contemplatione, morbus hac ratione nõ est traducendus: sic etiam qui aduersa valetudine detineri existimatur, contemplationi deditus censeri non debet. Deinde apertè affirmat Plato hunc quem absentem facit, politicæ disputationi, dum scilicet*

Porphyrius.

† pag. 7. apud Proc.

† lib. 1. de Rep.

† apud Proc. p. 6. ad f.

Iamblichus.

repeteretur, interfuisse: hanc autem si circa ea versari ambigas, quæ sensu percipiuntur, haud tamen affirmare possis ea cōplecti, quæ & solo animo concipiantur, & excellentiora sint ijs de quibus in Timæo disputatur. Quamobrē cùm politica disputatio præsenti aut acuratior, aut illustrior existimanda non sit, nihil est quòd arbitremur quartum hunc induci absentem, vt intelligamus eum qui rerum æternarum contemplationi addictus sit, à physica disputatione animum auocare debere. præterea certum est hunc non nisi inuitum pronunciari absentem: quod sanè de eo minimè fuisset enunciandum, qui à rerum æternarum contemplatione ad naturalia animum conuertere recusaret: hic enim iucundissima earum meditatione oblectatus, sponte potiùs quàm inuitus à physicis conquirendis vacaret. Denique certum est Timæum in Physiologiæ studijs maximè fuisse versatum, atque hoc nomine hic à Platone celebrari: quare si verisimilis ac decori in dialogo habenda est ratio, ille qui per huiusmodi absentiam rerum æternarum contemplationi deditus ab authore designaretur atque effingeretur, non debuit Timaei socius fieri, ac multo minùs illius partes aut eidem Timaeo erant iniungendae, aut ab eo qui planè diuersis studijs detineretur suscipiendæ. omni igitur ex parte haec Iamblichi opinio videtur absurda. Atque ob id Proclo assentiri nullo modo possum, qui Iamblichum longè meliùs quàm Porphyrium hac in re sentire contendit.

Ammonius & Galenus.

Ammonius verò multa hac de re † conscripsit, partim quidem vt Iamblichi opinio[ni]onem euerteret, partim vt ostenderet necessariò pauciores Timaei auditores fuisse constituendos, quàm Politiae: ac proinde iure Platonem à Politicis sermonibus ad Physicos progredientem effecisse, vt quartus hic sese abdicasse videretur. Primùm itaque ὅσῳ *(inquit)* αἱ ἀκροάσεις περὶ σεμνοτέρων γίνονται, καὶ ὑψηλοτέρων πραγμάτων, τοσούτῳ τὸ μὲν τῆς ἀκροάσεως ἐλαττοῦται πλῆθος, μυστικώτερον δὲ καὶ ἀπορρητότερον πρόεισιν ὁ λόγος. *id est:* disputationes quò grauioribus atque sublimioribus in rebus versantur, eò minore auditorum numero constare solent, ac per maius mysterium sententiásque magis arcanas procedit oratio. *Atque ob id statuit disputationi: quæ primo de Republica habetur, plurimos interfuisse auditores, & sex inter cæteros proprio nomine appellari: in secundo autem libro in quo Socratis institutio promulgatur, quatuor tantùm adesse, qui sermones excipiant. Timæum verò quippe qui potioribus mysterijs contineatur, ac magis arcanos sensus persequitur, vt ad Monadem propiùs accedat, tres tantùm auditores retinere. Verùm licet senserim hanc Ammonij opinionem à Proclo celebrari, ac cum Galeno etiam magna ex parte consentire, qui initio libri de substantia naturalium facultatum contendit Platonem in Timæo naturalem contemplationem paucissimis auditoribus aperire qui ad scientiam accommodatos sermones percipere valerent, multa tamen efficiunt, quo minùs illi assentiar: ac primùm illius ratio Platonis consuetudini parùm admodum consentit: Parmenides enim plurimos habet auditores quàm Timæus, cùm tamen non de rebus naturalibus, sed de primo rerum omnium principio ac de Ideis disserat: proindéque longè secretioribus ac splendidioribus mysterijs constet. Deinde Politia eiusdémque repetitio*

eadem

† apud Procl. p. 7. m.

eadem planè tractant: & tamen in politicos libros longè plures auditores introducuntur, quàm in repetitionem: falsò itaque assumit Ammonius Platonem auditorum numerum minuere solere, cum magis recondita ei sint pertractanda. Id quod ex eo etiam falsum esse ostenditur, quoniam si eo consilio auditorum numerum imminuere, absentémque illum facere voluisset, statim post Timæum, vbi ad Reipublicæ institutionem reuertitur, & historiam illam recenset, vnde normam cogitabat effingere ad quam bellica munera tractanda essent à sua Republica, auditorum numerum augere debuisset: cum ex Ammonij sumptione Reipublicae institutio minùs arcanos sensus complectatur quàm Timæus: & oratio eò debeat maiore auditorum numero cótineri quò minùs habet mysterij. Cum igitur Plato auditorum numerum non imminuerit, profectò id quod ei tribuit Ammonius, ne cogitaße quidem dicendus est. Addit deinde hic interpres in libris de Republica summo cum certamine disputari: in Timæo autem remiße ac leniter de Vniuersitate agi, atque ob id minorem in Timæo auditorum numerum fuiße accersendum, proindéque etiam contigiße, vt cum indefinitos illos Politicæ disputationis auditores ad definitum quaternarij numerum redegißet (id autem in Politica repetitione fecisse Platonem ex Timæi introductione satis constat) demum ad rerum naturalium conquisitionem tres tantùm conuocauerit auditores. Sed hæc ratio parùm admodum mihi probatur: nam libri de Republica (si tres priores exceperis) leuissimo potiùs quàm summo certamine conscripti sunt: ita vt à Sigonio inter eos dialogos relati fuerint, qui remisso ac perpetuo ferè sermone continentur. Quare nihil est cur hac de causa statuat Ammonius in Politicis libris magnum atque adeò indefinitum auditorum adeße numerum: in Timaeo verò hunc ipsum numerum contrahi. Sed esto libri de Republica summo cum certamine sint conscripti: Timaeus autem omni careat contentione: quid praeterea consequitur, cum Plato Eutyphronem, Hipparcum, Philebum, Gorgiam, magnam denique partem dialogorum summa contentione conscripserit, & tamen aut parem aut minorem auditorum numerum ad eos ferè semper traduxerit, quàm in Timæo adesse videamus? Proclus autem, licet ei maximè Ammonij probaretur opinio, tamen dum in eâdem explicanda digrederetur, illuc tandem † deuenit, vt existimauerit eos quibus ob animi infirmitatem diuinos sensus percipere minimè licet, ab altioribus conuentibus esse segregandos: atque ob id quartum hunc quippe qui sese tantopere extollere non valeret, quantopere praesens requirebat disputatio, absentem pronunciari. Sed quia videbat Proclus huius absentiam ea ratione purgari, quoniam non nisi inuitus abesse diceretur, atque ob id morbi nomine notari non posse tanquã præsenti cœtu esset indignus, acutè sanè ijs occurrẽs, ostẽdere nitebatur et inuitũ, & ob animi infirmitatẽ ab huiusmodi cœtu abeße potuisse: atque idcirco subtiliter disputabat. ὅπου δὴ χώραν ἔχει καὶ τὸ ἀκούσιον. ἑκούσιον μὲν γὰρ πᾶν τὸ μειζόνως ἡμᾶς ὠφελοῦν. ἡ δὲ τῶν τελεωτέρων ἀποπτῶσιν, ἀκούσιον. Μᾶλλον δὲ αὕτη μὲν οὐχ ἑκούσιον. ἡ δὲ οὐ μόνον ἀποστᾶσα τῶν μειζόνων ἀγαθῶν, ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν ἀπειλείαν ὑπενεχθεῖσα τῆς κακίας, ἀκούσιον. Διὸ καὶ ὁ Τίμαιος, οὐχ ἑκόντα φησὶν ἀπολείπεσθαι τῆσδε τῆς συνουσίας τὸν τέταρτον.

† par. 7. ad f. & in seq.

Proclus.

γὰρ οὕτως ἀπολελείπεται ὡς ἀπόστροφος παντὶ θεωρίας, ἀλλ' ὡς τὰ μείζω μυεῖσθαι μὴ δυναμένης. *Hoc eſt.* Vbi quoque locum habet propria illum voluntate abfuiſſe: voluntarium enim illud eſt quod maiore nobis ex parte prodeſt: recedere autem a perfectionibus eſt inuitum: ac potiùs hic abſceſſus inuitus eſt. Quin etiã abſceſſus nõ à maioribus ſolùm bonis, ſed etiã in mala ſe infinita ſubducens, volũtarij ratione caret. Quamobrem Timæus quoque negat quartum illum ſponte abeſſe ab hoc cœtu: neque enim abfuit veluti omnino alienus ab huiuſmodi contemplatione: ſed tanquã his qui maioribus ſacris initiari nõ poſſet. *His, inquã, ſuadere nitebatur & inuitum et propter animi infirmitatẽ abeſſe potuiße: nobíſque non niſi inuitis cõtingere vt à perfectionibus ad ea quæ imperfecta ſunt dilabamur. Vt propterea quartus hic dum animaduerteret ſe maioribus ſacris initiari nõ poße, atque ob id præ animi infirmitate præſentis diſputationis myſteria percipere nõ valeret, omnino inuitus ſe abdicauerit ab ea. Verùm illud huic opinioni refragratur, quòd licet valde ſublimis ſit Timæi diſputatio, non humiles tamen atque obſcuri ſunt politici libri: ſed & rerum copia & nobilitate ipſi etiam vigent, ac proinde eũ propter animi infirmitatem abſentem hic facere nõ decuit, qui politicis ſermonibus fuißet accerſitus: ac præſertim quoniam eidem partes aliquas delatas ſimulauit* Plato, *atque eas ſanè, quarũ illuſtres ſummæéque eruditionis auditores futuri eſſent, quæque denique viro & doctrina & nobilitate præſtanti, Timæo ſcilicet, traditæ ſunt. Sed & illud eandem ſentẽtiam labectare videtur quòd inopportunè admodum eum abſentem feciſſet, ſi hac ratione ſignificare inſtituerat eos qui ob animi infirmitatem percipere non valerent altiora myſteria, nõ debere huiuſmodi cœtibus intereße: nam ſi dialogi progreßũ inſpicias, non fuerat adhuc propoſitũ de Mundi procreatione diſſerendũ: immo vt Socrates adhuc de Republica inſtituẽda ſolicitus videri voluit; ita antequã decerneretur de Natura eße diſputandũ, multa pro Reipublicæ inſtitutione tradita ſunt: ac poſt Timæũ etiã quẽ politicis ſermonibus maximè cõiunctũ eſſe in introductione manifeſtauimus, ad politicas præceptiones reuertitur: ita vt quartus ille qui reliquis politicis inſtitutionibus accitus ſignificatur, dum de Republica agitur, intempeſtiuè pronuncietur abſens, ſi eo conſilio, quo aſſerit* Proclus, *id factũ eße velis. Ac profectò quemadmodum Cephalum ab Reipublicæ diſputatione nõ antea dimittendum cenſuit, quàm ad contentionem eſſet deuentum, à qua vacare eũ decebat: ita hic, qui ijſdem politicis ſermonibus accerſitus fuerat, ſi eo conſilio erat à Phyſiologia ſegregandus quo Proclus cenſet, eo plane tẽpore auocari debuißet, quo inter eos fuiſſet cõſtitutũ de phyſicis rebus agẽdũ eße.*

Ficinus.

Atque ijſdẽ ferè procellis iactatur Ficinus, cum Proclum *magna ex parte ſequutus, ſcribat abſentis illius nomine à* Platone *oſtendi non eſſe cuiuslibet ſecretioribus intereſſe. Quanquam enim* Orpheus *cum de ijs quibus magnum Deorum numerum decantauerat: palinodiam daret, ſingularémque DEVM ſtatueret, profanos homines ab huiuſmodi ſermone arcebat, Muſæúmque vnum iubebat adeße: ac Triſmegiſtus Mercurius cũ de Dei voluntate agere inſtitueret, imperabat Aſclepio vt præter Ammonem aduocaret nemi-*

ret neminem: atque ne diuina mysteria profanis mentibus diuulgarētur: atque ipse denique Plato (ut multa alia huius ueritatis exempla taceā in præsentia) cum altiora mysteria attingeret, summa quadam religione cauebat, ne hæc popularibus mentibus peruulgarentur, quemadmodū in Parmenide, in Epistola II. ad Dionysium, ac (ne longius uager) in Timæo ipso, dum ad Mundi opificem peruenisset, apertè cernitur: ac propterea fateri oporteat liberalium artium expertes, immo uel leuiter etiam iisdē initiatos ab illustribus colloquijs segregandos esse; quo tamen iure Plato illiberalē ac profanum, aut etiam physica disputatione indignum designauit eū quem dicebam politicæ institutioni interfuisse, atque munus aliquod, & id quidem nobile, quódque Timæo renunciatum postea sit, sustinere debuisse prædicat? cum præsertim, dum eundem testatur inuitum abesse, atque in aduersam ualetudinem reijcit omnem absentiæ culpam, eum tanquam ingenuum ac liberaliter institutum commendare uideatur? Et sanè quemadmodum solertissimus Platonis imitator Cicero, cum in libro de amicitia C. Lælium excusare uellet, quòd ad hortos D. Bruti auguris (ut moris erat) cum Fannio ac Scæuola non conuenißet, id totum in aduersam ualetudinem reiecit: cùm tamen miris eum laudibus continenter ornauerit, atque unum eo tempore sapientem existimatum, ínque ipsum omnium oculos coniectos fuisse affirmauerit: ita hunc quem una morbi iniuria absentem facit Plato, ac proinde non iusta solùm uerùm etiam necessaria ratione excusat ac purgat, hac de causa præsenti cœtu indignum existimare sine temeritate non poßumus. Atque iisdem ferè rationibus perfringi Aristoclis opinionem sentias, si hunc uelis arbitratum eße nō ueri (quod improbauimus supra) sed uerisimilis rationem habuisse Platonem in Theæteti absentia commentanda: nam si idcirco absentē illū morbo fecisset laborantem, ut intelligeremus esse Theætetum, quippequi ex Platonis Academia ad redarguentium scholam se recepisset, profectò nō ita erat eius absentia proponenda, ut omni crimine careret, necessitateque potiùs quàm uolūtate accidisse iudicaretur. Omnium autem absurdissimus (mea quidem sententia) hac in re fuit Iulius Camillus. Hic enim in sua illa Theatri Idea existimauit Platonē, cū diceret. Vnus, duo, tres, quartus autem ò amice Timæe ubinam est? per unitatē Solem, per dualitatem lucem, per trinitatem materiam informem & continuis mutationibus subiectam, indiésque magis ac magis deteriorē euadentē significare, atque ob id etiam, quartum hunc aduersa ualetudine laborantem inducere. Absurdissimus est, inquam, uir iste: tum quia non apparet quò spectet huiusmodi mysterium, aut quo consiliō hunc in locum inferatur: cum præsertim suo loco cumulatè satis, rationibúsque non omnino obscuris de materiæ natura disputetur: tum quia multa de quarto hoc absente pronunciātur, uidelicet disputationem de Republica ei eße communicatam: eidem aliquas partes in colloquutionis progressu fuiße tuendas: inuitum abesse ab huiusmodi conuentu, eiusdémque partes Timæo commendari: quæ materiæ accommodari nullo modo possunt, nisi tamen nouorum mon-

Iulius Camillus.

strorum

strorum plaustrum moliri ac proferre velimus: aut Platonem eos in Phædro contemnentem, qui tales rerum significationes vndique pro libidine aucupari, & extorquere solent, imprudenter contemnamus. Sed cum nullam hic attulerit rationem, qua commentum hoc suum nobis suaderet, atque audaciùs hac in re philosophetur quàm Philosophiæ leges ferre ullo modo possint, de eo hactenus hoc tempore.

Authoris sẽtentia.

Sed dicet aliquis, quid causæ tandem esse potest, vt quartum hunc simulet absentem, atque eius officium requirat Plato? Porrò (vt rem explicemus) animaduertendum est in disciplinis tradendis personarum cõgressum, atque dialogum ipsum ob id inuentum, vsúque receptum esse, quoniam author ipse alienam personam inducens, non nihil subsidij pro re aliqua explicanda sibi solet comparare. Quod luculenter atque appositè quidem in Sophistis expressit Socrates, qui vt Protagoram ad disputationis congressum prouocaret, dicebat, Ω Πρωταγόρα, μὴ οἴου διαλέγεσθαί με σοι ἄλλο τι βουλόμενον ἢ ἃ αὐτὸς ἀπορῶ ἑκάστοτε, ταῦτα διασκέψασθαι· ἡγοῦμαι γὰρ πάνυ λέγειν τι τὸν Ὅμηρον τό.

Σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν.

Εὐπορώτεροι γάρ πως ἅπαντες ἐσμὲν οἱ ἄνθρωποι πρὸς ἅπαν ἔργον, καὶ λόγον, καὶ διανόημα *idest,* Ne me putes Protagora aliam ob causã tecũ disserere velle, nisi vt ea de quibus passim dubito tecum ipse considerem: existimo enim præclarè illud ab Homero pronunciatum esse.

Bini vbi conuenerint potior sententia constat.

Sic enim expeditiores sumus omnes quicquid a nobis siue agendum sit, siue dicendum, siue denique cogitandum. *Hæc Socrates. Ex quibus facilè animaduertere licet ob id maximè dialogum in disciplinis tradendis esse inuentum, quoniam ficta alieni sermonis atque personæ inductio maximo sit authori subsidio pro re aliqua explicanda. Verùm quamuis personarum congressus ob veritatis inquisitionem inuentus sit, atque ob id hic quidem docendi confutandíue munus tueatur: ille verò erudiendus redarguendúsue introduci soleat; veruntamen interuallo temporis factum est, vt scriptores ipsi quæsito alicuius personæ subsidio ad dialogos interdum exornandos vtantur: interdúmque etiam aliud quidpiam efficere moliantur. Cuius quidem rei splendidissimum exemplum in politicis libris Cephalus esse potest; nam siue dimissus postea sit (vt Cicero existimauit) quia non deceret id ætatis hominem tam longo sermone detinere, siue (vt rem paulò pleniùs attingamus) quia cum in dialogi præludio ad senectutem laudandam Cephalo, vt potè prudentissimo sene, vsus esset, iámque in eorum disputationem incidisset, quæ & aliqua contentione egerent, & Socratica industria præcipuè regenda essent, nullæ supererant partes, quæ grauissimo huic viro sine decori perturbatione tribui possent; illud certum est Platonem in ipsa disputatione de Republica, siue de Iusto vix vsum esse Cephalo ad uiam eiusmodi disputationi patefaciendam. Atque hoc propè ipsum, quod Cephali præsentia in Politia molitus est Plato, quarti huius absentia præstat in Physicis: vbique enim*

ad

ad præparationis munera incumbit: quandoquidem illo ad res dicendas, hoc ad perlegentium animos attentos efficiendos aditum aperit. Etenim cum eximijs grauissimisque de rebus disputaturus esset, omnino etiam faciendum existimauit, vt sub ipso dialogi initio ex rerum dicendarum præstantia nos attentos efficeret: id quod sanè ex simulata quarti huius qui sermoni præesse alicui debuisset absentia, occasionem arripuit egregiè: siquidem cum dicat Socrates absenti huic partes aliquas mutuò fuisse tuēdas, sēque optasse ab eo vicissim excipi disputationis conuiuio, atque vniuersam denique prouinciam Timæo commendet, quem sua disputatione tum proprijs tum absentis partibus cumulatissimè satisfacturum, & vniuersos conuiuio lautè excepturum iudicabat, in lauti conuiuij seu splendidæ disputationis spem nos hac ratione inducit, artificiosissimeque attentionem sibi conciliat. Atque hinc factum est, vt cum Timæus Socrati de absente illo percunctanti respondisset. Aduersa aliqua valetudine laborat: non enim sponte ab hoc cœtu & disputatione abstinuisset: *protinus Socrates huius partes Timæo deferre animatus, subdat.* Ergo tuum ò Timæe & horum erit officium quarti illius absentis partes implere, *ac Timæus statim respondeat.* Ita prorsus: sanè nihil quoad fieri poterit, prætermittemus: nam cum lautè abs te heri accepti fuerimus, haud æquum sit, si non pari alacritate, qui hîc sumus, te vicissim accipiamus. *Atque hoc modo absentis partes Timæi patrocinio committit: ac Timæus suo aliorúmque nomine eas recipiens, foreque spōdens, vt alacri conuiuio exciperetur, in splendidæ (vt paulò ante monebam) disputationis spem nos adducit. Et hinc tertium Theorema satis arbitror explicatum, cur videlicet quartum illum superiori disputationi interfuisse, nobis quasi persuasum esse velit, eundémque rursus ab hodierna absentem requirat. Atque ex his etiam eius apparet explicatio quod secundo loco quærebatur: cur scilicet istos enumerauerit: nam cum ex altera parte tres illos vna cum Socrate in hanc quasi arenam traducere oporteret, ob tria quæ supererant pertractanda: ex altera verò quartum absentem facere ad legentium studium excitandum inseruire maximè posset; idcirco, & vt tres istos iam ad Timæum deductos proponeret, & ad quartum illum absentem ostendendum gradatim progrederetur, opportunissimè enumerantur. Quamobrem, licet sine enumeratione sensum ipsum vel primo aspectu ostendere illos potuisse sit verisimile, eos tamen enumerasse, antequam tres illas disputationes proponeret, non modò vitiosum non fuit, sed ad id quod præstare instituerat, accidit commodissimè. Cur autem ex Timæo potiùs, id enim quærebatur postremo loco, quàm ex cæteris absentem requirat Socrates, ex his quæ diximus etiam patere potest: cùm constet hîc occasionem quasi aucupari, per quam absentis partes Timæo commendare, nósque in nobilis disputationis spem adducere, atque hac denique ratione animos ad suā Physiologiā allicere possit. Atque ex his quæstiones illas propositæ periodi occasione ortas satis existimauerim explicatas: ac simul ostensum cur Plato hac ratione dialogū ordiatur.*

Ex dictis explicatur secūda quæstio.

Ex iisdem explicatur postrema.

At

At verò dum sub ipso quasi ingressu Socrates *amicum appellat Timæum, dialogi natura ac genus, quod scilicet disciplinæ tradendæ gratia institutus sit potiùs quàm ad Sophistas redarguendos, coniỹcere vtcunque licet: nam cum solet noster author ad Sophistarum opiniones euertendas instituere disputationem, semper ferè ironia quadam imbuit Socratem, qua Sophistas, quos colloquỹs accersiuit, beatos, diuinos, admirandos, optimos, lepidũ diuinúmque caput, atque huiusmodi nominibus appellat, hácque ratione eos ad suas opiniones proferendas adducit, vt in Gorgia, in Ione, & alỹs multis in locis cernitur. At cum ad solidiores disputationes se comparat Plato, ac de proprỹs dogmatibus præceptisque ferendis atque sanciendis cogitat, frequenter Socratem inuenies ironiæ illius oblitum, eos quibúscum loquitur amicos appellare. Quamobrem dum hîc præ dialogi foribus amicum vocat Timæum, disciplinæ gratia institui disputationem coniectare licet.*

Cur vtatur conuiuij trãslatione.

Vsus est autẽ conuiuỹ translatione ad disputationẽ significandã, tum ut alacris splendidíque conuiuỹ nomine in nobilis disputationis spem nos traducens, arrogantiæ crimen faciliùs deuitaret: tum præsertim quia huiusmodi metaphora magis festiuum reddit exordium: quibus rebus in dialogo maximè inseruiendum est. Quare hanc eandem metaphoram, vt est accomodata ac festiua, alibi etiam non rarò vsurpauit Plato. Nam in Phædro Η δηλονότι *(inquit Socrates)* τῶν λόγων ὑμᾶς Λυσίας εἱστία, An videlicet sermonum epulis vos excepit Lysia? *sícque etiam (ne in hac re sim longior) tum in Gorgia tum in* I. & IX. *de Republica ab eò factum inuenies. Vt proinde mirum uideri non debeat Ciceroni etiam fuiße familiarissimam. Atque eodem nomine Plato non solùm translationibus, uerùm etiam fabulis quibusdam ueluti floribus suos libros aspersit. neque enim eo tantùm consilio has retulit ad suos libros, ut arcana Philosophiæ sensa antiquo sapientum more conseruaret, sed etiam ut hoc scribendi genus, quod dialogo continetur, magis ac magis exornaret. Sed Timæum audiamus, qui Socrati de quarto illo sciscitanti ita respondet.*

Partic. II.

ΤΙΜΑΙΟΣ: Ἀσθένειά τις αὐτῷ συνέπεσεν ὦ Σώκρατες. οὐ γὰρ ἂν ἑκὼν τῆσδε ἀπολείπετο τῆς ξυνουσίας.

Ficinus. *Tim. Aduersa valetudine laborat o Socrates: non enim sponte ab hoc cœtu & disputatione abstinuisset.*

Nou. inter. *Tim. aduersa quadam illi accidit valetudo Socrates, non enim volens, & dedita opera ab hoc conuentu abesset.*

Benius. *Tim. Infirma valetudine vtitur o Socrates: neque enim sponte ab huiusmodi cœtu abesset.*

Comm. II.

Hæc Timæus: quibus explicat cur factum esse censeat, ut quartus abesset: & ut absentiæ causam, quam attulerat, comprobaret, absentémque ipsum ab omni criminis suspicione ac nota liberaret, protinus inuitum ab eorum cœtu & disputatione abesse affirmat. Vbi etiam rerum tractandarum dignitatem ac præstantiam tacitè indicans & proponens, attentos nos facit: cum enim eas homo disputationes libenti animo cum audire, tum, si fieri possit, obire soleat, quas præclaras futuras existimat, contra

uerò

uerò si ab disputatione aliqua excludatur, tunc inuitus atque ægro animo id ferat, cum nobilem eam fore arbitratur; Timæus sanè dum quartum hunc ab hodierna non nisi inuitum abesse testatur, eandem præclaram ac nobilem futuram non dissimulanter ostendit: ut ad eam perlegendam nos propensiores efficiat necesse sit. Hinc uerò colligitur (ut paulò ante etiam monebam) non ea de causa hunc fieri absentem, ut significetur non cuiuslibet esse secretioribus intereße, quemadmodum Proclus ac Ficinus existimarunt: cum enim disputationem de Republica, quæ res satis graues ac præclaras complectebatur, communicassent cum illo: a futura uerò absens promulgetur inuitus, præsentis disputationis indignus existimari nullo modo potest. Perquam autem accommodata est Timæi responsio ad id quod per huius absentiam præstare author instituerat: etenim cum absentis partes Timæo deferre constituisset, proindéque (ut diximus) ob lautum conuiuium, quo ipse Timæus Socratem cæterósque cum suo, tū quarti absentis nomine excipere debebat, nos attētos reddere studeret; appositè quidem Timæus inductus est ita respondens, ut Socrates ex quarto illo nihil sibi expectandum intelligeret, ac tandem ad eas partes eidē Timæo deferendas pergeret. Quod sanè ut primùm Timæi responsionem audiuit, effecit Socrates: intulit enim statim.

Part. III.

Σω. Οὐκοῦν σὸν τῷδέ τε ἔργον, καὶ τὸ ὑπὲρ τοῦ ἀπόντος ἀναπληροῦν μέρος.

So. Ergo tuum ò Timæe, & horum erit officium quarti illius absentis partes implere. Ficinus.

So. Tuum itaque & horum fuerit munus quarti illius absentis partes implere. Nou. inter.

So. Tuum igitur ac sociorum erit huius quoque absentis partes implere. Benius.

Com. III.

Atque ita defert Timæo aliísque absentis partes, quas Timæus suo cæterorúmque nomine recipiens respondet.

Τίμ. Πάνυ μὲν οὖν. καὶ κατὰ δύναμίν γε οὐδὲν ἐλλείψομεν.

Tim. Ita prorsus. sanè nihil quoad fieri poterit prætermittemus. Ficinus.

Tim. Omnino Ne hac quidem in re quantum in nobis erit, quicquā faciemus reliqui. Nou. inter.

Tim. Rectè mones: ac proinde pro virili parte ad hoc munus incumbemus. Benius.

Com. IV.

Et è uestigio ob receptas quoque partes nos attētos reddit cum subijcit.

Part. V.

Τί. Οὐδὲ γὰρ ἂν εἴη δίκαιον χθὲς ὑπὸ σοῦ ξενιαθέντας οἷς ἦν πρέπον ξενίοις, μὴ οὐ προθύμως σε τοὺς λοιποὺς ὑμῶν ἀντεφεστιᾶν.

Nam cum lautè abs te heri accepti fuerimus, haud æquum sit si non pari alacritate qui hic sumus vicissim accipiamus. Ficinus.

Non enim consentaneum esset nos, qui heri a te pro vt decebat hospitalibus muneribus excepti sumus, non tibi idem officium alacri & parato animo rependere. Nou inter.

Haud etenim æquum esset, vt qui heri lautè satis ac splendidè nos excepisti, nunc operam nostram in mutuis hospitalitatis officijs desiderares. Benius.

Com. V.

Atque hinc satis constat (vt diximus quoque supra) quarti illius absentiā fuisse a Platone commentatā, ad attentionē voluntatémque legentium conciliandā. Quod quidem verissimū esse ex eo etiā perspici potest, quoniā Timæus non ita absentis partes impleuit, vt rem aliquā definitam eius no-

S s mine

mine susceperit peragendam, quemadmodum Critias & Hermocrates pro suis partibus tuendis singulatim fecerunt: atque ipsemet Timæus etiam præstitit, vt suo muneri satisfaceret: sed tantùm in prouinciam sibi impositam omnem curam cogitationémque conferens, ac summam eruditionis dicendique copiam in eo exponens: quæ omnia lauti conuiuij nomine hîc tacitè pollicetur. Et idcirco cum absentis partes Timæo deferens Socrates, hac ratione splendidum ex eo conuiuium requirat, dubitari non potest quin huiusmodi absentia attentionis gratia fuerit excogitata. Nam peculiari aliqua ac certa disputatione absentis officio minimè satisfecisse Timæum, apertum est. Etenim quemadmodum Critias veterem Atheniensium historiam ex Solone recensuit: atque Hermocrates ex huiusmodi historia ideam ac normam ad quam decorè belli munera tractari possent, Socratis Reipublicæ perscribendam, vel etiam institutos ciues ad Rempublicam illam deducendos recepit: (hoc enim declarabitur suo loco) ita Timæus, vt hominis qui ad Rempublicam traducēdus erat, natura atque ingenium vel a primis incunabulis perspicua fierent, a Mundi origine exorsus ad hominis vsque naturam deuenit. At verò lautū conuiuium, seu potiùs splendidam disputationem nobis ab eo expectandam significasse Timæum ex eo constat, quoniam dum se lautè a Socrate receptum affirmat, parem in eo excipiendo pollicetur alacritatem. Vbi vt arrogantiæ crimen vitaret, alacritatis, qua Socrates excipiendus erat, nomine, nos in splendidæ disputionis spem artificiosissimè inducit. Lauti verò conuiuij nomine, quo Timæus se ac socios à Socrate exceptos affirmat, iterationem intelligit eorum quæ in Piræo vna cum Glaucone aliisque nonnullis de Republica disputauerat Socrates: sicut paulò infra constabit. Sed iam tempus videri posset, vt ad Platonicos nonnihil rediremus, ac (quod in prima verborū particula fecimus) ea persequeremur, quæ de his postremis orationis quasi membris prodidere. Sed hoc (si me audias) minimè est hoc tempore necessarium: isti enim partim insistentes ijs quæ ex Pythagoricorum sententia de numeris attulerunt, multa de ijsdem adhuc déque tribus illis molitoribus Mūdi planè intempestiuè tradunt: partim ex verbis frigida quædam amicitiae praecepta extorquent, quae mirificè etiam cum Poëtarum fabulis miscent: nihílque denique minùs inuestigant atque ostendunt quàm Platonis consiliū & artificium. Vt enim plerique veterum Poëtarum interpretes literis atque ocio abutentes, Hesiodum, Homerum, Poëtásque alios allegorijs (id quod ex Eustratio in primis est animaduertere) caeterisque huiusmodi rationibus explicabant: ita non raro Academici isti solidis Platonis decretis artificióque contemptis, mysticas interpretationes sectantur. Atque idcirco fortasse Proclus hoc ipso in loco cum facilè animaduerteret se intempestiuè atque insolenter in his fabulis ac nugis vagatum esse, suam quasi culpam aut deprecari aut imminuere uellet, asserebat tandem; Ταῦτα μὲν γυμνάσια προτεινέσθω τῆς τῶν πραγμάτων θεωρείας ἐν τοῖς προοιμίοις αὐτῆς εἰκονικῶς ἐμφαινόμενα. Hæc quidem veluti ludicræ exercitationes proferantur in medium ante rerum contemplationem quippe quæ in huius exordijs ad imaginis speciem illucescunt. *Sed profectò meliùs fuisset culpa carere, quàm*

eam

eam aut deprecari, aut tam leui causa obtentúque excusare. Interim verò dum lauti huius cõuiuij nomine Socratis disputationem, immo verò sui ipsius industriam ac solertiam author ipse cõmendat, dialogi vsum atque opportunitatẽ agnosce: si enim ipse author alienam personã sustinere non videretur, sed αὐτοπροσώπως, ac natiuo quasi vultu doceret, potuisset quidẽ politicos libros ex rei subiectæ præstantia atque vtilitate laudare: at rerũ eruditionẽ ac copiam, quæ hîc lauti conuiuij nomine proponuntur, sine arrogantiæ crimine, legentiúmque stomacho ne indicare quidẽ potuisset. At cum alienam personã subeat, & Timæum splendidè à Socrate receptũ significet, quasi alienam laudẽ nobis patefacere sibi esset consilium, artificiosè, id quod alibi etiam ab eo factum animaduertes; propriæ industriæ & eruditioni laudem quærit. Quod M. Tullius etiam, vt fuit solertissimus Platonis imitator, factitasse inuenies. Etenim cum in priore libro de diuinatione sub Quinti persona multa attulisset, quæ ad diuinationem confirmandam facere viderentur, demum in posteriore libro antequã his omnibus pro diuinatione euertenda responderet, accuratè fratrem, clarisque & illustribus exemplis disseruisse, atque ex Stoicorum quos sectaretur decretis optimè eorum sententiam defendisse contendens, proprium ingeniũ & eruditionem non mediocriter commendauit. Atque eâdem sanè industria tum in secundo de natura Deorum, dum Cottam eruditionis & eloquẽtiæ nomine tantopere celebraret, tum in libris de Oratore, dum Crassi atque Antonij eloquentiam ac sapientiam diuinis propè laudibus extolleret, propriæ existimationi ac gloriæ consuluisse facilè ostendi posset. Sed clariùs ex primo de legibus sumpto exemplo res illustrabitur vniuersa. etenim cum in Phædro ex magnifico platani illius præconio plurimum honoris ac laudis Platonis nomini accessisse videretur, ecce tibi M. Tullius, qui ex Mario occasione desũpta, Arpinatũ quercũ ingenio satã, ac dum latinæ loquerentur literæ nunquã defuturam sub fratris persona amplissimis verbis exponit: quibus sanè non minùs appositè ingenij & eloquentiæ laudem quæsiuit, quàm acutè Platonis elegantiam artificiúmque imitatus sit. Hîc autem vbi in græco codice habetur ἡμῶν αὐτεφεστιᾶν, noua quidem, sed tamen erudita videri possent quæ habet Henricus Stephanus in notationibus in Platonem: contendit enim legendum esse ἡμᾶς αὐθεστιᾶν. cuius rei rationem si quis eam cognoscere cupiat, poterit apud eum legere. Nos enim interim cũ ea lectio nihil ferè immutet de sententia, verborum contextum prosequemur, vbi Socrates cum Timæum audiuißet parem in cõuiuio alacritatem polliceri, sic aiebat.

Part. VI.

Σω. Ἆρ' οὖν μέμνησθε ὅσα ὑμῖν, καὶ περὶ ὧν ἐπέταξα εἰπεῖν;	*So. Non recordamini quæ vobis, & quàm multa tractanda proposui?*	Ficinus.
	So. Nunquid igitur meministis quænam & quibus de rebus indicta a me sit disputatio?	Nou. inter.

So. Num itaque meministis quænam & quanta vobis explicãda proposui? — Benius.

Com. VI. *Verborũ sensus planus est: sed cur Socrates hæc illis reuocet in memoriã, subobscurũ. Vt igitur authoris consilium aperiamus, sciendũ est Platonem quippe qui lautum conuiuium, immo copiosam disputationem, tacitè*

policitus, nos attentos effecerat; nunc quænam huiusmodi cõuiuij dapes esſe debeant, immo quid diſputatione propoſita exponendum ſit, manifeſtare inſtituiſſe. Et quoniam ea quæ in libris de Republica fuerant pertractata, quæque proximis Timæi, Critiæ, Hermocratiſque diſputationibus explicanda erant, ad quendã veluti ſcopũ (hic autẽ in introductione oſtenſus eſt fuſiùs) dirigebantur vniuerſa, idque nos tum ob perſonarum quæ in hos dialogos introducebantur, tum ob temporũ & locorum varietatem, quibus conciliabantur congreſſus, latêre facilè poterat, idcirco Plato horum dialogorum conſenſum pateſacere, atque ea quibus ipſi continentur, ad propoſitum finem reuocare conſtituit. Ergo politicos ſermones quos decori tuẽdi gratia ijs ipſis perſonis commendare non potuit, quæ in proximos acceſſẽdæ atque introducendæ forent; iiſdem ſaltem per Socratẽ ab exordio repetitas ſimulat primùm: tũ verò ex rebus quæ in hac repetitione diſputata fuerant, dicendorũ argumenta elicit, vel certè ex ſuperiore repetitione elicita fuiſſe monet ac recolit: ad extremùm has tũ ex illis pendêre, tũ ad certum aliquem finem hæc omnia referri oſtendit: atque hoc pacto politicos ſermones poſteris Timæi, Critiæ, & Hermocratis diſputationibus artificioſiſſimè coniungit. Dum igitur hoc in loco Socrates introducitur dicẽs, Num itaque meminiſtis quænam & quanta vobis explicanda propoſui, *nullo alio conſilio introducitur, niſi vt ſimul ac Timæus reſponderit, cupere ſeſe ea breuiter recenſeri, quò firmiùs hæreant in memoria, Socrates occaſionẽ arripiat, qua & politicas diſputationes ſtrictim attingere: & cæterarum quæ conſequi debebant, argumenta recognoſcere ac ponere valeat: cum præſertim opportunè etiam accideret, vt quos paulò ante ſplendidi conuiuij nomine attentos fecerat, iam pulcherrimo rerũ dicendarum ordine & conſenſu pateſacto, vniuerſæque huius diſciplinæ via cõmoſtrata, dociles efficere poſſet. Vbi uerò ait Timæus* Quæ & quãta, *animaduertendũ ſanè eſt politicas diſputationes, ſi res præclaras quidẽ fuiſſẽt cõplexae, ſed quæ tamen perpaucæ viderẽtur, nõ ex omni genere perfectas appellari potuiſſe: ſicut cõtrà nec rerũ copia fuiſſet ſatis ubi præclara ac nobilis nõ apparuiſſet rerũ quæ tractabantur materia. Quare ut intelligeremus omnibus numeris eas diſputationes eſſe abſolutas tũ ob rerũ præſtantiã ac dignitatẽ, tũ ob copiã & vbertatẽ laudẽ ibi quæſitã ſignificauit* Socrates. *Cui Timæus, ut ad Epilogũ quaſi anſã præberet, reſpõdit.*

Partic. VII.

Τίμ. Τὰ μὲν μεμνήμεθα. ὅσα δὲ μὴ, σὺ παρὼν ὑπομνήσεις.

Tim. Partim quidem recordamur: partim verò tu ſi exciderint ſuggeres. — Ficinus.

Tim. Quædam ſuccurrunt: quæ vero minimè, tu præſens in memoriam reuocabis. — Nou. inter.

Partim quidẽ meminimus: partim uerò ipſemet nobis ſuggeres in præsẽtia. — Benius.

Comm VII.

Ac protinus, vt ad Epilogum magis magiſque ei pateret, aditus addidit.

Part. VIII.

Μᾶλλον δὲ, εἰ μή τι σοι χαλεπὸν, ἐξ ἀρχῆς διὰ βραχέων πάλιν ἐπάνελθε αὐτά, ἵνα βεβαιωθῇ μᾶλλον παρ' ἡμῖν.

Immo verò, niſi moleſtum ſit, breuiter illa nobis ab exordio repete, quo magis ea nobis conſtent. — Ficinus.

Immo verò, niſi moleſtum fuerit, rem totam ab ipſo initio breuiter perſequere, vt animis noſtris firmius inhæreat. — Nou. inter.

Immo

Immo verò nisi tibi molestum sit ac graue, ea omnia breuiter recenseas velim, vt nobis firmiùs hæreant in memoria. Benius.

Com.IIX *Et ob id statim Socrates Epilogum aggreditur. Verùm dum eiusmodi Epilogo aditum sibi comparat Plato, significat Timaeum ac cæteros partim quidem recordari (vt scilicet ne tantos ac tales viros in tam illustri disputatione segnes atque obliuiosos describeret: proindeque auditoris partes probè ostenderet conseruatas) partim aliqua eis è memoria excidere potuisse: nimirum, vt dum se ea tenere omnia non profitentur, modestiam illorum exprimat, atque Epilogo viam muniat. Dum verò breuem repetitionem, atque illam ab exordio postulat, eius Epilogi formam describit qui aut vnus, aut præcipuus in disciplinis desiderari solet. etenim dum orator non modò ad breuem rerum enumerationem Epilogum refert, sed eius subsidio & auditorum erga se beneuolentiam confirmare, & eorundem animos permiscere, & res denique ipsas aut amplificare aut extenuare studet, philosophus ad ipsam rerum enumerationem, nisi tamen aliud suadere videretur morata oratio cui maximè in dialogo est inseruiendum; Epilogum retulisse contentus est. Quamobrem cùm Plato ad res memoriæ consignãdas vti velit enumeratione, atque hinc statim dissolutum horum dialogorum cõsensum ac nexum quasi resarcire, apposite eo nomine politicæ disputationis Epilogum efflagitauit Timæus, vt quæ exposita essent, in eorum mentibus firmiùs insiderent. Hactenus autem satis supérque constare arbitror duo illa quæ ab initio hîc præstari dixerã, fuisse peracta: etenim attentos nos fecit Plato: ac simul opportunitatẽ nactus est, qua dicenda tum statuere possit, superioribúsque coniungere: tum dialogorũ de quibus loquuti sumus, consensum, ac quasi structuram reficere. Atque illud quidem præstitit in lauti conuiuij seu potiùs splendidæ disputationis spem nos adducens: hoc autem ad Politiæ Epilogum aditum sibi comparans. Cuius etiã Epilogi auxilio vt primùm abditum seu disiectum eorum dialogorum nexum atque consensum instaurauerit, dociles etiam nos efficiat necesse est. Neque uerò quemadmodum attentos effecit auditores, ac dociles etiã reddidit, ita ad eorum sibi studium ac beneuolentiam conciliandam magnopere iudicauit sermonem esse conuertendum: siquidem beneuolentia non erat ab ijs exigenda, qui in Philosophiã incumbentes, non dignitate authoritateque personæ, sed rerum ipsarum præstantia allici debent. Quanquam, vt constabit infra, ad beneuolentiã etiã sibi apud illos conciliandam, licet aliud agere uideretur, orationem conuertit, dum Timæo ac socijs, quorum virtutes, merita, atque dignitatem tantopere extollit, futurae disputationis prouinciam imponit. Atque his explicata sit prima exordij pars: in qua ne quid prætermisisse videar, quod cum interpretis munere omnino coniunctum esse videatur, non possum non magnopere à Carolo Sigonio dissentire, dum in libro de dialogo Platonem altiùs atque ab aliena re Timaeum exordiri affirmat: nam cum ad amicos sodalésque conuersus Socrates non sine verborum lepore ac venustate mutuum ab eis conuiuium requirat, ac statim breuissimo politiae Epilogo proposito ad eorum inuentionem properet, quae ab illis in posteris dialogis explicari desiderat: atque ipse etiam Epilogus ille sit, ex quo*

Plato defenditur à Sigonio.

tanquam

tanquã ex fonte tres proximæ disputationes deriuantur, profectò cur Timæũ altiùs atque ab aliena re exordium duxiße affirmaret, non habuit. At verò (vt Sigonium, si quo modo poßim, excusem) Plato antequam Timæi ipsius disputationem aggrediatur, tum in politico Socratis epilogo, tum in graui illa Critiæ historia, tum in huiusmodi alijs, quæ ab illis vltro citróque hac in re dicuntur, Timæum sociósque detinuit. Detinuit (fateor) sed tamen non in aliena re detinuit. Nam si rem totam ex his quæ alibi demõstrata sunt, recolamus, animaduertemus profectò politicos libros, Timæũ, Critiam, atque Hermocratem ad certum finem referri: præcipuè autẽ historiam nõ præparationis modò, sed rei etiam subiectæ locum obtinere. Et sanè cur Plato Timæi disputationem ita cum Atlantico (in hoc autem historiam in Timæo intermißã suscepit Critias) cõiunxit atque implicauit: cúrue ipsum Timæum non in proprio, sed in alieno dialogo, in Atlantico scilicet, suam orationem concludere ac perorare voluit, nisi vt cum hominem iam in Timæo procreatum, à Critia suscipiendum, atque ad explicandæ historiæ normam informandum, siue alia tandem ratione excolendum statuißet, atque ita denique affectum, ad Socratis Rempublicam ab Hermocrate, sicut à principio disertis verbis edixerat, perducendũ esse institueret, hæc omnia optimè inter se cohærere, eundémque finẽ spectare ostenderet? Sed ne in re aperta longior sim, iam ad Græcos paulisper reuertamur, atque ad Proclum in primis, qui dum absentis illius partes Timæo deferri sentit, atque idcirco minui numerum auditorum, multa de numerorum perfectione † tradit. Hæc igitur, etsi alicui fortaße non iniucunda acciderent, ipse tamen ne aprum fluctibus potiùs quàm syluis appingere cum illo videar, omnino prætermittam, si tamen vnum attigero. Nam *dum ait numerum eò maiorem vim & authoritatem habere, atque* ἀρχικώτεροι *eße, quò* ἐγγυτέρω τῆς ἀρχῆς ἐστὶ *quò, inquã, propiùs accedit ad initium, hoc neque fortasse simpliciter atque vniuersim verum est, cũ numerus binarius ternario cõparatus, ac quinarius septenerio imperfectior sit; neque cum ijs consentit, quibus ex Pythagoreorũ sentẽtia Hierocles nobilis Pythagoricus perspicuis verbis nõ modò ternariũ sed et quaternariũ in primis et septẽnariũ binario et quinario illustriorem atque celebriorẽ facit dum illud eße ait,* πηγὴν τῆς ἀϊδίου διακοσμήσεως, *sempiterni rerum ordinis fontem, & (vt loquitur* Pythagoras *ipse)* παγὰν ἀενάου φύσεως *fontem perennis naturæ: hoc* ἀμήτωρ καὶ παρθένος, καὶ τὴν τῆς μονάδος ἀξίαν δευτέρως ἔχον *matre carens & virgo, ad Vnitatísque dignitatem proximè accedens dicitur: illud rursus* τῆς δεκάδος δύναμις, καὶ στερεὰ πρώτη ἔμφασις, καὶ δημιουργὸς τῶν ὅλων καὶ αἰτία, *Denarij vis atque potestas, primò solidam figuram referens, opifex & causa Vniuersitatis (id autem quo tandẽ consilio aßerat & an iurè aßerat non est huius loci) hoc* τὰς πάντων δυνάμεις συνέχον καὶ ἰδιώματα κάλλιστα ἔχον, *coërcens rerum omnium virtutes, atque pulcherrimas optimásque proprietates continens. Sed & planè* ἐνθουσιαστικῶς, *atque adeò fanaticus est* Proclus *dum physicè ac Theologicè explicat ea, quibus statim Timæus suo sociorúmque nomine Socrati mutuas disputationum epulas pollicetur: nam & Deorum conuiuia, & diuinæ iustitiæ prouidentiæque præcepta hinc eruere studet, quæ hoc in loco nihil omnino ad rem faciunt.*

Quid in propositis verbis Proclus.

† *pag. 8. antem.*

Quæ

Porphyrius.

Quæ verò hîc habet Porphyrius, dum moraliter locum exponit, & τοὺς φίλους ὑπὲρ ἀλλήλων χρῆναι πάντα ὑπομένειν ἔν τε λόγοις καὶ ἐν ἔργοις, καὶ τὸ ἐνδέον ἐκείνοις, αὐτοὺς παράγειν εἰς τὸ ἀνενδεὲς τὸ ἐκείνων ἀναπληροῦντας, *amicos, inquam, alium pro alio oportere perferre omnia, ac munera tum verbis tũ re ipsa subire: & quod illi præstare nequeunt implere atque perficere contendit, cum per se vera sunt, si honestatis finibus eiusmodi munera coërceantur; tũ non vsque adeò inopportuna videri possunt: præsertim verò quod ad dialogi decorũ, quod ex personarum moribus maximè oritur, traduci queunt. quanquam ne nimis otiosi videamur, ne in istis quidem est quamobrem immoremur. Iamblichus verò quippequi absentem illum* ἀνώνυμον *cæteris præstantiorem esse statuerat, eósque designare, qui cum in ijs occupati sint, quæ sola intelligentia percipiuntur, rerum naturalium studium fastidiunt, ad hæc congruenter explicat cur eius partes Timæo iniungere velit. Docet itaque res naturales, etsi ab ijs quæ verè sunt, procul absunt, harum tamen similitudinem quandam referre: ac propterea physicam contemplationem diuinæ quodammodo esse participem eiúsque* ἀναπλήρωσιν, *siue supplementum esse. vt proinde eo absente qui rerum diuinarum cognitione imbutus erat, supplementum à Timæo petatur, quippequi in naturalibus versatus erat. Sed vt omittam hanc* ἀναπλήρωσιν *rerum diuinarum, ad attentionem conciliandam, quam ibi captare demonstrauimus, omnino inopportunam esse, præsertim si non à proprio germanóque artifice (vt vult Iãblichus) sed spurio ac supposititio, & in imaginibus effectisque res tractetur, hæc expositio per ea quæ à principio de absente hoc scripsimus, explodi potest: ac præsertim quòd nullo modo potuerit Plato absentis illius nomine, quem infirmum fecerat, eum designare qui in rerum diuinarum studio totus esset. Sed & illud quoque addi potest, quod eandem sententiam euertit. Nam paulò post Socrates contendit Timæum non modò in rerum naturalium contemplatione versatum esse, verùm etiam ad summa totius Philosophiæ fastigia conscendisse. Quamobrem non erat cur à Timæo tanquã Physico* ἀναπλήρωσις *illa exquireretur, atque eo præsertim nomine, quòd non nisi adumbrata quadam rerum diuinarum tractatione absentis partes implendæ essent. Dum verò Socrates socios percontatur tenerέntne memoriæ quæ disserenda proposuisset,* Proclus *more suo tradit hos secundorum Deorum imaginem referre: atque ita nonnulla de memoria inserit, quæ tum in Vniuersitatis opifice, tum in secundis illis Dijs, tum in animis reperiũtur. Quæ tamen nihil omnino pertinent ad sententiã. Id quod etiam accidit in ipsa Timæi responsione quam nõ solùm moraliter cum Porphyrio, sed Logicè, Physicè, Theologicè (& vt semel dicam) alijs quoque sensis siue intelligentijs notionibúsque simul admixtis exponit & complet. Vbi statim etiam Timæi verba quibus hortatur Socratem ad Politiæ Epilogum faciendum, miris quibusdam commentis atque adeò fabulis onerat Ethnicus iste: quae tamen cum nihil planè ad rem faciant, piget sanè pudétque referre. Iam itaque nugas istas valere iubeamus, ac si placet, ad ipsum Epilogum progrediamur, quem noster Socrates hunc in modum aggreditur.*

Iamblichus

& Proclus rursus.

Σω.Ταῦτ'

Part IX.

Σω. Ταῦτ' ἔσαι. χθές που τῶν ὑπ' ἐμοῦ ῥηθέντων λόγων περὶ πολιτείας, ἦν τὸ κεφάλαιον, οἵα τε καὶ ἐξ οἵων ἀνδρῶν ἀρίστη κατεφαίνετ' ἄν μοι γενέσθαι.

So. Summa disputationis hesternæ erat Respublica qualis mihi, et ex qualibus viris optima posse fieri videretur. — Ficinus.

So. Ita faciam. Sermonum in hesterna disputatione à me habitorum hoc fere erat caput, & hæc summa, De Republica quænam & ex quibus hominibus optima videretur. — Nou. inter.

So. Faciam, vt iubes. eorum, quæ hesterno die de Republica disputaui, summa erat & caput qualisnam & ex quibus viris mihi optima videretur. — Benius.

Comm. IX.

SECVNDA PROœmij pars.

Iam succedit secunda proœmij pars: in qua, vt alibi monui, Socrates Epilogum facit eorum, quæ in Piræo cum Glaucone atque alijs nonnullis de Republica disputauerat: quæque in Vrbe vna cum Timæo, Critia, Hermocrate atque alio quodam ἀνωνύμῳ, *qui nunc absens pronunciatur, à capite arcesserat. Cur verò Epilogum hunc faciat, ac statim ferè à Reipublicæ institutione ad Mundi ortum totiúsque* Physiologiae *tractationem deueniat, quae tanto interuallo dissita inter se videntur, ex Platonicis (vt ipse profitetur) sic explicat Foxius.* Nam quemadmodum in Rep. ordo quidam ac status quo ipsa administretur describitur: sic etiam in Mundi ortu & constitutione διακόσμησις quædam, idest ordinatus pulchérque ordo effectionis demonstratur: & quidem, vt Proclus cæteríque Platonici affirmant, causa cur breuiter de Republica Socrates quædam retulerit, ea est, quòd sicut perfecta Respublica cuncta in se complectitur sub vnius imperij administratione, ita quoque Vniuersitas cùm varijs ex partibus constet, vna est & perfecta: ideóque vnaquaque in Republica rectè constituta pulcherrimus quidam ordo obseruatur, atque in ipso etiam Vniuerso eiusdem Reipublicæ imago relucet. Quod eleganter Aristoteles in libro de Mundo ad Alexandrum exprimens, Vniuersitatis constitutionem Reipublicæ cuidam comparauit. *Hæc Foxius: quae etsi ingenio fortasse nō carent, Platonis tamen consilium minimè attingunt, id quod (vt omittam hunc ordinem ab illo prorsus abhorrere quem ipsemet Plato † affert) & libro quinto ostendimus, dum de introductione & œconomia huius dialogi ageremus: & infra nō vno in loco † demonstrabimus. Etenim cum Politici Platonis libri vna cum Timaeo, Critia, & Hermocrate ad vnum eundémque scopum miro quodam ordine ac nexu referantur: hic verò ob personarum, temporum, locorúmque varietatem hactenus planè lateat, Plato ad institutum nexum consensúmque retinendum, seu commonstrandum, Politicæ institutionis Epilogum faciendum iudicauit: vt ab hoc subinde tanquam à fonte quodam reliquarum huiusmodi disputationum argumentum deriuaret: ac tantarum rerum seriem nobis ante oculos poneret. ob id igitur ait.* Summa disputationis hesternæ erat Respublica qualisnam mihi, & ex quibus viris optima fieri posse videretur. *Hîc autem diu multúmque mecum ipse dubitaui, an quemadmodū ea quæ in hoc Epilogo habentur, ad libros de Republica omnino pertinent: atque hîc à Platone ad propositum consensum instaurandum afferuntur solùm, & (vt breuiter dicam) vno præparationis munere videntur fungi; ita*

† part. 12. sequentis libri.

† comm. 14. 29. & 38 sequētis libri.

ego

ego huiusmodi Epilogum sicco pede omnino pertransire deberem. Nam quo
minùs id facerem, multa me retardabant: ac primò quidem, quòd Plato
paulò post in hocmet dialogo antequam aggrediatur disputationem de Na-
tura, affert non pauca de Reipublicæ institutione: quæ sanè faciliùs percipi ac
teneri potuißent, si quae iam hoc in libro traduntur in eandem sententiam,
paulò fusius tractata essent. Deinde verò quia ita accomodatè hoc epilogo cō-
cludit ea quibus ibi Rempublicam informarat, vt nō modò commodissimam
nobis ansam præbeat politicæ illius institutionis explicandæ, verùm etiā quo-
dāmodo ad id faciendū inuitare atque adeò allicere videatur. Ad extremùm
illud etiā his omnibus accedebat, quo (vt verè fatear) cōmouebar vehemen-
ter. Nam cum Aristoteles mira quadā sagacitate huius Reipublicæ decretis
peruestigatis, eadē in suis politicis libris frequentissimis cauillis atque repre-
hensionibus insectetur, operæpretiū me facturū existimabā si Platonē (vbi ra
tio ita postularet) ab huiusmodi calūnijs vindicarē. Cum præsertim eodē tem-
pore varia grauissimorū virorū iudicia de Platonis Republica agnoscere pos-
semus: maximè verò Nazianzeni, Augustini, Chrysostomi, aliorúmque san-
ctissimorū patrum: qui siue interdū institutiones illas nonnihil probent: siue
perstringant atque vrgeant, non possent sine magno pietatis fructu audiri.
Verùm vsque adeò prolixi sunt politici Platonis libri, tanta etiā rerū varie-
tate, dogmatúmque nouitate continentur, denique tot difficultatibus impediti
sunt, vt cum immensum propè naturalis contēplationis campū sim ingreßus,
noui huius operis exitū planè desperem. Ergo si quæ in singulis huius epilogi
capitibus continentur, explicatè ac distinctè declarauero, à reliquo munere
omnino abstinebo. Idque eò libentiùs faciam, quòd ea omnia quæ à Platone
de Poëtis ac Poësi cum alibi, tum præsertim secundo, tertio, & decimo de Re-
publica traduntur, iam alibi pro virili mea complexus sim, atque cum Aristo
telicis compararim. quæ verò ad Religionem pertinent, in primo & tertio li-
bro attigimus non paucis: tametsi vt breuitati studeremus, atque eadem sæpe
repetere ne cogeremur, multa etiā in Timæum, hoc est in proprium locū, reie
cimus. itaque in Timæi progreßu persequemur cætera. Est enim hoc argumē-
tum grauissimis multorū concertationibus plenum, & cum ijs etiam valde
coniunctū, quæ ad vitā & mores atque ad rem Christianā faciunt: vt propte
rea prætermitti haud debeat. Nunc venio ad Platonis epilogum In quo pri-
mùm declarat summā disputationis habitæ superiori die fuiße in eo positam
vt ostenderet qualisnam et ex quibus viris Respublica videretur optima. Vbi
sanè dum dicit ἐξ οἵων ἀνδρῶν ἀρίστη, Ex quibus viris optima, tum Reipu-
blicæ materiam, tum formam, tum denique finem ipsum indicauit. Mate-
riam quidem dum dicit ἐξ ἀνδρῶν, ex Viris. Certum est enim homines pro-
priè esse id ex quo tanquam ex materia Respublica constituitur. Nam do-
mus, mœnia, artes, leges denique ipsæ ad materiam informandam ac tuen-
dam pertinent potiùs, quàm materiae locum obtineant. Ac proinde iure Ari
stoteles in sua Politia † cum ciuitatem ex materia describeret, nihil aliud es-
se dixit nisi τῶν πολιτῶν πλῆθος, ciuium, inquam, multitudinem. Formam
verò designat Plato dum dicit οἵων, Quibus. Nam statim ac certi homines

† l.3.c.1.

pro Reipublicæ vsu ac fine deliguntur, ac certis institutis formati definitis muneribus distribuuntur, Reipublicae materia suam formam ac speciem obtineat neceße est. Iure igitur non ex Viris simpliciter constitutam esse dixit: sed ἐξ οἵων ἀνδρῶν, *ex viris scilicet debitis institutis ac disciplinis pro muneris ratione expolitis. Et ideo Aristoteles tertio* Politicorum † *cum assereret Rempublicam eße institutionem quandam eorum, qui in ciuitate degunt, eandem non modò materiam, verùm etiam formam expressit. Denique dum dicit* ἀρίστη. Optima. *facilè etiam significauit finem: quasi non solùm debitam formam ac speciem obtineret si esset optima: verùm etiam ea fœlicitate frueretur cuius causa constituebatur. Quanquam cum Respublica tunc omni ex parte absoluta atque perfecta existat, cum ex apta materia & forma constat, dum ait* ἀρίστη, *id etiam designare potuit quod ex propositæ materiae & formæ consociatione (compositum appellant aliqui) solet emergere, Potes etiam, si velis efficientem quandam causam intueri: quam etsi non adeò aperte expressit interpres, indicauit tamē* Plato *cū sic scripserit.* ἦν τὸ κεφάλαιον ὑπ' ἐμοῦ ῥηθέντων λόγων περὶ πολιτείας, Erat summa eorum quæ sunt à me de Republica disputata: *vbi Socrates descriptæ Reipublicæ author promulgatur. Vt propterea omnes ipsius Reipublicæ causas expreßerit. Verùm dum materiam attingens, hominum mentionem facit, sciendū est ex duplici hominum genere (quod præsentis negocij interest) poße Rempublicam temperari: alterum enim est eorum, qui humanæ vitæ ministrant necessaria, in quo genere agricolæ, ædificatores, atque huiusmodi alij collocantur. alterum verò ex ijs conflatum est, qui ornatui potiùs inseruiunt ac delitijs quàm necessitati. quo in genere versantur pictores, vnguentarij, ac sexcenti alij. Et de vtroque genere loquutus est* Plato. *Etsi enim inuitissimus postremos huiusmodi homines admisit, admisit tamen. Quamobrem cum secundo de Republica docuisset ciuitates inde originem habuiße, quòd nullus noster sibi sufficiens sit, sed multis indigeat, addebat,* Prima verò & maxima omnium indigentia est præparatio victus: vt & simus & viuamus: habitationis secunda: tertia vestitus & huiusmodi. *Atque ita subinde artifices recensuit, quos ad humanam vitam societatémque tuendam neceßarios iudicabat. Verùm cum Glauco tam exilem ciuitatem, támque seuero cultu ac victu, molestissimè ferret, Socrates cum edixißet non delicatam aut turgidam vrbem, sed quietam & salubrem sese instituere: addidissétque hanc vnam Vrbis nomine dignam eße, tandem ad maiorem etiam ciuitatem effingendam perrexit, quòd iustitiæ cognitionem (verè enim, vt paulò post dicam, iustitiæ gratia de Republica disputabat) in ampliori vrbe maiorem haberi posse animaduerteret. Docuit itaque, si amplior ac minùs seuera instituetur ciuitas, multos recipiendos vnius delectationis atque ornatus causa: cuiusmodi sunt* Poëtæ, *mimi, pictores, atque alij huius ordinis plurimi. Quod Glauconis consilium Aristoteles etiam sectari visus est, dum in politicis† moneret non optimam Rempublicam solùm quærendam esse: sed eam etiam quæ in vsum venire possit: quaéque facilior sit & communior omnibus. Constat igitur (vt id quod institueram colligamus) Socraticæ huius Reipublicæ mate*

† c.1.cit.

† l.4.c.1.

riam quam in Epilogo positam docebamus, tum ex illo hominum genere constare, quod humanæ vitæ suppeditat neceßaria, tum ex eo quod ad ornatum et delectationem est comparatum.

Dubitatur de vniuersa epilogi summa.

Verùm non iniuria miretur quispiam cur Socrates affirmet externæ disputationis summam in hac politica disputatione fuisse positam, cum ea omnia quæ in libris de Republica traduntur παρεργον *quoddam sint, atque obiter ad iustitiæ cognitionem ascita. Nam cum Socrates cum Polemarcho primùm qui Cephalo in disputatione suffectus erat, deinde cum Trasimacho, postea verò cum Glaucone, ac tandem cum Adimanto fusè disseruißet de iustitia; eò tandem deuenit, vt ad ipsam iustitiam tuendam quam miris calumnijs notarant illi, eandem in ciuitate priùs quàm in singulis hominibus spectandam moneret, vt ex ampliori lateque mananti illius specie faciliùs percipi poßet eius natura: ac tandem diiudicaretur an verè homini vtilis eßet nec ne. Et idcirco cum monuißet Socrates impium eße illum qui cum iustitiam vituperari audiat, non eam tueatur quandiu loqui atque spirare conceditur, id sibi pro virili agendum statuit dicens.* Ac postquam nos aliter non valemus, perinde inuestiganda est iustitia, ac si quis non acutè cernentibus literas paruas procùlque positas legendas mandasset: deinde animaduertisset aliquas easdem literas esse alibi in maiori quodam loco maiores, atque inde operæpretium censuisset vt eas primò legentes, ita demum minores si eaedem sunt considerent. *Quo exemplo declarauit iustitiam tum in hominibus singulis, tum in Republica vniuersa reperiri: faciliùs tamē cerni in Republica veluti in maiore quodam Theatro, tandémque concludebat.* Quare si vultis, priùs quæramus in ciuitatibus quidnam sit: ídque deinde in singulis considerabimus, maioris ipsius similitudinem in minoris idea contemplantes. *Et paulò post.* Si Ciuitatem oratione constitutam inspiceremus, iustitiam quoque & iniustitiam videremus. Quo facto spes erit faciliùs cognoscendi quod quærimus. *Hac igitur de causa politicam disputationem tanquam* παρεργον *suscepit: sæpe tamen interim monens ea omnia iustitiæ gratia tractari. Quare IV. de Republica, (vt alia loca multa praeteream, in quibus idipsum testatur) cum de ciuili sapientia atque fortitudine disputasset, statim de duabus alijs virtutibus acturus,* Duo (*inquit*) restant consideranda, temperantia scilicet, & cuius gratia omnia indagamus iustitia. *Et ideo cum iustitiam paulò post in Republica spectasset, eam iam tandem in hominem intuendam eße monebat, vt constaret an iustitia vel potiùs vna iustitia ad benè beateque viuendum conferret. Iure igitur dubitaret quispiam cur Socrates contendat summam externae disputationis politicis disputationibus contineri. Et sanè antipitem me diu habuit haec res. Verùm libris de Republica attentiùs inspectis, ac cum hoc Timaei Epilogo diligenter collatis, deprehendi tandem Platonem verissimè ibi de Iusto ex instituto egiße, & tamen iure optimo in præsentia non in Iusto, sed in Reipublicae institutis constituere eorum summam, quæ ait se de Republica hesterna die disputaße.*

Ad tollendã dub tationẽ propositam, epilogúmque explicandum apertiùs, exponitur Politicorũ librorum artificiũ & œconomia

Quod vt faciliùs intelligatur, non ab re erit politicorum librorum argumentum atque οἰκονομίαν *paucis dilucidare: ita enim non solùm tolletur hæc dubitatio, verùm etiam totius epilogi materia, ordo, artificium denique ipsum commodiùs intelligetur.*

Platonicæ Reipublicæ argumentum atque οἰκονομία *non vna ac certa, sed varia ac lubrica visa est multis. Sed si paulò accuratiùs rem expendamus, comperiemus profectò in hoc omnino positam esse. Cum Socrates vna cum alijs nonnullis Cephalum offendisset, inter ipsas fermè salutationes longæuum illum senem prouocauit, vt de senectutis commodis atque incommodis disputaret. Quod breuiter ille quidem, sed grauiter omnino ac sapienter fecit: ita vt M. Tullius deinde ad præclarum illum de senectute librum scribendum eo tanquam seminario vsus sit. Ergo cum Cephalus sub disputationis finem iustitiæ mentionem fecißet, Socrates vt se discendi cupidissimum semper ostendit, ne vllam rei benè gerendae occasionem prætermitteret, statim interrogauit Cephalum quid de iustitia ipsa sentiret, quídue planè eam esse duceret. Verùm cum Cephalus discedere cogeretur, Polemarchus, atque alij subinde nonnulli eius partes suscipientes, de Iustitia, & an hæc ad benè beateque viuendum pertineret, acriter contenderunt, maximam primi ac secundi libri partem hac contentione occupantes. Neque tamen rem confecerunt, immo tot tantisque eam dubitationibus implicarunt, vt iniustitia potiùs ad beatam vitam pertinere videretur. Dum ergo in ijs angustijs versarentur: Socrates monens quæstionem grauem esse, atque hominis acutè cernentis, rationem tandem qua commodiùs transigi posse iudicaret, eo exemplo aperuit, quod nobis ipsi paulò ante obijciebamus, nam aiebat.* Quoniam nos aliter non valemus, non aliter iustitiam inuestigandam opinor, ac si quis non acutè cernentibus literas paruas procúlque positas legendas mandasset: deinde animaduertisset aliquas easdem literas esse alibi in maiori quodam loco maiores: atque inde operæpretium censuisset vt eas primò legentes, ita demum minores si eædem sunt considerent. *Quare statim intulit.* Dicimus ne Iustitiam hominis vnius esse? Dicimus totius Ciuitatis? Planè. Ac Ciuitas nonne maior vno virò? Maior. Fortasse igitur Iustitia amplior in maiori inest, faciliórque est cognitu. Quare si vultis priùs quærimus in ciuitatibus quidnam sit: ídque deinde in singulis considerabimus maioris ipsius similitudinem in minoris Idea contemplantes. Scitè mihi loqui videris. Si Ciuitatem oratione constitutam inspiceremus, iustitiam quoque eius & iniustitiam videremus. Fortasis. Quo facto spes erit faciliùs cognoscendi quod quærimus. Maximè. *Hac itaque Iustitiæ inuestigandæ ratione exposita ad ciuitatem progressus est effingendam: vt cum tandem iustitiae effigies in Republica veluti in magno quodam speculo apparuisset, faciliùs in minori agnosceretur: atque ita demum decerneretur an ad beatè viuendum esset necessaria. Rempublicam igitur tum in reliqua secundi libri parte, tum in tertio ac quarto formauit. cúmque animaduertisset iustitiam in Republica esse quandam moderati imperij*

perij

perij ἀταξίαν, & κατὰ φύσιν ἀρχόντων καὶ ἀρχομένων κατάστασιν, in qua videlicet suas quisque partes & cognosceret & obiret, ad hominem transtulit hanc iustitiæ rationem, statuítque in homine iustitiam eſse illã harmoniam symmetriámque virtutum, qua omnes affectiones atque cupiditates rationi obtẽperarent, ac singulæ partes singula vitæ officia sapiẽter constãtérque tuerentur. Interim verò optimo Reipublicæ statu inuento, atque homini accommodato, cæteras gubernationis formas, in quibus ab optima discederent, inuestigare instituebat, vt eâdem similitudine varias hominis affectiones agnosceret, in quibus ipse quoque a iustitia atque ratione deflecteret. Sed dũ id aggreditur in ipso quinti libri initio, ecce tibi Adimãtus interpellat eum quòd non benè explicasse videretur ea quæ in quarto de vxorũ filiorúmque cõmunitate attigerat. Ergo in hac explicãda quintũ, sextum, & septimum librum consumpsit, ostendere contendens communiorẽ illam tum vtilẽ esse, tũ fieri posse: modúmque præterea quo fieri deberet (id autem fecit philosophico ingenio custodem effingens) exposuit. Statímque libro octauo & nono intermissam περὶ τῶν ἡμαρτημένων πολιτειῶν, de prauis, inquam, rerum publicarum gubernationibus pertexuit disputationem, & sub decimi initium fusiùs sua de Poëtis sententia, quam in secundo ac tertio tulerat, explicata, tandem in reliqua decimi parte de præmijs & pœnis tum huius, tum alterius vitæ, ac de immortalitate animi egit, simúlque iustitiæ laudes iniustitiaéque vituperationẽ (vt scilicet quæstionem ab exordio positam explicaret) persequutus est. docẽs beatam vitã iustitia atque virtute ipsa parari. Hoc est, si res diligènter examinetur librorũ illorũ argumentum: haécque totius illius disputationis οἰκονομία & ratio. Quibus positis, iam ad epilogum reuertamur, ac dubitationẽ paulò ante allatã diluamus. Ergo verissimè quidem Socrates, antequã ciuiles institutiones attingeret, de iustitia agebat: quærebátque an iniustitia (quod aduersarij contẽdebãt) an potiùs iustitia esset necessaria ad benè beateque viuendũ: atque idcirco etiã ad Remp. instituendam descẽdit, vt in maiore quadã idea Iustitiæ vi ac natura cognita eandẽ deinde posset in homine agnoscere: quod & fecit politicũ illud πάρεργον τῷ ἔργῳ, Iusto nẽpe accõmodans. Ita vt præcipuus scopus omnino sit Iustus, quẽadmodũ idemmet Plato frequenter monuit. Verùm Socrates in hoc Epilogo simulat se repetisse Timæo ac socijs non quæ de Iusto disputarat, sed quæ de Republica. Ita vt quod fuerat πάρεργον & aduentitiũ in illis libris, ἔργον atque argumentũ ipsum fuerit in repetitione. Quod præterquam quod ex eo constare satis potest, quoniam Plato in libris de Republica passim reuocat in memoriã se politica illa iusti causa attingere, in Epilogo uerò nihil de Iusto meminit: sed sẽper ait se repetitione illa & iteratione formasse Rẽpublicã; ex eo etiã apertissimè intelligitur, quòd in hoc epilogo ea omnia omittit, quæ in primo libro, magnáque secundi parte de Iusto disserit: quaéque extremo quarto & decimo de eodẽ tradit, dũ ad iustum traducit sermonẽ uniuersum, atque iustitiã ad beatam uitam necessariam esse cõcludit. Contra uerò ea colligit, quæ inter secundum & sextum librum Iusti

Tollitur dubitatio.

gratia

gratia de Republica interiecerat. Nam ea quæ in quinque postremis libris traduntur, non omnino pertinent ad ciuitatem instituendam, sed partim ad diluendam calumniam qua Politiam illam non solùm inutilem esse, verùm etiam commentitiam atque ἀδυώατον obijciebatur, partim ad διέξοδον, quo ἡμαρτημένας gubernationes, atque ab optima politia discedentes affert, vt ea similitudine hominis affectiones à iustitia & ratione declinantes agnosceret: partim denique, vt quæ de Poëtis tradiderat, paulò vberiùs exponeret. Ita vt hæc ad Epilogum non oporteret reuocare. Ergo vt ad rem redeam, septem epilogi huius capitibus septem planè capita colligit, quæ iam antea (vt dixi) & interiecerat tanquam πάρεργον secundo ac sexto libro, & postero die repetitionis ἔργον effecerat. Vt quamuis in libris illis præcipuus scopus sit Iustus, repetitionis tamen argumentum quo totus hic epilogus nititur, sit vna Reipublicæ institutio. ac propterea vt in epilogi fine contendit nihil planè de hesterna illa disputatione, quoad tamen compendio liceret, prætermissum esse, ita iure optimo ait Socrates. Summa disputationis hesternæ erat Respublica qualis mihi & ex quibus viris optima fieri posse videretur. *Sed iam Timæum audiamus, qui Socrati repetitionis illius summam commemoranti respondet.*

Part. X.

Τί. Καὶ μάλα γε ἡμῖν, ὦ Σώκρατες, ῥηθεῖσα πᾶσι κατὰ νοῦν.

Ti. Nobis certè omnibus valde probata sunt o Socrates quæ dixisti. — Ficinus.

Tim. Et hæc quidem Reipublicæ forma ex omnium nostrum sententia præclarè explicata est a te. — Nou. inter.

Tim. Ac summopere quidem Socrates nobis probata sunt omnibus quæ dixisti. — Benius.

Comm. X.

Hæc Timæus. Quibus vt Socratem ad ea breuiter pertexenda seu potiùs indicāda prouocaret quæ hesterna die recensuerat, declarat ea sibi cæterisque omnibus valde fuisse probata. & rectè quidem. Cum enim ea libenti animo tractare quisque soleat, quæ suo ingenio inuênit, idque apud eos alacriùs quibus sua valde probari intelligit, iure Timæus, vt ea suggereret Socrates, communem omnium approbationem attestatur. Quamobrem Socrates etsi per se satis animatus, his calcaribus admotis, rem nulla interposita mora aggreditur. Non malè autem Plato noster verisimile tuetur, dum Timæus quasi optimè sociorum mentes ac iudicia explorasset, non modò suo, sed aliorum quoque nomine illam politiā probat. Nā vt infra apparebit, Timæus ac socij statim atque a Socrate, iterata illa Reipublicae institutione audita, discesserāt, multa vltro citróque de eâdem disseruerant. Atque idcirco Fannius apud M. Tullium in Laelio cùm simili praetextu vti non posset (res enim de qua erat agendum, non antea in sermonem venerat: sed improuisò ponebatur) aliā verisimilis ac decori tuendi rationē inijt, Quare Pergratum (*inquit*) mihi feceris, spero item Scæuolæ, si quemadmodum soles de cæteris rebus cum ex te quæruntur, sic de amicitia disputaris, qualem existimes, quæ præcepta des. *Vbi etiam Cicero, vt erat verisimilis ac decori apprimè studiosus, peropportunè statim fecit Scaeuolam respondentem,* Mihi verò pergratum hoc erit: atque idipsum cum tecum agere conarer,

Fannius

Fannius anteuertit. Quare vtrique nostrum gratum admodum feceris. *Quae Ciceronis industria in eodem quoque libro eluxit postea, cum diceret Scaeuola.* Tu verò perge Læli: pro hoc enim qui minor est natu, meo iure respondeo. *Et in libro de Senectute vbi*, Gratissimum nobis *(inquit Laelius)* vt pro Scipione pollicear, feceris Cato, si quoniam volumus & speramus quidem senes fieri, ante multò a te didicerimus, quibus facillimè rationibus ingrauescentem ætatem ferre possimus, *Dum enim ait*, vt pro Scipione pollicear, *ac caeteras eiusmodi quasi officij vias frequentat, omnino efficit ne alter temerè videatur alterius uoluntatem ac studium polliceri. Sed ad Socratem redeamus, qui cum de Timaeo audijsset sibi caeterisque ualde fuisse probata, quae ab ipso breuiter iterari postularant, statim epilogum aggreditur his uerbis.*

Part. XI.

Σω. Ἆρ' οὖν οὐ τὸ τῶν γεωργῶν ὅσαι τε ἄλλαι τέχναι πρῶτον ἐν αὐτῇ χωρὶς διειλόμεθα ἀπὸ τοῦ γένους τοῦ τῶν προπολεμησόντων;

So. Principiò agricolas cæterosque artifices a militibus separauimus. — Ficinus.

So Nonne agricolarum, omniumque aliorum artificum genus principiò distinximus ab eorum hominum genere penes quos futura esset prior belli pars? — Nou, Inter.

Soc. Nonne agricolas aliosque opifices prima ipsa institutione ab ijs separauimus, quos ciuitatis propugnatores esse volumus? — Benius.

Com. XI.

† Ar. lib. 7. Pol. c. 12.

Hoc est, quod primo loco ad Epilogum reuocat Socrates. Quod, mea quidem sententia, non ita omnino accipiendum est, quasi præcipiat separatim agricolis cæterisque artificibus degendam eße vitam: quemadmodum & † Aristoteles de Sacerdotibus decernit, & ante eum Platonicus Critias (vt videbimus) apud Aegyptios, ac priscis temporibus apud ipsos Athenienses factũ eße docuerat: (hoc enim de agricolis præcipuè & custodibus per se constare satis poterat, quorum priores rei rusticæ & colendis agris, posteriores rei bellicæ, ciuitatisque custodiæ destinarat) sed ad munera functionésque intuetur: in quibus neutrum alterius munera obire permittit, ac partes attingere. Et quamuis verè statuißet Socrates vt milites seu custodes a cæteris omnibus separatim viuerent, quemadmodum tertio de Rep. ad extremùm legitur; tamen neque hoc tradiderat à principio politicæ institutionis, unde epilogum & se exorsum eße profitetur, & omnino ordiri debuit, ne ordinẽ perturbaret: neque de agricolis explicatè id præceperat. Ergo (ut dicebam) magis pertinet hæc separatio ad functiones: decernitur enim ne agricola aut quiuis alius artifex militum officia tractet: aut contra milites aliud quàm suum munus exerceant. Quam rem tradit Plato in secundo de Republica statim ab ipsa Reipublicæ institutione, ubi etiam fusè huius rei causas persequitur, omninóque efficit singulis singulas artes eße tractandas. Potißimùm uerò (ut multa præteream) suam hac de re sententiam expreßit cum per Socratem & Adimantum diceret. Agerétne meliùs aliquis vnus omnes simul artes, vel singuli singulas? Singuli singulas. Atqui & hoc manifestum esse existimo, quòd si nobis in alio quodam negocio occupatis opportunitas alicuius operis præterit, eiusdem perit & actio. Patet. Non enim

nim quod faciendum eſt, facientis otium expectare vult, ſed neceſſitas cogit facientem opus ipſum obſeruata ſemper occaſione proſequi. Neceſſe eſt. Ex his patet ſingula fieri & plura, & meliùs, & faciliùs, quando ſinguli ſingula ſecundùm naturam occaſione ſeruata ab alijs ceſſantes efficiunt. *Meminit autem in Epilogo agricolarum primo loco, proprióque nomine ut epilogus inſtitutioni omnino reſpõderet. Nam vt hæc ars ad vitam ciuitatémque tuendam præcipuè eſt neceſſaria, ita de ea primo loco mentionem fecerat, caeteras ſubinde artes pertexens. Similiter etiam agricolas ac cæteros artifices a militibus peculiariter atque nominatim memorat ſeparatos, quoniam licet nullas artes miſceri permittit, id tamen grauiſſimis verbis, ac præcipua cura præceperat militibus. Quare aiebat.* Nonne ad pugnandum iſti ſufficiunt quos narrauimus? Non, ſi quidem tu atque omnes rectè ſuperiora conceſsimus, cum vrbem conſtituentes in hoc conueniemus impoſſibile eſſe vnum plures artes benè exercere. Vera loqueris. Certamen bellicum nonne artificioſa facultas eſt? Eſt & maximè quidem. Nunquid igitur de bellica magis quàm de coriaria eſt curandum? Minimè. Prohibuimus autem ne coriarius opera ſimul aggrederetur agricolæ, vel textoris, vel architecti, & in ſua dumtaxat arte verſari præcepimus, vt opus ipſius quamoptimè conficeretur: ſingulíſque alijs ſingula pro cuiuſque ingenio tribuimus, vt quiſque id vnum ad quod natura ducit, aggrediatur, ociúmque a cæteris agens ac tẽporis opportunitate ſeruata optimè illud efficiat. An verò parùm quid intereſt vtrum bellica rectè peragantur necne? An fortè vſque adeò facilè hoc ſtudium, vt poſsit quis bellicoſus ſimul vir eſſe & agricola vel coriarius, vel alius aliquis artifex? Luſor quidem talorum, vel alearum nullus quidem idoneus eſſet, ni a pueritia ſtudium illi arti adhibuiſſet, ſedulúſque incubuiſſet. Et ſcutum quidem accipiens, vel alia quædam militaria arma & inſtrumenta vno die idoneus miles erit in quouis certandi genere: aliorum verò inſtrumentorum nullum aliquem artificem faciet, vel athletam, neque vtile erit illi, qui in eo ſtudio peritus non fuerit & ſufficienter exercitatus. Precioſa admodum inſtrumenta eſſent. Nonne quanto maiùs cuſtodia opus eſt, tanto maiori otio indigebit artéque & exercitatione maiori? Ita exiſtimo. *His atque alijs huiuſmodi quæ deinceps habentur ſtatuit vt milites cæteris omnibus muneribus relictis præcipuo quodam ſtudio in ſuis exercerentur. Vt mirum videri non debeat a militibus peculiariter ſeparatos agricolas cæteróſque artifices memorari. Atque hac etiam de cauſa factum eſt vt cuſtodes præcipuè a cæteris omnibus habitatione quoque (id quod eminus fortaſſe & quoquo modo ſpectare potuit in epilogo) ſepararit. Dum verò hic agricolas atque alios artifices a militibus ſeu* προπολεμησόντων *diuidit, intelligendum eſt duplex militum ſeu propugnatorum genus feciſſe; alterum quod peculiari nomine* φύλακον, *ideſt cuſtodem appellauit: alterum quod interdum nominat* ἐπι-

κουρικὸν,

ἐπικουρικὸν, auxiliarium, interdum etiam proprio nomine πολεμικὸν, bellandi peritum. Atque hunc tum authoritate, tum rei bellicæ laude priori longè inferiorem fecit. Quare in quarto de Republica, cum quandam Iustitiæ formam exprimeret dicebat. Quoties autem aliquis artifex vel alius natura quæstuarius diuitijs elatus vel multitudine copiáque vel robore, aut eiusmodi alio quopiam εἰς πολεμικοῦ εἶδος in militaris, inquā, hominis ordinem transire conatur, vel πολεμικὸς, cum sit indignus, in βουλευτικοῦ καὶ φύλακος consiliarij scilicet custodisquè ascendere dignitatem, & instrumenta vicissim isti præmiaque permutant, aut idem aliquis hæc omnia simul peragere tentat, tunc arbitror huiusmodi confusionem peruagationémque tibi videri ciuitatis totius interitum. *Vbi sanè & πολεμικὸν a φύλακος militem, inquam, a custode distinguit: & ipsum custodem in eodem quasi gradu habere videtur in quo βουλευτικὸν, consiliarium inquam, constituit. Immo paulo post visus est custodem consiliariúmque pro eodem accipere: nam ciuitatem in tres hominum ordines distribuit χρηματιστικὸν, ἐπικουρικὸν, φυλακικὸν, quæstuosum, auxiliarium, custodem: vbi pro auxiliario sine dubio militem auxiliarium intelligit: custodem autem, quoniam in superiore gradu statuit eum, videtur pro consiliario accipere: ita vt Ficinus pro φυλακικοῦ non dubitarit consularem vertere, quasi βουλευτικὸς & φυλακικὸς idem sint. Et idcirco etiam ipse Plato in quinto de Republica sub initio eos dicebat φύλακος, seu custodis nomen mereri οἳ νόμους τε καὶ ἐπιτηδεύματα πόλεων δυνατοὶ φαίνονται φυλάξαι, qui (inquam) leges atque instituta Ciuitatis optime tueri posse videntur. Iam igitur quem horum intelligit hîc Socrates militum nomine, quos a cæteris artificibus separauit? auxiliatoresne, an verò custodes, an denique vtrosque? Custodes, (ni valde quidem fallor) intelligit; idque tum quia eos non ἐπικουρικοὺς aut πολεμικοὺς, sed προπολεμήσοντας vocat: quibus verè ac propriè non meri milites intelliguntur, vt Ficinus vertit, sed ij apud quos erat præcipua belli administratio: tum quia statim τούτοις (inquit) οἷς προ πάντων ἔδει πολεμεῖν (hîc verò pulcherrimè alludit ad προπολεμησόντων nomen ac munus) εἴπομεν ὡς ἄρα αὐτοῖς δέοι φύλακας εἶναι μόνον τῆς πόλεως, εἴ τέ τις ἔξωθεν, ἤ καὶ τῶν ἔνδον ἴοι κακουργήσων, δικάζοντας μὲν πρᾳέως τοῖς ἀρχομένοις ὑπ᾽ αὐτῶν. Id est*, Hos solùm, quos præ cæteris oporteret bellum gerere, diximus custodes esse debere ciuitatis: siue externus aliquis, siue etiam ciuis iniuriam inferre conetur: atque ita subiectis iure reddundo mites humanósque se præbere: hostibus verò feroces. *Quare si rectè seipsum explicat Socrates, satis supérque constat προπολεμήσοντας non nisi custodes esse, quos rei bellicæ, ciuilique administrationi præfecerat. Quamobrem non satis intelligere possum quid sibi velit Aristoteles in sua Politia † vbi duas seu potius tres partes efficiens Socraticæ politiæ, hunc locum sic explicat*. Diuisit Socrates in duas partes multitudinem habitantium, in agricolas, & in propulsatores belli: tertiam ex ijs fecit eos qui consultant atque deliberant: & in quibus summa Reipublicæ constitit authoritas. *Verè*

† *l. 1. c. 4.*

enim Plato eos introduxit in ſuam Rempublicam quos Ariſtoteles προπολέμοις uocat: ſed in primo loco habuit illos non in ſecundo: in ſecundo enim ἐπικουρικοὺς poſuit: quos tamẽ a cuſtodibus eodem quaſi interuallo relinqui uoluit, quo ab auro argentum relinquitur: quemadmodum etiam quæſtuoſos ab auxiliarijs diſtinxit ſicut ferrum atque æs diſtinguitur ab argento. Quare callidè (ut ſcilicet ad inſectandum faciliorem haberet aditum: neque enim inſcitia peccaſſe eum crediderim) cuſtodes in auxiliarios cõuertit Ariſtoteles, eorúmque munera permiſcuit. Niſi tamen quia graecè eſt εἰς τὸ προπολεμοῦν μέρος, in propugnantẽ partem, dicas horum nomine tum cuſtodes tum auxiliarios intelligere: eóſque omnes belli propulſatores appellare, quòd omnibus contra hoſtes ſit dimicandum: cui rei niſi de nominibus certare uelimus, non ualde eſſet cur contradiceremus: nam quemadmodum tertio hominum generi quod ex ſecundo conflauit, conſultandi munus tribuit, ita eidem primas in re bellica potuit demandare quaſi προπολεμοῦν μέρος, propulſatores inquam, non cuſtodis amplius & auxiliarij nomine, ut primum fecit, ſed ſolius cuſtodis titulo ad hunc ordinem redegerit. Quod ſi etiam Platonem ipſum paulò obſcurius in hac re loquutum dicas, qui militem inſtituens, modò in cuſtodis, modò in auxiliarij ordinem referre uiſus ſit, ac magiſtratus etiam ἐπικούροις alicubi appellarit, immo cuſtodum animis non modò aurum ſed etiam argentum diuinitùs admixtum dicat, cum tamen antea ἄρχουσι aurum, auxiliarijs argentum dediſſet, equidem ne diutiùs quàm par eſt in politicis immorer, non omnino tecum in præſentia pugnabo. Sed iam audiamus Timæi reſponſionem, qui annuens Socratis percontationi, aſſerit.

Ficinus. *Nou. inter.*

Part. XII.

Τίμ. Ναί.

Timæus. Certè. *Benius.*

Timæus Ita.

Timæus. Ita ſanè.

Comm. XII.

Vbi ut pro omnibus reſponderat antea, ita etiam modò ipſe unus confirmat agricolas cæteroſque artifices a militibus ſeu potiùs a cuſtodibus a principiò fuiſſe ſeparatos. Quare Socrates ſuum proſequitur epilogum his uerbis. *Ficinus.*

Partic. XIII.

Σω. Καὶ κατὰ φύσιν δὴ δόντες τὸ καθ' αὑτὸν ἑκάστῳ πρόσφορον, ἓν μόνον ἐπιτήδευμα ἑκάστῃ τέχνῃ, τούτους, οὓς πρὸ πάντων ἔδει πολεμεῖν, εἴπομεν, ὡς ἄρα αὐτοὺς δέοι φύλακας εἶναι μόνον τῆς πόλεως, εἴ τέ τις ἔξωθεν, ἢ καὶ τῶν ἔνδον ἴοι κακουργήσων

So. Cum verò cuique quod pro naturæ inſtinctu præcipuè ſuum eſt, & ſingula tantùm ſingulis artibus officia ttibueremus, illis quoque quos præ cæteris bella gerere oporteret, id vnũ duntaxat, protegendæ ſcilicet ciuitatis munus iniunximus: et aduerſus heſternos hoſtes, & aduerſus ciues Reip: euerſores: ita vt erga ſubiectos tanquam natura amicos, mites ſint, contra hoſtes verò prælio ferociſſimi. *Nou. inter.*

So. Et ex naturæ ſuæ inſtituto & ratione tributis, quæ ſingulis per ſe cõuenirent partibus, vnicuique arti vnam quandam certamque

γίστων, δικάζοντας μὲν πράως τοῖς ἀρχομένοις ὑπ' αὐτῶν, ἅτε φύσει φίλοις οὖσι, χαλεποὺς δὲ ἐν ταῖς μάχαις τοῖς ἐντυγχάνουσι τῶν ἐχθρῶν γιγνομένους.

actionem assignauimus, in qua versaretur: Eos qui ante alios omnes bellum gesturi essēt diximus ciuitatis custodes tantùm esse oportere, seu quis intra ciuitatem eiusque ditionem, siue extra illaturus esset iniuriam. ita vt ijs qui ipsorum imperio subiecti sint, vtpote natura amicis (iuri reddundo) mites, humanosque se præbeant: hostibus in pugna aduersis sæuos atque feroces.

So. Cum verò id vnum cuique tribueremus quod eorum naturæ optimè conueniret, ac singulis proinde artibus singula studia exercitationesque præscriberemus: statuimus etiam vt ijs quibus præcipuè militandum esset ad vnius Ciuitatis custodiam incumberent: idque siue aliquis externorum, siue Ciuium illi infestus esset: ita tamen vt ijs qui parent eorum imperio, vtpote natura amicis, mansuetè & clementer iustitiam administrarent: in hostes verò feroces se præberent ac bellicosos. Beniui.

Com. XIII *Cum exposuisset agricolas cæterósque artifices ab ijs fuisse seiunctos qui belli administrationem gerunt, hîc iam explicat (neque enim ut opinor nouam distinctionis rationem addit priori, sed potiùs eam ipsam declarat) quod distinctionis genus fuerit illud: docétque ad munerum functiones pertinere: quia scilicet singuli (ut dicebamus) singulas artes tractare debeant, non uarijs se se admiscere. Deinde uerò, quoniam custos etiam ex ijs erat unus cui unius tantum rei cura erat suscipienda, declarat quódnam præcipuè illius esset officium. Quod autem pertinet ad primum, non magna eget explicatione; nam præterquam quod significauimus supra cur statuerit Plato singulos non nisi singulas artes exercere debere, hîc ipsemet totius rei causam indicat: quia scilicet* κατὰ φύσιν ἑκάστῳ πρόσφορον *sit tradendum: singulis uerò* ἓν μόνον ἐπιτήδευμα *sit* πρόσφορον, *quod fusè quidem in secundo de Republica (ut nos etiam partim retulimus supra) probauit uerbis illis.* Vnumquenque istorum (*loquebatur autem de agricolis ac cæteris, quos eo usque ciuitati necessarios indicauerat*) oportet suum opus alijs communicare? videlicet agricolam vnum viris quatuor victum præparare: & in quadruplo tempus & laborem in agricultura consumere, atque alijs communicare? an potiùs aliorum cura neglecta quartā sibi soli partē comparare? præparationem videlicet alimētorum in quarta tēporis parte? reliquarum autē partium tēporis vnā in construenda domo, aliā in vestitu, aliam in calceis conficiendis conterere: neque curiosè alijs rem suam cōmunicare, sed ipsum sibi sine alterius auxilio prouidere? Forte hoc modo, ò Socrates, inquit Adimantus, facilius esset quàm illo. Maximè per Iouem inquā: absurdum enim. Nā te loquente considero nasci nos quidem non admodū similes, sed differentes inuicē, singulosque ad singula opera promptos natura produci. An nō tibi videtur. Mihi verò. Quid autē? ageretne meliùs vnus aliquis omnes simul artes, vel singuli singulas? Singuli singulas. Atque & hoc manifestum esse existimo, quòd si nobis in alio quodam nego-

cio occupatis opportunitas alicuius operis præterit, eiusdem perit & actio. Patet: non enim quod faciendum est, facientis otium expectare uult: sed necessitas cogit facientem, opus ipsum obseruata semper occasione prosequi. Necesse est. Ex his patet singula fieri, & plura, & meliùs, & faciliùs quando singuli singula secundùm naturam occasione seruata ab alijs cessantes efficiunt. *His docuit Plato singulis singulas artes, non multas esse tractandas. Quam sententiam passim tanquã initium quoddam ac fundamentũ politicæ institutionis in eorũ librorum cursu vsurpauit, ac multis etiam modis illustrauit, vt per se quisque poterit animaduertere in illis libris: mihi enim illud interim satis erit recensere, quod ad hanc sententiam comprobandã ex libro de Philosophia desumi potest: vbi à Platone pentathli, seu quinquertij exẽplo hoc dogma mirificè illustratur. Etsi enim (inquit ille) pentathlus multis artibus pollet, in nulla tamen ita excellit, quin ijs omnibus cedere debeat, qui singulas tantùm artes pro virili complexi sunt. Quare cursoribus cedet in cursu, in iaculando peltastis, sicque demum in reliquis exercitationibus ac certaminibus nullum eorum æquare poterit, qui non multis, sed vnicæ sese addixerunt exercitationi. Quamobrem Aristoteles in primo Politicorum libro † cum probare vellet fœminam & seruum natura esse distincta, quia is natura sit natus ad seruiendum ei qui viribus pollet: fœmina viribus sit infirma; ad hoc præceptoris sui fundamentum confugiebat quòd natura nihil facit tale, quale statuarij Delphicum gladium propter inopiam, sed vnum ad vnum. Vt propterea rectè statuat Plato, singulis singulas artes non plures exercendas esse. Iam verò quod pertinet ad secundum in quo describit custodum munus, duo tradit: alterum quod ex dictis sequitur: eos videlicet vnam vrbis protegendæ curam suscipere debere. nam si singulis singula munera obeunda sunt, haud dubitandum est, quin custodi cui tam graue munus est demandatum, in hoc vno toto pectore versandum sit. Alterum pertinet ad generalem quandam muneris descriptionem ac formam, quod explere debet custos. Quae sanè forma est vt in protegenda ciuitate sit ferox & mitis. Et sapienter quidem: etenim ciuitatem (vt ex ipsomet intelligitur) tueri debet vel pacis officijs, vel bello: et hoc aut externorum, aut ipsorum ciuium iniurias propulsando. Eos igitur qui pacem colunt, amicè debet excipere, atque πρᾴως δικάζειν, mansuetè, inquam, atque clementer in iustitiæ administratione (quod munus non admodum expreßit interpres) tractare: propter cæteros verò bellicosus ac ferox se debet ostendere, vt & eos domare poßit, & ciuitatem ipsam tueri. Interim verò Timæus confirmat reuera fuiße statuta quæ recensebat Socrates, atque ait.*

† *cap. 1.*

Part. XIV. Τίμ. Παντάπασι μὲν οὖν. *Timæus. Ita prorsus.* *Ficinus.*

Timæus. Penitus sanè. *Nou. inter.*

Timæus. Sic sanè. *Benius.*

Comm. XIV. *Ac Socrates pergens ait.*

Part. XV. Σω. Φύσιν γὰρ οἶμαί τινα τὴν φυλάκων τῆς ψυχῆς ἐλέγομεν ἅμα μὲν θυμοειδῆ, ἅμα δὲ φιλόσοφον δεῖν εἶναι, διαφερόντως. ἵνα πρὸς ἑκατέρους δύναιντο ὀρθῶς πρᾶοι καὶ χαλεποὶ γίγνεσθαι.

So: Duplicem ſanè naturam in custodū animis reſidere diximus, & iracundā, & philoſophico ingenio præcipuè accommodatam: vt rectè in ſuos manſueti ſint, in alienos autem feroces. Ficinus.

So. *Diximus enim, ſicuti arbitror, ecqua natura custodum animi debeant eſſe praedui, vt nimirum vnà & irritabilis iracundaque ſit, & vnà prudens ſagaxque maximè: quò aduerſus vtroſque homines rectè & opportunè humani & feroces eſſe poſsint.* Nou. inter.

So: Ac propterea dicebamus, opinor, custodes ita à Natura effictos eſſe debere, vt tum excelſo animo ſint ac forti, tum ſapientiæ virtute excellant. ſic enim erga amicos humani erunt ac faciles: in hoſtes verò fortes atque feroces. Benius.

Com. XV. *Quibus verbis rationem attingit, qua custos pro muneris dignitate ſe gerere poſſet, tum bello in hoſtes ac ciues tumultus in Republica excitantes: tum pace erga amicos ac ſubiectos: atque eius naturam ſimul iracundam & philoſophicam eſſe debere: ſic enim factum iri, vt erga hos manſuetus, erga illos ferox exiſtat. Totam autem hanc custodis inſtituendi rationem atque doctrinam tradit Plato in ſecundo de Rep: eo fermè ordine quo ipſam ad epilogum redegit. Nam cum eos enumeraret qui ad ciuitatem erant adducendi, tandem ad custodem venit, quem cum docuiſſet maximè neceſſariū eſſe Reipublicæ, & à cæteris omnibus muneribus abſtinere debere, vniúſque protegendæ Vrbis curam ſuſcipere, tandem rationem etiam attulit, qua ſuo muneri ſatisfacere poſſet: ſi nimirum manſuetum atque clementem ſe præberet ſubiectis, hoſtibus verò ferocem: & vt id præſtare poſſet, eum à prima ætate diligenter inſtituendum, húcque omnem induſtriam referendam eſſe monuit, vt iracundi ſimul & philoſophici ingenij eſſet. Atque hanc ſanè rem cum alijs rationibus, tum præſertim generoſi canis cui ſimilem optabat custodem, illuſtrauit exemplo, cum ſic diceret.* Exiſtimas ne differre naturam generoſi canis & generoſi adoleſcentis ad cuſtodiam agendā? Quorſum hæc? vtrunque ipſorum ſagacem eſſe oportet ad ſentiendum, & velocem deinde ad inſequendum, ac demum robuſtum cū aſſecutus fuerit, ad pugnandum capiēdúmque. Opus certe eſt omnibus iſtis. Atqui audax & fortis ſit, oportet, ſiquidem benè pugnaturus ſit. Quidni. An verò fortis erit & audax qui iracundus nō ſit, ſiue equus ſiue canis, ſeu quoduis aliud animal? An non animaduertiſti inexpugnabilem eſſe iram, qua præſente anima omnis intrepida ad omnia eſt & inuicta? Animaduerti. Manifeſtum eſt qualem corpore cuſtodem eſſe oportet. Manifeſtum. Quinetiam qualem & anima: ſcilicet iracundum. Et hoc. *Et paulò poſt, ne exiſtimaremus talem ferocitatem ciuitati fore noxiam, quòd manſuetudinem tolleret, in eodem exēplo perſiſtens.* Noſti enim (*inquit*) generoſi canis hunc à natura morem eſſe vt aduerſus familiares & notos mitiſsimus ſit: cōtra verò aduerſus ignotos? Noui certe. Ergo neque impoſsibile eſt, neque

præter

præter naturam quod quærimus: talem videlicet esse custodem. Sic apparet. *Hæc atque alia, quæ per se quisque recognoscere potest, in hanc rem attulit. Atque hinc ad ea perrexit, quibus statuebat philosophicum quoque ing: nium in custode reperiri debere, ac simul disiunctis his affectionibus tẽperari. Quare aiebat.* An videtur præterea tibi opus esse, vt qui futurus sit custos, ad ferocitatem illam addat, vt Natura Philosophus sit. Quomodo istud ais? non enim intelligo. Atqui & hoc in canibus intueri licet, quod quidem in bestia dignum admiratione sit. Quale istud? Quem enim ignotum videri grauiter ferre, etsi nihil ab eo mali sit perpessus: noto autem blanditur, quamuis nihil boni ab eo susceperit. An nondum hoc admiratus es? Haud hucusque valde animaduerti. Quod autem hoc facit manifestum est. At enim videtur hic naturæ ipsius effectus ingenuus ac verè philosophicus. Qua ratione? quoniam aspectum nulla alia re amicum & inimicum discernit, quàm quòd hunc quidem nouit: illum autem ignorat. Nonne igitur meritò dicendum erit discendi cupidum atque studiosum, quòd cognitione & ignorantia discernit domesticum ab extraneo? Erit: quidni? Porro discendi studiosus, & Philosophus idem. Idem. Cur igitur audacter non ponamus & in homine: siquidem aduersus familiares & notos mitis futurus est, philosophum ipsum esse & discendi cupidũ oportere? Ponamus. Philosophus igitur & iracũdus & velox & robustus natura erit, qui ciuitatis custos optimus est futurus. Sic est omnino. Talis igitur custos erit. *Ita Plato: quẽ egregiè siue imitatus siue sequutus est Magnus Basilius, qui in ea oratione quã habet ad uersus iracundos, hanc sententiam sic expressit.* Δεῖ γὰρ, οἶμαι, τὴν ἴσην σπουδὴν ἔχειν περί τε τὴν ἀγάπην τῆς ἀρετῆς, καὶ περὶ τὸ μῖσος ἁμαρτίας. πρὸς ὅπερ μάλιστα χρήσιμος ὁ θυμὸς ἐπειδὰν οἷον κύων ποιμένι, οὕτως ὁ θυμὸς τῷ λογισμῷ παρεπόμενος πρᾶος μένῃ καὶ χειροήθης τοῖς ὠφελοῦσι, καὶ ἀνάκλητος τῷ λογισμῷ, πρὸς μὲν τὴν ἀλλοτρίαν καὶ φωνὴν καὶ ὄψιν ἐξαγριούμενος, κἂν θεραπείαν ἔχειν δοκῇ. τοῦ δὲ συνήθους αὐτῷ καὶ φίλου ἐμβοήσαντος, ὑποπτήσσων. αὕτη ἀρίστη ἐστὶ καὶ ἔμμετρος τῷ φρονίμῳ τῆς ψυχῆς μέρει παρὰ τοῦ θυμοειδοῦς ἡ συνεργία. ὁ γὰρ τοιοῦτος ἀδιάλλακτος ἔσται τοῖς ἐπιβούλοις καὶ ἄσπαντος, μηδέποτε τὴν πρὸς τὸ βλάπτον φιλίαν καταδεχόμενος. *Id est.* Pari enim, opinor, erga virtutem amore atque in scelus odio affectos esse nos decet. ad odium concipiendũ iracundia perutilis est vbi tanquam pastori canis, sic illa ratione libenter obsequatur: mitem se amicis ac facilem præbeat: séque ab illa reuocari sinat. Nam canis ad alienam uocem aspectúmque toruus est & agrestis, quamuis contrectari se sentiat atque mulceri. notorum tamen atque amicorum vocem & præsentiam ueretur: hanc operam uis irascendi rationi nauat egregiam. nam qui ita sit affectus, nulla ratione potest insidiatoribus conciliari, nullum cum ipsis habere commercium: nullum unquam cum ijs qui uirtuti aduersantur fœdus init, nullam contrahit amicitiam. *Haec Basilius: cuius iudicium satis súperque omnem Aristotelis calumniam diluere potest, qui libro vij. politicorum † hoc de custo-*

† cap. 7.

de præceptum reprehendere non dubitauit. Nam *Chryſoſtomo qui & ipſe alicubi* † *hoc ipſum Platonis dogma præſtringens,* Philoſophorum Antesignanus(*inquit*) arma addidit mulieribus, nec quicquam dicit differre hominem à canibus, *tum Bernardum, hoc eſt virum ſanctitatis Chriſtianaéque ſapientiæ laude clarum, tum Chryſoſtomum ipſum oppono. ſiquidem ille in aureo quem de interiori domo librum conſcripſit, hanc ipſam ſimilitudinem ſplendidè expreſſit, hominémque cum generoſo cane comparauit: hic autem in eodem planè ſimili perſiſtens, Macabæorum virtutem celebrauit: idque his verbis.* Nonnunquam & fugientes & latentes ſecedebant. Poſtquam autem parum reſpirarunt, tanquam generoſi quidam catuli ex antris exilientes, & è latebris emergentes, ſtatuerunt non ſe ampliùs ſolos ſeruare; ſed etiam alios. *Hæc Chryſoſtomus. Ergo vt ad rem redeam, quemadmodum cuſtodi in Politicis libris vnius protegendæ ciuitatis curam demandauerat, ac rationem præſcripſerat qua tum erga amicos et inimicos in ea tuenda ſe gereret, tum duplicem illam naturam conſequeretur, ita etiam conſtat hæc omnia eodem planè ordine epilogo perſtrinxiſſe. Et ideo dum ſequitur.*

† *hom. 4. in cap. 2. Act. Apo. ante f.*

Part.XVI. Τίμ. Ναί.

Timæus. Proculdubio. — *Ficinus.*

Timæus. Certè. — *Non. Inter.*

Timæus. Ita profectò. — *Benius.*

Cō. XVI. *Iure optimo Timæus confirmat ea fuiſſe dicta. Sed quoniam parùm admodum fuiſſet docuiſſe quid præſtare cuſtos, cuiúſue naturæ eſſe deberet, niſi tandem ratio quoque appareret qua talis euadere poſſet, qualis deſiderabatur, idcirco Plato cum duo priora tranſegiſſet, concludens,* Talis igitur ſit cuſtos, *ad hoc poſtremum aditum munire cœpit dicens,* At quo pacto nutrientur à nobis erudientúrque cuſtodes? *Tandémque rem aggreſſus eſt, gymnaſtica priùs, tum muſica atque alijs huiuſmodi diſciplinis eum inſtituens, & hoc eſt quod ſubdit in Epilogo Socrates.*

Par.XVII. Σω. Τί δὲ τροφήν; ἆρ' οὐ γυμναστικῇ καὶ μουσικῇ ἢ μαθήμασί τε ὅσοις προσήκει, τούτους ἐν ἅπασι τετράφθαι.

So: Quid autem de educatione dicemus? Nonne gymnicis exercitationibus & muſica caeteriſque decentibus diſciplinis eos à nobis inſtitutos fuiſſe? — *Ficinus.*

So: Et quid verò de ipſorum educatione? nonne ſtatuimus illos & in gymnaſticis exercitationibus, & in muſica, alijsque diſciplinis quæ hominem ingenuum decent, omnibus inſtituti oportere? — *Non inter.*

So: Quid autem de illorum educatione præcepimus? Nonne ipſos Gymnicis exercitationibus ac Muſica, cæteriſque omnibus quibus par erat diſciplinis informauimus? — *Benius.*

Cō. XVII *Conſumpſit autem in inſtitutione, quam hîc attingit, dimidiam ſecundi libri partem, cum tertio ferè toto: idque ea planè ratione atque ordine quem mox referam. Nam eum dixiſſet cuſtodis inſtitutionem gymnaſtica & muſica contineri, eámque ad corpus, hanc ad animum pertinere, ſtatim à Muſica exorſus eſt. Cúmque hanc ſermones etiam comprehendere vellet, hos di-*

ſtribuit

stribuit in duas species, nempe in orationem veram & falsam: monénsque in vtroque erudiendum esse custodem, à falsa incœpit. Vbi sanè cum docuisset falsam orationem, quæ fabulas Poëtarúmque commentationes *continet, magnum momentum habere ad pueros informandos, curandum maximè statuit vt ijs fabulis non nisi ad temperantiam, iustitiam, cæteráſque virtutes excitarentur. Atque idcirco etiam præcepit vbinam & quomodo loquendum eßet de dijs, de heroibus, præcipuè verò de summo Deo: de quo præclarè multa: varias interim Hesiodi, Homeri, Aeschili, aliorúmque Poëtarum sententias ac dicta examinans & refellens. Tum verò libro tertio hac ipsa ratione expendit multa, quæ ab ijsdem Poëtis dicuntur de inferis: normam perscribens ad quam de istis loquendum eßet, ne aut effusi nimis ad risum, ac molles efficeremur: aut timore plùs quàm deceat huiusmodíque perturbationibus iactaremur. Atque hinc etiam declarauit quomodo de hominibus sermo habendus esset. Cum verò tradidißet quæ essent dicenda instituit etiam agere de modo ac ratione dicendi: atque idcirco aßerebat.* De ijs ergo quæ dicenda sunt, quaéue non, satis est disputatum: deinde de dicendi ratione, vt arbitror, est disserendum. *Quo circa primo loco egit de narratione quæ imitatione caret, tum de ea quæ imitatione conficitur, siue ea mixta esset, siue perpetua: simúlque recolens quæ imitanda eßent aut non imitanda, decreuit; quo narrationis genere vtendum eßet. Quibus absolutis.* Videmur iam (*inquit*) o amice, satis de ea Musicæ parte dixisse, quæ circa orationes fabuláſque uersatur: nam & quæ dicenda sunt & quomodo exposuimus. *Statim itaque descendit ad alteram Musicæ partem, quæ rythmo & harmonia continetur: ostendítque quibus rythmis, quáue harmonia dicendum esset viro temperato. Quibus addidit quae ad sermonis decorem & venustatem, animíque ipsius moderationem pertinent retinendam. Et quoniam ad praeclaram morum imaginem exprimendam, non solùm* Poëtae *studium magnum momentum habet, verùm etiā pictoris, aliorúmque multorum artificum industria, idcirco quæ* Poëtis *præceperat in huiusmodi imaginibus effingendis, éadem in caeteris illis artibus voluit eße rata. Demúmque cum perfecta Musicæ institutione temperantiæ, fortitudinis, caeterarúmque huiusmodi virtutum cognitionē coniunxit, quòd custos ex* Poëtarum *caeterorúmque artificium imaginibus non facilè virtutum semina atque igniculos haurire ac concipere poßet, qui earundem virtutum naturam ignoraret. Cum verò in ijs omnibus Musicæ nomine custodem instituißet ad gymnasticam se contulit, quare aiebat.* Nonne tibi videtur finem suum iam sermo de Musica consequutus? Quo enim finiri debet, iam applicuit: oportet enim Musicam in amatoria pulchri finire. post Musicam verò gymnastica exercendi sunt iuuenes. *Hic ergo cum edixisset corporis exercitationes debere ab animi moderatione ac virtute ipsa proficisci, ebrietatem primùm quam acerrimè vituperauit, fugiendam iussit: tum ea cibi copia atque affluentia reiecta, qua vtebantur athletae; frugalem admodum mensam parauit custodi suo. Atque hoc pacto quemadmodum harmoniæ varietate sublata, animi aegritudini non leuiter*

uiter consuluit, ita etiam ciborum varietate ac copia repudiata, prospexit corporis morbis. Operam quoque Iudicum ac Medicorum monuit parùm desiderandam esse, cum horum usus ciuilem disciplinam collapsam esse satis ostenderet. Atque idcirco iudiciorum litigia, & medicamentorum infinitatem expostulans, his artibus modum præscripsit. Interim ad gymnasticam se referens, ea vtendum voluit ad animi magis quàm corporis robur ac vires comparandas: docuitque qua ratione temperanda esset atque coniungenda Musicæ & gymnasticæ exercitatio, ne aut nimis effœminati, aut feri euaderent custodes, sed potiùs temperati ac fortes. Atque hac planè ratione venationes, certamina, etsi quid tale, attingenda illis decreuit. Tandem tertium librum conclusit docens qua ratione eligendi sint ij & probandi, qui ita instituendi essent, atque ad Reipublicæ custodiam administrationemque traducendi. Vbi etiam ostendit quibus castris & habitationibus, quáue suppellectili vti deberent, quò optimi euaderent, atque suas partes cumulatè explerent. Hac inquam ratione progressus est in institutione custodis. Vt propterea ex his satis superque constet, cur in Musica, cur etiam in gymnastica, ac reliquis decentibus disciplinis custodes seu προπολεμήσοντας dicat fuisse institutos. Et idcirco his omnibus annuit Timæus: nam sequitur statim.

Par.XIIX. Τί. Παύυ μϑὺ οὖν.

Tim. Valde quidem igitur. — Ficinus.

Tim. Omnino. — Nou. interpres.

Tim. Omnino quidem. — Benius.

Co.XIIX Quocirca Socrates ad cætera perrexit perstringenda quæ illis subinde attexuerat, idque his verbis.

Part.XIX. Σωκ. Τοὺς δέ γε ὕτω τραφένϛας ἐλέχθη που μήτε χρυσὸν, μήτε ἄργυρον, μήτε ἄλλο ποτὲ μηδὲν κτῆμα ἑαυτὸν ἴδιον νομίζειν δεῖν ἀλλ᾽ ὡς ἐπικούρους μισθὸν λαμβάνοντας τῆς φυλακῆς παρὰ τῶν σωζομένων ὑπ᾽ αὐτῶν ὅσως σώφροσι μέτριος. ἀναλίσκειν τε δὴ κοινῇ καὶ ξυνδιαιτωμένους μετ᾽ ἀλλήλων ζῆν, ἐπιμέλειαν ἔχοντας ἀρετῆς διαπαντὸς, τῶν ἄλλων ἐπιτηδευμάτων ἄγοντας σχολήν.

So. Ita ducatos homines neque aurum neque argentum, neque aliud quidquã proprium aut habere, aut putare statuimus, sed tanquam adiutores publicosque ministros sola mercede contentos esse tanta ab his quos tuentur, exhibita, quanta moderatè uiuentibus sufficere videatur. Stipendio præterea publico in commune vti, volumus, & ad communem inter se victum impendere: vt cæteris posthabitis omnibus solius virtutis & custodiæ curã habeãt. — Ficinus

So. Dictum porro est a nobis minimè consentaneum esse vt ij qui ita sint educati, existiment vel aurum uel argentum, vel quidlibet aliud ad se priuatim & propriè pertinere: sed se custodiæ mercedem accipere ab ijs qui sua opera & industria conseruentur, quanta quidem frugi & temperãtibus satis esse possit. Illam verò in communem vsum impendant, communemque adeo & facilem vitã cũ cæteris mutuo viuãt: vt quidẽ alijs viuendi institutis abdicatis, assiduã de virtute & suo munere præclarè obeundo curam gerãt. — Nou. inter.

Socrates. Statutum est etiam oportere, vt qui ita instituti sunt, neque aurum, neque argentum, neque reliqua huiusmodi bona ad se priuatim reputent pertinere: sed potius adiutorum more ab ijs quos tuentur, ac seruant, custodiæ mercedem accipiant: atque hanc sanè pro moderata vita ratione, neque eam aliter quàm in communi consument. Atque ita vnius uirtutis suique muneris studium amplexantes, ab aliarum artium tractatione abstinebunt. — Benivien.

Com. XIX. *Exponit autem quo pacto custos, qui sic animo & corpore institutus sit, sese habere debeat erga externa illa bona quæ sunt in diuitijs posita: statuítq; nihil ei proprium aut possidendum aut reputandum esse: licet vt conuenienter vitam tueri possit, haud permittit illi mercedem, atque stipendia deesse, quæ ex custodia referri solent. hæc tamen communiter impendi vult ab omnibus, ita vt simul viuant, atque à cæteris curis vacui vnam habeant custodiæ atque virtutis curam. Habentur verò hæc in extremo tertio libro vbi cũ de suppellectili & domicilijs loqueretur ac communia esse decerneret, hæc subiungebat verba.* Quæ ad victũ pertinent, tanta sint apud eos quantis indigent militares athletæ temperati ac fortes: accipiántque ex instituto ab alijs ciuibus mercedis tantùm custodiæ gratia, vt exacto anno neque desit quicquam, neque supersit. Conferentes autem se ad commessationes, perinde atque in castris communi vescantur conuiuio. *Hæc Socrates: qui tandẽ vt illi argentũ atque aurũ discerent contemnere, aurea illa verba intulit.* Dicendúmque est illis aurum & argentum diuinum à dijs in animo ipso habere: neque humano auro indigere: neque sanctum esse illius possessionem admixtione mortalis auri inquinari. Nempe ex vulgi pecunijs multa impia prouenerunt. Quod verò inest illis, aurum prorsus immaculatum. Profectò solis ipsis ex omnibus qui sunt in ciuitate, tangere aurum aut argentum aut sub tecto suo recipere aut circumferre, vel ex ea materia viuere nefas. Hoc ergo pacto & sibi & cæteris salutem pareret. *Quod verò interponit in Epilogo.* ἐπιμέλειαν ἔχοντας ἀρετῆς διαπαντὸς τῶν ἄλλων ἐπιτηδευμάτων ἄγοντας σχολήν, Cæteris posthabitis omnibus solius uirtutis & custodiæ curã habeant, *tanquam rationẽ apponit qua passim veluti initio quodã ac fundamento vsus est ad illos instituendos: passim enim monuit vnius virtutis vniúsque protegendæ ciuitatis curam illis suscipiendam esse. Quanquam illius præcipuè decreti videtur habuisse rationem quod sub finem libri tertij exposuerat de auro diuinitùs in custodum animis insito. Vt enim custodibus summam virtutis curam habendam hic monet, ita in politia præceperat diligenter custodiendum ab illis aurum diuinitùs insitum in eorum animis. Huius autem nomine designabat excellentes custodum virtutes siue earum semina. ac propterea ob huiusmodi aurum dixerat eos esse tum præ cæteris honore dignos, tum aptos ad imperandum, suámque & ciuitatis salutem pariendam: quæ sanè omnia à virtute proficiscuntur. Ergo cum paulò ante ex quadã Phœnicum fabula suis ciuibus suadendũ monuisset, DEVM cũ formaret eos, alijs aurũ admiscuisse in eorũ ortu, argentũ alijs, alijs denique æs ac ferrum:*

ac primos quidem propter huiusmodi aurum τιμιωτάτους apparere, atque idoneos ad imperandum natos esse: secundos ad auxiliandum idoneos: postremos siue ad agriculturam siue ad alias opificum artes tractandas effictos: ob idque primos monuisset vt omnem diuitiarum curam abijcerent, atque eam ad ciuitatem tuendam conuertentes, purissimum aurum suis animis à DEO insitum custodirent; profectò satis constat, quod de purissimi huius auri custodia tradiderat, a quo iudicabat ciuitatis salutem pendêre, idipsum planè esse quod hîc præcipit de virtute, dum iubet summopere custodiri. & ideo monebat eos, qui mortalis auri curæ mancipati, hoc aurum non custodirent, vel mortalis mixtione fœdarent, ex custodum gradu deturbandos, atque in οἰκονόμους, & agricolas referendos esse. quibus addebat ex hoc vulgi auro sexcenta flagitia, ipsiúsque demum ciuitatis euersionem prouenire.

Part. XX. Τίμ. Ἐλέχθη καὶ ταῦτα ταύτῃ.

Tim. Hæc quoque abs te dicta fuere. — Ficinus.

Tim. Et hæc quidem hunc in modum fuerunt a te explicata. — Nou. interpres.

Tim. Hæc quoque ut memoras pronunciata sunt. — Benius.

Com. XX *Quibus verbis assentitur Timæus: atque ea omnia dicta esse fatetur.*

Part. XXI. Σω. Καὶ μὲν δὴ καὶ περὶ γυναικῶν ἐπεμνήσθημεν, ὡς τὰς φύσεις τοῖς ἀνδράσι παραπλησίας εἴη ξυναρμοστέον, καὶ τὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων πάντα κοινὰ κατά τε πόλεμον, καὶ κατὰ τὴν ἄλλην δίαιταν δοτέον πάσαις,

Soc. Naturam præterea mulierum nō aliter quàm uirorum effingi præcepimus: studiaque omnia tam belli, quā pacis mulieribus esse communia. — Ficinus.

Soc De mulieribus verò ista commemorauimus, prouidendum omnino esse, vt ita aptentur atque conformentur, quò ipsarum natura atque ingenium ad viros proximè accedat: illisque omnibus in rebus, & quæ ad bellum, & quæ ad omne aliud vitæ institutum pertinent, communia omnia esse tribuenda. — Nou. inter.

So. De mulieribus autem illud fermè commemorabamus, ea ratione instituendas esse; ut ad uirorum ingenium ac naturam proximè accedant: & cum illis tum cætera uitæ officia, tum præsertim bellica communiter tractent. — Benius.

Co. XXI. *Iam a custodis seu viri institutione ad muliebrem transit: monétque fœminam ea ratione fuiße conformatam, vt ad virorum ingenium ac naturam, quam proximè accedat, ac cum illis tum reliqua vitæ officia tum præsertim bellica communiter tractet. Hæc autem in quinto libro fusissimè est prosequutus: nam cum in custode effingendo conclusisset tertium librum, statim in ipsius quarti initio soluit dubitationem ob quam ille minùs beatus videbatur futurus; dum illi auri atque omnium huiusmodi rerum poßeßione interdicebatur: docuítque præuidendum eße, ne aut paupertatis opprimeretur incommodis, aut diuitijs rerúmque copia deprauaretur: tali enim moderatione seruata suas partes tueri poße commodiùs. Hinc Vrbis possessionísque finibus constitutis intulit.* Si benè educati viri, moderati eua serint, facilè ista omnia discernent: tum alia quotcunque nos in præsentia prætermittimus, tum mulierum, virorúmque coniunctionem & filiorum pro-

creationes, quòd videlicet oporteat amicorum omnia hęc secundùm prouerbium quam maximè esse communia. *Vbi cum nouam hanc rerum communitatem quasi per transennam ac præteriens indicasset, statim veluti aculeo relicto, quædam instituta perstringens, ac tandem ad hominis iustitiam politicæ iustitiæ similitudine agnoscendam pergens, quartum librum absoluit. Quo absoluto, cum adhuc longiùs progrederetur, vt cætera gubernationum genera, quæ à recta declinarent, recognosceret, Adimantus, quasi ea quae de vxorum filiorúmque communitate indicarat, non rectè siue posita, siue explicata essent, interpellauit eum atque ita aditum illi aperuit, quo ea omnia fusiùs explicaret. Quamobrem* Declinare nobis videris (*aiebat Adimantus*) speciémque totam disputationis huius non minimã subticere, ne nobis exponas, atque surripere: putásque latere nos, quod malè dixisti de vxoribus quidem & liberis: constare scilicet omnibus omnia sicut inter amicos communia esse debere? *Quamob rem statim Socrates post longam excusationem, atque adeò tergiuersationem (animaduertebat enim quàm insolens decretum, ne dicam quæ commenta ac somnia, introducere moliretur) tandem aggressus est. Ac primùm antequam ad propositam vxorum communitatem pergeret, decreuit mulierum institutionem a principio texere: ideo enim dicebat.* Forte autem operæpretium est postquam integrum ciuile opus expresimus, deinceps quæ sunt mulierum referre: præsertim cum ad hoc ipsum me cohorteris, *continuóque monens virum fœminae, non secus ac gregis pastor moderatorẽ esse* Sequamur (*inquit*) generationem nutritionémque quãsimillimam adhibentes, consideremúsque vtrum ita deceat, nec ne. Quonam pacto inquit. Ita. Vtrum inter canes gregis custodes fœminas ipsas censebimus custodire debere quæ & mares, & vna venari, ac cætera omnia communiter facere. An fœminas quidem intus quasi domestica asseruare, tanquam ad forensia opera impotentes propter ipsum catulorum partum & nutrimentum: masculos autem labores subire, omnémque armenti curam gerere? Communiter, inquit, his omnia tribuimus: nisi quòd fœminis vt imbecillioribus, maribus ut robustioribus vtimur. *Vbi sanè cum statuisset viros ac fœminas communibus studijs eadem tractare debere, atque animaduerteret id fieri non posse, nisi eàdem ratione nutrirentur atque erudirentur, ad eandem fœminae disciplinam tradendam pergebat. Quocirca aiebat.* Si ergo fœminis ad eadem vtemur ac viris, in eisdem erudire decet. Certè. Musica autem & gymnastica uiros in superioribus erudiuimus. Sanè. Mulieribus igitur artes hæ similiter & res bellicæ tribuendæ sunt, ad eadémque uti his decet. Consentaneum istud quidem ex his quæ dicis. *Et quoniam haec res in eo tota videbatur posita, nimirum an fieri posset vt in ijsdem studijs communicarent, & si fieri posset, an expediret ciuitati, has duas quaestiones statim examinauit, tandémque contendit demonstrare id totum fieri posse, & vtilissimum esse ciuitati.*

Τίμ.

Par.XXII. Τίμ. Ταύτῃ καὶ ταῦτα ἐλέγετο.

Tim. Id quoque dictum est. *Ficinus.*

Tim. Ita & ista à te dicebantur. *Nou. int.*

Tim. Sic planè hæc etiam à te dicebantur. *Benius.*

Co.XXII. *More suo confirmat Timæus ea quoque perinde ac Socrates narrabat fuisse constituta.*

Par.XXIII Σω. Τί δὲ τὸ περὶ παιδοποιίας; ἢ τοῦτο μὲν διὰ τὴν ἀήθειαν τῶν λεχθέντων εὐμνημόνευτον, ὅτι κοινὰ τὰ τῶν γάμων καὶ τὰ τῶν παίδων πᾶσιν ἁπάντων ἐτίθεμεν μηχανώμενοι ὅπως μηδείς ποτε τὸ γεγενημένον αὐτῷ, ἰδίᾳ γνώσαιτο. νομίσωσι δὲ πάντες πάντας αὐτοὺς ὁμογενεῖς. ἀδελφὰς μὲν καὶ ἀδελφοὺς, ὅσοι περ ἂν τῆς πρεπούσης ἐντὸς ἡλικίας γίγνωνται. τοὺς δὲ ἔμπροσθεν καὶ ἄνωθεν, γονέας τε καὶ γονέων προγόνους. τοὺς δὲ εἰς τὸ κάτωθεν ἐκγόνους τε καὶ παῖδας ἐγκόνων.

So: An tenetis memoria quæ de procreandis liberis diximus? fortè uerò ob rei ipsius nouitatem firmiter tenuistis. Communes quippe nuptias, liberosque statuimus, ut nemo natos suos discernat; sed omnes ab omnibus consanguinei existimentur, dum æquales fermè natu fratres, sororesque uicissim se iudicant. maioribus uerò patrũ uel auorum reuerentiam exhibent: erga minores autem tanquam filios & nepotes afficiuntur. *Ficinus.*

Soc. *Illud verò quòd de liberorum procreãdorum ratione diximus propter insolentem quandam nec hactenus auditam opinionem memorabilius atque illustrius, nunquid animis vestris subit? scilicet communem matrimonij consuetudinem communesque liberos esse oportere, omnibus omnium ordinum hominibus præscribebamus, hoc vnum maximè elaborantes, ne quis natos, liberos suos esse priuatim agnosceret: ac omnes existimarent omnes homines sibi esse consanguineos, fratres & sorores eos easue, qui quæue æquali congruaque fuerint ætate: qui maiori autem atque grandiori, parentes & auos: qui minori liberos aut nepotes.* *Nou. int.*

So. Sed quid preterea sanciuimus de susceptione filiorum? fortè uerò rem totam propter ipsius insolentiam atque nouitatem facilè tenetis. communes quippe nuptias, cõmunesque liberos omnibus esse iubebamus: hoc unum procurantes uel maximè, ut nemo unquam proprios filios agnoscat: sed consanguineos sese reputent uniuersi. Quare æquales ætate fratrũ atque sororum se habebunt loco: ij uerò qui aut maiores natu erunt, aut minores, pro ætatis ratione aui, parentesque nuncupabuntur, uel filij atque nepotes. *Benius.*

Co.XXIII *Quærit Socrates an tenerent memoria, quæ* περὶ παιδοποιίας, *seu de ratione procreandi, ac suscipiendi liberos statuta fuerant. Et quamuis significet propter rei nouitatem facilè sibi esse persuasum, optimè rem illis totam in memoria haerere, eam tamen, ne epilogus sit imperfectus, breuissimè complectitur. Primùm ergo ait, nuptias communes fuisse constitutas. Vbi sanè licet* περὶ παιδοποιίας, *seu de procreandis liberis quæreret, nõ tamen inopportuna est responsio, qua ad nuptias eum sermonem traducit. Nam cum alijs Ethnicis susceptio liberorum aut unus aut præcipuus finis videretur nuptiarum, iurè rationem explicaturus, qua hic finis attingeretur, a nuptijs incipit. Haec autem ex eodem quinto libro repetuntur. Nam cum Socrates statuisset mu-*

mulieres (id quod paulò antè explanauimus) non secus ac viros gymnastica, musica, cæterisque decentibus disciplinis excolendas esse, idque & fieri posse, & vtile esse, statim ab hoc quasi gurgite ad profundum pelagus (vt ipsemet dicebat) pergens illud ipsum quod in quarto libro strictim, & quasi aliud ageret, de vxoribus statuerat, copiosè est persequutus. Quocirca aiebat. Mulieres scilicet has omnium uirorum omnes esse communes, nullámque priuatim alicui adhærere, ac rursus communes filios neque patrem filium suum nosse, neque filium suum agnoscere patrem. Quo in loco satis supérque constare videtur vxorum communitatem (vt de hac primùm loquar) introduxisse. quam etiam adhuc confirmauit illis verbis. Isti autem (loquebatur verò tum de viris, tum de mulieribus, quibus custodiam ciuitatis iniunxerat) vtpote ædes, & commessationes communes habentes, proprium verò nihil talium possidentes, vna habitabunt, & inuicem congredientes in gymnasijs, ac reliquo victu, ab innata vt arbitror necessitate ad mutuam trahentur commistionem. Atque huc spectat quòd præstantioribus iuuenibus fieri vult vberiorem cum mulieribus congrediendi potestatem: huc quòd rem fatetur multis difficultatibus impeditam esse: magnis contentionibus atque irrisionibus obnoxiam: huc quòd huius rei disputationem cum profundo pelago comparat: quòd ἀδύνατον dicit esse iudicatam, quòd denique varijs tergiuersationibus primùm, tum sexcentis præmunitionibus rem anteuertit. Neque enim hæc fecisset nisi rei nouitatem atque insolentiam, quia scilicet verè mulieres communes esse vellet, reformidasset. His adde Aristotelis atque Peripateticorum accusationem, Academicorum ipsorum confessionem, Nazianzeni denique Chrysostomi, atque omnium ferè græcorum patrum testimonium atque detestationem. Atque idipsum dico de filiorum communitate, quando hanc in locis citatis cum vxorum communitate passim coniungit, atque introducit. Verùm licet perspicuum sit Platonem introduxisse hanc nuptiarum communitatem, non tamen constare satis videtur, cuiusmodi tandem esset hæc communitas. Quæri enim posset quomodo & nuptiæ simul essent, & communes, cum nuptiæ inter certum virum & mulierem celebrentur: præsertim verò quòd certos quosdam constituit consanguinitatis gradus intra quos prohibet nuptias aut matrimonium contrahere. Immo verò, cum non modò res inaudita ac noua, verùm etiam ἀκατάληπτος videatur, inuestigandum esset, vtrum ne fieri posset, & qua ratione. Et quoniam cum haec traderet Socrates, instituebat custodes, quibus aliquam tantùm ciuitatis partem, & eam exiguam constituebat, videndum esset an vrbe tota hanc pestem grassari vellet, ac singulos hominum ordines fœdare, an verò sentiret intra custodum cancellos eam esse coërcendam. Denique quoniam hoc dogma cuiusmodi tandem fuerit, sacras matrimonij leges vrgere videtur, Christiano Philosopho dignum censeri posset illud planè explodere, atque a fundamentis ipsis euertere. Nam si quid minus rectè pronunciauit, quod Christiana instituta morúmque honestatem non attingat, facilè dissimulari potest, dum epilogum tantùm explicamus. At quae Christianam veritatem oppugnant, nusquam ferenda sunt. Sed ne

videar

videar rem iam satis cum agitatam a multis, tum Christianis perspectã agere, me paucis expediam. ergo minimè dubitandum est quin communes nuptias introduxerit Plato, quemadmodum demonstrare cœperam. Verùm certum est etiam apud Platonem nuptiarum nomen ementitum esse: nec ita presse accipi, vt earum natura ac ratio postulabat. Verè enim illud pro congressu quodam vsurpauit, qui magistratus arbitrio non inter singulas, aut omnes, sed inter certas quasdam personas fieret. Quam vxorum communitatem videtur potiùs custodibus tantùm concedere, quàm ciuitati vniuersæ. Immo custodibus etiam non sine magno delectu, ita vt præstantiores præstantioribus, minùs fruges deterioribus copularentur, ait enim: Oportet profectò secundùm ea, quæ supra concessimus, optimos viros mulieribus optimis vt plurimum congredi, deterrimos contra deterrimis. *Vbi vt id de vnis custodibus statui intelligeremus addit.* Et illorum quidẽ prolem nutrire, horum minimè, si armentum excellentissimum sit futurum: & hæc omnia dum agantur, ab omnibus præterquam à principibus ignorari: si modò armentum custodum debeat seditione carere. *Et ideo cum de vtraque communitate disseruisset, concludebat.* Talis erit vtique o Glauco inter ciuitatis custodes mulierum filiorúmque communio. *Quanquam dum hoc in loco ait Plato* κοινὰ τὰ τῶν γάμων πᾶσιν ἁπάντων ἐτίθεμεν, communes nuptias omnibus esse iubebamus, *pugnare aliquis posset, aut non solis custodibus sed ciuibus vniuersis id præcepisse; aut certè non sibi constare. Veruntamen hæc quoque nisi de custodibus omnibus, quod euinci possit, nequaquam pronunciauit. quanquam siue certis quibusdam finibus tantam licentiam atque impuritatem cohiberi vellet, siue manare latiùs, nos iandiu hac in re Platonem, cum saniore mente vteretur, secuti, Platonem insanientem explosimus. Atque idcirco cum ex his quæ diximus, satis intelligatur quis esset earum nuptiarum modus, quatenus fieri possent, ac quàm latè paterent, nihil est quamobrem in illis diutiùs immoremur. Nam rationes quibus ad extremùm refelli potuissent apud fideles, omnino superuacaneæ sunt hoc tempore nisi tamen ignoramus singulariũ indiuiduarúmque personarum coniunctionem ad integerrimæ fidei, certæ ac fidelis prolis, cœlestisque sacramenti fructus capiendos, ac simul (vt minora commoda taceam) ad liberatoris nostri arctissimam cum Ecclesia coniunctionem designandam institutam esse: cum præsertim præter sexcenta incommoda ac detrimenta illud admittere cogatur Plato quod cum pulcherrimo quodam ac planè diuino illius decreto pugnat. Etenim docuit debere virum eò maximè consilio liberis operam dare, vt cum se animaduerteret diuini cultus administrum fuisse a Deo procreatum, per filios in quibus quodammodo reuiuiscit, tum cultum, obsequiúmque diuturnius, atque adeo perpetuum præstet Deo: tum diuinæ veluti naturæ fiat particeps. id quod minimè assequitur, vbi proprios liberos agnoscere potest nullos. Constat igitur cur in Epilogo dicat nuptiarum communitatem fuisse introductam. Sed non minùs adhuc admiranda atque difficultatibus impedita videntur ea quæ de communitate filiorum attulit. Quæ enim communitas est ista? Explicat hoc*

(si

(*si tamen explicat*) *ipse Socrates dum ait.* Accipientes vtique Magistratus præstantum hominum prolem, ad ouile portabunt ad nutrices quasdam seorsum in ciuitatis parte aliqua commorantes. *Et paulò post.* Matres enim ad ouile, cum lacte exuberabunt, transmittent, procurantes ne vlla suum agnoscere valeat. *Quare tandem, cum quosdam consanguinitatis gradus constituisset, inter quos matrimonium non liceret contrahere, quique solis magistratibus ijs quos nuptijs præposuerat, noti essent, concludebat.* Patres verò & Matres & cæteri Cognati, quos memorabas, quo modo inuicem discernentur? Nullo modo: sed omnes quicunque nascentur decimo mense vel septimo ex ea die, qua quis liberis operam dedit, masculi ab hoc filij, fœminæ filiæ nominabuntur. Nati autem eum patrem vocabunt, natorum similiter filios nepotes esse dicet: isti autem superiores auos & auias nominabunt: ac eos qui illo tempore nascerentur, quo patres ipsorum matrésque inuicem generabant, fratres atque sorores. Atque ita quomodo dicebam, nullo modo se mutuò tangerent. *Ex his, inquam, constat qua ratione communitatem filiorum introduxerit, & cur in Epilogo addiderit.* Vt nemo natos suos discernat: sed omnes ab omnibus consaguinei existimentur, dum æquales fermè natu fratres sororésque vicissim se iudicant: maioribus verò, patrum uel auorum reuerentiam exhibent: erga minores autem tanquam filios ac nepotes afficiuntur. *Quod si te interim hæc etiam liberorum communitas commoueat quicquam, ita vt non satis videas vtrum probanda sit vel improbanda confugere poteris ad ea quæ nos hac de re disseruimus libro tertio.*

Part. XXIV.

Τί. Ναὶ καὶ ταῦτα εὐμνημόνευτα ἣ λέγεις.

Tim. Hæc quoque memoratu facilia sunt quæ dicis. — Ficinus.

Tim. Ita & hæc quidem illustria sunt & recordatu facilia. — Nou. int.

Tim. Sunt isthæc etiam, vt aiebas, memoratu facilia. — Benius.

Com. XXIV.

Fatetur ac monet Timæus facilia esse memoratu quæ Socrates de nuptijs & filijs iterabat Epilogo.

Part. XXV.

Σωκ. Ὅπως δὲ δὴ κατὰ δύναμιν εὐθὺς γίγνοιντο ὡς ἄριστοι τὰς φύσεις, ἆρ' οὐ μεμνήμεθα, ὡς τοὺς ἄρχοντας ἔφαμεν καὶ τὰς ἀρχούσας δεῖν εἰς τὴν τῶν γάμων σύνερξιν λάθρα μηχανᾶσθαι κλήροις τισὶν, ὅπως οἱ κακοὶ χωρὶς, οἵ τ' ἀγαθοὶ ταῖς ὁμοίαις ἑκάτεροι ξυλλέξονται, καὶ μή τις αὐτοῖς ἔχθρα διὰ ταῦτα γίγνηται, τύχην

Socrates. Vt autem quam optimi ab ipso initio pro viribus gignerentur, magistratus utriusque sexus nuptijs præposuimus, quid clam sortibus quibusdam operam darent, ut praui prauis, boni contra bonis mulieribus miscerentur: neque ulla ob hoc discordia oriretur, cum in congressu minus prospero quisque fortunam potius sit quã consilium principum culpaturus. — Ficinus.

Soc. Vt autem nihil prætermitteretur quod eorum, qui imperandi authoritatem consecuti sint, naturas in ipso etiam natalium primordio præstantissimas efficeret, dicebamus, oportere eos easque qui queue illam imperij potestatem obtinerent, coniugalem illam co- — Nou. int.

ἡγου-

ἠγουμθύοις αἰτίαν τῆς ξυλλήξεως.

pulationem & coniunctionem moliri sortium arbitrijs: vt boni cum bonis, mali cum malis seorsum consuescerent: pares nimirum paribus: nec vlla tamen hac de caussa dissensio oriretur copulationis illius caussam fortunæ & casui tribuentibus.

Socrates. Vt autem naturam, quàm fieri posset, optimam ab ortu ipso consequerentur, decreuimus nuptiarum præfectis quos ex vtroque sexu delegimus, clam sortibus quibusdam efficiendum esse, vt in coniunctione nuptiali cum probis miscerentur probi: neque vllus idcirco esset inimicitiæ locus: cum interim ij fortunæ id totum acceptum referrent. Benius.

Co.XXV *Sunt autem hæc quoque ex quinto libro repetita, quemadmodum ex eodē planè fonte manarunt cum his quæ paulò ante ad Epilogum ex eodem libro reuocauit, in quo sic scripsit.* In nuptijs itaque & filiorum procreatione videtur rectum hoc fieri non mediocriter. Quo pacto? Oportet profectò secundùm ea quæ supra concessimus, optimos viros mulieribus optimis vtplurimum congredi, deterrimos autem contra deterrimis, & illorum quidem prolem nutrire: horum minimè, si armentum excellentissimum sit futurum. Et hæc omnia dum agantur, ab omnibus præterquam à principibus ignorari: si modò armentum custodum debeat seditione carere. Probè admodum. *Et paulò post.* Sortes igitur quædam tali quodam artificio instituendæ, vt deterior ille in qualibet copulatione fortunam non principes culpet. Et maximè quidem. *Quod verò his non solùm ἄρχοντες, verùmetiam ἀρχόνσαι, fœminei, inquam, sexus magistratus præfici deberent, expreßerat illis verbis.* Itaque filios qui ex his oriuntur, suscipient ij, qui talibus præsident magistratus siue virorum, siue fœminarum, siue vtrorumque: communes enim uiris & mulieribus magistratus. Est ita. *Cuiusmodi autem sortes illæ esse deberent quibus ita Magistratus pro arbitrio, quêmque vellent, cuicunque copulare possent, vt res sorte potiùs quàm consilio cecidiße videretur, non explicat: sed rem totam illis excogitandam relinquit: Et ideo dicit* id Magistratus λάθρα μηχανᾶσθαι δεῖν κλήροις τισίν. Clam machinari debere sortibus quibusdam.

Pa.XXVI Τίμαιος. Μεμνήμεθα. *Tim.* Recordamur. Ficinus.

Tim. Meminimus. Nou. int.

Tim. Meminimus id quoque. Benius.

Co.XXVI. *Horum quoque fatetur Timæus se cæterósque meminisse. Quocirca Socrates ad Epilogi finem pergit, ita enim sequitur.*

Pa. XXVII Σω. Καὶ μὴν ὅτι γε μὲν τῶν ἀγαθῶν θρεπτέον ἔφαμεν εἶ). τὰ δὲ τῶν φαύλων, εἰς τὴν ἄλλην λάθρα διαδοτέον πόλιν. ἐπαυξανομένων δὲ, σκοποῦντας αἰεὶ τοὺς ἀξίους πάλιν ἀνάγειν δεῖ, τοὺς δὲ παρὰ σφίσιν ἀναξίους, εἰς

So. Præterea sanximus bonorum fœtus alendos esse aliorū uerò alios aliò clā mittendos. Adultos demū utrosque diligenter considerandos, ut si qui inter relegatos bonæ indolis sint, in patriam reuocentur: si qui uerò inter domesticos contra uideātur affecti similiter relegentur. Ficinus.

So. Ia verò & bonorū & malorum liberos ita esse educādos statuimus, vt bonorū quidē liberi studiosè educentur domi: malorum verò in aliam ciuitatem clam mandentur: ita tamen, vt cum adoleuerint, dignorum, Nou. inter.

τὴν τῶν ἐπανιόντων χώραν μεταλλάττειν.

& indignorum delectus habeatur: vt qui digni visi fuerint, ad suos adducantur: indigni verò in illorum ad suos redeuntium locum sufficiantur.

So. Diximus prætereà alendos esse bonorum liberos: malorum occultè in aliam urbem amandandos: ita tamen ut cum adoleuerint exploratur qui ex ijs frugi, quiue ex illis improbi euaserint: sicque in patriam reuocentur ij, illi relegentur in redeuntium locum. — Benius.

Co. XXVII. *Concludit tandem epilogum, ac recolit quid de bonorum malorúmue filijs tam infantibus quàm adultis agendum præceperit, vt ciuitas pura perseueraret. Habentur autem hæc eodem quinto libro: ac quod pertinet ad infantes, partim retulimus verbis illis.* Accipientes utique præstantum hominum prolem ad ouile portabunt ad nutrices quasdam seorsū in ciuitatis parte aliqua cōmorantes: *partim subdūtur statim his verbis.* Eos autem qui nascētur ex deterioribus, siue etiā ex quibuscunque alijs, sed membro aliquo manci, in abditis vt decet locis abscondent. Siquidem debet custodum genus purum fore. *Quod verò attinet ad adultos videtur libro quinto significatum dum ait.* Atqui leue quid illis forsan præcepimus: & istud leuius prætereà cuius in superioribus mentionem fecimus, cum diceremus oportere, siue quis custos ignauus noscatur, ad alios mittere: siue ex alijs probis ad custodes ipsos transferre. *Quanquam cum hoc in loco idipsum asserat supra etiam fuisse dictum, necesse est vt id statuerit antea, locum tamen (vt verè fatear) non inueni; nisi tamen libro tertio habeatur dum de eligendo custode, & varijs experimētis ab ipsa statim pueritia probando, loqueretur his verbis.* Atque is qui singulis ætatibus semper pueritia, adolescentia, matura ætate probatus est, & immaculatus existit, custos & princeps est ciuitatis constituendus. Honores huic tribuendi, & viuenti & mortuo sepulcrorum & aliorum monimentorum maxima munera sortienti. Qui verò talis non sit, abijciendus est *Quanquam hic locus pressior est & obscurior, quàm vt huic epilogi parti videatur respondere.*

Par. XXVIII. Τίμ. Οὕτω.

Tim. Ita statutum est. — Ficinus.

Tim. Ita. — Nou. inter.

Co. XXVIII. Tim. Ita. — Benius.

Ad extremùm hæc quoque Timæus affirmat fuisse dicta.

Part. XXIX. Σωκρ. Ἆρ' οὖν διεληλύθαμεν ἤδη καθάπερ χθὲς, ὡς ἐν κεφαλαίοις πάλιν ἐπανελθεῖν, ἢ ποθοῦμεν ἔτι τῶν ῥηθέντων ὦ φίλε Τίμαιε ἀπολειπόμενον;

So Num satis iam hesternam disputationem quātum compendio licet, narrauimus? an aliquid etiā à me prætermissum o amice Timæe recenseri desideras? — Ficinus.

So. Istane summatim vt instituerámus abunde sunt à nobis explicata, vt hesterni sermonis capita agnoscātur, aut aliquid aliud mi Timæe desideras? — Nou. inter.

Soc. Satisne igitur hesternā disputationem, quantum tamen epitome licuit, recensuimus? uel aliquid adhuc amice Timæe, prætermissum requiris? — Benius.

Co. XXIX. *Quærit Socrates ex Timæo an hæc quæ summatim iterauerat, ea planè essent quæ narrauerat hesterna disputatione: an verò aliquid esset prætermissū. Ex quibus verissimum esse in telligitur quod paulò ante monebam: politicam*

scilicet

ſcilicet inſtitutionem quæ in prima diſputatione fuerat πάρεργον, atque ob humanæ iuſtitiæ cognitionem habita, in ſecunda fuiſſe τὸ ἔργον. Nam, cum hic dicat nihil fuiſſe prætermiſſum, & tamen nihil planè attigerit ex quinque poſterioribus libris, immo ex quinque prioribus etiam politica tantùm ad epilogum reuocarit, ſatis ſupérque conſtat Socratem poſtrema die non ea omnia Timæo ac ſocijs retuliſſe, quæ antea cum Thraſymacho atque alijs multis tranſegerat: ſed tantùm quæ de Republica iuſtitiæ gratia diſſeruerat. Verè enim quæ in hoc epilogo continentur, quaéque heſternæ diſputationis ſumma dicuntur, ijs reſpondent quæ a medio ſecundo libro vſque ad magnam quinti partem pro ciuitatis inſtitutione traduntur. Atque hæc ſunt in quæ intuens Timæus, confirmat nihil eſſe prætermiſſum dum ſic reſpondet.

Pa.XXX. Τί. Οὐδαμῶς. ἀλλ᾽ αὐτὰ ταῦτ᾽ ἦν τὰ λεχθέντα ὦ Σώκρατες.

Tim. Nihil ſanè: hæc enim fermè ſunt quæ tractabas. Ficinus.

Tim. Nihil amplius. hæc ipſa illa ſunt à te dicta. Nou. int.

Tim. Nihil planè Socrates: hæc enim omnino ſunt quæ tractabas. Benius.

Co.XXX *Hæc Timæus, quibus omnibus iam abſoluitur ea diſputationis pars in qua iteratam politiæ inſtitutionem breuiter perſtringi, ac ſecundam proœmij partem contineri monueram. Iam verò, quoniam in prima huius proœmij parte multa ac varia cum Proclo Academicisque alijs diſputauimus, ratio fortaſſe poſtularet, vt in hac etiam qua epilogus continetur, aliquid ex eorum officina proferrem. Verùm id non committam in præſentia, mei inſtituti memor. Nam cum hic epilogus ad Politiam pertineat, Proclus tres ſibi Mundi politias, ſiue effinxit, ſiue à Porphyrio aliiſque effictas excepit, quarum prima in Dimiurgo ſita ſit, aliæ aliter ſe habeant. Atque hoc pacto propoſita litteræ ſententia, totóque Platonis artificio neglecto, omnia ad eas politias ipſarúmque præfectos refert. Vbi ſanè praeterquam quod ex his quae affert, nihil vnquam probat: cum tamen interim tot tantáque de Mundi opifice ac Mente, de Anima, de Ideis, de Daemonibus, de animis humanis, de Natura, & (vt ſemel dicam) tũ de Vniuerſitate ipſa generatim, tum de ſingulis eius partibus peruulget: ita ſanè varias horum quaſi ſpecies permiſcuit atque cõfudit, vt nihil aliud quàm vana aegri ſomnia mihi videar animo intueri: in quibus (vt Flacci illud vſurpem)*

> *Nec pes, ne caput vni*
> *Reddatur formae.*

Quamobrem temporis piget in illis legendis inſumpti, tantum abeſt vt ijs fusè tractandis nugis me ipſe diutiùs atque alios diſtinere velim. Sed iam ad tertiam proœmij partem progrediamur.

Pa.XXXI Σω. Ἀκούοιτ᾽ ἂν ἤδη τὰ μετὰ ταῦτα περὶ τῆς πολιτείας ἣν διήλθομεν, οἷόν τι πρὸς αὐτὴν πεπονθὼς τυγχάνω. προσέοικε δὲ δή τινι μοι τοιῷδε τὸ πάθος. οἷον εἴ τις ζῷα καλά που θεασάμε-

So. Audite deinceps quo pacto erga hanc, quam deſcripſimus Remp. ſim affectus. Comparatione plane vobis aperiã. Quemadmodũ ſi quis animalia eximiæ pulchritudinis intuitus ſeu picta, ſeu viua quidem, ſed torpentia, motus, geſtuſque uiuentium certamen aliquod eorum ſpectare deſideret: ſic ego nunc libenter aliquem narrantem au- Ficinus.

τος, εἴτε ὑπὸ γραφῆς εἰργασμένα, εἴτε καὶ ζῶντα ἀληθινῶς, ἡσυχίαν δὲ ἄγοντα, εἰς ἐπιθυμίαν ἀφίκοιτο θεάσασθαι κινούμενά τε αὐτὰ, καί τι τῶν τοῖς σώμασι δοκούντων προσήκειν κατὰ τὴν ἀγωνίαν ἀθλοῦντα. ταυτὸν καὶ ἐγὼ πέπονθα πρὸς τὴν πόλιν ἣν διήλθομεν. ἡδέως γὰρ ἄν του λόγῳ διεξιόντος ἀκούσαιμ' ἄν, ἄθλοις οὓς πόλεις ἀθλεῖ τούτους αὐτὴν ἀγωνιζομένην πρὸς πόλεις ἄλλας πρεπόντως εἰς πόλεμον ἀφικομένην, καὶ ἐν τῷ πολεμεῖν τὰ προσήκοντα ἀποδιδοῦσαν τῇ παιδείᾳ καὶ τροφῇ κατά τε τὰς ἐν τοῖς ἔργοις πράξεις, καὶ κατὰ τὰς ἐν τοῖς λόγοις διερμηνεύσεις πρὸς ἑκάστας τῶν πόλεων.

direm quo pacto supra descripta ciuitas cum finitimis ciuitatibus decertaret: quiduetãta eius educatione, disciplinaque dignum, vel bello, vel pace tam dicendo, quàm agendo erga ciuitates singulas demonstraret.

Non.inter. *Soc. Iam ergo deinceps audite quo animo sim affectus erga illam quam descripsimus Rempublicam, rem simili illustrabo. Veluti si quis pulchra animalia conspicatus, vel pictura effictа, vel reuera viua, sed quæ quiescant: in eam cupiditatem veniat vt illa spectet, & sese mouentia, & inter se quasi certatim enitentia imitari eos motus, qui corporibus maximè congruere videntur: eo, inquam, animo erga reipublicæ illius formam, quam descripsimus, sum affectus. lubenter enim audierim aliquem exponentem ea certamina, quibus descripta a nobis ciuitas cum cæteris contendat. id est quàm aptè & conuenienter ad bellum accedat, & in bello ea præstet quæ tanta educatione disciplinaque sint digna, tum & in rerum ipsarum administrationibus, tum & in verborum commercijs cum singulis ciuitatibus ea gerat, quæ eidem illi disciplinæ conueniant.*

TERTIA procemij pars.

Benius. *Soc. Iã verò audite quæ ratione affectus sim erga* Remp. *quã descripsimus: perinde enim mihi videor affectus & animatus atque is qui picta quadã, siue etiã uiua, conspicatus fuerit animalia, quæ eleganti specie sint ea quidẽ, sed quiescant tamen ac torpeant. siquidem ut is facilè cupiat illorum motus cernere: ac certamen aliquod suis illa corporibus accomodatum inire: sic ipse, quoniam eadem planè ratione animatus sum erga Rempblicam quam effinximus, libentissimè audirem aliquem qui prælia exponeret, quibus nostra ciuitas aduersus alias decertaret, dum & ad bellum conuenienter descendisset: & in ipsius belli administratione in rebus tam gerendis, quàm sermone transigendis propriæ institutioni satisfaceret.*

Com.XXXI.

Quoniam politicae institutionis epilogum absoluit, iam refert ipsum ad id quod constituerat: inde enim aditum aperit ad ea quae mox cupiebat explicari. Nam cum ipso epilogo (vt alibi demonstrauimus) eo consilio vsus esset, vt inde rerum dicendarum duceret argumentum, ac consensum instauraret, quo uideri uellet politiam, trésque alios dialogos instituisse (quanquam an hinc occasionem potissimùm arripere moliretur refutandi crimina quae in ipsius Rempublicam obiecerant multi, videbimus alio loco) iam rei benè gerendae arripit occasionem. Ob id itaque ait. Audite deinceps quo pacto erga hanc, quã descripsimus Rẽpublicam, sim affectus: *ac statim similitudine atque ea sanè pulcherrima ponit ante oculos quid deinceps cupiat in sua politia tractari, vt id totum caeteris tandem iniungat. Opportunè autem ac scitè ex politica institutione ducit hoc argumẽtum: nam cum ciuilis institutio & actionẽ spectet, & in actione, praesertim ardua, probetur atq; perficiatur, illud profectò videbatur exoptari posse, vt ciues quos infor-*

marat, belli munera tractantes induceret, atque illustri aliquo rerum gerendarum simulachro ostenderet cuiusmodi actiones deberent ex hac educatione proficisci. Ergo id iam moliri incipit hac similitudine. Qua sanè an altera potuerit aptior atque venustior excogitari, haud scio. Mihi certè pulcherrima ac Plat ne digna semper est visa. Etenim pulchri ac generosi animalis species, si artificiosè fuerit expressa, sic interdum tenet oculos nostros, vt iam iam quodammodo motum ipsum expectare videamur. Viuens autem animãs sic afficit, vt non libenti animo sustineamus ipsum torpere: sed potiùs cupiamus siue ad cursum, siue ad certamen aliquod illi conueniens descendere. Quod si fecerit, mira etiam voluptate perfundimur. Quamobrem cum Socrates cuperet ciuitatem quam gr uissimis egibus atque institutis informarat, non ita relinqui quasi torperet: sed sic induci, vt in belli muneribus educationis suæ specimen tum dicendo tum agendo præberet, ingeniosè quidem hoc exemplo expressit atque illustrauit sententiam suam. Quanquam hũc in modum dubitarit fortasse quispiam. Cum in politica institutione ocium ac pax sit belli atque victoriæ finis, quid est quod hic Plato suæ Reipublicæ virtutem in re bellica tantopere requirit ac ponit: pacis autem officia omnino tacitus prætermittit? Equidem Aristoteles † in Ethicis Μιαιφόνους, *sanguinarios inquam, appellat eos, qui vel bellum, vel etiam bellicum apparatum (id quod hic facere videtur Plato) propter se expetit: & in politicis † disertè docet, pacem atque otium bello præferendum esse. Nam etsi (inquit) oportet necessaria & vtilia posse agere, cuiusmodi est bellum, honesta tamen, cuiusmodi est pax, illis anteponenda sunt. Quare ibidem eas Respublicas omnes, eósque legislatores coarguit (ac Platonem fortasse inter cæteros tacitè subindicat) qui ad bellum ac potentiam potiùs quàm ad pacem instituta referrent. Hæc inquam obijciat fortasse quispiam. Qua in re Ficinus (quantum ex eius interpretatione colligi potest) facilè se ab hac dubitatione liberaret. Nam cùm ea Socratis verba* Κατά τε τὰς ἐν τοῖς ἔργοις πράξεις καὶ κατὰ τὰς ἐν τοῖς λόγοις διερμηνεύσεις πρὸς ἑκάστας τῶν πόλεων, *conuertat,* Quidue tanta eius educatione disciplinaque dignum vel bello, vel pace, tam dicendo, quàm agendo erga ciuitates singulas demonstraret, *contenderet Platonem non solùm belli, verùm etiam pacis, & (vt dicam breui) totius vitæ munera exprimi velle. Qua in re non solum Erizum qui eius interpretationem omnino sequutus est, verùm etiam Chalcidium, a quo eam hausit ipse Ficinus, adstipulatorem haberet: hic enim sic vertit.* Sic ego nunc Vrbis informatæ populum agentem aliquid cum finitimis ciuitatibus in pace aut bello dignum tanta educatione deposco. *Sed quamuis hæc interpretatio commodè cecidisset, nescio tamen quàm valde consentiat cum proposita litera, cuius germana sententia (vt è græco fideliter exprimatur) hæc videtur esse.* Libenter audirem aliquẽ, qui dicendo ea prælia persequeretur ac describeret, quibus aduersus alias ciuitates nostra hæc decertaret, dũ ad bellũ cõuenienter descendisset, & in ipsa rei militaris administratione in rebus tam gerendis, quã oratione trãsigẽdis, propriæ institutioni responderet.

† 10. Eth. cap. 7.

† 7. pol. cap. 14.

Atque hanc quidem sententiam tum nouus interpres (si quis rectè animaduertit) amplexus est, tum Porphyrius † *indicauit, dum diceret.* Ἵνα τελείαν ὄντως θεωρήσῃ τὴν πολιτείαν ὁ Σωκράτης, ἀπαιτεῖ, καὶ κινουμένην αὐτὴν εἰς πολεμικὰς πράξεις τῷ λόγῳ θεάσασθαι, καὶ ἀγωνιζομένην πρὸς ἄλλους. *idest.* Socrates vt omnino perfectam cernat politiam, requirit eam ad bellicas actiones traductam, tum sermone tum operibus aduersus alias decertantem intueri. *Tum ipsemet Socrates declarabit* † *non multò post, qui* ἐν πολέμῳ καὶ μάχαις ἔργῳ καὶ λόγῳ. In bello & prælijs, cum agendo, tum dicendo, *suæ Reipub. virtutem exprimi iubet: tum picti illius siue etiam uiui animalis exemplum quo voluntatem suam in disserendis rebus expressit idē Socrates, in quo ad certamina tantùm nos traducit: & idcirco non alia ratione satisfactum est deinde Socratis voluntati quàm ijs quæ tum paulò post, tum in Atlantico fusiùs commemorauit Critias ex veteri quadam Solonis historia de rebus contra Atlanticos ab Atheniensibus præclarè gestis. Quæ sanè in bellicis tantùm muneribus exprimendis versantur: pacis autem officia (vt suo loco constabit) non attingunt. Nam si quæras quanam tandem ratione sermonibus possint decertare, quæue sint* διερμηνεύσεις *siue cōmercia & concertationes illæ, id tum ex* Proclo, *tum ex* Xenophonte *discere poteris: & sanè* Proclus *accōmodatè tum operum tū sermonū vsum in re bellica describens,* Πόλεις (*inquit*) πρὸς τοὺς πολεμοῦντας, καὶ ἔργοις χρῶνται, καὶ λόγοις. λόγοις μὲν ἐν ταῖς πρεσβείαις, ἐν ταῖς συνθήκαις, ἐν ταῖς τῆς μάχης παρακλήσεσιν, ἐν πᾶσι τοῖς τοιούτοις. ἔργοις δὲ στρατοπεδεύσεσι, λόγχαις, ἀκροβολισμοῖς, διὰ τοῦτο βούλεται καὶ κατ᾽ ἀμφότερα τὴν τοιαύτην ἐγκωμιάσασθαι πόλιν ἐν μὲν τοῖς λόγοις, ὡς ἔμφρονα καὶ ἀσφαλῆ, καὶ μεγαλόφρονα καὶ ἐρρωμένην. ἐν δὲ τοῖς ἔργοις ὡς ἀνδρείαν, ὡς σύντονον, ὡς ἐγγεγυμνασμένην *idest.* Ciuitates utuntur aduersus hostes & operibus & sermonibus: sermonibus quidem in legationibus, in pactis, in cohortationibus ad prælium tum distinctè, tum simul omnibus. Operibus uerò in ponendis castris, in tractatione armorum, in prouocationibus ac leuibus pugnis. Ac propterea vult in vtroque genere collaudari ciuitatem. In sermonibus vt prudentem, cautam ac firmam, magnanimam atque constantem. In operibus vt fortem, vehementémque, atque exercitatam. *Hæc* Proclus: *Xenophon* † *verò in Cyri disciplina cum ea omnia munera describeret quæ perfectum Imperatorem decent, luculenter sanè & copiosè ostendit non postremam illius laudem immo præcipuam ac summam in peritia & facultate dicendi positam esse, vt tum militibus alacritatem inijcere possit, atque ex eorum animis ignauiam timorémque depellere: tum in cæteris omnibus eos obtemperantes, atque officij memores efficere. Quæ quàm verè dicta sint, ac quàm magnum momentum habeant in re militari, innumera historiarum exempla demonstrant satis, at propterea de pace nihil Socrates in præsentia. Sed quanquam hæc ita sint, non est tamen verendum ne* Plato *in sua politia pacis rationem non diligenter habuerit: cum præsertim non solum disseruerit de fortitudine, quæ maximè ad bellum pertinere*

vide-

† *hoc in loco apud Proc.*

† *part. 32.*

† *lib. 1.*

videtur, verùm etiam de prudentia, temperantia, & iustitia, quæ vel ipso † Aristotele teste ad pacem præcipuè referuntur. Immo custodi suo sic philosophicam naturam dedit, vt ad omne vitæ genus latissimos aditus habeat. Quin ad beatam vitam sic retulit omnes custodis actiones, vt eã in hac uita non potentia, sed summa omnium virtutum consensione parari voluerit: in altera verò, quam post huius vitæ curriculum iustos piosque animos manere voluit, sola sanctitate ac Dei munere obtineri. Quamobrem (vt propositam dubitationem tollam) existimarim Socratem hîc expetere in re bellica suæ Reip. virtutem exprimi, non quòd pacem illi non anteponat (id enim tum sæpe aliàs, tum præsertim in libris de legibus fecit noster Plato: vbi etiam Cretenses ac Lacedæmones reprehendit, quod leges ac Politiam vniuersam ad bellum maximè ac uictoriam retulißent, quin politiam & humana omnia † ad diuina, ne dum ad pacem monuit a legislatore esse dirigendi) sed quia illius Reip. virtus in rebus arduis, ac præsertim in bello clariùs cernitur, quàm ocio & pace. Quapropter præclarè hac in parte Proclus, Μειζόνως *(inquit)* τὸ τῆς ἀρετῆς δείκνυσι μέγεθος ὁ πόλεμος τῆς εἰρήνης. ὡς καὶ κυβερνητικῆς αἱ τρικυμίαι καὶ ὁ κλύδων, καὶ ὅλως αἱ περιστάσεις ὡς καὶ οἱ Στωικοὶ λέγειν εἰώθασι,

Δὸς περίστασιν, καὶ λάβε τὸν ἄνδρα.

Τὸ γὰρ ἀήττητον ὑπὸ τῶν τοὺς ἄλλους καταδουλουμένων τὴν τῆς ζωῆς δηλοῖ παντάπασιν ἀξίαν, *hoc est.* Bello magnificentiùs quàm pace ostenditur uirtutis magnitudo: quemadmodum etiam fluctus, atque procellæ, & (ut simpliciter dicam) infortunia illustriùs declarant gubernatoris sapientiam. Hinc apud Stoicos est illud peruulgatum.

Da infortunia, & accipe virum.

Inuicta enim eorum natura, qui ab alijs seruitute premuntur, vitæ dignitatem omni ex parte manifestat. *Hæc Proclus. Quibus (si placet) addas totam illam siue historiam siue fabulam, quæ res à priscis Atheniensibus aduersus Atlantinos strenuè gestæ continentur, eße perfugium siue etiam machinam, qua Plato noua quædam suæ Reip. instituta, præsertim in re militari, defendere atque suadere nitebatur. Cum enim maximè dubitatum eßet, an ea instituta vtilitatem illam haberent in rebus fortiter gerendis, quam Socrates profitebatur, Solonem Atlantici illius belli sermone videtur quasi ab inferis excitasse, vt qui audirent priscos Athenienses iisdem planè institutis excultos, res praestãtissimas bello geßisse, faciliùs inducerentur in eam opinionem, vt ea instituta probarent. Quamobrem Socrates qui sensim ad hunc sermonem deuenire moliebatur, tantùm neceße habebat exquirere ab illis vt ita institutos ciues decertantes inducerent, atque opus aliquod sua educatione dignum in re bellica edentes exprimerent. Ac propterea nihil est cur timeamus ne Plato subierit illam Aristotelis reprehensionem, qua illos argui dicebamus qui politica instituta ad bellum ac potentiam referebant. Certum est enim Aristotelem Lacedæmones significare atque huiusmodi alios: ac propterea cum Praeceptore mirificè consentire: tã tùm abest vt in hoc eum carpat. Iam verò superesse videtur, vt hîc Procli*

ἐκεῖνα

† *Ar. 7. pol. c. 15.*

† *vide lib. 1 de leg. non lõge ab init.*

ἐκστάσεις siue somnia redargueremus, qui hæc partim ad stabilem cœli politiam, partim ad rerum inferiorum vicissitudines traducens, ac Socratem, trésque eius socios Timæum, Critiam & Hermocratem, in Mundi opificem, atque alios quosdam quos sibi fingit, Mundi parentes conuertens, atque adeò torpentia hæc animalia, & cætera quæ dicuntur omnia, ad hæc attexens, miris commentis atque somnijs hanc disputationem complet. Sed piget hic quoque temporis in ijs percurrendis insumpti, tantum abest, vt diutiùs uelim in illis commorari. Quamobrem (vt in contextu progredi possimus) vnum tantùm adhuc notabo quod ad Ficinum attinet, præterea nihil. Etenim dum Plato hoc in loco ait intuentes huiusmodi animal, pulchrum illud quidem, sed tamen torpens, optare motum, gestúmque ac certamen etiā illius intueri; addit quoque (id quod non expressit Ficinus) καί τι τῶν τοῖς σώμασι δοκούντων προσήκειν κατὰ τὴν ἀγωνίαν ἀθλοῦντα, vbi significat certamē illud tale esse debere, vt eius corpori omnino conueniat. Quod hic magnam vim habet, & a Socrate diligenter in comparatione custoditur, in qua cupere sese ait ciuitatem πρεπόντως (quod etiam omisit idem interpres) hoc est decenter, atque ex institutionis norma, ad certamen deduci: ac rursus id a Timæo ac socijs sic exprimi, vt ad bellum πρέποντα καὶ τὰ προσήκοντα hoc est omni ex parte conuenientia, tribuantur illi. Addit verò Socrates.

Par. xxxij.

Ταῦτ' οὖν, ὦ Κριτία, καὶ Ἑρμόκρατες, ἐμαυτοῦ μὲν αὐτὸς κατέγνωκα μή ποτ' ἂν δυνατὸς γενέσθαι τοὺς ἄνδρας καὶ τὴν πόλιν ἱκανῶς ἐγκωμιάσαι. καὶ τὸ μὲν ἐμὸν, οὐδὲν θαυμαστόν. ἀλλὰ τὴν αὐτὴν δόξαν εἴληφα καὶ περὶ τῶν πάλαι γεγονότων καὶ τῶν νῦν ὄντων ποιητῶν, οὔτι τὸ ποιητικὸν ἀτιμάζων γένος, ἀλλὰ παντὶ δῆλον ὡς τὸ μιμητικὸν ἔθνος, οἷς ἂν ἐντραφῇ, ταῦτα μιμήσεται ῥᾷστα, καὶ ἄριστα. τὸ δὲ ἐκτὸς ἑκάστης γιγνόμενον, χαλεπὸν μὲν ἔργοις, ἔτι δὲ χαλεπώτερον λόγοις εὖ μιμεῖσθαι.

Ficinus.

Equidem, o Critia, & Hermocrates, mihi cōscius sum non posse me eam vrbem virosque pro dignitate laudare. Me quidem non posse nihil mirum; sed de ueteribus quoque, & huius seculi poetis idē existimo: non quò poeticum genus contemnam: sed quòd euidēs unicuique sit, imitationis studiosos ea facilè & optimè imitari, in quibus fuerint educati: aliena verò, longeque ab eorum educatione remota, operibus quidem difficile, verbis etiam difficiliùs posse, vt conuenit, æmulari.

Non. int.

Ego verò Critia & Hermocrates, hac in re etiam infirmitatis meæ conscientia me ipsum condemno, qui viros illos, illamque Rempublicam satis pro merito commendare non possum. At me id minimè posse, nihil sanè mirum: sed de veteribus quoque & hodiernis poetis idem sentio, non quò poeticum hominum genus contemnam, verùm omnibus quidem perspicuum est natum esse ad imitationem illorum hominum genus, ac proinde ea facillimè & optimè imitari, in quibus fuerint educati: ea verò quæ à qualibet educatione fuerint aliena, difficile quidem est rebus, difficilius autem verbis, rectè quidem & solidè imitatione consequi.

Benius.

Ego enim, Critia atque Hermocrates, mei ipsius conscius, fateor eam vrbem eosque uiros a me pro dignitate laudari non posse. Quanquam id de me nihil mirum. nam idem planè de poetis, siue ueteribus siue huius temporis, sentio. Neque hæc contendo quòd poetas spernam: sed potiùs quia compertum sit omnibus, imitatores facillimè atque optimè exprimere illa in quibus fuerint educati. Contra verò si quid ab eorum educatione fuerit alienum, difficile quidem re sed & difficiliùs verbis, vt conuenit, imitari.

Quibus

CXXXII. *Quibus verbis, quoniam iam indicauerat rerum tractandarum materiam, atque hanc ex politia deprompserat, illud molitur, vt eandem socijs explicandam posit demandare: ob id itaque edicit, se sibi conscium esse non posse huiusmodi vrbem ciuésque a se satis laudari, ac proinde rem hanc pro dignitate tractari. Idem affirmat atque ostendit de poëtis tum veteribus, tum eius temporis: idem paulò post faciet de Sophistis. Atque hoc pacto rem totam Timaeo ac socijs, quippequi propter philosophicum ingenium ciuilémque scientiam idonei sint, statim iniungit. Iam itaque quærunt hîc nonnulli quid causæ Platoni fuerit, cur Socratem induxerit munus hoc repudiantem. Nam ait, se non posse eos ciues pro dignitate laudare. Qua in re alij eam causam afferunt, quia cum exornatio, qua in describendis tam præclarè institutæ Reipublicæ operibus erat vtendum, requirat graue ac magnificum dicendi genus, Socrates id consequi dicendo non poterat, cuius orationis forma exilis erat & dialectica. Alij in Menexenum (quanquam cum hîc alieno nomine orationem illam pulcherrimam & nobilem proferat, non video cur Menexeni gratia in hanc suspicionem venerint) ac Phædrum intuentes, in graui etiam ac sublimi genere orationis Socratem versatum esse volunt: ac propterea id totum existimant ironicè fuisse ab eo pronunciatum. Verùm quoniam alij existimant Socratem cum Sophistis, atque adolescentibus tantùm ironia vti consueuisse, non cum viris sapientibus atque omnino ingenuis, id totum rei militaris inscientiæ tribuunt: quòd sine eius cognitione tractari ea pro dignitate non possunt. Alij denique cum Socrates bis pugnasse dicatur, ne hanc quidem rationem probant. Ob id igitur Proclus, ne cum illis tolerabiliter aberrasse videretur, rem totam traduxit ad sua illa allegoriarum somnia, voluitque id munus tertium locum a Reip. Idea obtinere: & propterea Socratem δυνάμεως περιουσίᾳ, excellentia, inquam, virtutis prohiberi quò minus illud attingat. Atque ita rem statim pro libidine ad Vniuersitatis opificium traducens, varia commenta contexuit, quæ, ne cum eo deliremus, valere iubeamus. Existimarim itaque id eo consilio a Platone factitatum esse, quòd nemini accommodatiùs ea res tribui posset, quàm Critiæ: nemini inopportuniùs, quàm Socrati. Nam cum ad eam explicandam ad Solonis historiam confugere instituisset, vt inde sibi machinam compararet, qua noua suæ politiæ instituta tueretur, (hic enim est præcipuus illius muneris scopus, vt suo loco patebit) omnino decebat Critiæ rem totam iniungere, quippequi Solonis consanguineus erat ac nepos, ac Socrati qui instituta illa protulerat, denegare; ne fidem amitteret, dum ipsemet sibi tanta rerum nouitate in re controuersa ac perdifficili suffragaretur. Ergo Plato inducit Socratem dicentem, se non posse vrbem illam, ac ciuès pro dignitate laudare, ac munus ipsum tractare, vt sensim illud in Critiam transferatur, atque ita vendibili facta historia, vendibilis etiam efficeretur noua illa Respublica.* **De Poesi & Poetis multa ex Platonis & Platonicorum sententia.** *Verùm maiore dubitatione implicata sunt ea quæ Socrates de poëtis statim tradit. Nam eis propositam prouinciam negat cōuenire, quasi Poëtarum non sit bellicas optimæ Reip. actiones exprimere: quod videtur omnino falsum. Nam (si rem paulò accuratiùs exquiramus) Poëtæ officium est in quo-*

libet vitæ genere Ideam quandam effingere in qua homines rerum gerendarum normam intuentes, ad virtutem excitentur; ac benè beatéque viuendi viam teneant. Quare Epicus insignem virum atque adeo heroëm effingit, qui belli pacísque munera strenuè ac sapienter administret, atque ad cuius exemplum summi duces ac proceres mores vitámque conforment. Sic etiam in populari vita Comicus (nisi suo abuti velit officio) prudentem delirantémve senem, fidelem seruum, perditum adolescentem, pudicam matronam, atque huiusmodi alia exprimit, quibus ciues quid cauendum sit, quídve sectandum condiscant. Huc denique (nisi Tragico id minùs concedas quòd actiones inter miserabile; vt Peripatetici loquuntur, ac terribile positas imitetur: ac proinde in tragica imitatione rerum gerendarum fugiendarúmve Idea non valde notari possit) reliqua omnia spectant, quæcumque ea sint poëmatum genera. Et idcirco fit vt non quemadmodum contigerunt, describantur actiones, sed vt peragi debuerunt. Vt scilicet, quoniam res humanæ non semper ad votum succedunt, hac ratione ad perfectam normam reducantur: ac singulis vitæ officia ostendant veluti Idea quadam expressa. Cur igitur non poëtarum erit ciues exprimere, qui belli munera sapienter ac strenuè administrent? Longinus, Origenes, ac Proclus, quippe qui molestè ferebant, Homerum tam humiliter tractari, plurimùm in hac quasi nota æstuarunt, quam illi a Platone inuri iudicabant. Sed Proclus tandem, cum animaduerteret Poëtas alibi a Platone diuinos nuncupari, hoc sibi perfugium comparauit, quo poëtarum dignitatem tueretur, atque horum principi Homero nullo modo Critiam ac socios sineret anteponi. Etenim poësim aliam esse voluit quæ arte, aliam quæ diuino afflatu extaret. atque illam quidem nihil sublime habere, ac magnificum: hanc verò nihil humile atque demissum: ac proinde Socratem, quippe qui magnificum laudatorem quæreret, qui tamen neque violento quodam afflatu, etsi diuino, vteretur, neque opus aliud quàm ab educatione atque institutione humana profectū exprimeret, nullum horum poëtarum ad hoc opus accersere potuisse. Quæ itaque pro Homero, ac poëtis habuit hìc Proclus, facilè posset aliquis vsurpare ad nostram dubitationem diluendam. Sed immeritò. Nam (vt alia multa prætercam, quæ Proclo obijci possent) ostendendum illi erat primùm cur potiùs Critias ac socij, quàm Poëtæ humana arte possent illud efficere: vel cur afflatus ille in bellicis officijs exprimendis minùs quàm in cæteris aut valeat, aut excipiatur a Platone. Deinde constans est grauissimorum virorum sententia, Poëtarum esse illustres humanarum actionum Ideas in quolibet vitae genere effingere: non igitur hac laude priuandi sunt hoc tempore. Respondeo igitur Platonis tempore poëtas, atque Homerum inprimis & Hesiodum tanta in existimatione fuisse, vt & ipsis diuinitatem quandam tribuerent, & eorum scripta sacra ac religiosa haberentur. Hinc fiebat, vt Philosophi etiam poëtarum authoritate sua decreta confirmare niterentur. Verùm longè aliter sentiebat de ijs noster Plato: etsi enim poësim vel vniuersam, vel aliquam eius partem, interdum non sine laude atque vtilitate vsurpari posse existimauit: id-

que

que Solonem fecisse credidit, vt non multò post in Timæo ipso constabit; Tragicos tamen opinabatur, & Comicos, Homerúmque præterea, atque (vt vno verbo dicam) quotquot eò vsque poëtæ loco habebantur, multis, ijsdémque grauissimis erroribus scatere: ac plerunque iuuenum corruptelam esse. Quamobrem hos in Minoë, in secundo, tertio, ac decimo de Rep. atque alibi acerrimè insectatur. Immo (quod Trocli ac multorum pace dixerim) in Ione etiam, Phædro, atque alijs quibusdam in locis, in quibus eos celebrare videtur, ironicè (si paulò attentiùs rem expendas) illos tanquam vanos, atque adeò stultos eludit. Quod si eorum dictis aliquando vtitur, id vel leuissimis in rebus, ac cum Sophistis adolescentibúsve, quasi adhuc eos contemnens facit: vel etiam quòd neque ipse tandem in omnibus illos peccasse sentiret. Neque verò ob id solùm insectabatur poëtas, quòd leuißimi essent ac monstrosi, in primis vero multa de DEO honestisque viris turpiter ac flagitiosè scripsissent; verùm etiam quia eo tempore incredibile quoddam rythmorum atque harmoniae studium cum carminibus coniunxißent; vnde & vehementißimè pulsarentur animi: quod ad eos eneruandos atque deprauandos momentum habet magnum. Quas rationes cum alibi, tum in politia fusißimè explicauit. Verum hic addit & tertiam, quæ cum instituto mirificè congruit: quòd scilicet imitationis studiosi ea facilè & optimè imitentur, in quibus fuerint educati: aliena verò, longeque ab eorum educatione remota, minimè. Ex quo efficitur, vt quoniam Poëta eò vsque in rebus politicis, ac præsertim in rerum bellicarum tractatione versati non erant, easdem imitari, atque exprimere non satis possent. Quamobrem hac alijsque allatis rationibus non poëtas simpliciter reijcit (ideo enim dicit, Non quod poëticum genus contemnam) *sed eos, qui ad suum vsque tempus poëtæ locum obtinuissent: quales erant Homerus, atque alij multi. Nam Solon, qui & res ciuiles ac bellicas simul administrarat, & a poësi non abstinuerat, in poëtæ loco non habebatur. Quod si vbique generatim ferè videtur poëtas arcere atque insectari, vt decimo de Rep. id sanè vel ideo facit, quia cum omnes quotquot eò vsque poëtæ nomen inuenissent, lapsos non rarò cerneret, nihil fermè intereßet eos generatim vituperare: vel etiam ex suppositione (vt vocant) atque in suo illo tantùm Reip. regno, in quo poëtarum lenocinijs atque artibus haud sinebat permisceri ciuium animos, quos a prima vsque aetate decentibus moribus atque disciplinis imbuisset. Quare scitè illud hac in re protulit de Homero Porphyrius.*

Μέγεθος μὲν πάθεσι περιθεῖναι καὶ ὕψος, Ὅμηρος ἱκανὸς καὶ εἰς ὄγκον ἐγεῖρει φανταστικὸν τὰς πράξεις, ἀπάθεια δὲ νοερὰν καὶ ζωὴν φιλόσοφον ἐνεργοῦσαν, οὐκ οἷόν τε παραδοῦναι.

hoc est. Idoneus profectò est Homerus ad magnitudinem perturbationum excitandam, atque ad ipsas actiones in phantasticam quandam amplitudinem promouendas: mentem verò ab affectionibus liberare nequit, ac philosophicis moribus informare. *Quam sententiam ab ipso Platone ex secundo & decimo de Repub. hausit. Quamobrem esto poëtarum sit in singulis vitæ generibus Ideam effingere, ad quam homines vitam moré sque conforment, ac propterea poßint vbi ciuili prudentia*

dentia non careat, pacis bellique officia dicẽdo exprimere: vt cũ Plato in illorũ poëtarũ instituta ac mores intueretur, qui nihil planè in Reip. bellique administratione versati eßent, nihil mirũ si hoc illis munus concedendũ eße neget. Atque ex his etiã intelligitur cur id statuens Plato dixerit, Non quòd poëtarum genus contemnam. *Neque enim hoc enunciat vt significet se artificiosos poëtas potiùs quàm afflatos reijcere, vt contendit Proclus: sed tum ad inuidiam declinandam, tum præsertim (vt indicaui etiam supra) vt non artem, sed poëtas, qui omnes eò vsque illa abusi eßet, ab eo munere arceret. Verùm neque illud magna dubitatione caret, immo* παράδοξον *planè videtur, quod ad Poëtas ab eodem munere reijciendos affert, dum ait,* τὸ δ' ἐκτὸς τῆς τροφῆς ἑκάστης γιγνόμενοι χαλεπὸν μὲν ἔργοις, ἔτι δὲ χαλεπώτερον λόγοις εὖ μιμεῖσθαι. *ea scilicet, quæ ab educatione sint aliena, difficilè quidem actionibus, verbis autem difficiliùs exprimi posse. Etenim multarum sæpe rerum optimè rationem tenemus, quas opere perficere nullo modo poßumus. Quãobrem peritus miles ac prudens, sed tamen imbecillus, consilio ac verbis optimè dimicandi ac rei benè gerendæ artem viámque monstrabit, quam tamen opere tenere nunquam poterit. Atque hoc etiam politico viro sæpè continget in Reip. administratione, dum senectutis incommodis a rebus gerendis reuocatur. Quamobrem tantum abest, vt difficilius sit aliquid verbis quàm operibus exprimere, vt potiùs dicendum sit re multò difficiliùs fieri quàm verbis. Vidit Proclus hanc dubitationem, & idcirco dicebat.* Δοκεῖ γὰρ ῥᾷον εἶναι μιμεῖσθαι τοὺς λόγους ἢ τὰ ἔργα. σοφισταὶ γοῦν οὐκ ὀλίγοι μέχρι λόγων ἐπιδεικνύμενοι τὴν ἀρετήν, ἔργῳ δὲ αὐτῆς παντάπασι ἀπῳκισμένοι. *hoc est.* Videtur facilius esse imitari sermones quàm opera: plurimi enim sunt, qui sermone virtutem docent: cum tamen opere toto cœlo ab ea distent, *Quamobrem statim vt se ab illa expediret, nouam quandam inijt rationem verba ipsa suo arbitratu permutans: in primis verò addi voluit dictionem* τὸ ἄριστον, *ac præterea illud* μιμεῖσθαι *in* μιμηθῆναι *conuertit: quare sic legendum censuit.* τὸ ἄριστον εὖ μιμηθῆναι, χαλεπὸν μὲν κατὰ τὰ ἔργα, χαλεπώτερον δὲ κατὰ τοὺς λόγους μιμηθῆναι λόγῳ. *hoc est,* Optimum rectè exprimi, difficile quidem est circa opera, difficilius autem circa sermones sermone. *Verùm hoc pacto facile esset vbique omnes nodos soluere, si verba pro libidine addere ac commutare liceret. Quanquam (vt ego quidem existimo) neque his præsidijs sese expedijt, immo inuoluit magis. quod tum sententia ipsa satis indicat, quæ violenta est atque perobscura, tum præsertim illud declarat quòd dictionem illam* ἔργοις *pro operibus accipit, quæ cum virtute fiunt, vt constat ex verbis supra in eius dubitatione allatis: cum tamen pro operibus imitatricis artis accipi debeat, quatenus opera nudis sermonibus opponuntur. Nam cum Sophistæ dicendo tantùm, poëtæ & dicendo & agendo exprimere aliquid possint, vt Tragicus, ac plerique faciunt, ex vtroque capite voluit hoc munere poëtis interdici. Sed de hoc paulò post fusiùs. Ergo, si me audias, alia ratione diluẽda est dubitatio. In qua in primis certum eße debet Platonis rationẽ inde desumi, quòd imitatores ea facilè exprimant atque imitentur, in quibus sunt educa-*

Explicatur paradoxon quoddã Platonis de poëtis & imitatoribus.

ti & instituti. Quamobrem si verum est (id quòd & illis experientia compertum erat, & nobis ex historijs constare potest) eos omnes qui in poetarum numero eò vsque habiti fuerunt, non fuisse in bellica administratione versatos, verissimum quoque erit, ab illis non fuisse poscendum, vt effictæ illius Reipublicæ ciues strenuè belli munera tractantes inducerent. Quod si addidit difficilius eße verbis quàm opere aliquid exprimere, id non vniuersim pronunciauit de ijs omnibus, quæ ἔργοις καὶ λόγοις confici possunt (id enim verè plurimas exceptiones atque difficultates habet) sed tantùm de ijs, quæ ab imitatoribus conficiuntur: quia scilicet sæpe difficilius sit aliquid sermone seu dictione probè imitari, quàm coloribus, ære, actione denique ipsa. Et hinc etiam fit vt imitatione, quæ nuda oratione efficitur, longè minùs (vt idem Plato docet decimo de Rep.) afficiatur animus, quàm ea quæ actione constat, aut etiam sermone, qui cum rythmo atque harmonia mixtus sit ac temperatus. Et ideo illud ἑκάστοις potiùs ad singulos imitatores referendum est, quàm generatim ad omnes qui aliquid siue ἔργοις siue λόγοις moliri possunt. Nam propterea ijs non ἀποδεῖξαι, aut aliquid tale difficillimũ esse dicit, sed μιμεῖσθαι, quod propriè solis poëtis atque huiusmodi imitatoribus conuenit. Quod si vrgeas, quia illud ἔργοις non de operibus intelligendum sit, quibus imitationis gratia, coloribus, gestu, & huiusmodi alijs quidpiam exprimitur, sed de operibus quæ verè in belli muneribus efficiuntur; ita vt Plato negarit poëtas bellicis ciuilibúsque actionibus ea ostendere posse, quæ optimi illi ciues bello strenuè gererent; ac proinde omnino deceptus sit, cum id longè minùs verbis quàm operibus præstari poße contendat, iam esset Plato ipse ab inferis excitandus, qui suam ipse mentem ac sententiam testaretur. Quanquam ne id quidem in præsentia opus esset: nam paulò post Timæo ac socijs hoc munus iniungit, quòd ita sint educati, vt illud pro dignitate obire possint: & tamen isti impositum munus statim verborum artificio ac pondere explent, non bellicis politicísque actionibus. Dum igitur hoc ipsum munus Poëtis denegat propter ipsorum educationem, qua fiebat vt opere id consequi non poßent, huiusmodi opera nullo modo sunt referenda ad veras ciuiles actiones, sed ad artificiosas, quæ poetica imitatione continentur: cum præsertim non alia ratione poëtæ huic muneri adhiberi potuissent, quàm sermone & imitatione: cum Socrates non rem bellicam gerit, sed bellicæ virtutis exempla dicendo proferri atque exprimi postularet. Ergo de artificiosis operibus loquitur, quæ imitatione conficiuntur. Atque idcirco cum sæpissimè artificiosis imitationum actionibus multa faciliùs exprimantur, quàm verbis, non παράδοξον, sed rem omnino veram pronunciauit noster Plato. Qui sequitur.

P.XXXIII

Τὸ δὲ τῶν σοφιστῶν γένος αὖ πολλῶν μὲν λόγων, καὶ καλῶν μάλα ἔμπειρον ἥγημαι. φοβοῦμαι δὲ μή πως ἅτε πλανητὸν ὂν κατὰ πόλεις, οἰκήσεις τε ἰδίας οὐδαμῇ διῳκηκός, ἄστοχον ἅμα

Ficinus.

Sophistas vtique & dicendi, & aliarum ferme præclarissimarum artium peritos esse arbitror: sed quia multas quotidie ciuitates pererrant, nec proprias sedes vllas habent, vereor ne coniectura quidem assequi nequeant quam multa & qualia viri philosophi, atque ciuiles tam bello quàm pace erga singulos verbis & operibus agant.

καὶ φιλοσόφων ἀνδρῶν ἢ καὶ πολιτικῶν, ὅσα ἂν οἷά τε ἐν πολέμῳ καὶ μάχαις πράττοντες ἔργῳ καὶ λόγῳ προσομιλοῦντες ἑκάστοις, πράττοιεν καὶ λέγοιεν.

Sophistas verò & dicendi facultate & multorum præclararum rerum scientia valere arbitror : at vereor ne ipsi (vagum videlicet hominum genus, & per varias ciuitates, nullis certis sedibus, vltro citroque commeans) in ipsis, & philosophorum, & ciuilium hominum institutis, planè plumbei sint atque hebetes: siue huiusmodi res sint quæ in bello pugnisque versentur, siue in ciuilibus cœtibus, reipsa vel sermonibus tantùm aliquid agatur, & quomodo erga singulos & dicendum & agendum sit, ineatur ratio.

Nou. int.

Sophistæ verò, etsi illos arbitror in multis disputationibus, ijsque pulcherrimis versatos esse; quoniã tamen proprias sedes nequaquã habent, sed passim varias peragrant vrbes, uereor ne minùs idonei sint ad præcipiendum quænam & quanta viri sapientes atque politici in bello ac prælijs tum agendo, tum dicendo cum singulis enuncient ac præstent.

Benius.

Co. XXXIII.

Explosis poëtis à politico illo munere, Sophistas etiam arcet, ne quis ad eos confugiendum prætexeret dum apud multos magnam sibi sapientiæ famam compararant. Varijs autem nominibus exagitare illos solet Plato: nempe quòd nullam solidam scientiam percepissent, sed vani essent, ostentationeque ac fastu pleni: quòd sordidi & auari, ideóque mercede docerent: quòd pugnaces existerent artificiosíque litigatores: quòd denique iuuentutem, falso illam sapientiæ nomine allicientes, deprauarent. Quamobrem in Theage. Est hic Prodicus Chius, & Gorgias Leontinus, aliíque permulti, qui adeò sapientes sunt, vt cum vrbes adeunt, nobilissimos & ditissimos alliciant ad se iuuenes. Quibus cum optimorum quorumcunque familiaritate gratis vti liceret, eorum assuetudine relicta, persuasi ad illos conferunt sese, pretium atque id ingens offerentes vltro, & gratiam insuper maximam habentes. *Et in Sophista dialogo, iuuenum ac diuitum mercenarius venator dicitur ipse Sophista: animi doctrinarum mercator & caupo : certator circa sermones, & artificiosus nimiùm litigator: philosophi simius, præstigijsque decipiens auditores. Ac consimilibus etiam notis in Menone, in sexto de Repub. atque alibi sæpe damnatur. Hic autem ea tantùm ratione vtitur Socrates, quòd cum varias quotidie ciuitates pererrent, nec proprias vllas sedes habeant, ne coniectura quidem assequi valeant, quàm multa & qualia viri philophi atque ciuiles in bello erga singulos verbis & operibus agant. Ita enim a ciuilium munerum tractatione vacabant : proindeque licet ipsi se ciuiles maximè profiterentur, (vt in Hippia maiore cernitur ac sexto de Rep.) verè tamen politica cognoscere rectè non poterant. Qua fermè ratione aduersus eosdem vsus est † Aristoteles decimo Ethicorum. Vbi significauit scientiam gubernandarum rerum publicarum Sophistas profiteri, cum tamen nemo ipsorum Remp. gerat. Quanquam in Elenchis vanæ sapientiæ nomine, ostentationísque & auaritiæ nota illos carpit ac damnat. Quin eodem fermè nomine definit Sophistã cum dicat,* Καὶ ὁ σοφιστὴς χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας ἀλλ' οὐκ οὔσης. *Quam fermè sententiam expressit M. Tullius in Lucullo, cum asserat eos esse Sophistas qui ostentationis & quæstus causa philosophantur. Contendit verò*

† 10. Eth. c. vlt.

Socra-

Socrates se & dicendi, & aliarum fermè præclarißimarum artium peritos existimare Sophistas, non seriò fortasse (nam paulò post & philosophi & ciuilis officia callere negat) sed ironicè, vt sui moris est. Nam græcè Sophistarum genus appellat πολλῶν μὲν λόγων καὶ καλῶν μάλα ἔμπειρον, *sermonum multorum & pulchrorum habens vsum. Sub quibus verbis (ni fallor) latet anguis: nam prioribus verbis* πολλῶν λόγων, *eorum loquacitatem designat: posteriore* καλῶν, *ostentationem. Ac simili planè ironia videtur hîc Sophistas carpere, qua in libro de mendacio magnum illum Sophistã Hippiam exagitauit: vbi eum induxit gloriantem quòd* περὶ καλῶν ἐπιτηδευμάτων πάγκαλον λόγον *habuisset, non secus ac Neoptolemo Nestor* πάμπολλα νόμιμα καὶ πάγκαλα *exposuerat. Vbi etiam acutè Hippiam ab ipso statim dialogi exordio* καλὸν *appellat, quem mox* περὶ καλῶν *facit differentem, ironicéque illudit. Quod si non ironicè loquutum esse velis, haud tamen secum pugnare dicendus est, quòd alibi eos tanquam imperitos ac rudes exagitet. Hîc enim tritam vulgi opinionem vocésque vsurpasset inuidiæ declinandæ causa: cum nihil in præsentia interesset id dissimulare, dum satis haberet unde eos a proposito munere prohiberet: quia uidelicet perpetuò urgerentur, nec certas ullas sedes haberent. proindeque res ciuiles cognoscere, aut tractare rectè non possent. Quod autem sic pererrarent Sophistæ, amplissimè exposuit in maiore Hippia his verbis.*
Hippias. Si videres ò Socrates quantum ego argenti lucratus sum, obstupesceres. Mitte alia. Verùm in Siciliam quandoque profectus, vbi tunc Protagoras habitabat, summóque in honore habebatur, me admodum senior, breui plus quàm centum quinquaginta minas collegi, & ex regione quadam angusta, Inyca nomine, plus quã minas viginti: *Et paulò post Socrates.* Hoc autem mihi dicas, cum multas vrbes adieris, vbinam potisimùm lucratus es? *Non est autem dissimulandum hîc quoque vnà cum Chalcidio dormitasse Ficinum, dum in sententia cum illo perseuerans vertit.* Vereor ne coniectura quidẽ assequi nequeant quàm multa, & qualia viri philosophi atque ciuiles, tam bello quàm pace erga singulos verbis & operibus agant; *nihil enim de pace Socrates, sed tantùm de ijs loquitur quæ aguntur* ἐν πολέμῳ, καὶ μάχαις ἔργῳ καὶ λόγῳ, in bello & prælijs cum agendo tum dicendo: *sicut etiam supra dicebat,* Libenter audirem quomodo in bello se gererent tum operibus tum sermonum commercio. *Atque ex his etiam intelligitur tam in superiore loco, quàm hîc illud* λόγοις *verè ad sermones pertinere, non ad animi rationes: nam sicut operibus respondet* πράττοιεν agerent, *ita* λόγοις *respondet* λέγοιεν dicerent. *Sequitur verò Socrates.*

Par. XXXIV.	Καταλέλειπται δὴ τὸ τῆς ἡμετέρας ἕξεως γένος, ἅμα ἀμφοτέρων φύσει καὶ τροφῇ μετέχον. Τίμαιος.	*Sola igitur vestra professio superest. tum natura, tũ disciplina philosophiæ & rerum gerendarum studio pollens Timæus quidem hic ex Locris, quæ vrbs in Italia iustissimè gubernatur, nobilitate et honoribus præstantissimus, summis magistratibus et honoribus.*	**Ficinus.**

τε γὰρ ὅδε, εὐνομωτάτης ὢν πόλεως τῆς ἐν Ἰταλίᾳ Λοκρίδος, οὐσίᾳ καὶ γένει οὐδενὸς ὕστερος ὢν τῶν ἐκεῖ, τὰς μεγίστας μὲν ἀρχάς τε καὶ τιμὰς ἐν τῇ πόλει μετακεχείρισται, φιλοσοφίας δ' αὖ κατ' ἐμὴν δόξαν ἐπ' ἄκρον ἁπάσης ἐλήλυθε. Κριτίαν δέ που πάντες οἱ τῇδ' ἴσμεν οὐδενὸς ἰδιώτην ὄντα ὧν λέγομεν. τῆς δ' Ἑρμοκράτους αὖ περὶ φύσεως καὶ τροφῆς πρὸς ἅπαντα εἶναι ταῦτα ἱκανῆς, πολλῶν μαρτυρούντων πιστευτέον.

bus fuctus est, et ad sũma totius philosophiæ fastigia vt opinor, ascẽdit. Critiã quoque scimus hæc vtraque consequutum. Hermocratis etiam naturã educationemque his omnibus quæ diximus, tractandis esse accommodatam cum multis testimonijs monea mur, dubitare non licet.

Restat itaque vestræ conditionis genus, vtraque re & natura & educatione scientiæ disciplina, rerumque gerendarum studio & experientia præstans. Hic nimirum Timæus Locris oriundus, omnium quæ sunt in Italia optimè morata & legibus constituta vrbe, ciuium suorum nemini, generis nobilitate & diuitiarum copia postremus, maximos magistratus & honores in sua ciuitate administrauit, ad philosophiæ certè fastigium atque summitatem, mea quidrm sententia peruenit. Critiam verò omnes qui hic sumus, nouimus earum rerum quas diximus, nullo modo imperitum. Hermocratis autem ipsius naturam, certo etiam educationis instituto ad hæc omnia aptam atque idoneam multorum testimonio credendum est. Nou. inter.

Ad vos igitur superest vt confugiam, quippe qui sapientiæ ciuilisque administrationis studia tum naturæ, tum disciplinæ institutionisque beneficio calletis. Timæus enim hic ex Locris quæ vrbs in Italia optimis legibus temperatur, præterquam quod opibus ac nobilitate non est inferior, quàm quiuis suorum ciuium; summos magistratus atque honores in sua ciuitate est consecutus. Critiam præterea nouimus omnes, qui hic sumus, non esse eorũ quæ paulò ante dicebamus, ignarum. Id quod de Hermocrate etiam dubitandũ non est, cùm multorum testimonio compertum habeamus eius naturam atque institutionem ad hæc omnia esse idoneam. Benius.

Com. XXXIV. *Iam ergo monet Socrates Timæo tantùm ac socijs dignam esse prouinciam illam: idque primùm de omnibus generatim ea ratione docet, quòd tum natura, tum eruditione ac disciplina philosophiæ ciuilisque scientiæ laude excellerent: tum verò speciatim de singulis: idque a Timæo incipiens, quem sanè miris laudibus extollit. Nam ab vrbe, quæ Italica esset, & iustissimè gubernaretur, a generis nobilitate opúmque splendore, ab honoribus maximis, quos esset consequutus, ac denique ab excellenti quadam virtute, qua tum Rempub. optimè administrauerat, tum ad summa totius philosophiæ fastigia ascenderat, eum commendat. Hoc etiam deinde significat de Critia, quod ij ipsi qui aderant, scirent omnes non vulgariter fuiße ijs ornatum, quæ laudauerat in Timæo. Atque idipsũ tandem de Hermocrate profert, quoniam multorum testimonio constaret eum, & natura & institutione ad ea omnia tractanda eße idoneum. His, inquam, Socrates propositam prouinciam ijs tradere conatur. Qua fermè ratione in dialogo de sapientia suadere nitebatur Demodoco ipsimet Theagis filij curam suscipiendam esse: quare aiebat.* Sed vnde tibi hoc ita visum est, me videlicet tuum filium meliorem posse ciuem reddere, quàm tute possis? atque vnde hic sibi persuasit posse magis à me quàm abs te iuuari? id enim vehementer admiror: tu enim primùm me senior es: deinde multis ac maximis apud Athenienses

fun-

functus es magistratibus, neque te magis quisquam à popularibus Anagyrasijs ac reliquis ciuibus honoratur. *Cur autem & quo pacto duplicem illam naturam philosophicam & politicam, atque eas* φύσει καὶ τροφῇ natura & educatione *in eo requirat qui hanc prouinciam obire debet, ex ijs quisque poterit intelligere quæ fusè tradidit in libris de Rep. de custodis institutione: nam cum ea nos iam semel in epilogo attigerimus, non est quod repetamus. Dum verò Timæum* μεγίστας τιμάς honores *inquam,* summos *ait consequutum esse, pulcherrimè ad nomen alludit: vbi tamen omnis lepos perit interpreti: quod in interpretationibus vsu venire solet, in quibus passim multa ornamenta deperdit oratio. eiusdem quoque Timæi ciuitatem iustè fuisse administratam in libro primo de legibus testatur Plato. Notat uerò Proclus Critiam hunc fuisse vnum ex triginta Tyrannis atque idiotam potiùs & gregarium philosophum: seu veriùs qui Philosophorum consuetudine magis delectaretur, quàm quòd virtutibus ijs excelleret, quas significat Socrates. Hermocratem verò vult fuisse Syracusanum quendam ducem non vulgaris uirtutis. Platonem tamen addit patriam Timæi tantùm memorare, quòd altera reperiretur Locris in Euboëa. Digreditur quoque pro more ad allegoricas nugas, Timæúmque in primis Dimiurgo uult respondere: atque ita alios alijs Vniuersitatis causis accommodans, oracula illa funditsua. Sed ad Socratem redeamus, qui sic pergit.*

Par.xxxv. Διὸ καὶ χθὲς ἐγὼ διανοούμενος ὑμῶν δεομένων τὰ περὶ τῆς πολιτείας διελθεῖν, προθύμως ἐχαριζόμην, εἰδὼς ὅτι τὸ ἑξῆς λόγον οὐδένες ἂν, ὑμῶν ἐθελόντων, ἱκανώτερον ἀποδοῖεν. εἰς γὰρ πόλεμον πρέποντα καταστήσαντες τὴν πόλιν, πάντ' αὐτῇ τὰ προσήκοντα ἀποδοῖτ' ἂν μόνοι τῶν νῦν. εἰπὼν δὴ τὰ ἐπιταχθέντα, ἀντεπέταξα ὑμῖν ἃ καὶ νῦν λέγω. ξυνωμολογήσατ' οὖν κοινῇ σκεψάμενοι πρὸς ὑμᾶς αὐτοὺς, εἰς νῦν ἀνταποδώσειν μοι τὰ τῶν λόγων ξένια. πάρειμί τε οὖν δὴ κεκοσμημένος ἐπ' αὐτὰ καὶ πάντων ἑτοιμότατος δέχεσθαι.

Ficinus. *Quapropter rogantibus vobis heri de Rep. disputari, libentissimè parui, cũ cogitarem quod deinde instituto operi superforet, a nomine commodiùs quàm a vobis, modò velitis, posse tractari. Cum enim ciuitatem ad bellum idoneam constitueritis, soli omnium vos quæ eam decent, vicissim omnia tribuetis. Cum verò in superioribus, quæ mihi iniuncta fuerant, perfecissem, quæ modo retuli vobis tractanda commisi. Vos autem communi consensu imperatum munus mutuo mihi parandi nunc sermonum conuiuijs recepistis. Ego igitur adsum ad promissas epulas paratissimus.*

Nou. inter. *Quamobrem heri quum de vobis ita cogitarem, rogantibus me vt meam de Repub. constituenda explicarem sententiam, libens parui: persuasus reliquum sermonem a nemine commodiùs quàm a vobis, si illius rei vobis adesset voluntas, explicari vllo modo posse. Nam cum ijs rebus quæ ad bellicas rationes attinent, ciuitatem optimè firmaueritis, reliqua quæ illi propria sunt atque accommodata, uos omnium mortalium optimè profectò præstiteritis. Ego igitur imperijs vestris hactenus obsequutus, vobis vicissim imperaui, quod & nunc edico. vos mandatum quidem illud meum communiter excepistis: nunc verò re inter vos cogitata atque perpensa, tempus est, vt eadem sermonum munera mihi retribuatis: ego igitur ad hæc suscipienda paratus accintusque adsum.*

Benius. *Quapropter cum heri precibus a me peteretis, vt de Reipub. institutione disputarem, rem mecum ipse reputans, non potui non libentissimè vobis*

satisfacere. Intelligebam enim reliqua deinde ab alio nemine cumulatiùs tractari posse, quàm a vobis, dummodo huc animum induceretis gravaremini. Nisi enim vos civitatē appositè ad bellum instruatis, nullus profectò erit hoc tempore, à quo, quæ ipsam decent, omnia consequatur. Ergo cum mandata vestra curassem ea uobis contra ponebam explicanda quæ hactenus commemoraui. Neque prouinciam recusastis uos; immo uobiscum ipsam reputantes, communi consensu statuistis hospitalitatis munera mihi rependere. Adsum itaque ad ea excipienda paratissimus.

Com. xxxv.

Iam igitur magis ac magis firmat nexum politiæ ac rerum dicendarū, atque has socijs disserendas offerens, rationes affert, quibus illos omnino inducat ad delatam prouinciam suscipiendam atque tuendam. Ac nexū quidem firmat proximas disputationes ex superiori deriuari significans: asserit enim se de Republica disputasse ea spe ductum, ut quæ instituto operi succederent pertractanda, ipsi commodissimè expedire possent si uoluntas non deesset. Offert uerò illis rerum dicendarum materiā, ac simul efficere conatur, ut nullo pacto eam recusarent, tum quia quod supererat a nemine commodiùs (ut ex eorum natura & educatione probauerat) tractari poterat quàm ab ipsis: tum quia cum ipse eorum postulatis satisfecisset alacriter, ratio postulabat ut ipsi quoque hoc munus libēti animo exciperent. Immo uerò (si attentiùs cernamus) ut ne detrectent onus ea ratione efficit, quoniam supra hoc munus receperant illi: ac propterea cum Socrates suum iam absoluisset, omnino decebat ut ij suum aggrederentur: ac mutui sermonis uices rependerent. Et idcirco addit, se ad promissas epulas esse paratissimum. Simulat uerò Socrates hæc quæ ponuntur dicenda, hesterna die fuisse ab illis recepta, quasi mutuas illi epulas omnino daturi essent, ut per hanc occasionem intelligi posset illos præmeditatos descendere ad disputandum: ac proinde præclarè materiam illam tractaturos esse: & ideo statim Hermocratem respondentem facit.

Part. xxxvi.

Ἑρμ. Καὶ μὲν δὴ (καθάπερ εἶπε Τίμαιος ὅδε, ὦ Σώκρατες, οὔτε ἐλλείψομεν προθυμίας οὐδὲν, οὔτ' ἔστιν οὐδεμία πρόφασις ἡμῖν τοῦ μὴ δρᾶν ταῦτα. ὥστε καὶ χθὲς εὐθὺς ἐνθένδε, ἐπειδὴ παρὰ Κριτίαν πρὸς τὸν ξενῶνα, οὗ καὶ καταλύομεν, ἀφικόμεθα, καὶ ἔτι πρότερον καθ' ὁδὸν αὐτὰ ταῦτα ἐσκοποῦμεν. ὅδ' οὖν ἡμῖν λόγον εἰσηγήσατο ἐκ παλαιᾶς ἀκοῆς. ὃν καὶ νῦν λέγε, ὦ Κριτία, τῷδε, ἵνα

Ficinus.

Her: Nos quoque omnes o Socrates, vt pollicitus est modò Timæus, quod iubes pro uiribus exequemur: præsertim cum nulla excusandi sit ratio, quo minùs id facere debeamus. Nam præterito die, cum disputatione peracta, mox ad hospitium, quo apud Critiam suscepti sumus, rediremus, & inter eundum primò, & domi rursus de his rebus verba fecimus. Hic igitur ueterem nobis narrauit historiam: quam velim o Critia, Socrati modò recenseas: vt cum audierit, iudicet nunquid ad eam rem, quam nos exequi iussit conducere videatur.

Neu. int.

Herm. Verùm enimuerò (quemadmodum hic Timæus iam dixit) animi præsentia & alacritate minimè deerimus. neque verò quicquam est causæ cur aliter agamus. Itaque heri etiam quum hinc è vestigio discederemus, vbi primùm ad Critiam in hospitium, quò & diverteramus,

ξυνδο-

ξυνδοκιμάσῃ πρὸς τὴν ἐπίταξιν, εἴτ᾽ ἐπιτήδειος εἴτ᾽ ἀνεπιτήδειός ἐστι.

peruenimus, & priùs etiam in ipso itinere his de rebus inter nos dispiciebamus. hic vesò sermonem ex veteri antiquoque auditu, quendam nobis referebat: quem, Critia, sermonem velim huic commemores: vt iudicet numquid ad eam rem, quam nobis imperauit, commodus, opportunusque videatur necne.

Her. At verò nos, Socrates, quemadmodum Timæus etiam significauit; rem omni alacritate aggrediemur: neque enim excusationem vllam afferre possumus, quo minùs id faciamus. Etenim heri cum hinc discederemus, contenderemusque ad Critiæ hospitium, vbi diuertere solemus, inter eundem primò, tùm verò domi hæc ipsa expendebamus. Quare hic veterem quandam nobis historiam auditione a se exceptam narrauit: quam modò Critia velim huic referas, vt dijudicet nunquid ad ea conducat, quæ nobis imposuit. Benius.

Co.XXXVI *Vbi sanè quoniam Socrates explicata suæ politiæ summa, eos uehementer excitarat ad rependendas mutuæ disputationis uices, Hermocrates statim communi omnium nomine mutuam, quantũ in ipsis est, alacritatem studiúmque pollicetur: idcircóque aperit se præme ditatos uenisse: cum hesterna die & inter redeundum, & domi rursus ea de re egissent. Quibus addit ab altero ipsorum (Critiam uerò intelligit) ueterem quandcm historiam hac de causa fuisse expositam: ac propterea eum compellat, ut Socrati ipsam recenseat, quò iudicare possit, an ad rem suam facere uideatur. Atque hoc pacto studet ut historiæ illius, de qua meminerat, occasione, Critiæ tribuat loquendi partes. Ex his autem quæ hoc in loco affert Hermocrates, intelligitur (id quod multò antea monebam) non malè decorum fuisse à Platone custoditum, dum Timæus quasi aliorum mentes sensaque optimè explorasset, aiebat omnibus fuisse probata quæ Socrates de Repub. disputarat. Nam hesterna die, cum à Socrate discessissent, de politicis institutionibus ultro citróque uerba fecerant. Ex quibus satis Timæus perceperat aliorum iudicium atque sententias. Quanquam (ut ingenuè fatear) optassem potiùs ut ibidem aliquid interposuisset, ex quo decori rationem habitam statim apparuisset, quàm ut ad ea, quæ tam multò post enunciauit, fuisset recurrendũ. Certè M. Tul. si alicubi in decoro tnendo deprehendatur Platoni inferior, in hoc facilè superior uideri potest, ut ex exemplis iam antea allatis constat. Vniuersum uerò hunc sermonem, quo Socrates Timæo ac socijs hoc munus commendauit, atque Hermocrates mutuum illi studium pollicitus est, allegoricè exponit Proclus, quasi hæc omnia conditi Mundi imagines contineant, & idcirco à Platone tanquam Physiologiæ præludium præmittantur. Sed tempore atque ocio abutentis sunt isthæc. Quare Critiam audiamus, qui dum Hermocrates hortatur eum ad historiam illam recensendam, respondet.*

Pa.XXXVII Κει. Ταῦτα χρὴ δρᾶν εἰ καὶ τῷ τρίτῳ κοινωνῷ Τιμαίῳ ξυνδοκεῖ.

Cri. Faciendum est si ita Timæo quoque videtur tertio disputationis huius participi. Ficinus.

Cri. Hæc ita erunt agenda, si tertio socio Timæo hunc in modum videatur. Nou. inter.

Cri. Nisi Timæo tertio prouinciæ huius nostræ socio aliter uisum fuerit, sic faciam. Benius.

Co.mxxxvii *Vbi sanè dum id non nisi una, eâdémque omnium uoluntate effici optat, decoru m conseruat, quod ex amicitiæ officijs nascitur. Quare meritò Timæus optima erga se Critiæ uoluntate cognita, ut gratum se præbeat, assentitur: sic enim sequitur.*

Par.xxxiix. Τιμ. Δοκεῖ μέν. *Tim. Videtur sanè.* Ficinus.
Tim. Videtur sanè. Nou.int.
Tim. Haud aliter profectò videtur. Benius.

Co.xxxiix. *Quare statim Critias suam historiam aggreditur: quam nos libro proximo persequemur.*

FINIS LIBRI SEXTI DECADIS PRIMAE.

IN

IN PLATONIS TIMAEVM,

SIVE

IN NATVRALEM OMNEM ATQVE DIVINAM PLATONIS ET ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM

DECADIS PRIMAE LIBER SEPTIMVS.

QVAE In his duobus libris proximè a nobis traduntur, cum alias vtilitates habent multas, tum præsertim valent ad eos Ethnicos refellendos qui Platonis Aegyptiorúmque authoritate nixi, perennem quandam eluuionum seriem introducere videntur: ac Moysi in primis contradicunt in ratione temporum ac Mundi antiquitate. Quæ omnia eò etiam accuratiùs erunt a nobis tractanda, quòd in quorundam veterum Patrum scripta visa est irrepsisse hæc Platonis sententia. Quanquam ne præiudicata opinione ad huiusmodi historiam accedamus, suo loco videbimus an verè ingentem hanc annorum vim ac multitudinem introduxerit Plato: quo nomine ea in re Platonem secuti sint Patres illi, ac cætera omnia expendemus quæ instituta rei esse videbuntur. Nunc venio ad verborum contextum

Par. 1.

Κρι. Ἄκουε δὲ, ὦ Σώκρατες, λόγου μάλα μὲν ἀποτόμου, παντάπασί γε μὴν ἀληθοῦς, ὡς δὴ τῶν ἑπτὰ σοφῶν σοφώτατος Σόλων ποτ᾽ ἔφη. ἦν μὲν οὖν οἰκεῖος καὶ σφόδρα φίλος ἡμῖν Δρωπίδου τοῦ προπάππου, καθάπερ λέγει πολλαχοῦ καὶ αὐτὸς ἐν τῇ ποιήσει. πρὸς δὲ Κριτίαν τὸν ἡμέτερον πάππον εἶπεν (ὡς ἀπεμνημόνευεν αὖ πρὸς ἡμᾶς ὁ γέρων) ὅτι μεγάλα καὶ θαυμαστὰ τῆσδ᾽ εἴη παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως ὑπὸ χρόνου καὶ φθορᾶς ἀνθρώπων ἠφανισμένα. πάντων δὲ ἓν μέγιστον, οὗ νῦν ἐπιμνησθεῖσι πρέπον ἂν ἡμῖν εἴη σοί τε ἀποδοῦναι χάριν, καὶ τὴν θεὸν ἅμα ἐν τῇ πανηγύρει δικέως καὶ ἀληθῶς, οἷόνπερ ὑμνοῦντας, ἐγκωμιάζειν.

Ficinus.

Cri. Audi Socrates miram quidem, sed plenam veritatis historiam, quam Solon septem sapientum sapientissimus recensebat. erat enim domesticus admodum amicusque Dropidis proaui nostri: quod in carminibus suis ipsemet sæpe testatur. Auo autem nostro Critiæ (vt ipse nobis senex postea referebat) quandoque narrauit res gestas huius vrbis memorabiles, diuturnitate temporis, hominumque memoria obliteratas. Vnum verò præ cæteris facinus insigne recensuit, quod vobis nunc narrandum censeo, vt tibi morem geramus: & Deam, cui hodierna pompa dicata est, hac narratione quasi quodam hymnorum cantu, vt parest, honoremus.

Non. in

Crit. Audi igitur Socrates durum quidem rigidumque sermonem, veritatis tamen plenum: sicuti Solon è sapientibus septem sapientissimus olim dixit. cum illo enim magna intercedebat familiaritas atque necessitudo & Dropide proauo nostro quẽadmodũ & ipse meminit sæpenumero in suis versibus. Critiæ ergo auo nostro (quẽadmodũ nobis senex referebat) magna & admirabilia opera istius ciuitatis, & antiqua quidẽ illa, diuturnitate tẽporis, hominũque exitio atque pernicie deleta, referebat: omnium verò maximum vnum quoddam, quod nunc vobis iuuat commemorare, tum vt in beneficio rependendo, tibi gratificemur, tum vt Deam quoque, cui hæc solemnitas consecrata est, sicuti æquum & consentaneum est, veris laudibus quasi hymnis celebremus.

Benius.

Crit. Audi igitur Socrates sermonem subdurum quidem, sed tamen omni ex parte verum: quemadmodum aliquando septem sapientum sapientissimus dicere solebat Solon. Huic itaque (sicut ipsemet in poemate sæpe refert) coniunctio intercedebat atque intima familiaritas cum Dropide proauo nostro. Quamobrem ad auum quoque nostrum Critiam (veluti hic nobis iam senex narrabat) magnas atque admirabiles fuisse affirmabat res olim ab hac Ciuitate gestas: quarum tamen memoria temporis iniuria, atque hominum exitio obliterata esset. Vnum verò reliquorum omnium præstantissimum recensuit facinus, quod in præsentia nostrarum partium erit exponere: idque tum vt debitam tibi gratiam referamus, tum vt eam in præsenti pompa veris laudibus (vt decet) quasi hymnis ornemus.

Com. 1.

TERTIA Procemij pars.

Aggreditur noster author tertiam procemij partem, in qua Critias narraturus quendam Solonis sermonem, ad Socratem se conuertit, cui præcipuè morem gerere cupiebat: atque eum appellans, Audi (inquit) Socrates sermonem admirabilem quidem: sed tamen omni ex parte verum: quem septem sapientum referebat sapientissimus Solon. Quibus verbis mirificè & a sermonis veritate, & ab authoris sapientia ac dignitate animos comparat auditorum. Vt autem verisimile quoque tueretur, dum Solon fermè centum annorum spatio Critiam ipsum anteierat, qui sermonem ipsum erat narraturus, planum facit (id quod ex ipsa literæ sententia satis intelligi potest) qua ratione ille sermo a Solone ad Critiam peruenisset. Sed vt præterea de huius sermonis argumento priùs constaret, addit eo contineri res memorabiles, siue (vt

ue (vt significantiùs est græcè) magnas atque admirabiles a priscis Atheniensibus gestas: quæ quoniam antiquissimæ erant, temporis diuturnitate atque hominum interitu euanuerant. Subiungit verò Critias se eo planè tempore maximum quoddam facinus referre decreuisse ex sermone illo, tum vt ipsi Socrati gratificaretur: tum vt Deam honoraret, cui per eos dies panegyricus habebatur.

Hic verò primùm inuestigandum videretur, verè ne historia, an potiùs fabula censendus sit hic Solonis sermo. Verùm id longè commodiùs efficietur vbi expositus fuerit vniuersus. Interim dum Solon, cui huiusmodi sermo tribuitur, septem sapientium vocatur sapientissimus, non sunt prætereunda quæ hac de re scribit † Plutarchus. Narrat enim Solonis sapientiam non fuiße positam in rerum naturalium cognitione: sed potiùs in Ethicis atque Politicis: cùm vnus Thales ex septem illis fuisset inuentus, qui in physicis versatus eßet: Solon vero contra ἁπλοῦς λίαν καὶ ἀρχαῖος *mirè simplex & imperitus hac in parte extitisset, quod etiam ex eiusdem Solonis carminibus ostendit. Et idcirco etiam vt eloquentia plus indiget rerum moralium ac ciuilium cognitione quàm naturalium, accidere potuit vt non indisertus orator esset Solon, quemadmodum de eo prodidit † M. Tullius. Huius igitur sapientiæ causa potiùs quàm mercaturæ Platonem peregrinatum esse credit Plutarchus. Quamuis enim adhuc adolescens propter parentis magnanimitatem atque adeò largitiones tenuissimis opibus vteretur: ac propterea mercaturam exercuisse non valde inficietur, cum præsertim illis temporibus non vilis eßet eius tractatio: immo Thales, Hippocrates, ac deinde Plato eam attigissent; magis tamen probat eos qui sapientiæ studio peregrinatum eße contenderent. Nam ipsemet Solon passim in suis carminibus profitetur se tenuissimis quidem opibus vti non recusaße, sed iniustitia. Facit etiam ad eius sapientiam ostendendam quòd non solum Epimenidem Phaestium, quem nonnulli Periandro reiecto inter septem sapientes reponunt, familiarissimum habuit; verùm etiam Anacharsim: qui etsi vir laudatissimus erat, sic vt ipse quoque inter septem sapientes a multis collocaretur, Solonis tamen familiaritatem valde expetiuit. Id quod Thales etiam fecit, vt ex epistola intelligitur, quam Soloni scriptam apud † Laërtium legimus. Hinc & Athenis effecit vt atrocissimæ illæ abrogarentur Draconis leges, quæ non atramento sed sanguine scriptæ viderentur; suásque deinde tulit propter quas † Aristotele teste præclarus legislator habitus est. Hic † præterea duorum regum vno dicto seruauit alterum, alterum erudiuit, Croesum videlicet ac Cyrum. Huc etiam spectant clarissima eius præcepta ac dicta quæ tum a † Laërtio tum ab alijs recensentur. Demum tota vita sapientiæ sic studuit, vt nonnulli ad Philosophiam definiendam (quemadmodum † Plutarchus immo † Plato ipse refert) illam Solonis sententiam vsurparent qua tandiu discendum præcepit, quandiu viuitur.*

Γηράσκω δ᾽ αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. *hoc est.*

Addiſcens fio nocte diéque ſenex.

Verùm illud præcipuum est, atque omnium scitissimum ad eius sapientiam

De Solone eiusque Sapientia.

† Plut. in Solone.

† Tul. l. b. 1. de orat.

† Laert. in Thalete.
† Arist. 2. polit. c. 10.
† Plut. in Sol. Valer. Max. l. 7. c. 2. Herod. & alij.
† Laer. in Sol.
† Plutar. in Sol. ad init.
† Plato in dial. de philosophia, & altero de fortitudine.

commendandam, quod de aurea illa mensa (siue phiala illa esset siue etiam poculum) memoriæ proditum est. Quod † *Laërtij verbis exponam.* Quæ de tripode (*inquit*) a piscatoribus inuento, sapientibúsque a plebe Milesiorum dedicato, memorantur, manifesta sunt. Aiunt enim Ionios adolescentes quosdam a piscatoribus Milesijs iactum retis emisse: capto deinde & educto tripode orta contentio non ante sedata est quàm Delphos a Milesijs missum, responsúmque a Deo est.

> Ἔκγονε Μιλήτου τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς
> Τίς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτου τρίποδ' αὐδῶ. *hoc est*

> De tripode ex Phœbo quæris Milesia proles,
> Huic tripodem addico cui sit sapientia prima.

Datur ergo Thaleti: Thalésque illum alij dat, & rursus alius alij, donec ad Solonem ventum est. Qui DEVM primum esse sapientia asserens; illum Delphos misit. *Hæc Laërtius. Verùm dicat quispiam. Ex his omnibus constat sapientia insignem fuisse Solonem, & ex septem sapientibus vnum: non tamen apparet (id quod contendebat Critias) eorum omnium sapientissimum extitisse. Quare Plato ipse in Protagora, vbi de omnibus illis explicatè satis loquitur, nullo modo ausus est eum cæteris anteferre. Quin apud multos (vt ex* † *Aristotele &* † *Plutarcho intelligitur) in legibus ac moribus, in quibus vniuersa eius sapientia versabatur, notis non caruit. Ac tandem, quod rei caput est, non Solon, sed Thales horum omnium princeps iudicatus videtur: nam ei primùm (si Plutarcho, & Callimacho credimus) mensa illa tanquam omnium sapientissimo missa est: & ad eundem quoque veluti circulo quodam redijt, donec ipse Apollini eam dicauit. Quare vt Plutarchi dictum omittam, quod per se satis in Solone perspicuum est, Callimachus in Iambis sic canit.*

> Θαλῆς με τῷ μεδέοντι Νηλέω δήμου
> Δίδωσι τοῦτο δὶς λαβὼν ἀριστεῖον. *Id est.*

> Plebem regenti me Thales Nileo dat.
> Clarum bis hoc qui iam assecutus est donum.

Sed fortaße ex eorum sententia loquutus est noster author, qui id quidem (vt dicebam) non Thaleti, sed Soloni affirmant contigisse. Vel etiam, quoniam Plato qui Solonis ætatẽ non multò post cõsequutus est, optimè explorauit quæ & quanta esset eius sapientia, ac tale fortaße intellexit cæterorum eße de eo iudicium, vt illi principatum concederent. Quæ sententia ne ipsum quidem Plutarchum latuiße tandem videtur, qui in Poplicolæ Solonisque comparatione hunc omnium sapientissimũ appellauit. Nisi tamen Platonem *gratiæ id tribuisse censes, quòd Solon Atheniensibus leges dedißet: vel tempori, quòd postularet Solonis commendatione sermoni authoritatem afferri: vel denique gentis propinquitati, quòd Plato Solonem cognatione attingeret. Nam eos ex eodem genere natos eße Plutarchus non obscurè significaße videtur: qui cum de historia loqueretur quam Solon imperfectam reliquit,* Atqui (*inquit*) Plato argumentum Atlanticum, vt amœni loci

Marginal notes:

† Laert. l. 1. in Thalete.

† Arist. l. 2. pol. c. 10.

† Plutar. in Sol. sub init.

Plato cognatione attingebat Solonem

ci aream desertam quæ proximitatis iure ad ipsum rediret, prægestiens expolire, ingentibus vestibulis cinxit. *Quin* † *Iamblichus, Theon, ac Proclus disertissimis verbis eos ex paterno genere sanguine coniunctos fuisse tradunt: vniuersamque originem ac seriem eorum cognationis retexunt. Quibuscum Laërtius etiam consentit libro tertio, etsi ex Solone materno tantùm genere ortum esse voluit. Qui verò fuerint hi septem sapientes non planè conuenit de omnibus inter omnes: vt per te ipsum ex* † *Platone* † *Plutarcho, &* † *Diogene animaduertere potes. Ego enim hæc persequi non meum in præsentia iudico. Quo autem pacto Solon esset Dropidis domesticus atque amicus, siue (vt est græce)* οἰκεῖος καὶ σφόδρα φίλος, *exponunt fusè Proclus & alij: ostendúntque sanguine fuisse coniunctos, licet de ratione non omnino inter se consentiant: cum Proclus fratres fuisse velit ex Execestide, alij aliud affirment cognationis vinculum inter eos intercessisse: quod longè verisimilius est, si Platonis loquendi modum spectemus, quo valde amicos fuisse tradit. Ac proinde (si hæc vera sunt) illud* οἰκεῖον, *non domesticus aut familiaris vertendum fuit, vt faciunt Chalcidius, Ficinus, & nouus interpres, sed consanguineus. Affert etiam Proclus carmina quædam ex Solonis poësi quibus ostendit (si tamen ostendit) maiorem Critiam fuisse Drapidis filium, vt hic significat Plato, quæ hæc sunt.*

Εἰπέμεναι Κριτίῃ ξανθότριχι πατρὸς ἀκούειν,
Οὐ γὰρ ἁμαρτινόῳ πείσεται ἡγεμόνι. *hoc est.*

Flauicomum Critiam iubeas audire parentis
Dicta, bonus nato dux erit istæ viæ.

Sed iam explicemus quæ pompa esset illa, siue quis panegyricus, quæve præterea Dea, in cuius honorem ea fierent. Deam sine dubio Palladē intelligit: hæc enim tanquam patrona vrbis præcipuo honore ab Athenienſibus colebatur. Quare paulò infra. Vrbis Saim (*inquit*) quæ est in Aegypto, fundatrix Dea est, quam Aegyptij Neithen, Græci Athena nominant. *& infra vbi Aegyptius Sacerdos Solonem alloquitur.* Dicam (*inquit*) libēter tui & ciuitatis vestræ gratia: maximè verò gratia Deæ, quæ & vestram illam & hanc nostram condidit, educauit, instituit. *Quamobrem cum supra Deæ gratia se maximum illud facinus narraturum dicat Critias: (vt scilicet de illa mentionem faceret honorificam) hic autem in narratione ipsa non alterius Deæ nomen vsurpet quàm Palladis, intelligitur profectò (id quod notari velim diligenter: mox enim hoc ipso in alterius dubitationis explicatione vtendum erit) eam nonnisi Palladem esse. Ex quibus etiam intelligi videtur quæ celebritas, quæve sacra fuerint ista: neque enim alia quàm Panathenæa extitisse arbitrarim. Etenim hæc pompa in Mineruæ honorem fiebat, quæ non Pythicis, vel Isthmiacis, vel alijs huiusmodi ludis aut Sacris, sed Panathenaeis (quod nomen ipsum satis indicat) colebatur.* Quapropter Proclus *rem passim accepit tanquam exploratam ac certam. Quid verò gereretur in ijs, & an vno tantùm vel pluribus diebus peragerentur, explicant tum alij multi, tum præsertim Ouidius libro tertio Fastorum his carminibus.*

Bbb Vna

† lib. 1. in Tim. apud Procl.

† Plato in Protag. & Hipp. maiore.

† Plutar. in Solone.

† Diog. in Thalete.

De pompa & panegyrico in quo exposita est Solonis historia.

Vna dies media eſt, & fiunt ſacra Mineruæ,
 Nomina quæ a cunctis ſacra diebus habent.
Sanguine prima vacat: nec fas concurrere ferro:
 Cauſa, quòd eſt illo nata Minerua die,
Altera, tréſque ſuper ſtrata celebrantur arena,
 Enſibus exertis bellica læta DEA eſt.

Quamobrem dum Varro atque alij nonnulli contendunt Quinquatria (his enim Latinos Panathenæa expreſſiſſe tradunt) vnica die fuiſſe celebrata ab antiquis, ac proinde erraſſe eos, qui inde nomen inueniſſe affirmant, quòd poſt diem atrum, qui poſtridie Iduum incidebat, quinque perpetuis diebus celebrarentur, non negant (vt ego quidem exiſtimo) aliquando factum eſſe, vt ea celebritas quinque diebus perficeretur: ſed nomen pugnant non inde dictũ eſſe, quòd a quinque diebus appellarentur, qui atro diei ſuccederent: atque id oſtendunt, quia antiquitùs non quinque dies (vt poſtea factitatum eſt) ſed vnicus illi pompæ eſſet deſtinatus. Nam pluribus diebus inſtauratos fuiſſe tum alij multi oſtendunt, tum Plato ipſe luculenter (ni fallor) ſignificauit: qui cùm ſimularet eo ipſo celebritatis tempore fuiſſe de Repub. diſputatum, tertio tamen die ab hac diſputatione (vt paulò poſt videbimus) in eiuſdem pompæ atque adeò Palladis honorem Critiam facit diſſerentem. Quanquã nonnihil intereſſe ſuſpicor inter Athenienſium Panathenæa, & Romanorum Quinquatria: etſi enim iiſdem fortaſſe temporibus, totidémque diebus, atque in eiuſdem Mineruæ honorem vtrobique inſtaurabantur, ibi tamen peplum Mineruæ circumferri ſolebat ac Pyrricha exercebatur, quod neſcio an apud Romanos vſitatum eſſet: & facilè etiam diuerſa ratione ſacrificia, precationes, ludi ac certamina iniebantur quàm Romani factitarent. Sed cum Panathenæa (vt multorum teſtimonio conſtat) & maiora eſſent, quæ xiij. Kal. Aprilis ſingulis luſtris fiebant, & minora quæ Idibus Iunij quotannis inſtaurabantur, quænam intelligi voluit Plato? Id profectò non facilem habet explicatum: atque (vt conſtabit) ſine difficiliũ aliarum quarundam dubitationum tractatione haud omnino poteſt indagari. In primis verò expedienda eſſet illa quæſtio, quam quinto libro poſuimus, dum de Timaei œconomia atque introductione agentes quærebamus quibus diebus & qua temporum ſerie videri voluiſſet Socrates hos omnes dialogos peregiſſe: hinc enim opportunus fortaſſe aditus patebit ad cæteras dubitationes explicandas. Qua in re Proclus ſuam ſententiam aperuit † his verbis.

De dierũ ſerie, atque ordine quo videri voluit Plato pertexuiſſe ac diſputaſſe politica inſtituta ac cætera quæ Timæo continentur.

Σωκράτης εἰς Πειραιᾶ ἀφικόμενος τῆς τῶν Βενδιδείων ἑορτῆς ἕνεκα καὶ πομπῆς, διείλεκται περὶ πολιτείας ἐκεῖ πρός τε Πολέμαρχον τὸν Κεφάλου, καὶ Γλαύκωνα, Ἀδείμαντον, καὶ δὴ καὶ Θρασύμαχον τὸν σοφιστήν, τῇ δὲ ὑστεραίᾳ τῆς ἡμέρας ταύτης, ἐν Ἄστει πρὸς Τίμαιον καὶ Ἑρμοκράτην, καὶ Κριτίαν, καὶ τέταρτον ἐπὶ τούτοις ἄλλον ἀνώνυμον, διηγεῖται τὴν ἐν Πειραιεῖ συνουσίαν ὡς ἐν τῇ πολιτείᾳ ὑπόκειται. διηγησάμενος δὲ παρεκάλεσε † καὶ τοὺς ἄλλους οἰκείους αὐτῶν ἀνταφεστιάσαι λόγοις τῇ ταύτης ὑστεραίᾳ. συνεληλύθασιν οὖν ἀκροασόμενοί τε καὶ ἐροῦντες εἰς ταύτην τὴν ἡμέραν, τρίτην οὖσαν ἀπὸ τῆς ἐν Πειραιεῖ συνουσίας. *hoc eſt.* Socrates in Piraeum profectus vt Bendidia ſpectaret, diſſeruit ibi de Reipublicæ inſtitutione cum Polemarcho filio Cephali, &

† lib. 1. in Tim. ad init.

† hunc ego locum lego καὶ τοὺς αὐτοὺς οἰκείους αὐτῶν nam alioquin cũ nuſquam legatur alios adhuc acceſſiſſe, verè autem eoſdem acceſſerit tertia quoque die vt rependerent debitas epula, grauiſſimè allucinatus eſſet Proclus.

li, & cum Glaucone, cúmque Adimanto & Thrasimacho sophista: postridie verò huius diei in vrbe cum Timæo, Hermocrate, Critia, & quarto quodam cuius ignoratur nomen, sermones in Piræo habitos explicauit, vt in Politia cernitur. Quod cum fecisset, aduocauit eosdem rursus familiares, vt suis ipsi sermonibus sequenti die disputationis rependerent epulas: itaque vt audirent atque interrogarent ad diem hanc conuenerunt, quæ tertia est a Piræi conuentu. *& idcirco etiã dicebat Timæum disputaße* τρίτῃ ἀπὸ τῆς ἐν Πειραιεῖ συνουσίας tertio die a Piræi conuentu. *Hæc Proclus. Qui, vt vides, arbitratus est tribus diebus fuisse disputatum: ita vt in primo Socrates vnà cum* Polemarcho *aliísque nonnullis in Piræo egerit de institutione Reip., in sequenti eandem institutionem iterarit Timæo, Critiæ, Hermocrati, & quarto cuidam cuius non exprimatur nomen: in tertio denique illa omnia tractata sint, quæ in hoc dialogo, tum a Socrate, tum a Critia, tum denique a Timæo traduntur. Et sanè quod pertinet ad disputationem primi diei res aperta est: nam Plato, cum in exordio librorum de Republica dixisset:* Descenderam heri in Piræum vnà cum Glaucone Aristonis filio, vt & Deam precarer, & celebritatem spectarem, quonam modo acturi essent, quæ tunc primùm agebant; *statim etiam significauit se ibi eodem die cum Cephalo primùm de senectute, tum verò cum Polemarcho, Thrasimacho, & Adimanto de Iusto ac de Republica disseruisse. Verùm quod pertinet ad secundùm diem, non immeritò suspicari possis Proclum longè recesisse a Platonis consilio: quamuis enim dum Timæum aggrederetur, simularet se cum Timæo ac socijs illis de Republica disputaße: id tamen non ita fecit vt significarit se iteraſſe vniuersam eius diei disputationem in quo cum Polemarcho ac cæteris illis de Republica disseruerat. Quin ratio eaque non infirma videtur adduci poße in contrarium. Nam sub Timæi initium Socrates epilogum facit eorum quæ cum Timæo ac socijs de Republica communicauerat: & tandem disertißimis verbis contendit nihil omnino eße prætermissum ex ijs quæ ipsis tradiderat hesterna die: & tamen (vt iam antea apertè † ostendimus) in hoc epilogo nihil planè attigit eorum, quæ tum primo, tum quinque postremis libris continentur: immo nonnulla etiam ex secundo & tribus sequentibus omisit: ac potiùs eorum librorum* πάρεργον *quàm* ἔργον *est persecutus. Quare si videri voluisset Plato hanc Socratis disputationem fuisse habitam postridie illius diei in quo disputarat cum* Polemarcho *& socijs, & verè fuiße meram illius repetitionem, debuißet aliqua ratione subindicare cur hæc repetitio tantopere a tractatione discreparet prioris illius diei. idque tum vt de eius consilio constaret in tanta rerum varietate & commutatione, tum maximè vt verisimili & decoro inseruiret. Et idcirco si res his rationum momentis æstimetur, alter videri debet hic dies in quo cum Timeo ac socijs de Repub. se simulat disputasse: atque alio interuallo eóque hactenus incerto sunt isti dies dissociandi. Quanquam quoniam videmus libros de Iusto & Rep. Timæo continenter iungi, eiusdémque Timæi exordium, etsi non eos omnes perstringit, Reip. tamen*

† lib. 5. com. 9.

men instituta perstringere vniuersa, idque eo planè ordine, ijsdémque decretis ad vnum conseruatis, omnino videtur rigor omnis dimittendus in proposita conquisitione: ita vt concedamus verè Platonem videri voluisse non solùm de Rep. disputaße cum Timaeo ac socijs, sed ijsdem ea ipsa politica decreta iteraße quae Socrates cum Palemarcho ac caeteris illis dißerens tulerat παρέργῳ *illo: atque hac ratione satis & seruiße decoro: & consiliū indicaße suum. Quocirca si quo pacto, (id quod minimè fecit Proclus) ostendi poßit & conseruari proposita disputationum series, atque effici non solùm fuisse iterata, sed etiam postero die iterata, politica illa instituta, ostendēda omnino erūt & cōseruanda. Id quod mea quidē sentētia vtrūque fieri poterit, si vnū explorauerimus: nimirū quæ pōpa ac celebritas fuerit illa in qua videri voluit primū illū congreßū cōciliasse: ac de Iusto et Rep. disseruisse. Qua in re contenderet Proclus (id quod ex ipso notauimus quoque supra) eā pompā eósque ludos fuisse* Bendidia: *quod & paßim tanquam certū affirmat ac vulgat. Et licet idipse nulla suadeat ratione, videtur tamē colligi posse ex primo libro de Rep. ad finē: nā cū ibi Thrasimachus insultaret Socrati qui suis argumentationibus eū exagitabat,* ταῦτα *(aiebat)* δή σοι, ὦ Σώκρατες εἱστιάσθω ἐν τοῖς Βενδιδείοις, His o Socrates, saturatus es in Bēdidijs. *Erant autem Bendidia sacra quædam quæ in* Piræo *in Dianæ honorē peragebantur. Nā (vt ex Hesychio intelligitur) cū Thraces, quorū lingua Diana dicitur Bēdis, Bēdidia in eius honorē celebrare solerent, Athici solēnia illa a Thracibus excipientes, nomen etiā (nā alioquin Artemis appellabatur ab Atticis) receperunt. Atque huc etiā (si Bendis nomen Dianæ fuit) spectat Xenophontis illud* ὥστε ἐμπλῆσαι τὴν ὁδὸν ἣ φέρει πρός τε τὸ ἱερὸν τῆς Μουνυχίας Ἀρτέμιδος καὶ τὸ Βενδίδειον. Vt viā omnē cōplerent *(loquebatur autē de his qui ex vrbe in Piræū prodibant)* quæ ad Munichiæ Dianæ tēplum & Bēdidiū ducit. *Sic enim Bendidiū & Dianæ templū eße, & in* Piræo *sitū non obscurè significasset. Quamobrē Ficinus, qui illud* Platonis, ἐν τοῖς Βενδιδείοις, *vertit in Dionysiis, id (opinor) fecit ea cogitatione deceptus, quòd hoc nomine existimauit Thrasimachū Socrati ebrietatē obijcere: sed ad nimias epulas potiùs quàm ad ebrietatē alludit Thrasimachus, illásque vult non in Dionysiis vorasse, sed in hac Dianæ celebritate & conuiuio, in quo, vt in cæteris etiā facilè contingebat, licentiùs epularentur. Cum itaque (vt ad rem redeā) Bendidia ad Dianā pertinerent: ac* Plato *verbis illis significare visus sit illud fuisse Bendidiorum tēpus, hæc pōpa videtur ad Dianā esse referenda. Ex altera tamen parte licet Bendidia Dianæ sacra essent, pōpa tamen in quo politicus ille sermo habitus fuiße dicitur, omnino videtur* (Procli pace) *non ad Dianā, sed ad Mineruā attinere. Etenim primùm in initio politiae & Socrates affirmat sedescendiße in* Piraeū, *vt Deā precaretur, & Adimantus addit, vesperi fuisse ludendum facibus in honorē Deæ: at Deæ nomine non alia quàm Minerua videtur intelligenda, cū haec praecipuo cultu, & veluti aedificatrix ac patrona coleretur Athenis. Quare in Timaeo, vt paulò ante ostendimus, Deae nomine, cuius frequens sit mentio, Mineruam semper intelligi, dubitari nō potest. Deinde ibidem significat* Plato *a Thracibus etiā hoc die spectaculum*

Interponitur dubitatio de tempore ac celebritate in qua Plato videri voluit de Iusto ac Rep. disseruisse: & idcirco agitur de Bendidijs

fuiße datũ: quod ſanè multi ſcribunt in Panathenæis, ſiue in Mineruæ ſacris fieri conſueuiſſe. Denique Plato facibus etiam *Deæ ludos ſignificauit inſtauratos & Ariſtophanis interpres in Ranis ediſſerens illud,*

Λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἷός τε φέρειν,

Iam nemo queat geſtare facem.

ſcribit in tribus certaminibus conſueuiße veteres geſtare faces, in Prometheis, Vulcanijs, & Panathenæis. Ac propterea cum ſatis conſtet has faces non ad Vulcani aut Promethei, ſed Deæ honorem fuiße adhibitas, ad Palladem omnino pertinebunt. Et quanquam ſuſpicari aliquo modo poſſis Platonem loco citato ſignificare huic pompæ tunc primùm adhiberi cœptas eſſe faces; nihil tamen prohibet quin deinde id (vt interpres ille ſcribit) conſuetudine receptum eſſet. Habemus itaque contra Procli ſententiam rationes atque coniecturas non leues: immo locus ille, in quo ipſius met ſententia videtur niti, longè magis fauet nobis: nam Alexander Rhodius, atque alij, eodem Proclo teſte, ſcribunt Bendidia vicesima Thargilionis die, Panathenæa vicesima prima eiuſdem celebrari cõſueuiſſe: verba ſunt hæc, Ὅτι γε μὴν τὰ Παναθήναια τοῖς Βενδιδείοις εἵπετο λέγουσιν οἱ ὑπομνηματισταὶ, καὶ Ἀριστοτέλης ὁ Ῥόδιος ἱστορεῖ. τὰ μὲν ἐν Πειραιεῖ Βενδίδεια τῇ εἰκάδι τοῦ Θαργηλιῶνος ἐπιτελεῖσθαι. ἐπειδὴ δὲ τὰς περὶ τὴν Ἀθηνᾶν ἑορτάς. *hoc eſt.* Quod quidem Panathenaica Bendidijs ſuccederent, conſtat tum ex interpretum commentarijs, tum ex Ariſtotelis Rhodij monumentis. Tradunt enim Bendidia in Piræo celebrari conſueuiſſe vicesima Thargilionis die: ſic vt ſtatim feſti dies conſequerentur, quibus colebatur Minerua. *Et idcirco etiam dixerat Proclus cum de Panathenæis loqueretur;* ταῦτα περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐπετελεῖτο τοῖς Βενδιδείοις. Hæc per idem tempus celebrabantur quo Bendidia. *Ex quo fit, ut cum iam expleta eſſent Bẽdidia, in quibus licentiùs epularentur, atque* Panathenæa *ſucceſſiſſent, potuerit accommodatè Traſimachus illud mordicus Socrati obijcere.* His ſaturatus es in Bendidijs, *licet iam primus Panathenæorum illuxiſſet dies. Quamobrem ille vnus dubitationis ſcrupulus mihi adhuc inſidet animo: quod dũ hiſtorici tradunt Bẽdidia in* Piræo, Panathenæa Athenis *per agi conſueuiſſe; Socrates, qui ait eã celebritatẽ in Piræo fuiſſe habitã, uidetur fauere Procli ſententiæ. Quanquã cũ Piræus Athenarũ portus eſſet ac pars, fortaſſe qui Panathenæa ſcripſerunt Athenis obiri, nullo modo Piræũ excluſerũt: ſicut multi dũ Bendidion Athenarũ tẽplũ faciunt Dianæ ſacrũ, non idcirco id affirmant, quòd non in Piræo potiùs (vt ex Xenophõte atque alijs cõſtare videtur) ſitũ ſit, quã in urbe. Sed integrũ ſit unicuique alterutrã ſequi ſententiã. Interim tamẽ (vt quo ſpectabã recurrat oratio) ſi noſtrã ſequaris, tertio Panathæneorũ die videri uoluit Socrates cũ Timæo ac ſocijs de Rep. diſputaſſe. Etenim dies ille, in quo Socrates & memorat in Piræũ ſe deſcẽdiſſe, et ſacra indicat peracta fuiße, primus fuiſſet Panatenæus: ſacra. n. in primo fiebãt. Secũdus cõplexus fuiſſet politicæ inſtitutionis repetitionẽ; nã cũ ſequẽti die Critias in eiuſdẽ Palladis honorem diſputaret, quòd adhuc eiuſdẽ ſolẽnes cœtus perdurarẽt, antecedenti*

Reuocatur diſputatio ad intermiſſam dubitationẽ in qua de ordine quærebatur ac ratione temporum, quibus viſus eſt Plato pertexere propoſitos dialogos.

quoque

quoque quem ſecundum facimus, Panathenæa eſſent neceſſe eſt. Et idcirco etiam diem quo fingit Plato huius dialogi, quem præ manibus habemus, conuentum fuiſſe habitum, tertium Panathenæum cenſeri voluit. Et eodem die fingit diſputaſſe Critiam: eodem etiam Hermocrati fuiſſe dicendum. Nam cum Timæus in Atlantici initio perorаßet. ſtatim Critias ſuam hiſtoriam eſt proſequutus: cui etiam Hermocrates ad dicendum ſuffectus (id enim ſtatim in eo conuentu agendum fuiſſe admonemur) pulcherrimum diſputationum chorum expleuiſſet, ſi per mortem (vt oſtendimus ſupra) Platoni extremam rei manum licuiſſet imponere. Hæc inquam, ſi me audias fuit dierum ſeries, qua viſus eſt Plato diſpoſuiſſe has diſputationes. In qua explicanda, etſi à Proclo in pleriſque diſceſſerim, in eo tamen cum eo conſenſi tandem quod eſt præcipuum: nimirum τρίτῃ *(vt ipſe ait)* ἀπὸ τῆς ἐν Πειραιεῖ συνουσίας*, tertio in quam die a conuentu Piræi diſputaſſe Timæum. Quanquam ne in hoc quidem ſibi conſtat bonus interpres, immo omnino pugnantia ſcribit: nam cum explicaret ea procœmij verba.* Οὐδὲ γὰρ ἂν δίκαιον χθὲς ὑπὸ σοῦ ξενισθέντας οἷς ἦν πρέπον ξενίοις, μὴ οὐ προθύμως σε τοὺς λοιποὺς ἡμῶν ἀνταφεστιᾶν. *ideſt.* Nam cum lautè abs te heri accepti fuerimus, haud æquum ſit, ſi te non pari alacritate qui hic ſumus, viciſsim accipiamus, Δηλοῖ δὲ *(inquit)* ἐκ τούτων εἰσὶ καὶ οἱ χρόνοι τῶν διαλόγων τῆς τε πολιτείας, καὶ τοῦ Τιμαίου. εἴπερ ἡ μὲν ἐν τοῖς Βενδιδείοις ὑπόκειται τοῖς ἐν Πειραιεῖ δρωμένοις, ὁ δὲ ἐν τοῖ ἑξῆς τῶν Βενδιδείων. ὅτι γὰρ τὰ ἐν Πειραιεῖ Βενδίδεια τῇ ἐννάτῃ ἐπὶ δεκάτῃ θαργηλιῶνος ὁμολογοῦσιν οἱ περὶ τῶν ἑορτῶν γράψαντες, ὥς τε ὁ Τίμαιος ὑποκείοιτο αὖ τῇ εἰκάδι τοῦ αὐτοῦ μηνός. *id eſt.* Ex his intelliguntur tempora quibus dialogi tũ Politiæ tum Timæi conſcripti ſunt. nam Politia compoſita dicitur tempore Bendidiorum, quæ in Piræo fiebant. Timæus deinceps ſtatim, Bendidia enim peragebantur in Piræo decimonono Thargilionis die, vt tradunt ij qui de ſacris Athenienſium ſcripſerunt. Vt propterea Timæus ſcriptus fuerit viceſimo eiuſdem menſis. *Hæc Proclus vbi Politiam in Piræo habitam eſſe vult decimonono Targilionis: Timaeum verò ſequenti die: cum tamen locis paulò ante citatis ſcribat, non ſequenti ſed* τρίτῃ ἀπὸ τῆς ἐν Πειραιεῖ συνουσίας*, tertio die a Piraei conuentu fuiſſe compoſitum. Atque haec ſanè quæ de vniuerſa horum dierum ac temporum ſerie tradidi, nolim cum pugnaci homine fuiſſe diſputata, ſed cum eo potiùs, qui aequus bonúſque dialogorum iſtorum quaſi faciem intueatur: nam Platonem videri voluiſſe illos Socratis Timæi ſociorúmque conuentus habuiſſe ſtatim poſt duos illos dies quibus ſimulauerat politica illa eſſe peracta atque iterata, ſuaderi poteſt quidem, quòd ex prioribus illis ſermonibus Critiæ, Timæi & Hermocratis ducit argumenta: quòd materias illas vniuerſas in Timæo nectit, atque ad communem veluti ſcopum refert: quòd omnia illa (ſi me audias) ſimulat ſe in Panathenæis diſputaſſe. At ſi quis neget eiuſdem planè anni ac temporis ſiue Bendidia, ſiue certè Panathenæa, in quibus politici ſermones habiti exprimuntur, cum ijs Panathenæis fuiſſe, in quibus politici libri, & cæteri illi dialogi peragantur, ac materias potiùs, quàm temporum ſeriem copulari affirmet, id verò omnino euinci non poteſt.*

Sed

Sed iam tandem explicanda esset quæstio, quam iam antea posuimus. Quærebamus enim an Panathenæa quibus continetur Palladis pompa de qua in Timæo meminit Plato, fuißent maiora an minora. Qua in re, etsi quæ hactenus expediuimus, videntur huic quoque rei aditum aliquo pacto aperuisse, quia nimirum cum non vno tantùm, sed pluribus diebus fuerit instaurata, probabilius sit fuisse maiora, cum de minoribus dubitatum sit, an pluribus diebus peragerentur, duo tamen adhuc aut tres nodi, iique difficiles, obijciuntur: nam Suida & alij quidam Panathenæa ea præcipuè ratione in minora & maiora distinguunt, quòd hæc singulis lustris, idque xiij. Kal. Aprilis, illa singulis annis, atque Idibus Iunij, instaurarentur: alij aliter: nam vt videre est in argumento eius orationis, quam habuit Demosthenes in Midiam, sunt qui maiora & minora Panathenæa (quod ad rem attinet in præsentia) non alia ratione distinguant, nisi quòd illa quinto, hæc tertio quoque anno peragerentur. Cuius etiam sententiæ fuisse videtur Aristoteles Rhodius, qui (vt vidimus) dum de huiusmodi Græcorum pompis & eorum tempore ageret, affirmabat Panathenæa in Thargilionem incidere. Quod si alio anni tempore maiora, alio minora celebrabantur, non potuisset sine crimine huius discriminis rationē prætermittere: nam eo tempore iam vtraque fuisse instituta ex Platone ipso satis constat, qui maiorum meminit tum in Euthyphrone, tum in Parmenide. Atque eiusdem opinionis Varro & alij multi videntur fuisse: nam dum eos reprehendunt qui Quinquatria (his enim Latini, vt indicauimus supra, Græcorum Panathenæa solebant exprimere) inde nomen inuenisse volunt, quòd post diem atrum, qui postridie Iduum incidebat, quinque perpetuis diebus celebrarentur; quod ad anni tempus pertinet, non videntur in maioribus ac minoribus illud discrimen agnoscere quod alij protulerunt. Deinde ij qui affirmant Panathenæa maiora in xiij. Kalend. Aprilis incidisse, minora in Idus Iunij, non videntur vllo modo, si tamen rectè temporis dierūmque ratio subducatur; cum Aristotele Rhodio atque alijs conuenire, qui Panathenæa scribunt statim post vicesimum Thargilionis obiri consueuiße. Nam siue Thargilion Februario, siue Aprili respondeat, non videntur Panathenæa, siue maiora accipias, siue minora, potuisse statim post vicesimum Thargilionis recurrere. Immo Thargilion etsi alij suspicati sunt Februario respondere, Aprili alij, veruntamen si res paulò accuratiùs perpendatur, in medium fermè Aprilem incidebat, atque ita mediam Maij partem occupabat. Nam Attici ab æstiuo solstitio inchoabant annum: qui propterea medio fermè Iunio incipiebat: menses verò conficiebant ad lunæ cursum. Quare Thargilion, qui vndecimus anni mensis est apud Græcos, circa medium Aprilem habebat initium, mediòque Maio terminabatur. Ergo (vt monebam antea) neque maiora Panathenæa, neque minora, vicesimum Thargilionis excipiebant, si aut xiij. Kal. Aprilis, aut Idibus Iunij peragebantur. Nisi tamen dicas Aristotelem Rhodiū dū traderet τοῖς Βενδιδείοις ἕπεσθαι, τὰς περὶ τὴν Ἀθηνᾶν ἑορτάς.

Maiora ne an minora essent Panathenæa in quibus traditur habitas esse disputationes propositas.

Ben-

Bendidijs ſuccedere Panathenæa, id non ea ratione contendiſſe, quòd hæc nullo temporis interſtitio (vt vult Proclus) ſuccederent, ſed tantùm quòd nulla ſolemnis celebritas intercederet inter Bendidia, quæ Nonis Maij, (his enim ferè viceſimus Thargilionis, ſeu viceſimus primus reſpondiſſet) & inter Panathenæa minora quæ Idibus Iunij obirentur. Quod fortaſſe à Proclo longiùs quàm a veritate abhorret.

Et quidem vt hæc pompa ab Erichthonio primùm in Mineruæ honorem instituta fuit: vnde etiam eius ſacra ſunt Ἀθήναια *dicta; ac deinde a Theſeo eſt inſtaurata, à quo, quoniam ſacrificium commune fecit omnibus quos antea diſiectos congregarat, eadem ſacra* παναθήναια *vocata ſunt: útque a principio vno tantùm die, deinde quinque integris diebus peragebantur; ita etiam facilè eſt vnius planè formæ ac rationis fuiſſe ab initio: tum in maiora & minora fuiſſe diſtincta: ac ſimiliter priùs ſingulis luſtris, deinde etiam tertio quoque anno, poſtremùm annis ſingulis fuiſſe inſtaurata. Atque hoc etiam pacto (vt huiuſmodi rerum magna eſſe ſolet viciſſitudo) maiorum fortaſſe & minorum Panathenæorum anni tempus nō idem ſemper fuit: ſicut etiam qui illis adhiberentur, ritus, interdum aliqua ex parte innouari, aut antiquari potuerunt. Quæ ſanè omnia in quo planè ſtatu verſaretur, dū Plato hos dialogos ſcriberet, vix deprehendi poſſe exiſtimarim. Ac propterea etiam vereor ne Proclus qui affirmat fuiſſe minora, id ipſe confinxerit, vt inde ſua illa allegoriarum ſomnia commodiùs pro libidine erueret: nam niſi frigidum illud argumentum probes, quod ex Bendidiorum mentione ac tempore arripuit, nullam aut rationem aut coniecturam affert: ſed tantùm id videtur fingere, vt quoniam Parmenides qui de rebus a materia ſeparatis agit, in maioribus Panathenæis habitus dicitur, Timæus qui res naturales ac materia concretas tractat, in minoribus haberi debuiſſet. Nam idcirco ait.* Ἀμφότεροι μὲν γὰρ ἐν Παναθηναίοις ἔχον τὴν ὑπόθεσιν. ἐκεῖνος δὲ ἐν μεγάλοις, καὶ οὗτος ἐν τοῖς μικροῖς. ταῦτα γὰρ περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐπετελεῖτο τοῖς Βενδιδείοις, καὶ εἰκότως. διττῆς γὰρ οὔσης τῆς Ἀθηναϊκῆς ποιήσεως, ὁλικῆς τε καὶ μερικῆς, ὑπερκοσμίας τε καὶ ἐγκοσμίας, νοητῆς τε καὶ αἰσθητῆς, ἐκεῖνος μὲν ταῖς ἐξῃρημέναις αὐταῖς συζυγεῖ ποιήσεσι, τὰς νοητὰς τῶν θεῶν σειρὰς ἀναφαίνων. οὗτος δὲ ταῖς ὑφειμέναις τὰς περὶ τὸν κόσμον δυνάμεις ἐφερμηνεύων τῶν θεῶν. καὶ ἔοικεν ἡ μὲν τῶν Βενδιδείων ἑορτὴ τὴν ἐπιοῦσαν ἔξωθεν ἐναντίωσιν τῷ παντὶ ἀπὸ τοῦ βαρβαρικοῦ κλύδωνος δηλοῦν, ὑπὸ τῶν θεῶν τῶν ἐφόρων τῆς ἑορτῆς καταστελλομένην, διὸ καὶ ἐν Πειραιεῖ τελουμένη παραδέδοται, ὡς τοῖς ἐσχάτοις καὶ περιβόλοις οἰκειοτάτη τοῦ παντός. *Id eſt.* Vtrique enim (*Parmenidem dialogum intelligit & Timaeum*) ortum habuerunt ac fundamentum in Panatenæis: in magnis ille: hic verò in paruis. hæc enim circa idem tempus peracta ſunt quo & Bendidia. Et meritò, nam cum duplicis ſit rationis Mineruæ efficiētia (etenim generalium rerum efficientiam ac ſingularum continet, ſupramundanarum ac mundanarum: earum denique quæ aut ſolo animo, aut ſolis corporis ſenſibus percipiuntur) ille quidem eorum quæ corpore exempta ſunt, ſe efficientiæ accommodat ac iungit: quæ ſola mente concipiuntur exponens Deorum nexus ac vincula. Hic vero demiſſas Deorum vires atque potentias proſequitur quæ in hoc Mundo uerſantur. Et quidem Bendidiorum celebritas ma-

nifc-

nifestare videtur aduersam eorum vim, quæ extrinsecùs a Barbarico fluctu in Vniuersitatem proximè ruit à Dijs qui celebritati præsunt, castigari ac reprimi. Quare in Piræo dicitur peractus solemnis hic cœtus, quippequi ijs maximè affinis sit, quæ nouissima sunt, & in materia versantur. *Hæc iterum Proclus: qui his alijsque huiusmodi allegorijs mirificè extultat: nam non solùm ea omnia quæ de huiusmodi celebritate a Platone hîc attinguntur, ad Naturæ contemplationem transfert, verùm etiam alia multa, quæ in ea pompa geri ex historijs constabat. Quocirca & velum, quod in ea circumferri solebat, & deuicti gigantes, & huiusmodi alia multa ingentem illi somniorum fomitem ministrarũt. Immo vt Panathenæa & maiora & minora peragebantur, non aliter sanè Parmenidem illis, his verò Timæum accommodauit, quàm si vniuersa Platonis philosophia nugis illis inniterentur. Sed quoniam longiùs quàm statueram, digressus sum, ad contextum redeamus: in quo illud Ficini,* Vt tibi morem geramus, *græcè est* σοί τε ἀποδοῦναι χάριν, *quod maiorem ac paulò etiam diuersam uim habere videtur quàm ille expresserit. Affirmat enim Critias eo sermone mutuam se velle gratiam rependere Socrati: quod etiam Chalcidius omisit totum. Tu,* Vt debitam tibi gratiam referamus, *vertere possis. Verùm quid est quod sermonem istum edicit* ἄτοπον *siue absurdum esse, cum simul affirmet esse plenum veritatis, ac varijs deinde indicijs & argumentis eius ueritatem persuadeat? Proclus ualde laborat, ut hæc conciliet: ac propterea uarijs significationibus allatis, quibus eam uocem usurpauit Plato, tandem hîc* admirabilem *cõcludit significare. eius uerba hæc sunt.* Τὸ δὲ ἄτοπον, δηλοῖ μὲν τὸ παράλογον, ὡς ἐν Γοργίᾳ φησίν. Ἄτοπά γε, ὦ Σώκρατες, ἢ τὸ παράδοξον, ὡς ἐν Κρίτωνι χρῆται. ὡς ἄτοπον ἐνύπνιον ὦ Σώκρατες. ἢ τὸ θαυμαστὸν, ὡς ἐν Θεαιτήτῳ. Καὶ οὐδέν γε ἄτοπον, ἀλλὰ πολὺ θαυμασιώτερον εἰ μὴ τοιοῦτος ἦν. ἐν ταῦτα δὲ εἴληπται ὡς σημαῖνον τὸ θαύματος ἄξιον. *hoc est.* Illud verò (absurdum) declarat rem præter rationem: quo nomine asserebat in Gorgia. Absurda sunt hæc Socrates: vel præter opinionem, vt in Critone. Quam absurdum, inquit, insomnium. vel denique admirabilem, quemadmodum in Theæteto, Nihil, inquit, absurdum, sed multò admirabilius esset, nisi foret talis. Hic igitur eo consilio absurdum vocat sermonem, vt admiratione dignum censeri velit. *Cuius sententiae rationem statim affert.* Δηλοῖ δὲ τοῦτο ἑξῆς περὶ τῆς αὐτῆς λέγων ὡς μεγάλα καὶ θαυμαστὰ τῆς δ' εἴη τῆς πόλεως ἔργα παλαιά. Manifestat verò hoc deinceps, dũ cõtendit magna & admirabilia fuisse res ab ea ciuitate quõdam gestas. *Verùm licet hæc ratio uideatur nonnihil probabilitatis habere, immo eandem sententiam sequatur Chalcidius, Ficinus, et Erizus qui eodẽ planè modo locũ interpretatur, ac locus præterea, quẽ ex Theæteto citat Proclus, eius sentẽtiæ nõnihil fauere uideatur, mihi tamẽ in præsẽtia illud* ἄτοπον *nõ uidetur ullo modo pro admirabili usurpatũ. Ego itaq; rẽ planè, ut uox sonat, exponerẽ. Nã multa (quẽadmodũ alicubi docet Aristoteles) sũt falsa, quæ tamẽ habẽt ueritatis speciẽ: sicut è cõtrario multa*

Curabsurdũ appellet Plato eum sermonem quẽ facit veritatis plenum.

 repe-

reperiuntur vera, quae nihilominus videntur falsa & absurda. Ergo dum Critias Audi sermonem, inquit, absurdum quidem, sed tamen plenum veritatis, significat falsitatis quidem speciem habere, & temerarium absurdúmque videri poße: esse tamen omnino verum. Et ideo non mihi displicet eius interpretatio, qui rigidum vertit ad durum. Quo sensu alia quorundam librorum lectio, in qua ἄτοπος dicitur hic sermo, hoc est durus & violentus, à priore vix ac ne vix quidem differre videtur: vt propterea etiam nos subdurum interpretati simus. Quanquam si quis censeat nouum *significare &* insolentem, *ego sanè tametsi dißentiret* Proclus, *non repugnarem. Similis enim extat locus ad Critiae initium, cuius, si me audias, non alia quàm haec potest eße sententia. Dum enim dicitur* ἄτοπον ἐνύπνιον, ἐναργὲς μὲν οὖν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, *atque illae duae voces* ἄτοπον *&* ἐναργὲς opponuntur, *non mirum aut absurdum aut etiam* παράδοξον *cum quibusdam, sed insolens & inauditum somnium designatur, ita ut ibi* nouum planè atque *in*solens, euidens tamē somnium, *vertendum sit. hîc,* Audi sermonem insolentem illum quidem & inauditum, sed tamen plenissimum veritatis. *Vbi verò Græcus codex habet* καὶ σφόδρα φίλος ἡμῖν, *pro* ἡμῖν *reponendum esse* ὑμῶν *Henrico omnino assentior: nam præterquam quod sic legisse videntur Ficinus & alij quidam, id omnino suadet ipse locus.*

Part. II.

Σω. Εὖ λέγεις, ἀλλὰ δὴ ποῖον ἔργον τοῦτο Κριτίας οὐ λεγόμενον μὲν ὡς δὲ πραχθὲν ὄντως, ὑπὸ τῆς δὲ τῆς πόλεως ἀρχαῖον διηγεῖται κατὰ τὴν Σόλωνος ἀκοήν;

So. Rectè *loqueris. Sed quid istud tandem est, quod Critias non quasi verbis descriptum, sed quasi ab hac ciuitate quondam gestum ex Solonis narratione vobis aperuit?* — Ficinus

Soc. Rectè, ecquidnam verò illud est, quod non tantùm dictum, sed etiam reuera gestum & antiquum quidem è Solonis auditu refers? — Nou. int.

Soc. Re*ctè dicis. Sed cuiusmodi tandem est vetustum hoc facinus, quod Critias, non tanquam expressum verbis, sed reipsa ab hac ciuitate gestum, Solonem audisse narrabat?* — Benius.

Com. II.

Approbat primùm Critiæ consilium Socrates: tum uerò ab eo quærit, quidnam esset illud quod Critias auus ex Solone auditum retulisset de ueteribus illis Athenarum ciuibus. Non temerè autem addit fuisse illud propositum οὐ λεγόμενον μὲν ὡς δὲ πραχθὲν ὄντως non tanquam expressum verbis, sed vt verè gestum: *nam supra affirmauerat Socrates se optare uehementer aliquem audire, qui narraret quo pacto descripta ciuitas bello se deberet gerere: ubi ideam quandam horum excogitari atque describi ab illis satis sibi futurum indicauit. Quod si ita illi fecissent,* λεγόμενον *tantùm fuisset, ac uerbis expressum. Verùm cum ipse Critias significet exemplum illud non fuisse cogitatione effictū, sed* πραχθὲν ὄντως, *ac proinde ex rebus uerè gestis exprimendum esse, longè maiora affert ac pollicetur quàm ipse Socrates expeteret. Quod plurimum refert ad institutæ Reip. uirtutē intelligendam: cum ea uerè, summáque cum laude gesta esse cōmemoret, non uotis efficta atque cogitatione, quæ nullo euentu probaretur. Quare dum Proclus istud* οὐ λεγόμενον μὲν, ὡς δὲ πραχθὲν ὄντως, *ita accipit ac si Plato significaret Socratē a Critia petere ut istud opus, quod*

μὴ πάνυ μὲν τεθρυλημένον γενόμενον δὲ ὅμως, non ualde, inquã, uulgatũ esset, sed gestũ tamen, mea quidem sententia nõ attingit Platonis *consilium: nã illud* λεγόμενον *(ut dicebam supra) non significat uulgatum, sed uerbis descriptum. Et idcirco etiam mysteria illa quæ ethnicus iste uanissimus ex hoc quasi fonte in hunc locum deriuat, ubi tum multa fieri obseruat in hac Vniuersitate à uulgi cognitione remota, quæ tamen à studiosis uiris cernuntur animo, tum huiusmodi alia commentatur, nihil planè ad sententiam faciunt.*

Part. III.

Κει. Ἐγὼ φράσω παλαιὸν ἀκηκοὼς λόγον, οὐ νέου ἀνδρός. ἦν μὲν γὰρ δὴ τότε Κριτίας (ὡς ἔφη) σχεδὸν ἐγγὺς ἤδη τῶν ἐνενήκοντα ἐτῶν, ἐγὼ δέ πῃ μάλιστα δεκέτης, ἡ δὲ Κουρεῶτις ἡμῖν οὖσα ἐτύγχανεν Ἀπατουρίων, τὸ δὲ τῆς ἑορτῆς σύνηθες ἑκάστοτε καὶ τότε συνέβη τοῖς παισίν ἀλλὰ γὰρ ἡμῖν οἱ πατέρες ἔθεσαν ῥαψῳδίαν. πολλῶν μὲν οὖν δὴ καὶ πολλὰ ἐλέχθη ποιητῶν ποιήματα. ἅτε δὲ νέα κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὄντα τὰ Σόλωνος πολλοὶ τῶν παίδων ᾔσαμεν.

Ficinus.

Cri. Referam priscam mihi puero traditam ab auo historiam. Cum ageret Critias annos, vt ipse dicebat, circiter nonaginta, ego uerò decem, celebraretur que solemnis ille dies in quo ad canendum carmina pueri conuocari solent, congregati sumus & nos una cum proximis, notisque pueris, nobisque à parentibus carminum canendorum certamen est iniunctum. Vbi multorum poetarum carmina non pauca memoriter pronunciata sunt, & Solonis uersus à plurimis poetarum, ut pote nouitatem poematis admirantibus decantati.

Nou. interp.

Cri. Dicam equidem priscum illum sermonem, non à iuuene quodam auditu, sed à Critia, qui nonagenarius penè erat, quum vix ego decimum annum attingerem. Erat porrò festorum illorum, quæ ἀπατούρια *dicuntur, solemnis dies* Κουρεῶτις *. patria voce appellata, quod verò illis festis fieri solet, tunc etiam contigit, parentes enim certaminis loco rapsodias nobis proponebant. multorum ergo multa poetarum recitata sunt carmina, & Solonis quidem quod tunc noua essent, plerique nostrum decantauimus.*

Benius.

Critias. Referam *ueterem istum sermonem: quem sanè non ab adolescente accepi, sed prouectæ ætatis uiro. Tunc enim Critias (ut ipsemet aiebat) nonagesimum penè annum agebat: ego uerò decimum ad summum attigeram. Ergo cum apud nos Cureotis Apaturiorum celebrarentur, nihil eorum est prætermissum, quæ pueri festo ille die obire solent. Nam cum ea nobis præmia exposuissent parentes quæ canendorum carminum certamini proponuntur, tum alia plurima multorum poetarum carmina pronunciata sunt, tum præsertim Solonis poemata, quòd eo tempore inaudita essent ac noua, a plerisque nostrum sunt decantata.*

Com. III

Antequam referat sermonem illum Solonis, docere instituit Critias, quo tempore, ac per quam occasionem habitus sit, vt satis superque ex ipsis verbis perspicuum est. Quanquam duo sunt, quae egent animaduersione: atque alterum quidem illud est: nam vbi hoc in loco interpres habet. Cum celebraretur solemnis ille dies, in quo ad canendum carmina pueri conuocari solent: congregati sumus & nos vnà cum proximis notísque pueris: *graecè est,* ἡ δὲ Κουρεῶτις ἡμῖν οὖσα ἐτύγχανεν Ἀπατουρίων. τὸ δὲ τῆς ἑορτῆς σύνηθες ἑκάστοτε, καὶ τότε ξυνέβη τοῖς παισίν. *Id est.* Erat Cureotis Apaturiorum: in quo ea planè omnia, quæ in ea solemnitate solent pueris contigerunt. *Erant autem Aputuria, † Suida ac † Proclo teste, festi*

† Suid. ver. Ἀπατουρ.
† Procl. hic.

dies qui Athenis in Bacchi honorem trium dierum spatio publicè celebrabantur: quod illis nomen impositum fuerat δι' ἀπάτης, *hoc est propter deceptionem, qua Neptunus Xantum superasse ferebatur. Et ideo fallaciarum solemnitas a Budæo appellatur hæc celebritas. Ac primus quidem dies* δόρπεια *dictus est: in quo (vt nomen ipsum indicat) qui ex eadem tribu erant, ad cœnam conueniebant: quare in eo (vt scribit Proclus) dabantur* θῶχαι καὶ δεῖπνα πολλά, *epulæ & conuiuia multa. Alter* ἀνάρρυσις, *immolatio inquam, dicebatur, quòd in eo multæ victimæ mactarentur: & ideo victimæ illæ* ἀνάρρύματα *dictæ sunt, quoniam* ἐρυόμενα ἄνω ἐθύετο, *protractæ supernè sacrificabantur. Tertius, de quo hic loquitur,* κουρεῶτις *est appellatus, ea de causa, quia* κοῦροι, *idest pueri, vel puellæ recensebantur, atque in tribus describebantur tonsis capillis. Atque his etiã quartum nonnulli diem addunt, quem* ἐπίβδαν *(tu aduenientem siue postridianum dicere possis) appellant: tribus enim illis prioribus succedebat, ac celebritati fortasse aduentitius erat. Ex quibus omnibus intelligitur Ficinum, qui vocibus illis spretis rem sic descripsit, vt dixerit, illum fuiße diem, in quo pueri ad canenda carmina conuocarentur, hac descriptione totam illius diei solemnitatem, vocúmque notionem ac vim non expressisse: eius enim diei celebritas in eo vel maximè versabatur, vt recenserentur pueri, & describerentur in tribus. Ac propterea poëmatum decantatio illa ad huiusmodi solemnitatem ornandam potiùs, aut ad summum ad aliquam partem explendam facere videbatur, quàm quòd aut omnes, aut etiam præcipuas eius partes contineret. Quamobrem optimè hac in parte Proclus.* ἡ δὲ τρίτη Κυρεῶτις. ἐν ταύτῃ γὰρ τοὺς κούρους ἐνέγραφον εἰς τοὺς φράτορας τριετεῖς, ἢ τετραετεῖς ὄντας. Tertia, *inquit,* dies Cureotis erat. in hac enim in tribus pueros referebant, qui iam tertium, aut quartum agerẽt annum. *Et paulò post,* καὶ τῇ ἡμέρᾳ τὸ ὄνομα ἐντεῦθεν ἢ ἀπὸ τῶν ἐγγραφομένων παίδων Κυρεῶτις. Cureotis dies a puerorum descriptione nomen acceperat. *Quod si Plato statim atque diei illius mentionem fecit, totus est in describenda celebri quadam poëmatum decantatione, ac rapsodia, hoc facit non vt totam illius solemnitatis vim exprimat, sed quia ex carminum decantatione occasionem sumere instituerat Solonis commemorandi sermonem. & ideo (quod rem maximè explicat) non omnes* κοῦροι *siue pueri illi, qui in tribus referebantur, eo die poëmata decantabant, sed (vt ait Proclus)* ἐντρεχέστεροι, *solertiores. De Atheniensium verò tribubus, & quo pacto in familias essent distributæ, in quibus hæc descriptio fiebat, referunt diligenter Proclus hoc in loco, Plutarchus in Solone, atque alij alibi. Quare nõ est cur hac in re immoremur. Alterũ quod est animaduertendum pertinet ad illa verba* ἆθλα γὰρ ἡμῖν πατέρες ἔθεσαν ῥαψῳδίας. *hoc est.* Nam canendorum carminum præmia constituerunt parentes. *Vbi Ficinus* præmia *in* certamen *conuertit, vocis fortaße similitudine deceptus, nam* ἆθλος certamen, ἆθλον, præmium *significat. Quanquam si ex præmijs etiam certamen intelligi velis, quod præmijs præire soleat, facilè excusare Ficinum poteris, quòd sententiam satis explicarit.*

Chal-

Chalcidius sanè simili (ni fallor) consilio vtrumque expressit . Erat enim (*inquit*) solemne familiæ nostræ festis diebus nos pueros ad certamen memoriæ propositis inuitare præmijs puerilibus. *Nouus autem interpres altius hîc dormitauit: qui* parentes (*inquit*) certaminis loco rhapsodias nobis proponebant. *Cum tamen sit sensus, Rhapsodiæ præmia fuisse constituta. Sed in Critiæ sermone pergamus. Nam dum Proclus Iamblichum magna ex parte sequutus occasione eorum verborum* παλαιὸν λόγον οὐ νέου ἀνδρὸς, antiquum sermonem non iuuenis viri, *sua illa mysteria de more fundit, ac nescio quæ de contrarijs tradit, de vnitate, ac de rerum rationibus, quas aliter in Vniuersitatis Mente, aliter in Anima, aliter in Natura, aliter denique in materia vult reperiri, dúmque mysticè explicat quæcunque Plato de huiusmodi celebritate, ac Solonis carminibus scribit, tandémque talem ipse explicationem sic extollit, vt hanc vnã* ἐπάξιαν τῆς τοῦ Πλάτωνος διανοίας, *dignam, inquã, Platonis intelligentia esse velit, non est quòd adeò inopportunis commentis nos detineat. Idque ipsum assero, dum paulò post tres hîc memorari obseruans, Solonem scilicet & duos Critias, hos ad causas Vniuersitatis refert, atque ternarij numeri vim frigidè his accommodat: cum præsertim, vt in tribus illis suis causis ingenium exerceret suum, quartum, Sacerdotem inquam; omittat, cuius iam iam fiet mentio.*

Part. IV.

Εἶπεν οὖν τις τῶν φρατόρων εἴτε δὴ δοκοῦν αὐτῷ τότε, εἴτε καὶ χάριν τινὰ τῷ Κριτίᾳ φέρων, δοκεῖν οἱ τά τε ἄλλα σοφώτατον γεγονέναι Σόλωνα, καὶ κατὰ τὴν ποίησιν αὖ τῶν ποιητῶν πάντων ἐλευθεριώτατον.

Tum contribulis quidam, seu quod ita iudicaret, siue quod Critiæ blandiri vellet, videri sibi inquit, cum in cæteris sapientissimum fuisse Solonem, tum in carminibus poetarum omnium generosissimum. — Ficinus.

Dixit verò tribulium aliquis, seu quod ita ipsi reuera videretur, seu vt Critiæ gratificaretur, videri sibi Solonem rerum quidem aliarum peritissimum, tum verò in ipsa poesi omnium poetarum maxime ingenuum. — Nou. inter.

Tum verò tribulium vnus, siue quòd Critiæ gratificari vellet, siue quòd ita sentiret; videri sibi affirmauit Solonem cum in alijs fuisse sapientissimum, tum in ipsa poesi præ omnibus poetis ingenuum ac pepolitum. — Benius.

Com. IV.

Iam sensim ab illius diei celebritate ad Solonẽ transfert sermonẽ vniuersum, vt ad illius historiam commodiùs deueniat. Quare Amynander Critiæ maioris contribulis cum in cæteris sapientissimum, tum in carminibus omniũ Poëtarum generosissimum appellat Solonem. Existimat verò Proclus non vulgares fuisse Solonis versus, sed philosophia refertos atque permixtos: idque eo argumento confirmat, quod Mentem Vniuersitatis reginam esse statuerat. Nam, inquit. Καὶ τῶν ἐγκοσμίων ἔργων καὶ τῶν ὅλων ποιήσεων νοῦς ἡγεῖται βασιλεύς. *Qua in re, quod pertinet ad Mundanam hanc Mentem (nã de Solonis carminibus dicemus infra) ad eorũ opinionẽ alludit, qui (vt ipse alibi scribit) Solonẽ existimabant ante Anaxagoram Mundo præfecisse Mentem. Et ideo supra dum Plato sapientissimum appellabat Solonem, Proclus propter hanc præcipuè Mentem voluit illum quoque in ea philosophiæ parte excel-*

luisse

luiße, quæ in contemplatione verſatur. Quibus omnibus (vt iam antea oſtendi) acerrimè refragatur Plutarchus, qui ſolis ethicis atque politicis inſtitutis voluit eſſe expolitum, reliquæ verò philoſophiæ ſimplicem acrudem. Quamquam neque ſi Solon præpoſuiſſet Mentem Vniuerſitati, id vnũ (meo quidem iudicio) ſatis eſſet ad oſtendendum Solonem rerum naturalium vel mediocriter fuiſſe gnarum, cum præſertim multi ante Solonem Mentem adhibuiſſent Mundi molitioni, vt declarauimus, & infra etiam dicetur. Neque etiam ſi appoſitè nomen diei dedit, quae Solem & aſſequitur & praetergreditur, (ἕνην autem καὶ νέαν, ideſt nouiſſimam & primam vocauit eam) & menſis dies, qui ſuccedunt viceſimo, lunae lumine admonitus, non attexendo, ſed retexendo vſque ad triceſimum numerauit, idcirco ſic commoueor vt Aſtrologiae laude floruiſſe concedam. Ac propterea Plato neque aſſeueranter ſapientiſſimum fecit Solonem, cùm dubitarit an Amynander ex animi ſententia illud diceret: neque ſi id aliqua ex parte feciſſet, omnino aſſentiri cogeremur ei, qui conſanguinitati facilè multa tribuere potuiſſet. Quo verò ſenſu Solon poëtarum ἐλευθεριώτατος, liberaliſſimus inquã, dicatur, cùm liberalitatis virtus ad diuitiarum vſum, non ad carminis laudem pertinere videatur, diſceptarunt nonnulli. Sed ne in re perſpicua, ne dicam leui, immoremur, ſat ſit eo nomine ſignificari (vt ait Iamblichus) τὸ ἀπόλυτον τοῦ νοῦ, καὶ τὸ ἀδέσποτον τῆς ἀρετῆς τοῦ Σόλωνος, καὶ τὸ σεμνὸν, καὶ τὸ ὑπερέχον πάντα τὰ ἄλλα. mentem, inquam, Solonis ab omnibus planè vinculis fuiſſe exſolutam, nullíque domino ſubiectam, grauem præterea, ac cæteris omnibus præſtantem, & (vt ego rem in pauca contraham) ea fermè omnia habuiße quæ in hac arte expeti poßunt: vt non malè id expreßerit nouus interpres, dum Solonem omnium poëtarum maximè ingenuum fuiße ſcribit. Sed quid Critiæ maiori contigerit audiamus, eum Solonem poëticæ ſententiæ laude audiret commendari.

Par. v.

Ὁ δὲ γέρων (σφόδρα γὰρ οὖν μέμνημαι) μάλα τε ἥσθη καὶ διαμειδιάσας εἶπεν. Εἴγε, ὦ Ἀμύνανδρε, μὴ παρέργῳ τῇ ποιήσει κατεχρήσατο, ἀλλ' ἐσπουδάκει καθάπερ ἄλλοι, τόν τε λόγον ὃν ἀπ' Αἰγύπτου δεῦρο ἠνέγκατο, ἀπετέλεσε, καὶ μὴ διὰ τὰς στάσεις, ὑπὸ κακῶν τε ἄλλων ὅσα εὗρεν ἐνθάδε ἥκων ἠναγκάσθη καταμελῆσαι κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν οὔτε Ἡσίοδος, οὔτε Ὅμηρος οὔτε ἄλλος οὐδεὶς τῶν ποιητῶν, εὐδοκιμώτερος ἐγένετο ἄν ποτε αὐτοῦ.

Ficinus. *His verbis (vt rectè memini) valde lætatus eſt Senex: atque ita ridens inquit. Si Solon o Amynander non tantùm relaxandi animi gratia, ſed dedita opera ſerioque, ſicut alij, poeſim eſſet ſecutus: vel hiſtoriam, quam ab Aegypto reuerſus inſtituit, abſoluiſſet, a qua quidem ſeditionibus, cæteriſque ciuitatis fluctibus deturbatus, medio in curſu deſtitit, nec Homero, nec Heſiodo, nec alio quopiam poetarum (vt opinor) inferior extitiſſet.*

Nou. int. *Tum ſenex laetabundus (benè enim memini) oborto effuſè riſu. Si (ait) Amynander, Solon non quaſi aliud agens poeticam tractaſſet, ſed quemadmodum cæteri poetæ, ſe totum illi tradidiſſet: eamque hiſtoriam, quam ex Aegypto huc attulit, abſoluiſſet, non verò coactus eſſet illius ſtudium curamque abijcere, ſeditionibus aliíſque incommodis, quibus conflictantem patriam rediens comperit, ab incepto reuocatus: neque Heſiodus (mea quidem ſentẽtia) neque Homerus, neque poetarum quiſquam alius nobilior, illuſtriorque ipſo extitiſſet.*

Benius. *His verbis ſenex (optime namque memini) vehementer laetatus eſt: atque*

ſubri-

subridens respondit. Si Solon, Amynander, non quasi aliud ageret, poesim tractasset, sed seriò vt cæteri faciunt: ac seditionibus, alijsque fluctibus, quibus iactari patriam offendit rediens; minimè coactus esset historiæ curam abijcere, quam ex Aegypto afferebat, sed omnino confecisset illam, neque Hesiodus (vt opinor) neque poetarum denique vllus ipso clarior vnquam fuisset.

Com. v.

Hæc senex ille, cum vehementer lætatus eßet, subridens (id enim significat hic vox illa διαμειδιάσας*, non oborto effusè risu, vt nouus interpres, decorum omnino turbans, vertit) Amynandro respondit. De Solonis autem carminibus (vt ea omittam quæ ad Homerum præstitit illustrandũ) Laërtius ac Plutarchus multa tradunt. Ex quibus intelligitur egregiè ad carmen fuiße effictum. Quin nonnulla referunt tum ex heroicis tum ex elegis ab eo scriptis: quod etiam facit Demosthenes in oratione de falsa legatione; & Philo Hebræus in libro de Mundi opificio, vbi de septẽ humanae vitae aetatibus elegiaca Solonis carmina atque illa elegantissima recitauit. Ac primùm quidem (si de eius poësi nosse aliquid cupimus) non vllam ad rem grauem videtur vsus poësi, sed ludibundus (vt iudicat quoque Plato) ac temporis fallendi gratia. Tum verò agens seriò, philosophicas sententias versibus inclusit, quibus vt a maledicis seipsum defenderet, Athenienséseque excitaret ac castigaret, multa ex ijs intexuit, quae gesserat in Repub. Quin suas etiam leges (vt aliqui volunt) aggressus erat carminibus illigare, immo ad quinque millia versuum eas protendit, quorum illud afferunt initium.*

Oramus primùm rex vt Saturnius hisce
Legibus aspiret, velit & concedere laudem.

Verùm ex Solonis versibus elegi quidam plurimùm celebrantur, quibus cũ se furore percitum callidè simulaßet, Athenienses induxit ad expeditionem contra Salaminos suscipiendam. Quanquam existimarim carmina, quibus res Atlantinas explicare aggressus erat (id enim carmine fecisse author est Plutarchus, immo ex ipso Platone in Critia non obscurè intelligitur:) longe celebriora fuisse. Sed his omissis nonnulla afferamus ad illustranda ea, quae hic significantur tum de eius nauigatione in Aegyptum, tum de seditione, qua a sermone illo perficiendo dicitur impeditus. Ergo de huiusmodi nauigatione tum Diogenes meminit, tum accuratissimè Plutarchus omnem eius ordinem, causásque aperiens his verbis. Quia verò perlatis legibus, adibant in dies aliqui Solonem, qui vel laudarent eas, vel obtererent, vel monerent vt tabulas intexeret, vel demeret quod cuique in mentem veniret: plurimi verò quærerent & percunctarentur quemadmodum accipiendum quidque esset, quámque haberet sententiam vel explanaret & enodaret; considerans, ni faceret ea, rem insolentem fore, & si faceret, inuidiosam, atque eas ambiguitates statuens omnino declinare, importunitatémque subterfugere, & querimonias ciuium (nam ut ipsemet ait)

In Solone vterque.

Omnibus in magnis difficile est canere.

ad speciem peregrinationis munus naucleri prætexens, impetrato apo-

a populo Athenienſi, vt abeſſe ſibi decennium liceret, nauem conſcendit: interea fore ſperans illis leges ſuas familiares. Primùm in Aegyptum eſt delatus, ibique commoratus, vt ipſe ante dicit,

Faucibus in Nili quæ littora curua Canopi.

Aliquantiſper etiam cum Pſenophe Heliopolita, & Sonche Saita inter ſacerdotes litteratiſsimis in contemplanda egit ſapientia: ex quibus audiuit, vt author Plato eſt, ſermonem Atlanticum, quem verſibus apud Græcos exorſus eſt explicare. *Hæc Plutarchus. Ex quibus primùm intelligitur quæ de hac nauigatione tradit, non ſolùm ex hoc Timæi loco eſſe deſumpta, verùm etiam (quod non parum fortaſſe intereſt ad intelligendum an hiſtoria cenſendus ſit ille Solonis ſermo) ex Solonis carminibus: meminit enim locorum, in quibus fuit in Aegypto, ac ſacerdotum quibuscum verſatus erat, de quibus Plato non meminit. Immo quoniam non eſt veriſimile (ſi quis rem paulò attentiùs conſideret) quæcumque de cauſis eiuſmodi nauigationis commemorantur a Plutarcho, fuiſſe omnia ab eodem Solone carminibus expreſſa, facilè crediderim ipſum Plutarchum alios quoque huius rei authores, de quibus ſupra mentionem fecerat, ſecutum eſſe. Atque ex iiſdem intelligi quoque poteſt magnopere deceptum eſſe Laërtium, qui idcirco Solonem contendit in Aegyptum nauigaſſe, quòd videret iam Piſiſtratum rerum potitum eſſe. Id enim poſt nauigationem illam multo tempore contigit. Quamobrem idem Plutarchus ſcribit redeuntem Solonem offendiſſe Remp. propter ſuam abſentiam ſeditionibus plenam, præſertim propter Piſiſtratum, qui ſtatim etiam Tyrannide illam occupauit. Quo tempore (ne adhuc ſuſpiceris poſt Piſiſtrati Tyrannidem nauigaſſe) tradit Plutarchus fuiſſe ſenectute penè confectum. Quod Platoni omnino conſentire videtur: nam dum ait non potuiſſe propter ſeditiones ſermonem illum perficere, ex Aegypto iam reuerſum eſſe contenderat. Verùm nec leuiter lapſus eſt hic quoque Proclus, qui de hac Solonis nauigatione in Aegyptum verba faciens, ὅτι, inquit,* Σόλων ἀφίκετο εἰς Αἴγυπτον οὐ καθ' ἱστορίαν μόνον, ἀλλ' ἵνα καὶ χρόνον τινὰ κατὰ τοὺς αὐτοῦ νόμους Ἀθηναῖοι ζῶσι ὧν ὀμωμόκεσαν αὐτῷ μηδένα λύσειν τῶν τεθέντων νόμων, δῆλον. *hoc eſt.* Quod quidem Solon profectus ſit in Aegyptũ nõ ſolùm vidẽdi cauſa, ſed etiã vt ſuis legibus in abſentiæ illius tẽpore obtemperarent Athenienſes, quos iureiurando obſtrinxerat, ne vllam ſuarum legum violarent, perſpicuum eſt. *Quod verò pertinet ad ſeditiones fluctúſque ciuitatis, a quibus Solon impeditus dicitur, quominus omnem illum ſermonem memoriæ mandaret, ſi quæ indicauimus ſupra, rem haud explicent vniuerſam, legi poteſt Plutarchus, qui eas diligenter perſequitur. Ego verò interim monebo tantùm, multas ac varias fuiſſe ſeditiones quæ Solonis tempore Athenis excitatæ ſunt. Plato autem de illis loquitur in præſentia in quibus tandem (vt dicebam) Piſiſtratus Tyrannidem occupauit: nam cæteræ nullum huiuſmodi impedimentum afferre Soloni potuerunt, cum nondum hiſtoriam illam eſſet aggreſſus. Quamobrem (vt vnum attingam ex Plutarcho ad rem explicandam)* Athenis (*inquit*

ipſe)

ipse) omnes per Solonis absentiam in seditionem exarserant. Dux erat Pædiæorum Lycurgus, Paralorum Megacles Alchemeonis, Pisistratus Diacriorum, in quibus capite censi erant locupletibus in primis infesti. Vigebant quidem etiam tum in ciuitate leges Solonis: sed ad res nouas spectabant, & desiderabant omnem alium Reipublicæ statum: sperabant non quod æquum erat, sed aliena quoque se assecuturos in mutatione, & aduersam partem vndequaque oppressuros. In hoc rerum statu regressus Solon Athenas, erat quidem in magna apud omnes reuerentia atque honore: cæterùm ad dicendum vel agendum in publico nec vires aderant ei præpediente senio, nec alacritas: capita verò factionum seorsum appellans, tentabat discutere discordias eósque reconciliare: præcipuè auscultante ei (vt apparebat) Pisistrato. *Hæc Plurarchus de Solone in patriam redeunte, déque seditionibus, quas offendit. Verùm non est hic dissimulandum Plutarchum hanc ipsam Platonis sententiam, de historia a Solone intermissa, improbare, Censet enim Solonem non (quemadmodum scribit Plato) seditionibus impeditum, sed rei magnitudine deterritum, Atlantinam historiam siue fabulam non absoluiße. Quare sic scribit.* At Solon cum argumentosam de Atlantico sermone vel fabula inchoasset commentationem, quam ex doctis Sai acceperat, conuenientem Atheniensibus, elanguit, non propter occupationes vt Plato vult, sed potius ex senio, operis magnitudine deterritus. Nam otio quidem eum abundasse indicant hae voces.

> Addiscens fio nocte diéque senex. &
> Sune Veneris, Bacchíque mihi nunc munera cordi,
> Musarúmque, viros quæ recreare solent.

Quibus etiam addit testimonium Heraclidis Pontici, qui Solonem testatur ab eo tempore quo Pisistratus Rempublicam oppressit, multos annos fuisse superstitem. Verùm in præsentia non difficile est Plutarcho respondere: nam primùm certum est (id quod & Plutarchus fatetur: & paulò post nos etiam ostendemus) Solonem, quo tempore Pisistratus in Remp. inuasit, ætate grauem fuiße, atque adeò senectute confectum. At cum his carminibus non solùm dicat sibi ἔργα Μουσέων *verùm etiam* Κυπρογενοῦς καὶ Διονύσου *fuisse cordi, quis credat hæc carmina post Pisistrati Tyrannidem scripisse, non antea? Deinde carmen illud.*

> Addiscens fio nocte diéque senex.

nihil planè efficit: nam Solon vel ex eo tempore quo Pisistratus Remp: subigere moliebatur, ne dum cum eam in Tyrannidem conuertisset, erat valde senex. et idcirco idem met Plutarchus Soloni fatetur eo tempore ne vires quidem adfuisse ad dicendum, nedum ad agendum, idque præpediente senio: & alibi exacta iam ætate fuisse scribit, cum Pisistratus

Tyrannidem obtinuit. & idcirco etiam cum Tyranno resistere conaretur, interrogatus quo confisus non sibi pertimesceret, senectute, respondit. Quamobrem si propter eam seditionem, quæ paulò post à Pisistrato in Tyrannidem conuersa est, destitit ab historia illa scribenda, haud efficitur potuisse illam deinde perficere, quòd senex decesserit: nam iam tum senex erat cum interpellatus est. Heraclito verò Pontico, Phanias Ephesius refragautr, qui scribit ne duos quidem integros annos superuixisse ab eo tempore, quo Pisistratus rerum potitus est. quare crediderim Solonem, cum Remp. Tyrannide oppreßam cerneret, se in studia abdidiße, ibique ocio frui cœpisse. cum tamen paulò post morte præuentus, Atlanticæ historiæ perficiendæ, atque (vt simpliciter dicam) Musarum, philosophiaéque ipsius perfruendæ spe sit fraudatus. Sed ad contextum reuertamur, in quo sequitur.

Part. VI.

Τίς δὴ ἦν ὁ λόγος, ἦ δ' ὅς, ὦ Κριτία;

Ad hæc ille: qua de re, o Critia tractare Solon instituit. — Ficinus

Ecquænam verò (ait) historia illa est Crciia? — Nou: Int.

Quænam historia fuit illa o Critia? — Benius

Com. VI.

Quærit Amynander ex Critia cuiusmodi esset sermo ille, quem Solon aggressus erat literis consignare. Cui statim Critia.

Part. VII.

Περὶ μεγίστης, ἔφη, καὶ ὀνομαστοτάτης πασῶν δικαιότατ' ἂν πράξεως οὔσης, ἣν ἥδε ἡ πόλις ἔπραξε μὲν, διὰ δὲ χρόνον, καὶ φθορὰν τῶν ἐργασαμένων οὐ διήρκεσε δεῦρο ὁ λόγος.

De maximis inquit rebus ab hac ciuitate quondam gestis, quarum memoria apud nos temporis diuturnitate hominum extincta est. — Ficinus.

De re inquit, omnium & maxima & memoria dignissima quas unquam hæc noster gessit ciuitas: tempori tamen iniuria, eorumque qui eam gesserunt exitio, minimè potuit constanter ad nostrum tempus permanere. — Nou. Int.

De re, inquit, sine controuersia omnium maxima ac celeberrima, quas hæc ciuitas vnquam gesserit. Quanquam propter temporis diuturnitatem, atque eorum interitum, qui illam gesserunt, eius fama ad hæc vsque tempora non peruenerit. — Benius.

Com. VII.

Vbi sane siue maximum hoc, & omnium, quæ unqnam gessißet ea ciuitas, clarissimum facinus commentari vellet, siue etiam fideliter recensere, fidem illi astruere conatur suspicionem quandam tollens. Potuisset enim facilè mirari aliquis, cur rei tam ingentis, támque præclarè gestæ, nec monumenta vlla extarent, nec fama ad posteros permanasset: præoccupat itaque ipse, átque omnem illius memoriam diuturnitate temporis atque interitu hominum fuisse sublatam. Et hac quidem præmunitione, quam paulo post obnixius nititur verisimilem reddere, ad historiam descendit. Nam cum Amynander statim intulißet,

Part. IIX.

Λέγε ἐξ ἀρχῆς, ἦ δ' ὅς, τί τε, καὶ πῶς, καὶ παρὰ τίνων ὡς ἀληθῆ διακηκοὼς ἔλεγεν ὁ Σόλων.

Dic quæso, o Critia, quid illud opus, & quomodo actum, & a quibus habitum, tanquam verum Solon narrabat. — Ficinus.

Rem totam ab ipso initio, inquit, velim nobis cõmemores, & quomodo, & a quibus audita vt vera illa referebat Solon. — Nou. Int.

Tum ille. Rem obsecro ab initio exponas, ac quidnam illud esset quod tanquam certum narraret Solon, & per quam occasionem, aut a quibus id accepisset, edissere. — Benius.

Com. IIX.

Critias vt tam accuratæ percontationi satisfaceret, quæ τί, πῶς, καὶ παρὰ τίνων (sic enim legendum est, non περὶ τίνων) quidnam, quomodo, & a quibus quærebat, atque ex ipsis Critiæ verbis rem ὡς ἀληθῶς, verissimè, inquam, gestam eße memorabat, eius optatis respondere cupiens, rem sic aggreditur.

Part. IX.

Ἔστι τις κατ' Αἴγυπτον (ἦ δ' ὅς) ἐν τῷ Δέλτα, περὶ ὃ κατὰ κορυφὴν σχίζεται τὸ τοῦ Νείλου ῥεῦμα, Σαϊτικὸς ἐπικαλούμενος νομός. τούτου δὲ τοῦ νομοῦ μεγίστη πόλις Σάϊς. ὅθεν δὴ καὶ Ἄμασις ἦν ὁ βασιλεύς· οἷς τῆς πόλεως θεὸς ἀρχηγός ἐστιν. Αἰγυπτιστὶ μὲν τοὔνομα Νηΐθ, Ἑλληνιστὶ δέ, ὡς ὁ ἐκείνων λόγος, Ἀθηνᾶ. μάλα δὲ φιλαθήναιοι καί τινα τρόπον οἰκεῖοι τῶνδ' εἶναι φασίν.

Fici nus.

Est, inquit, Aegypti rogio Delta: cuius è vertice scinduntur fluenta Nili. Eius campi Saitica præfectura nominantur. In quibus maxima Ciuitas est, quam Saim vocant. Vnde Amesis fuit Rex. Vrbis eius fundatris Dea fuit, quã Aegyptij Neithen, Græci Athenam nominãt. Ipsi porrò homines Atheniensium amici sunt, eisque genere quodam coniunctos esse se prædicant.

Nou. Int.

Est quædam (inquit) in Ægypto ad eum locum in quo Nili fluentum bifariã diuiditur, vnde & locus ab ipso situ Delta nuncupatur, regio, quæ Saitica præfectura appellatur. Illius regionis maxima est ciuitas Sais: ex qua & Amasis Rex oriundus erat, Ciuitatis præses Deus Ægytiacè quidem Neith, Græce (vt communis fert Ægyptiorum opinio) Ἀθηνᾶ, idest Minerua nominatur: & Atheniensi quidem nomini fauent, & cum Atheniensibus se quodam generis vinculo coniunctos aiunt.

Benius.

Est (inquit ipse) quædam Aegypti regio, quæ Delta appellatur. In superiore huius regionis parte, vnde Nili fluenta scinduntur, præfectura sita est, quæ Saitica nnncupatur: cuius vrbs maxima est Sais, ex qua etiam Rex Amasis ortum duxit: Hæc vrbs præsidis loco Deam habet. cui Aegyptiorũ lingua Neith nomen est, Græcorũ Athena. Atque ipsius quidẽ ciues sũt amantissimi Atheniensiũ, sèque affirmant cũ ijs quodã modo cõiunctos esse.

Com. IX.

Exorditur autem historiam ab eius loci descriptione, in quo Soloni contigisse vult quæ mox est narraturus, quem locum accuratissimè nobis ante oculos ponit. Ab illustri enim ac celeberrima regione Aegypto incipiens, ad Delta eius prouinciam descendit: a cuius vertice (ut eam magis perspectam haberemus) monet scindi fluenta Nili: tum ab hac prouincia ad eius campos progreditur quos Saiticam præfecturam dicit nominari: atque in his tandẽ maximã vrbẽ sitam eße docet. quæ Sais appellatur. Et vt faciliùs etiam intelligeremus, quænã eßet hæc vrbs, ex ea Amasim Regẽ, (hic autẽ celeberimus fuerat vt post paullò dicemus) ortum memorat: ac denique eiusdẽ fundatricẽ Palladem extitisse. Quamobrẽ longe illustrius est huius narrationis initium, quàm vt egeat explicatione. Nam si illud saltem ex nobis cognoscere cupias, an eorũ locorũ gnarus esset noster Plato, quámque intelligenter ea descripserit, legere poteris Strabonẽ libro decimo septimo de situ orbis: qui ea loca peragrauit omnia atque descripsit diligẽter. Interim satsit monuisse Aegiptũ a Strabone diuidi primũ in tres regiones: nẽpe in Thebaicã, Delta, & Intermediam: tũ has regiones distribui in triginta sex præfecturas, quas Nomos vocat: præfecturásque rursus in Torpachia diuidi, ac Torpachia demũ in arua. Vbi sanè cæteris omissis de Delta aliquid ex eo proferamus. Nilus (*inquit*) ab vltimis Aethiopæ finibus recta fluit ad Stptentrionẽ vsque ad eũ locum, qui Delta appellatur: vbi tãquã a vertice quodã scissus (ut Plato inquit) hunc locum effecit trianguli verticem.

Quo in loco quæ magnus hic author de hac regione & ex alijs scriptoribus didicerat, & oculis ipsis inspexerat, Platonis sententia & authoritate ex hoc ipso Timæi loco desumpta confirmauit. Cui etiam Solinus consentit, qui capite xxxv. Nilum confirmat ab eo loco scindi, quem Delta appellant. sed & planius adhuc explicauit Strabo, cur regio ista Delta sit dicta: quo ambitu constet, vbi se exonerent fluenta ista de quibus meminit Plato, & his similia quæ Platonis locum mirificè illustrant: idque his verbis. Latera verò trianguli fluenta, quæ ex vtraque parte & usque ad mare descendunt. Alterum ad dexteram Pelusium versus: alterum ad sinistram in Canopicum mare & proximum Heraclium. Basim autem maritimam oram, quæ inter Pelusium est atque Heraclium. Quare insula mari, duobúsque Nili fluentis facta est, & Delta nominatur propter figuræ similitudinem. Duo itaque sunt Nili hostia. Alterum Pelusiacum, alterum Canopicum, & Heracleoticum. Inter quæ alia quinque hostia sunt mentione digna, alia uerò tenuiora permulta. A primis enim partes quædam obruptæ, & in totam insulam dispertitæ, multos riuulos insulásque fecerunt, vt tota sit nauigabilis, fossis in fossas alias diuisis: quæ tanta facilitate nauigantur, vt nonnullæ testaceas scaphas habeant. Insula trum millium ferè stadiorum ambitum comprehendit. *Hæc Strabo, cui mirificè consentit Plinius libro v. capite ix. vbi eadem de Aegipto, Nilo, Delta, præfecturísque illis tradit: præcipuè verò (quod hic est obseruandum) ipsius Delta nomine tum Aegyptum vniuersam, tum certum illius locum (hoc enim posteriore modo eius mentionem facit Plato) appellatam monet. Quare de Aegypto loquens ait.* Quam ob causam inter insulas quidam Aegyptum retulere: ita se findente Nilo, vt triquetram terræ figuram efficiat. Ideo multi Græcæ literæ vocabulo, Delta appellauere Aegyptum. *Et tamen paulò post ipsam Nili scissuram Delta appellat. Sed & Strabo memorabilia adhuc de eodem Delta scribit multa, quæ tu per te ipsum possis agnoscere. Iterum verò (ne dubitationem quandam atque eam non leuem dissimulare videar) si quis de me quærat, cur Plato dicat campos huius loci, vnde & Nili fluenta scindebantur, & regio Delta efficiebatur, fuisse dictos Saiticam præfecturam, cum tamen Strabo decem præfecturas in hac regione & inter hæc fluenta sitas esse tradat, equidem quid afferam non satis habeo: nisi tamen Ficinum omnino lapsum dicamus. Nam vbi vertit.* Est Aegypti regio Delta: eius campi Saitica præfectura nominâtur: *græcè est* ἔστι τις κατ᾽ Αἴγυπτον ἐν τῷ Δέλτα, Σαϊτικὸς ἐπικαλούμενος νομός. *Vbi (ni valde quidem fallor) non habet Plato campos ipsius Delta Saiticam præfecturam dictos esse: quasi vnica esset præfectura: sed certam quandam ex præfecturis illius regionis Delta, Saiticam appellatam: quod omnino Straboni consentit, qui in Delta decem præfecturas enumerauit ex quibus Saitica esset una. Vbi etiã præfecturas* νομοὺς *notat appellatas, quo planè*

nomi-

nomine hic vsus est Plato. *Ex quo etiam intelligitur altiùs dormitasse Chalcidium, qui vocis similitudine deceptus* νομὸν *pro lege sumit, ac* Saim (*inquit*) regit mos vetus lex Saitica nuncupatus. *Quæ verba ad rem nihil faciunt. Optimè verò Proclus, qui Platonis artificium obseruans in hoc loco describendo,* Πρῶτον, *inquit,* ἐκεῖνο κατιδεῖν ἄξιον, ὅπως ἀπὸ τῶν περιεκτικωτέρων ἀεὶ τὰ ἐμπεριεχόμενα παραδίδωσιν ὁ λόγος. ἀπὸ μὲν τῆς Αἰγύπτου τὸν ποταμὸν, ἀπὸ δὲ τούτου τὸ Δέλτα, καὶ ἀπὸ τούτου τὸν Σαϊτικὸν νομὸν, καὶ ἀπὸ τούτου τὴν Σάϊν τὴν τῆς Ἀθηνᾶς ἱεράν. *id est*. Illud primùm animaduersione dignnm est, quòd oratio à rebus magis generalibus ad contractiores semper proficiscitur. Ab Aegypto enim ad Nilum, a Nilo ad Delta, hinc ad Saiticam profecturam, & ab hac denique ad Saim Palladi sacram descendit. *Vbi sanè Saiticam præfecturam veluti partem quandam agnoscit regionis illius, quæ a Delta nomen acceperat. Constat itaque ex Strabone locum illum accuratissimè fuiße a Platone descriptum. Nam quod attinet ad Saim, quam Critias affirmat ciuitatem maximam fuisse. Strabo etiam scribit suo tempore fuiße Metropolim. Et Mela libro primo de situ orbis capite ix. cũ de Aegypti vrbibus loqueretur.* Earum (*inquit*) vrbium clarissimæ procul à mari Sais, Memphis, Syenæ, Bubastis, Elephantis, & Thebe. *Quod verò addit ex vrbe ortum Amasim Regem, multorum scriptorum testimonio confirmatur. Fuit enim hic Rex Aegypti, de quo multa† Herodotus, † Plinius, † Plutarchus, & † Pomponius Mela. Atque ab hoc Rege ferunt nonnulli Solonem accepiße legem illam qua Areopagitas voluit obseruare quo quisque vitam tueretur quæstu, in ociosósque animaduertere. Verùm etsi Amasis hic memoretur similem quandam tulisse legem; (iubebat enim singulis quosque mensibus vnde viuerent magistratibus demonstrare: ac totius vitæ rationem reddere) mihi tamen non omnino videtur verisimile Solonem ex eo legem habuisse, cum multò antea (vt ex Plutarcho & alijs intelligi potest) tulißet eam, quàm in Aegyptum peregrinaretur. Subdit verò Plato huius vrbis fundatricem fuiße Palladem, quam illi sua lingua Neith appellant. Idque etiam videtur ex eodem Strabone aliquo modo confirmari posse, qui licet non tradat a quo Sais esset exædificata, Mineruam tamen ibi coli solitam scribit his verbis.* Sais inferioris regionis Metropolis. In hac Mineruam colunt. *Quamobrem cum Minerua ibi coloretur, verisimile quoque est Saitas (id quod subiungit* Plato) *Atheniensium fuisse amicos: eísque* τινὰ τρόπον οἰκείους, *quodammodo domesticos atque affine s se prædicaße. Quocirca (teste Proclo) Callistenes & Phænodemus Saitarum parentes faciunt Athenienses. Theopompus verò è contrario Athenas voluit fuisse Saitarum quasi coloniam. Quamquam Atticus* Platonicus *per inuidentiam contendit Theopompum historiam totam cõmutasse, atque prodidiße litteris ex Sais profectos esse nonnullos Athenas ad cognationem & propinquitatem instaurandam. Verùm Plato qui Saitas Atheniensium amicos, & quodammodo domesticos fuisse dicit, siue etiam affines aut sanguine coniunctos (nam sic quoque illud* οἰκείους *exponi potest) licet controuersiam non omnino explicet, satis tamen propter illud* τινὰ τρόπον

indi-

†Hero.l.2. †Plin.l.36. c.12. †Plu.in l.de nobil. † Mela l.1. de situ orbis c.9.

indicare videtur non adeò arctam cognationem inter eos intercessisse, sicut illi affirmant. Vt propterea scitè mihi videatur admonuisse Proclus, potuisse Platonem eos amicos, & quodammodo cognatos appellare διὰ τὴν πολιουχίαν, *quia scilicet eandem haberent ciuitatis patronam. Hîc autem vbi Ficinus Chalcidium secutus vertit,* quam Aegyptij Neirhen, Græci Athenã nominant, *plana videtur sententia: sed tamen non integra est si cum græca conferatur: in qua est* Cuius nomen patria Aegyptiorum lingua Neith grecè (vt apud illos fertur) Athena. *Significatur enim Aegyptios quoque dictitare solitos suam Neith esse eam, quam Græci Athenam nominarẽt. Quod non malè nouus interpres, Erizus tamen meliùs expressit. Iam verò immensum esset opus hic persequi Procli somnia: nam quasi hæc descriptio ænigma quoddam esset eorum quæ in Vniuersitate geruntur, hinc primò omnes extorquet rerum causas & initia: tum antiquam Aegyptij sacerdotis narrationem transfert ad primum Mundi ortum qui Ideis continetur & stabilis est. Nouam verò Solonis historiam ad eorum effectionem quæ perpetuò oriuntur & occidunt. Atque his denique commentis Aegyptum, Delta, Nilum, & cætera omnia pro arbitratu in polos, Zodiacum, atque huiusmodi formas conuertens, sua illa oracula de more fundit. His itaque Chimæris omissis ad Critiam reuertamur, qui sequitur.*

Part. x.

Οἷ δὴ Σόλων ἔφη πορευθεὶς σφόδρα τε γενέσθαι παρ᾽ αὐτοῖς ἔντιμος.

Quo Solon profectum se honorificè acceptum fuisse referebat. — Ficinus.

Qui quum Solon profectus esset magno apud illos se pretio atque honore fuisse dicebat. — Nou. int.

Huc cum profectus esset Solon, perquam honorificè (vt referebat) exceptus est. — Benius.

Comm. x.

Posteaquam locum descripsit, vbi sermo narrandus dicitur contigisse, personas ipsas introducit. Ac Solonem primò, quem ait cum in eum locum profectus esset, honorificè fuisse exceptũ. quãdo autẽ & per quã occasionẽ Solon illuc profectus sit, diximus supra. Nunc sat sit indicare Solonẽ ex Plutarco quam Saim perueniret, Canopium appulisse, quæ vrbs vt retulimus ex Strabone, est in regione Delta. Scribit enim Canopium vnà cum maritimo Pelusii tractu, quo iungitur Canopio, ipsius Delta basim conficere. Addit verò Plutarchus Solonem deinde ex Canopio Heliopolim penetrasse, atque Psenophe Sacerdote literatissimo familiariter vsum esse. Heliopolis verò ex Strabone ea parte sita est, qua Nilus supra Delta nauigantibus se in Arabiam extollit. Atque hæc ciuitas fuit Sacerdotibus & Astrologis insignis: in qua Plato etiam & Eudoxus diu commorati sunt. Quare Heliopoli *(inquit Strabo)* domos amplas vidimus, in quibus Sacerdotes habitabant. Immo dicunt hanc olim sacerdotum habitationem fuisse, hominum philosophiæ & astronomiæ deditarum. Nunc is ordo ac studium defecit: nec quisquam nobis tali exercitationi præesse ostẽdebatur, sed homines tantùm qui sacrificia curarent, atque ritus eos peregrinis commonstrarent. *Et post paulò.* Ostendebantur itaque ibi sacerdotum domicilia, & loca vbi Eudoxus cum Platone eò profectus est. *Denique Saim etiam peruenit Solon: ibique sapientiæ causa, vt idem*

Plutarchus tradit, cum Sonche versatus est sacerdote apprime erudito. Qui fortasse is est, quem Plato cæterorum antiquissimum facit, ac memorat de Athenarum antiquitate cum Solone disseruisse. Quamobrem dum Proclus scribit Solonem in vrbe Saim incidisse in sacerdotem nomine Patenit, Heliopoli verò in Ochlapim, ac Sebenijti, denique in Ethimon, si id Aegyptiorum historiæ; vt ipse ait, testentur, verisimile est Solonem non vnius tantùm sacerdotis consuetudine vsum esse, sed multorum. Quod & Plato ipse significauit qui statim aiebat.

Par. XI.

Καὶ δὴ καὶ παλαιῶν ἀνερωτῶν τοὺς μάλιστα περὶ ταῦτα τῶν ἱερέων ἐμπείρους, σχεδὸν οὔτε αὐτὸν, οὔτε ἄλλον Ἕλληνα οὐδένα οὐδὲν (ὡς ἔπος εἰπεῖν) εἰδότα περὶ τῶν τοιοῦτον ἀνευρεῖν.

Et cum de vetustatis memoria ab illis sacerdotibus, qui in hac re cæterorum peritissimi erant, quæsisset, expertum se esse dicebat neque seipsum, neque alium Græcorum quenquam cognitionem antiquitatis vllam habere. Ficinus.

Verùm cum ipse de rebus antiquis incola & Sacerdotes illos rogaret, qui illarum rerum præter caetcros peritissimi essent, comperit, neque se neque alium quenquam Græcorum de uera antiquitate quicquam vnquam cognouisse. Non. int.

Cumque de rerum vetustate ex ijs sacerdotibus sciscitaretur qui præ cæteris earum cognitionem haberent, animaduertit nihil fermè aut se, aut aliũ quempiam Græcorum antiquitatis scientia imbutum esse. Benius.

Com. XI.

Quibus etiam verbis vniuersim exponens quid Soloni contigisset dum de rerum antiquitate sciscitaretur, sensim incipit indicare illum cum sacerdotibus congressum esse, vt ad eius sermonem iam tandem referendum deueniat.

Part. XII.

Καί ποτε προαγαγεῖν βουληθεὶς αὐτοὺς περὶ τῶν ἀρχαίων εἰς λόγους τῶν τῇδε, τὰ ἀρχαιότατα λέγειν ἐπιχειρεῖν, περὶ Φαρωνέως τε τοῦ πρώτου λεχθέντος καὶ Νιόβης, καὶ μετὰ τὸν κατακλυσμὸν αὖ περὶ Δευκαλίωνος καὶ Πύρρας, ὡς διεγένοντο μυθολογεῖν. καὶ τοὺς ἐξ αὐτῶν γενεαλογεῖν. καὶ τὰ τῶν ἐτῶν ὅσα ἦν οἷς ἔλεγε πειρᾶσθαι διαμνημονεύων τοὺς χρόναις ἀριθμεῖν.

Quandoque verò coram sacerdotibus, vt eos ad sua narranda prouocaret de antiquissimis illis Athenarum gestis rebus verba fecisse, Phoroneo primo, & Niobe, postque inundationem mundi de Pyrrha & Deucalione, eorumque posteritate & de temporibus quibus singula contigerunt. Ficinus.

Quum igitur ille consilio potiùs eos deducendi in colloquium de rebus priscis ibi gestis, quàm vt ipse eas commemoraret, quarundam mentionem iniecisset, temporumque rationem atque seriem conaretur ad certum annorum calculum reuocare, & primi Phoronei, atque Niobes, & post diluuium Deucalionis & Pyrrhæ tempora & pro pagine dinumerasset sicuti in fabulis perhibetur. Nou. int.

Ac cum aliquando eos cuperet ad rerum antiquitates narrandas prouocare, vetustissima illa commemorare cœpit, quæ hic apud nos priscis temporibus cotigissent: ea nimirum, quæ de primo Phoroneo & Niobe, ac post eluuionem de Deucalione & Pyrrha (vnde etiam fabulæ locus fuit) deque eorum posteritate tradita sunt: temporum interim annorumque rationem habens, quibus quæ narrabat, contigissent. Benius.

Anti-

Com. XII.

Antiquitatis memoria cum ad multa alia magnum momentum habet, tum præsertim ad prudentiam ac rerum humanarum administrationem. Hinc appositè Solon, quippe qui ciuilis prudentiæ atque uirtutis negociator erat, omnino studet, ut Sacerdotes illos adducat ad suas antiquitates narrandas. Qua etiam in re, ut commodiùs eos prouocare posset, duo quasi capita priùs attingit, quibus antiquissimæ Athenarum memoriæ continebantur. Atque alterum quidem ad ea pertinet quæ sub Phoroneo primo, & Niobe gesta sunt: alterum uerò ea respicit quæ post Mundi eluuionem de Pyrrha & Deucalione, eorúmque posteris ferebantur. Quae duo sic exponit Sacerdotibus illis, ut temporum etiam, quibus ea contigerant, rationem habeat. Sed (ut de priore Græcarum antiquitatum capite constet) qui Phoroneus hic & Niobe, & quando extiterint, quæue demque sub illis gesta sint, uideamus. Xenophon in libro de historiarum æquiuocis duos Phoroneos in honore habitos tradit: alterum qui primo anno Nini claruit in Hellinica, quam Græciam appellamus: alterum, qui Inachi fuit filius, ac post priorem Phoroneum decem fermè ætates floruit. Vterque uerò imperauit Argiuis. Critias itaque de priore loquitur: nam præterquam quod primum ipsum appellat, ut ab altero qui longè iunior fuit, & nihil ad Athenarum antiquitatem pertinebat, ipsum distingu t, Niobis pater fuit Phoroneus primus, non secundus. Ergo prior hic Phoroneus floruit, ut ex Xenophonte referebam, anno primo Nini. Ninus autem ex Beroso & alijs tertius fuit Babiloniæ Rex: ac regnare cœpit anno ducentesimo quadragesimo nono ab exitu Noe ex arca: qui annus (Si rectè subduxi temporum rationem) incidit in millesimum nongentesimum quintum a Mundo condito. Hæc de Phoronei antiquitate. Niobe uerò (ut dicebam) fuit Phoronei filia: ex qua, ut ferunt, Iupiter suscepit Osirim qui deinde Phoroneo in regno suffectus est. Porro sub ijs multa contigerunt: quæ quoniam de eorum antiquitate, quam præcipuè quærebamus, iam constitit, non est cur curiosiùs percenseamus. Affirmat uerò Critias Solonem in illis recensendis temporum annorúmque rationem habuiße, quibus ea contingerant quoniam temporum series ac ratio uerè est antiquitatis custos ac mirificè ad res perficiendas conducit. Ac propterea non modò in profanis historijs, sed in sacris etiam graues sæpe dubitationes occurrunt, quæ omnes ex temporum ignoratione oriuntur. Venio ad posterius Græcarum antiquitatum caput: in quo sanè, quoniam Plato sanctissimas Hebræorum historias cum superstitiosissimis Græcorum nænijs confundere uidetur ac permiscere, quænam obsecro est haec Mundi, quam ipse profert, inundatio, quámque sub Deucalione & Pyrrha contigisse contendit? Facilè profectò (ut rem expendamus) suspicari posset quispiam de ingenti illa ac generali Mundi eluuione loquutum esse, quæ contigit sub Noe: nam primò eluuionem Mundi uocat illam: quod certè non faceret, si aut in Attica, aut in Thessalia, aut certo denique in loco facta esset. Et quamuis ubi apud Ficinum legitur, post inundationem Mundi, græcè non extet illud Mundi, sed κατακλυσμὸς solùm; ueruntamen infra, ubi Aegyptius Sacerdos de eâdem eluuione loquitur, uerè uocat

Præcipuæ Græcorum antiquitates.

Quænam ostendere videantur Deucalioneá eluuionem eandem planè extitisse quã Noeticã appellamus.

cat eam γῆς κατακλυσμὸν, *eluuionem terræ: ac rursus* μεγίστην φθορὰν ὕδασι, maximam cladem ab aquis profectam. *Deinde* (*si* † *Lactantio credimus*) *non ex Hebræorum solùm sed Ethnicorum etiam monumentis cõstat factum esse diluuium ad perdendam tollendámque ex orbe terræ malitiam: cum tamen id Hebræi de Noëtico, Ethnici de Deucalioneo diluuio affirmarent. Huc accedit quòd Aegyptius ille sacerdos affirmabat Athenienses ortos esse exiguo semine quondam publicæ cladi superstite: quibus videtur alludere ad Noëtici diluuij statum, in quo* (*vt perhibent sacræ literæ*) *octo tantùm animæ fuerunt superstites, ex quibus deinde humanum genus est propagatum. Ac propterea Poëtæ dum in Deucalionis diluuio contigisse fingunt, vt terrarum orbis hominibus vacuus cũ remansisset, ijsdem repleri cœperit; idque Deucalionis ac Pyrrhæ industria, qui ex iactis lapidibus homines excitassent, tum vnum Noë Deucalionis nomine significasse videntur, tum aliud diluuium præter Noëticũ intellexisse nullum. Quamobrem Ouidius, diluuio, quod Deucalionis & Pyrrhæ temporibus scribit contigisse, contendit vniuersum terrarum orbem fuisse demersum: sic vt altissimi quique montes, Parnasso excepto, tegerantur: namque ait.*

† Lact. l. 2. de orig. erroris.

Iámque mare & tellus nullum discrimen habebat:
Omnia pontus erat: deerant quoque littora ponto.

& rursus. Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus
Nomine Parnassus, superátque cacumine nubes.
Hic iam Deucalion (nam cætera texerat æquor)
Cum consorte tori parua rate vectus adhæsit.

Quo etiam in loco affirmat coniuges istos (*id quod de Noë praedicant diuinæ literæ*) *fuisse iustissimos, & mira pietate ac sanctimonia ornatos, sic canens.*

Non illo melior quisquam nec amantior æqui
Vir fuit, aut illa reuerentior vlla Deorum.

rursúsque. Innocuos ambos, cultores Numinis ambos.

Quid plura? Plutarchus vbi de Deucalionis eluuione loquitur, ait Deucalionem dimisisse ex arca columbam, háncque regressam dedisse illi signum durantis adhuc tempestatis: rursúsque emissam viridantis oliuæ ramum attulisse: quæ omnia in diluuio Noë contigerunt. Verùm si rem accuratiùs adhuc perpendamus, intelligemus profectò Deucalionis diluuiũ & longè aliud fuisse a Noëtico, & pro alio à Platone omnino vsurpari. Et quidem fuisse aliud, clariùs docemur ex omnium gentium histo-rijs quàm vt dubitari possit. Nam (*vt ostendimus paulò ante*) *Noëticũ & generale fuit, & deleuit vniuersum genus humanum octo hominibus exceptis: Deucalioneũ vix exiguam quandã vastauit terræ partẽ, Thessaliã nimirũ, ubi etiam aut Deucalion & Pyrrha tantũ* (*ut tradunt aliqui*) *seruati sunt, aut certè* (*vt volunt alij*) *plures euaserunt, quorũ magnã partẽ ratibus exceperant illi. Illud & primũ fuit, & circa bis mille & ducẽtos annos a Mũdi procreatione secutũ est: hoc tertium saltem, & octingẽ-*

Refellitur proposita opinio multis argumentis.

tis fermè annis post Noëticum: ibi in arca seruati sunt, & cum ingenti quadam animantium multitudine: hîc in ratibus cum animantibus nullis. ibi in arca in Armenia constitit in monte Gordieo: idque aut integro anno, aut saltem nono mense exacto: hîc rates in Graecia substiterunt, in Parnasso monte, atque secundo mense: denique (ut alia multa prætercam) ibi Noë ac cæteri omnes Armeni erant; hîc Thessaliæ incolæ ac Græci omnes: ita ut uel Strabonis tēpore in Græcia Pyrrhæ & Deucalionis sepulchra extarent. Atque ex his etiam satis superque constare potest Platonem Deucalionis diluuium pro Noëtico nullo modo accepisse: cùm præsertim Deucalioneum contigisse affirmet post Phorenei & Niobis tempora: ac (si cum Ægyptiorum antiquitatibus conferatur) omnino recens esse fateatur, & quasi nuper gestum. Huc accedit quòd Plato Noëticum planè uidetur ignorasse: nam affirmat Aegyptum fuisse semper ab eluuione liberam, ibique nunquam supernè cecidisse aquam: quæ sanè qui Noëticum fama uel leuissimè excepisset, idêmque hîc significare uoluisset, enunciasset nunquam.

Ad argumēta in contrariā sententiam allata.

Neque uerò hîc refert quod Deucalionis diluuium magnam cladem ab aquis profectam, aut etiam eluuionem terræ appellet: nam satis ipse deinde ostendit, se pro illuuione certæ atque adeò exiguæ ipsius terrae partis illud accipere: cum & Aegyptum usque peruenisse neget: & ueluti rerum domesticarum monumentum a Solone narratum fuisse dicat: ac demum sequatur illius diluuij famam, quod apud historicos certum erat in Thessallia contigisse. Dum uerò contendit sacerdos ille Athenienses exiguo illo semine natos esse, non loquitur amplius de Deucalionis eluuione. Immo Deucalionis diluuium ait recens esse, Athenienséſque tum illo, tum Phoroneo esse antiquiores: atque hoc ostendt, quia longè antea fuerant alia eluuione demersi: ex qua exiguum semen fuisset superstes: atque ex hoc uult ipsos esse propagatos. Quamobrem nihil minùs facit quàm ut Noëticum diluuium Deucalionei nomine intelligat ibi. Et propterea dum Poëtae fingunt Deucalionem & Pyrrham ex lapidibus excitasse homines, quibus uacua iam terra esset, non Noëticum sed Thessallicum intelligant necesse est? Nam quod isti significant Deucalionei diluuij iniuria non Thessalliam aut Græciam, sed terrarū orbem hominibus caruisse, atque in Mundo ipso humanum genus ob malitiam extinctum, fuisse per eos instauratum, id uerò unde contigisse putē, dicam paulò post. Neque uerò negarim (ut interim Plutarchi testimonio respondeam) uetustissimam Noëtici diluuij famam apud Græcos primùm, tum apud alios nonnullos in Deucalioneo perijsse, aut cum eo quoquo modo permistam esse: nam ubi Plutarchus de Columba uerba facit, quae à Deucalione non semel dimissa fuerit, ac primùm remearit (de oliua enim, quod aliquorum pace dixerim, ne uerbum quidem) id sanè asserit apud Poëtas extare: facile est autem ab Hebræis ad Poëtas istos obscuram aliquam Noëtici diluuij famam peruasisse, atque hos, quippe qui se Poëtas non historicos esse intelligerent, ac rem etiam non planè perspectam ha-

be-

berent, id Deucalioneo affinxisse. Id quod omnino affirmarim dum Ethnici etiam Deucalionea eluuione perditum dicunt humanum genus propter improbitatem ac scelera, ac rursus propter Deucalionis iustitiam integritatémque excitatum. Quamobrem egregiè hac in re Lactantius. Si ergo (*inquit*) Cataclysmus a Deo ideo factus est, vt malitia quæ per nimiam multitudinem increuerat, perderetur, quomodo fictor hominis Prometheus fuit, cuius filium Deucalionem ijdem ipsi ob iustitiam solùm dicunt esse seruatum? sed videlicet hoc quoque sic corruperunt, vt illud superius cum ignorarent in quo tempore cataclysmus sit factus in terra, & quis ob iustitiam meruerit genere humano pereunte saluari, aut quomodo & cum quibus seruatum sit. quæ omnia propheticæ literæ docent. *Hæc Lactantius. Quæ etiam minùs mira videri poterunt ijs qui Hebræorum Græcorúmque monumentis collatis, deprehenderint (id quod nos alibi fortasse opportuniùs disseremus) innumera penè esse quæ Græci ab Hebræis acceperunt. Cum tamen ea sibi arrogent impudēter. Et ab hac ipsa tum impudenti Græcorum iactantia, tum rerum confusione ac commutatione, facilè profectum est, vt isti Deucalionis diluuiū terræ quoque diluuium appellarent, eiusdem iniuria, terram vniuersam iactarent hominibus fuisse orbatam: atque alios huiusmodi rumores si qui sunt; disseminarent atque dispergerent. Sequitur.*

Part. XIII

Καὶ τινα εἰπεῖν τῶν ἱερέων εὖ μάλα παλαιῶν ὦ Σόλων Σόλων, Ἕλληνες ἀεὶ παῖδες ἐστὲ, γέρων δὲ Ἕλλην οὐκ ἔστιν. Ἀκούσας οὖν, πῶς τί τοῦτο λέγεις; φάναι. Νέοι ἐστὲ, εἰπεῖν, τὰς ψυχὰς πάντες· οὐδεμίαν γὰρ ἐν αὐταῖς ἔχετε δι' ἀρχαίαν ἀκοὴν, παλαιὰν δόξαν, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν.

Tunc ex sacerdotibus quendam grandem natu dixisse. O Solon Solon, Græci pueri semper estis, nec quisquam o Græcia senex. Cur istud diceret percontante Solone, respondisse Sacerdotem. Quia iuuenis semper vobis est animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia. — Ficinus.

Tum seniorum sacerdotum vnus, o Solon Solon, ait, Græci semper pueri estis, senex Græcorum est nullus. Causam autem cur hoc diceret sciscitanti Soloni, senem illum respondisse aiebat ipse, Iuuenes estis animis omnes. nullam enim ex antiqua auditione veterem sententiam in ipsis habetis, neque disciplinam vetustate canam vllam. — Nou. inter.

Tunc ex antiquioribus illis Sacerdotibus, vnus respondit. Solon Solon Vos Græci semper estis pueri: nullusque inter vos senex reperitur. Quæ cū audisset Solon, Qua (inquit) ratione adductus hoc dicis? At ille. Ea nimirū quod iuuenes animo estis omnes: neque enim ipso continetis priscam aliquā opinionem ex veteri auditione profectam: neque disciplinam vllam tempore vetustam & canam. — Benius.

Co. XIII.

Iam noster Plato Aegyptium Sacerdotem loquentem facit: cuius oratio multa ac varia continet. Illud verò primum est, quo longæuus hic senex atque sacerdos, Græcos notat quòd antiquitatis memorijs careant. Quod dum facit Solonem ipsum appellans, Solon Solon, inquit, vos Græci pueri semper estis: nec senex vllus apud Græcos reperitur. Quod cum audisset Solon, quæsiuit ex eo cur id diceret. At ille, quippe qui non genere vel ætate ipsos existimabat iuuenes, sed animo, ac cognitione rerum, idcirco

se illos dixit iuuenes appellare, quòd nullam siue canam disciplinam, siue priscam rerum opinionem animo continerent. Hic autem, vt quàm id verè dictum sit, intelligamus. sciendum est Aegyptios ortum habuisse millesimo octingentesimo fermè anno ab orbe condito. Nam vt testantur sacræ literæ, Noë egressus est ex arca anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto. Aegyptus verò (vt Berosus & alij tradunt, atque ex ijsdem sacris literis intelligitur) incoli cœpta est statim post annum centesimum tricesimum ab eluuione Mundi. Atque hinc etiam factum est, vt a Misraim filio Cam Aegyptij (idcirco enim Aegyptus Hebraicè Misraim appellatur) descenderint. Quanquam ab ipso Cam gentes ibi cœperant propagari: hic enim in Aegyptum descendens, coloniásque deducens, Chem Mym ædificauerat, vnde Chemmonitæ sunt dicti: licet, vt dicebam, gens vniuersa ab eius filio Misraim nomen acceperit. At verò Athenienses orti sunt post Aegyptios sexaginta fermè annis supra centum. Nam Pallas, quam Plato Athenas vult condidisse, teste Beroso libro quinto antiquitatum, orta est circa quadragesimum tertium annum Nini tertij Babilonum Regis, qui annus incidit ferè anno centesimo sexagesimo primo a profectione Cam in Aegyptum. Nam quæ de antiquioribus quibusdam Atheniensibus ab eâdem Minerua profectis venditat Plato, suo loco refutabimus. Verùm etsi Athenienses iuniores sunt Aegyptijs (id enim sine dubio concedendum est, siue eius origo ea planè fuerit quam paulò ante ex Platone referebamus, siue alia) id tamen non omnino de Græcis in vniuersum dici potest: nam sub idem fermè tempus a Iano Iapeti filio Ionia, & Hellades profecti sunt, ac paulò post ab altero Iani filio Elisa Aeolij, ab altero verò Cethin (licet de hoc non omnes consentiant) Cyprij, cæterique maritimi Græciæ populi fere omnes ortum habuere. Vt propterea (si tempus spectemus) inter Aegyptios, ac Græcos non magnum sit ortus discrimen. Non igitur sacerdos ille ortu ac genere, sed animo atque rerum antiquarum cognitione iuuenes appellat Græcos. Multa verò afferri possent ex Patribus tum ad hunc superiorémque locum, tum ad proximum illustrandum: nã de Deucalionis diluuio, deque Phaëtõtis incendio, atque huiusmodi alijs nanpauca tradunt Eusebius, Cyrillus & alij multi: qui sanè docent in quem Mosis annum inciderint: ac Noëticam eluuionem longè antiquiorem fuisse, non modò ex diuinorum oraculorum, sed Ethnicorum etiam testimonijs confirmant. Multa quoque tradunt ijdem vt ostendant Græcos non vsque adeò antiquos esse ac meritò etiã propter veræ antiquitatis ignorationem pueros appellari a Platone. Sed quoniam in re aperta versamur, in præsentia hæc satis.

Part. XIV.

Τὸ δὲ τούτων αἴτιον, τό δε. πολλαὶ καὶ κατὰ πολλὰ φθοραὶ γεγόνασιν ἀνθρώπων καὶ ἔσονται, πυρὶ μὲν καὶ ὕδατι μέγισται, μυρίοις δὲ ἄλλοις ἕτεραι βραχύτεραι.

Ficinus. *Quod ideo vobis contigit, quia multa & varia hominum exitia fuerunt, eruntque. Maxima quidem aut ignis conflagratione, aut aquæ inundationibus prouenire necesse est: minora verò alijs quibuslibet calamitatibus fieri.*

Nou. int. *Harum verò rerũ hæc est causa. multa multis de causis hominũ exitia & fuerunt & erant, igne quidem & aqua maxima, infinitis verò partibus alia alijs breuiora.*

Atque

Atque harum sanè rerum causa est, quòd multa latissimeque manantia fuerunt atque erunt mortalium exitia. Maxima quidem ignis et aquæ in iurijs: exigua verò sexcentis alijs de causis. Benius.

Com. XIV. Qua ratione Græcos Plato appellet pueros: Aegyptios verò existimet senes.

Rationem affert Sacerdos iste per quam Græcis contigisset vt iuuenis illis animus esset: nec antiquas siue rerũ memorias, siue disciplinas retineret. Atque id factum esse contendit propter varia & multa hominum exitia: quæ ab igne quidem & aqua maxima, a cæteris verò causis quamplurimis minora, non casu, sed necessariò (quanquam de hoc quid senserit Plato dicemus infra) proficiscerentur. Et quoniam potuisset aliquis negare vel id verè & ab huiusmodi causis proficisci: vel si proficiscatur, Græciam vnquam in huiusmodi calamitates incidisse, idcirco conatur vtrunque ostendere ut uidebimus proxima particula. Interium non immerito dubitari posset, cur Plato asserat maiores hominibus calamitates ac clades ab igne & aqua prouenire, quàm ab alijs causis. Nam noster interitus solet oriri ex elementorum seu primarum qualitatum dissidio. Quare cum aër & terra maius in nobis imperium obtineant, maiores quoque corruptiones ab ijs deberent proficisci. Quòd verò terra & aër maiorem in nobis vim habeant, constanre videtur, quia in illa tota uita degimus, eádémque maxima ex parte constamus: hoc verò vndique circumsepti sumus, imo eundem spiritu ipso perpetuò ducimus. Quare pestilentiæ, fames, & huiusmodi alia, quæ interitus afferre solent maximos, aëris potiùs ac terrae vitio deriuare uidentur, quàm ignis & aquæ. Quid quòd Cometae, atque eiusmodi alia, quæ in sublimi generantur, magnarum calamitatum non modò prænunciæ, verùm etiam causæ censeri solent? Nam cœlestes conuersiones, ac certorum astrorum accessus, & coniunctiones præcipuas, atque efficaciores harum cladium causas existimari perspicuum est. Vidit Proclus priorem huius dubitationis partem, atque ei duplici ratione satisfacere conatus est. Ac primùm quidem contendit maiores ab igne & aqua clades deriuare, ab alijs verò elementis minores, quia illa ex sui ui in nos agere soleant, ac nulla illis extrinsecùs affectione accedente: cætera verò non nisi ab alijs affecta. Verùm quid de hac ratione sentiam, paulò post explicabo. Nunc ad aliam pergamus, in qua id accidere voluit, quoniam ignis inter cætera elementa maiorem habet efficacitatem, faciliúsque cætera corpora diuidit atque peruadit. Aqua verò mobilior sit quàm terra, & minùs facilè dissipetur ac patiatur quàm aër: & propterea propter mobilitatem facilè agat, propter constantiam, quantula ea tandem sit, magis resistat. Quæ ratio ducta est ex ipsorum elementorum natura, atque mea quidem sententia omnino est probanda. Nam Aristoteles etiam † nono Metaphysices ignem tradit semper esse in actu: ac propterea etiam primo de anima † laudat illos, qui ignem tum subtilissimum esse contendebant, & inter caetera elementa maximè expertem corporis: tum ad sese, aliaque mouenda naturalem efficacitatem habere. Quæ omnia Plato etiam disertissimè docet in Timaeo. De aqua verò dum proprias sedes obtinet, dubitari non potest, quin sit terra longè mobilior. Sed & eandem difficiliùs quàm aërem

Cur maiores calamitates ac clades ab igne & aqua proueniant mortalibus quã ab alijs causis

† 9. met. t. 18.
† 1. an. t. 29

affici,

affici, vel ex eo intelligitur, quòd de aëre propter perennes mutationes, quibus modò calidus, modò frigidus, modò vtráque qualitate affectus ac temperatus sese offert, nondum omnino compertum sit apud omnes num citra omnem dubitationem natura calidus existimandus sit: id quod de naturalibus aquæ affectionibus dubitari nullo modo potest. Verùm & alia ratio instituto longè accomodatior potest afferri: ex natura videlicet hominis ducta, cuius causa Critias de calamitatibus meminit, quae ab igne & aqua proficiscuntur. Ergo ea est animaliū natura atque conditio, vt singula eorum genera certas inter elemēta sedes habeant, in quibus & naturaliter maneāt, & commodiùs degant ac conseruentur: immo sic conseruentur, vt extra illa vitam diu tollerare non possint. Atque hac lege pisces aquae locum sortiti sunt, aliae animantes alium. Quamobrem homo, cuius sedes ac domicilium aër est ac terra, in ijs longiùs uitam producit: in caeteris quacunque ab illis ratione occupetur, perbreui interit. Atque hinc est, vt ab eluuionibus & incendijs si contingant; maximae hominum clades atque interritus proficiscantur: a caeteris verò elementis, quae sunt ipsum hominis domicilium, ac propterea eius conseruandi vim habent, minimè. Quamobrem si proposita dubitatio (quod attinet ad elementa) vim vllam haberet, nihil aliud tandem efficereret, nisi frequentius debere homines, ab aëre & terra labefactari, atque ad interitum duci, quàm ab aqua & igne: quod non inficiatur Plato: tantùm enim contendit ingentes quasdam corruptiones ab igne potiùs & aqua quàm ab alijs causis deriuare. Immo cū statim addat μυρίοις δὲ ἄλλοις ἕτεραι βραχύτεραι, Sexcentis verò de causis leuiores interitus contingūt, non obscurè concedit frequentiùs homines aliorū elementorū vitio, siue etiam pestilentia, ac caeteris huiusmodi calamitatibus interire. quæ res inde etiam apertè satis intelligi potest, quod † paulò post clades quas ab igne proficisci affirmauerat, ad cœlestes reuocat conuersianes: quas tamen non frequenter ait contingere, sed διὰ μακρῶν χρόνων post longa temporis interualla. Quod verò ad astrorum aspectus & coniunctiones attinet, equidem siue semper, siue frequenter peculiari aliqua ratione ad huiusmodi clades concurrāt, non negarim animantium interitus, & eos quidem magnos, ab illis prouenire: sed elementis tamen mixtisque corporibus intermedijs. Plato autem de ijs loquitur, quae nullis causis interiectis clades efficiunt: atque hoc nomine maiores igni & aquae, minores aëri & alijs innumeris causis quae proximè agant, ascribit: quarum tamen omnium inter naturales causas princeps potest esse cœlum. Atque idem de cometis, & eiusmodi alijs dici potest, quae in sublimi fiunt: nam haec vel aërem priùs afficiunt, ac res corporatas, quae vitae vsui sunt, vel si propria virtute nos attingunt & laedunt, has actiones non sine ignis atque caeterorum corporum quibus constant, vi & efficacitate exercent. Ex his autem refellitur prior Procli responsio, qua asserit, id quoque à Platone dici, quia aër & terra non agunt in nos, nisi priùs ab alijs affecta; aqua verò & ignis nulla extrinsecùs affectione accepta, clades afferre soleant. Nam praeterquam quod non satis video, quomodo haec omnino connexa sint, ignis per se ipsum nullo intrinsecùs accedente in nos

vide ī part. sequen.

agit,

agit, terra non item: haec igitur minorum, ille maiorum calamitatum causa est; Plato paulò post perspicuis verbis contendit maximas clades ab igne & aqua prouenire propter cœlestes conuersiones atque commutationes, à quibus sine dubio necesse est vt ignis & aqua aliqua ratione afficiantur: non itaque vult aquam & ignem perniciem maiorem afferre, quia a nullo extrinsecus afficiantur. Sed & igni præcipuè & aquæ homines terrásque coërcendi ac purgandi fuisse tributam vim, atque huic muneri vtraque esse quasi destinata, quemadmodum significat Plato, miro non modò sacrorum authorum apud quos res aperta est ac certa, sed Ethnicorum consensu intelligitur. Quocirca Strabus, quoscunque tandem Iridi colores tribuat, hanc scribit duobus insigniri coloribus, cœruleo & igneo, vt his duæ exprimantur purgationes, aquae altera, altera, ignis, atque idcirco cœruleum colorem extrinsecùs cerni, quòd eluuionis purgatio peracta sit: igneum intus, quòd exustio expectetur. Hinc † Seneca in naturalibus quæstionibus Aqua & ignis, (inquit) terrenis dominatur, ex his ortus & ex his interitus est. Ergo quãdocũque placuere res nouæ Mundo, sic in nos mare emittitur, vt desuper feruor ignis cum aliud genus exitij placuit. Haec iste. Neque verò aliter persuasum fuisse videtur Romanis, qui igne & aqua ex solemni quodam ritu ad purgationem vterentur. Nam (ut Festus ait) funus de more prosequuti, & eo quasi polluti, ignis & aquae purgatione expiatione que vtebantur. Quocirca ignem supergrediebantur aspersi aqua, hoc purgationis genus suffitionem nuncupantes. Neque verò aliò spectant Græcorũ καθάρσεις, quas Euripides in Clytemnestrae corpore perpurgando, & Homerus etiam alicubi, si rectè memini, inter caeteros vsurparunt. Atque id quidem non latuit Trismegistum, qui in libro de Mundo disertis verbis testatus est Deum præter populares morbos nunc catachlysmum nunc exustionem ad delendos homines inducere. Quae cognitio ab Adamo & posteris quasi per manus tradita fuisse videtur. Nam † Iosephus Cum prædiceret (inquit) Adam exterminationem rerum omnium, vnam ignis virtute, alteram aquarum ui ac multitudine venturam dixit. Quocirca (si diuina licet cum humanis coniungere) hinc maximè factum videtur vt sanctissimi † uiri, atque adeò diuinae literae Deo qui vnus tanquam praecipuus author & causa nostros animos purgare potest à sordibus, ignis & aquae proprietates ascribant. Et ex his etiam constare satis potest, quae sint corruptiones leuiores, quaéue earum causae: significantur enim varia mortis genera, quae ex fame, terraemotu, bestijs, seditionibus, bello praeterea, venenis, pestilentia, ac sexcentis alijs morbis proueniunt. Etsi enim bellum, quaéque denique ex hominum voluntate pendent, nullam habent nisi quam remotißimam cum naturalibus causis coniunctionem, non minùs tamen quàm illa rationem eorum habent, quae clades afferre solent. Eleganter autem vt saepè solet, expressit M. Tullius hunc Platonis locum, cum in somnio Scipionis sic scriberet. Quin etiam si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes vniuscuiúsque nostrum a patribus acceptas posteris prodere: tamen propter eluuiones exustionésque terrarum,

† Sen. l. 3. quæst. nat. c. 28.

† Ios. l. 1. de ant. Iudai.

† Vide Dio. de cœl. hier. c. 15. & alibi.

Ignem & aquam absumendis quoque purgandísque hominibus ac Mũdo, fuisse a Deo destinata multorum ethnicorum consensu ostẽditur.

Quæ sint corruptiones leuiores, deque earum causis.

terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modò non æternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus. *Hæc Tullius. Quibus tum geminam hanc mortalium cladē expreßit: tum in cœlestes cōuersiones id retulit, quod Plato faciet quod attinet ad exustiones sequenti particula: tum denique hinc rerū antiquitates intercidere ac deleri voluit: quod maximè docere instituit Aegyptius iste sacerdos.*

Part. xv.

Τὸ γὰρ οὖν καὶ παρ' ὑμῖν λεγόμενον, ὥς ποτε Φαέθων Ἡλίου παῖς, τὸ τοῦ πατρὸς ἅρμα ζεύξας, διὰ τὸ μὴ δυνατὸς εἶναι κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς ὁδὸν ἐλαύνειν, τά τ' ἐπὶ γῆς ξυνέκαυσε, καὶ αὐτὸς κεραυνωθεὶς, διεφθάρη, τοῦτο μύθου μὲν σχῆμα ἔχον λέγεται, τὸ δ' ἀληθές ἐστι, τῶν περὶ γῆν καὶ κατ' οὐρανὸν ἰόντων παράλλαξις, καὶ διὰ μακρῶν χρόνων γινομένη τῶν ἐπὶ γῆς πυρὶ πολλῷ φθορά.

Ficinus.

Nam quod apud vos fertur Phaëthontem quondam Solis filium currus ascendisse paternos, nec patris aurigatione seruata, exussisse terrena, ipsumque flammis cœlestibus conflagrasse, quamuis fabulosū videatur, verum quodammodo esse putandum est. Fit enim longo temporis interuallo cœlestis circuitus permutatio quædam, quam inflammationis uastitas necessariò sequitur.

Nou. Int.

Illud enimvero quod apud nos de Phaëthonte circumfertur, ipsum Solis videlicet filium, quum patris currum iunxisset, nec posset per patris viam ducere, & terram combussisse, & fulmine tactum periysse. Illud, inquam, fabulæ inuolucro obtextum est: ita autem reuera habet. Eorum quæ circa terram & in cœlo voluuntur, existit longorum temporum curriculo commutatio quædam, atque euanatio. Vnde in res terrenas, cœlo nimirum subiectas, copiosi ignis impetu magna immanat uastitas.

Benius.

Quod enim apud uos fertur Phaëthontem, Solis filium, cum patris currum aliquando ageret, illiusque viam tenere non posset, combussisse terrena, atque ictu fulminis deflagrasse; id quidē fabulæ speciem habere dicitur: attamen veritate non caret: nam conuersionem exprimit atque commutationē eorum, quæ circa hunc terræ globum voluuntur in cœlo; indicatque post longum temporis interuallum ignis copia rerum terrenarum consequi cladem.

Com. xv.

Potuisset aliquis (vt iā antea significare cœperā) negare, vel a propositis causis verè prouenire eas calamitates, vel si proueniant, Græciam fuisse illis vnquam obnoxiam, quo circa conatur vtrunque ostendere. Ac primum quidem quod attinet ad exitium ignis, ea ratione suadet, quòd Phaëthontis incendium, etsi fabulæ speciem habere videatur, attamen verum censendum sit. nam exacto longo quodam temporis interuallo, ex cœlestibus conuersionibus tales conflagrationes oriuntur. Sed quid est quod Plato hoc Phaëthontis incendium, quod totum ex Poëtarum extitit officina, ad veras interitus causas transfert? Proclus immensam allegoriarum syluam huc congessit: nam cum totam hanc Phaëthontis fabulam diligenter enarrasset, statim ad animas, ad mentes, ad sexcentas Chimeras rem totam retulit: atque innumeras propè fabulas ex vnica extorsit. Cū eo igitur hac in re nihil mihi hoc tempore. Quanquam quoniam physicè etiam illa omnia exposuit, voluitque Phaëthontem nihil aliud Platoni significare nisi cometam, atque hoc nomine totam fabulam ad cometae ortum, naturámque traduxit, fortaße iudicet quispiam hac saltem ratione attingendam atque examinandam eße. Veruntamen nihil est, quamobrem haec res non valde detineat: nam præterquam quòd in Timaeo proprium habet locum cometae disputatio,

De Phaëtontis incendio ex Platone & Platonicis.

tatio, Proclus rem omnino frigidè explicat. Huc accedit quòd per Phaëtontem Cometam a Platone intelligi neque Proclus ostendit, neque ex loco ipso ullo modo constat: immo in oppositam planè sententiam hic nos adducit. Nam cometæ non censentur satis certas constantésque sui ortus periodos habere, ac definita interualla: cùm tamen Plato affirmet has corruptiones quæ ab igne proficiscuntur, statis planè temporibus, ac certis cœlestium conuersionum spatijs exactis contingere. Addit etiam haec temporum interualla esse diuturna, quod Cometis non conueuit, qui & si interdum rariùs, persæpe tamen frequentiùs cernuntur. Quin etsi in Cometa dominetur ignis, veruntamen sterilitas interdum ac fames, aliquando pestilentia, aut etiam leuior aliqua affectio ex ea sequitur potiùs quàm inflammatio: cùm tamen his solùm πυρὶ πολλῷ, plurimo inquam, igne homines interire affirmet, Denique ab huiusmodi inflammationibus maximas clades vult omnino manare, quǽque in aliqua terræ parte monumenta atque homines deleant: & tamen experientia docemur Cometas non solùm summas vastitates ferè nunquam inducere, sed interdum leuissimas, aliquando etiam nullas clades inferre. Non est igitur quòd hîc per Phaëtontem Cometam simpliciter intelligamus. Quid igitur nobis significabit, si Proclum sequi nolimus? num rem planè fictam & cõmentitiam eße dicemus? Equidem Poëtis maior fuit comminiscendi licentia, quàm vt in ijs curiosiùs immorantes, eorum fabulas ad Naturæ rationem atque philosophiae praecepta reuocare teneamur. Quamobrem quicquid tandem Poëtæ per Phaëtontem intellexerint, satis erit duo monuisse, quæ (ni fallor) totum explicant authoris nostri consilium. Primum est hanc fabulam ortum duxiße ex vero quodam incendio, quod sub Phaëtonte Theßaliae siue mauis Atticae Rege contigit: nam Berosus libro v. suarum antiquitatum in Spareti uita testatur eodem ferme tempore quo Theßaliae diluuium factum est, ibidem paulò post teraemotum, ac post terraemotum Phaëtontis incendium (licet remotiore in parte) sequutum eße: idque Sub quodam (inquit) illorum Rege Phaëtonte. Quod Orosius etiam confirmat, qui Deucalionis eluuionem, & Phaëtontis incendium sub idem tempus accidiße testatur: quin etiam licet certam huius incendij rationem minimè tradat, hinc tamen monet fabulæ illi locum fuisse, qua dicerent, Solem quasi per deuia transuectum tantam caloris uim excitaße, vt terras torrere videretur. Ex quo satis superque constare potest, non parum aberrasse hic Foxium dum contendit Platonem decantata illa Phaëtontis fabula, quam veritatis speciem habere dicit, tum eluuionum, tum exustionum causam afferre: quòd nimirum ex Cometis, cæterisque siccis & aridis exhalationibus, (has enim Phaëtontis fabula significari Proclum secutus affirmat Foxius) non modò exustiones, verùm etiam eluuiones sequantur: atque hac eàdem fabula significari dum Phaëton in Eridanum cecidisse fertur. Nam idcirco cum dixißet Phaëtontis incendium Platoni significare varias Mundi mutatianes tum ex igne, tum ex aqua prouenientes, tandem vt quod ad aquarum clades pertinet ex fabula erueret,

casus autem (*aiebat*) earundem flammarum in Eridanum(*huc enim Phaëtontem fuiße deturbatum iam monuerat*) pluuiæ humorísque copiam subsequentem post incendia significat. *Erraſſe, inquam, constat: nam (vt omittam nihil minùs quàm eluuiones ab aridis siccisque exhalationibus aut portendi aut proficisci: cum ex immoderatis vaporibus potiùs, contrarijs nimirum initijs, oriantur) nullam eluuionum mentionem facit hîc Plato: sed ad solas exustiones reuocat Phaëtontis incendium. Et idcirco cum dixiſſet.* Nam quod apud uos fertur Phaëtonrem quondam Solis filium currus ascendisse paternos, nec patris aurigatione seruata, exussisse terrena: ipsúmque flammis cœlestibns conflagrasse: quamuis fabulosum videatur, verum quodammodo esse putandum est; *statim subdebat.* Fit enim longo temporum interuallo cœlestis circuitus petmutatio quædam, quam inflammationis vastitas sequitur. Tunc hi qui edita, & arida loca incolunt, magis pereunt quàm mari fluuijsque vicini: nobis porro Nilus cum in plerisque rebus salutaris est, tum huiusmodi a nobis arcet exitium. *Hæc Plato: in quibus sanè decantatam illam Phaëtontis fabulam, exustionibus tantùm accommodat, non autem eluuionibus. Licet cùm hominum clades tum ex ignis conflagratione, tum aquæ inundationibus prouenire iam antea affirmasset, ad eluuionum causam paulò post se conuertit: quam tamen non ex Phaëtontis incendio, sed ex contraria planè causa petit, vt patebit infra. Alterũ quod obseruari velim eſt, Socratem hîc totum in eo esse vt ad suam politiam tuendam, machinam illam (neque enim diſſimulandum eſt) producat, quã (vt suo loco demonstrabimus) ex vetuſtiſſimis illis monimentis comparare instituerat. Et quoniam id commodiore ratione efficere haud poterat, quàm si ad eluuiones atque incendia confugeret, quibus earum antiquitatum memorias apud Græcos deletas esse prætexēs, vendibiliores illas faceret, Phaëtontis quoque incendium ad suam machinam conflandam adhibere voluit, ac, quicquid tandem propriè significaret, rem suam etiam poëticis peragere. Vt propterea hac in re Platone ipso curiosiores esse non debeamus. Quanquam vnum adhuc quod ad has terrarum exuſtiones pertinet, omittendum non eſt. Sunt enim qui non dubitent Platonica huiusmodi incendia cum eo coniungere, quod ex diuinis literis didicimus. Mundo huic mortali interitũ allaturum. Atque id quoniam Stoici ac Platonici, vt Empedoclem, Heraclitũ, aliósque plurimos taceam, Mundum conflagraturum crediderint. Qua in re videndũ est sanè quid & quatenus Ethnicis concedamus. Nam ij, quicunque fuerint, alias atque alias statuunt conflagrationes, quibus homines, Mundúsque ipse vicissitudinibus quibusdam intereat, & oriatur. Nos verò vnicam tantùm ponimus, ac post quam nullus extabit mortalium. Illi si non necessariò certè per cœli conuersiones effici volunt: nos rem totam in Deũ reijcimus, qui pro sapientiæ suæ arbitrio cœlestibus motibus vti poſſit, vel vnico voluntatis suæ imperio agere. Huc accidit, quòd hîc Plato non de generalibus cladibus loquitur, sed de ijs tantùm quibus certae terrarum*

> Qua lege ac moderatione legẽda vsurpãdaque sint ea quæ Platonici, Stoici, ac cæteri denique Ethnici tradiderũt de exustionibus ac Mundi cõflagratione.

parti

parti vastitas inferatur: nam apertè tradit ab ijs exustionibus atque vastationibus Aegyptum atque eas omnes regiones liberas esse, quæ penes fluuios ac maria positæ sunt: atque hoc pacto antiquitatum memorias conseruari. Christiana verò fides generalem omnino Mundi huius depopulationem proponit ac vastitatem. Quod si Plato alicubi (id quod videbimus opportuniore loco) generalem huius Vniuersitatis interitum visus est commemorare, ac Stoici præterea, alijque nonnulli hoc ipsum contendunt; ij sanè ad antiquissimum Chaos reuerti affirmant omnia, sicque reuerti, vt Mundo materiam ministrasse semper venditent, indéque ex ipsa Chaos materia naturali quadam vi ac fœcunditate homines ac cætera omnia instaurari: quæ fidei nostræ omnino aduersantur. Quamobrem ne Ethnicorum cœno (sic enim de illorum dogmatibus loquendum censeo, vbi à Christiana veritate dissentiunt) sanctissima Ecclesiæ Decreta polluere videamur, sunt hæc toto Cœlo dissocianda. Cum præsertim Ethnicis reiectis, faciliùs etiam sit eorum quoque commenta refutare, qui in Ecclesiam cœlum nouum & terram nouam ex Stoicorum atque Accademicorum præscripto introducunt, quasi post hunc Mundum alius moralis futurus sit. Quanquam qui ex Academicorum sententia Mundum igne interiturum affirmant, facilè ab eorum Principe discedunt: qui (vt suo loco videbimus) Mundum alicubi interdum deuastari quidem, Dei tamen beneficio ac voluntate immortalem futurum contendit. Ergo concedemus Ethnicos multos habuisse huiusmodi purgationum notitiam: concedemus etiam Poëtas ac Philosophos plures, in primis verò Stoicos de futura Mundi exustione tradidisse non pauca; sed quæ erroribus admista sint varijs, atque ad Christianæ Theologiæ decreta limanda sint & corrigenda: tantum abest vt ad Theologorum nostrorum, quorum est leges cæteris præscribere, sensa atque sanctiones interpretanda ac firmanda tam facilè vsurpari debeant; ac Petri, Isaiæ, Dauidis, Christi demum ipsius quæ de Mundi confl gratione exitióque extant, dictis explicandis atque definiendis accersendi sint. Atque hoc pacto cautè vtilitérque legi poterunt, quæ de eluuionibus & exustionibus tradit Trismegistus loco allato, Auicenna in tractatu de diluuijs, Auerroës libro III. de anima, Homeri Scholiastes in primam ῥαψῳδίαν M. Tullius in somnio Scipionis, & libro II. de Natura Deorum, Aristoteles in Meteorologicis, † Plato & † Seneca varijs in locis, Berosus, Orosius, Plinius, atque historici plurimi, Empedocles præterea, † Lucretius, † Ouidius † Lucanus, ac cæteri Ethnici omnes. Quanquam Aristoteles (vt de eo maximè dicam, quem præ cæteris terimus hoc tempore) non malè mihi hac in re visus est philosophari. siquidem quod scribit † Rhodiginus Aristotelem in libro de elementorum proprietate scriptum reliquisse Mundũ tunc eluuione obruendũ, cum in Piscibus, tum conflagraturũ, cũ in Geminis coierint planetæ, id verò nusquam reperio. quin etiam hæc cum reliquis illius decretis mirificè pugnant. nam vt omittam perpetuum rerum inferiorum ortum & interitum introduxisse, Mun-

† *Pl. in Politico & al.*
† *Sen. l. de cõsol. ad Martiam, & l. 3. nat. q. c. 29.*
† *Luc. l. 5.*
† *Ou. l. 1. met.*
† *Luc. 7. phar.*
† *lib. 1. c. 20*

dúmque ipsum ab omni interitu vindicare conatum esse (quæ duo tamen non probo : sed è Theologorum præscripto ac norma omnino reprehendo ac damno) profectò in tertio de physica auditione libro † Heraclitum *ea de causa videtur reprehendere, quòd existimasset conflagratura omnia , & in ignem reditura. Quod sanè (siue meritò siue iniuria Heraclitum reprehendat, hoc enim difinire non est huius loci) cum iis pugnat quæ ei tribuit Rhodiginus. quid plura? cum in primo meteorologicorum libro(atque hæc sunt quæ probanda existimamus) significasset non annuo solis accessu aut recessu, quemadmodum anni mutationes & quadripartita tempora; sed ex diuturnioribus quibusdam conuersionibus (hoc verò est in quo præceptorem sequitur) quasdam terræ partes vel arescere, & tanquam ad senium recurrere : alias efflorescere ac veluti ad iuuentutem redire ; in secundo libro riduculum esse ait ob aliquas Mundi mutationes, totius Vniuersitatis permutationem et cladem colligere. Verùm dum ait Plato* παράλλαξις τῶν περὶ τὴν γῆν κατ' οὐρανὸν ἰόντων *hoc est ,* permutationes eorum quæ in cœlo circa terram cõuertuntur, *corruptiones illas adducere quæ igne efficiuntur , quanam tandem ratione intelligit ex huiusmodi cœlestibus commutationibus has inflammationes atque exustiones inferri?* Proclus *cum notasset Aegyptium istum id vnum ex Phaëtontis fabula declarasse, quod ad propositum incendium facere videtur, statim hanc incendiorum causam cœpit his verbis inquirere,* τί σημαῖνον διὰ τῆς παραλλάξεως ἢ τὴν ἀσυμμετρίαν τῶν ἐν γῇ πρὸς τὰ οὐράνια;

† tex. 46.

Quo pacto ex cœlestibus commutationibus orian tur exustiones.

Vbi in hanc quæstionem multa ac varia congessit, ex quibus duas rationes colligere possumus, quarum prior ex symmetria vel asymmetria ducitur cœlestium & terrenorum corporum. Nam quemadmodum propter asymmetriam oculus hominis Solis lucem difficilè sustinet : contra verò Aquilæ oculus propter symmetriam facilè: atque ille tandem corrumpitur , hic recreatur: sic a cœlestibus fluxibus ex inferioribus eâdem de causa iuuantur multa : aliqua verò læduntur. Symmetriam verò appellat hîc non naturæ proportionem solùm , sed(vt arbitror) eam omnẽ rationem, qua aliqua simul consistere possunt atque conseruari : siue alterum consistat, quia ad resistendum accommodatum sit contrariæ naturæ vi, vt aquæ contingit dum calori resistit: siue quòd simillimã quandam(cuiuscunque ordinis ea sit) rationem habet & formã, vt aliquæ fortasse accidit, dum Solẽ intuetur , siue denique alia quacunque id ratione fiat. Sic asymmetriæ contraria erit ratio : atque ita propter hanc ex certis quibusdam cœli conuersionibus atque astrorum aspectibus terrarum exustiones consequentur : quemadmodum ex aliis eluuiones . Atque hæc ratio (mea quidem sententia) optima est. Nam si obiicias , statim atque cœlestes istæ commutationes dicuntur inflammare terras, satis etiam intelligi id ex asymmetria oriri: ac propterea peculiarem asymmetriæ huius uim ac rationem requiri, cum ex hac una exustionis huius ratio cognosci possit, iam id totum ab Astrologo est requirendum, apud quos hæc ratio celeberrima est: cum eam experientiis collegerint, quibus notarunt aliqua sidera calefaciendi, alia refrigerandi uim atque facultatem habere. Atque idcirco peculiares accessus, coniunctines ac proportiones referre solent, vnde inflammatio na-

tura-

turaliter efficienda videatur, nisi tamen interim ex illis astris (vt in aliã sententiam Proclus asserit infra) ἄλλο φθαρτικόν, ἄλλο σωστικὸν εἴη, aliud exitiale sit, aliud salutare: sic enim vnius virtus (vt deinde explicarunt B. Thomas & Auerroës) alterius vim impedire poßet. Quare haud mirum videri debet ex astrorum conuersionibus id prouenire non dicam in omnibus, sed in certis quibusdam terrarum partibus, siue hæc confectum planetarum cursum annúmque maximum consequantur, cuius hyems sit κατακλυσμὸς & eluuio, æstas ἐκπύρωσις & exustio, vt ex Aristotele refert Censorinus: siue (quod paulò ante ex Rhodigino afferebamus) ex coitu signorum in Geminis contingat conflagratio: signis verò in pisce congredientibus, diluuium, siue rursus signis congredientibus in Cancro, exustio; in Capricorno, eluuio oriatur, quẽadmodum ex Beroso refert † Seneca: siue id efficiat fluuiorum ortus defectúsque certis periodis Sole accedente & recedente comprehensus: quibus periodis animalis instar terra floreat iuuentute, senectute maceretur (sed per partes tamen, non tota simul vt animal) quemadmodum Aristoteles † significat: siue denique alteri causæ id sit tribuendum. Tametsi certum est hæc interea ex diuina sapientia omnino pendêre, ac totius Vniuersitatis cladem (vt tradit Aristoteles) non nisi temerè ex astrorum reuolutionibus colligi, quòd aqueis humoribus quibus ali solerent, destituantur. nisi tamen quod de huiusmodi humoribus ac de re vniuersa dicerent veteres illi, ad meliorem sententiam cum Macrobio † traducere coneris. Nam quod Cabalistae ac Rabbini quidam perituro Mundo periodos præscribere solent, suum illum עולם הבא Olam Haua, (tu seculi contritionem dicere possis) proferentes, id verò vanissimo hoc genere hominum est sanè dignissimum. Addit verò Proclus (& hæc erit posterior eius ratio) Mundum esse animal: atque ea quæ in Mundo fiunt, siue interitum afferant siue salutem, ab ipso in seipsum boni causa proficisci: totúmque effici per intelligentiam ac mentem: & propterea varias illas Mentis notiones, quæ ortus atque interitus vicißitudines efficiunt, & sine vlla mentis ipsius perturbatione sunt, τῷ μὲν μερικῷ κακόν, τῷ δὲ ὅλῳ, ἀγαθόν, certæ, inquam, alicui parti, malum: Vniuersitati verò bonũ, παραλλάξεις, hoc est commutationes dici, atque ab hac interitus illos inferri. Quod si ab eo quæras quomodo Mens ad Vniuersi conseruationem ac bonum, propter quæ operatur, interitus & vastitates inducat, id ea planè ratione respondet fieri, qua pater eundem quem amat filium, siue eum benignè amplexetur, siue cædat boni causa cædit, & amplexatur. Quæ ratio, siue Mentem simplici volũtate, & arbitratu per notiones suas nulla intermedia causa, siue (quod cum Platonis litera magis congruit) ijs secundis causis, quæ priori ratione satis indicantur interpositis, exustiones afferre velit, probanda mihi videtur: vbi tamen Mundum a Mente quidem gubernari concedentes, verum animal esse & Proclo & Platoni negauerimus. Quamquam prior ratio expositæ sententiæ videtur accommodatior, vel potiùs vtraque simul est coniungenda, vt ipsemet Proclus tandem fecit, qui idcirco concludebat. Ἔστι δὲ αὖ ἀμφότερα ταῦτα ἀληθῆ· καὶ γὰρ ἡ ἐκείνων παραλλάξις, καὶ ἡ τῆς περὶ γῆν ἀσυμμετρία τὰς τοιαύτας ἐπάγει φθοράς. Sunt autem vtraque vera. Etenim & illorum

com-

† l. 1. c. 20.

† lib. 2. nat. quæst. ca. 29.

† l. 1. meteo.

† l. 2. in som. Scip. ca. 10.

commutatio,& eorum quæ ſunt circa terram aſymmetria,huiuſmodi inducit corruptiones.*Et idcirco etiam corpora contendebat varia ac varia ſeſe offerre* διὰ τὰς ποικίλας νοήσεις τῶν ψυχῶν, *propter varias animorum notiones.Vbi ad varias mentis notiones varias corporatarum cauſarum figuras apparere voluit;atque commutationes fieri,ſic vt & a Mente,& a ſideribus exuſtiones inferantur.Quæ omnia in Ethnico iſto præclara videri debent, cum præſertim & affirmet a certis quoque Dæmonibus certis locis clades inferri,quod cum ſacris literis conſentit, quibus ab Angelis ſiue bonis,ſiue malis vaſtationes effectas eſſe didicimus.*

Cur non niſi poſt longum tempus exuſtiones cõtingant ac terrarum vaſtationes.

Sed cur ait Plato id non niſi διὰ μακρῶν χρόνων, *poſt longa,inquam,tempora effici?Explicat hoc quoque egregiè(ni fallor) Proclus, qui aſſirmat id ex eo contingere,quòd multa ſunt,quæ concurrere debent ad hanc corruptionẽ inferendam.Nam in iis,quæ patiuntur,tum communes,tũ priuati quidam habitus requiruntur:in his verò quæ agunt conſenſio,ne ſi vnũ exitiale ſit,alterum ſit ſalutare.Apta præterea materiæ inſtructio atque habilitas eſt neceſſaria,nec non inſtrumentorum ac temporum opportunitas ac præparatio.Nam,ſi hæc,inquit,raro ad certas locorum vaſtitates confluunt,rariùs in generalibus reperiri debent. Neque enim fieri poteſt(ſubdit ipſe)vt ab iis quæ interitu carent,ad ea progreſsus fiat,quæ planè mortalia ſunt niſi per ea quæ difficilè corrumpuntur. Si igitur* τὰ ὅλα *ſunt corruptionis expertia.contra verò* μερικώτερα *facillimè intereũt, quæ inter hæc media ſunt;iure ad eorũ ordinẽ redigentur, quæ difficilè labefactantur ac corruunt. Vt propterea non niſi poſt longa temporũ interualla interitum ſubire debeant. Quo loci per* ὅλα *vel Ideas intelligit cũ Platone,vel certè genera & ſpecies cum Ariſtotele,atque eas morti obnoxias eſſe negat,per* μερικώτερα *verò indiuidua,quæ facillimè deficiãt: per media tandẽ aliquã indiuiduorum multitudinẽ,quæ licet non niſi longũ poſt tẽpus intereat, intereat tamẽ.Et idcirco* ὅλον *ciuitati,* τὰ μέσα *gẽti,* μερικώτερον *homini ſingulo cõparat.Quãobrẽ ratio ex fine ducta eſt,quia ſcilicet quemadmodũ hominũ multitudo,quippe quæ mediũ obtinet locũ inter* ὅλον καὶ μερικώτερον,*inter genus & indiuiduũ,non niſi poſt longa interualla tẽporum interire debet,ita etiã cauſæ,tempora,& inſtrumẽta,quæ ad illã corrumpendã ſunt neceſſaria,niſi poſt longa tẽpora concurrere ſimul non debeant.Quod argumentationis genus.etſi non neceſſarium eſt, vim tamẽ habet magnam.nã prior ipſius pars,in qua res tota videtur poſita (concluſio enim inde facilè elicitur) a Philoſophis & Theologis cum ad alia multa,tum ad empyrei orbis,ad animi, Angelorũmque naturam explicandam vſurpatur:atque niti videtur in propoſitione illa inter philoſophos vulgata ac celeberrima.Natura non tranſit de extremo ad extremum niſi per medium.Quod non in motu ſolũ agnoſcitur,ut ex Ariſtotele intelligi ſatis poteſt in Phyſicis, uerùm etiam aliis multis in rebus perſpicuè cernitur.Hic autem illud obiter notandũ eſt,quod ſuo loco repoſcam,Proclum non concedere ulla aſtrorum ui poſſe genera & ſpecies interire:nã cũ oſtendere uellet* τὰ ὅλα *eſſe* ἄφθαρτα, καὶ ἀνώλεθρα *corruptio-*

5.phy.t.22.

nis

nis atque interitus expertia, οὐδὲν γάρ ἐστιν (inquit) αὐτῶν σχῆμα τῶν ἀστέρων φθαρτικόν. nullus reperitur astrorum aspectus atque figura unde corrumpi illa possint. Et ex his, quod spectat ad hanc partem, patet alterũ: nimirũ Græciam fuisse exustioni obnoxiam. nã cum Phaëtontis incendiũ ex his quæ dicta sunt, sit censendũ uerũ, idque cõtigerit in Attica, hæc sanè regio eiusmodi calamitati obnoxia fuerit necesse est: & idcirco etiã sequitur.

Part. XVI.

Τότε οὖν ὅσοι κατ' ὄρη, καὶ ἐν ὑψηλοῖς τόποις, καὶ ἐν ξηροῖς οἰκοῦσι, μᾶλλον διόλλυνται τῶν ποταμοῖς καὶ θαλάττῃ προσοικούντων. ἡμῖν δὲ ὁ Νεῖλος εἴς τε τ' ἄλλα σωτὴρ, καὶ τότε ἐκ ταύτης τῆς ἀπορίας σώζει λυόμενος.

Tunc hi, qui edita, & arida incolunt loca, magis pereunt quàm mari fluuijsque vicini. Nobis porrò Nilus, cum in plerisque rebus salutaris est, tum huiusmodi a nobis arcet exitium. (Ficinus.)

Ad hos igitur maiores rerum superiorum casus, consentaneũ est illos, qui & in montibus editioribusque locis, & aridis habitarent, potius perijsse, quàm eos qui fluuios aut mare incolerent. Nilus autem, qui nobis multis alijs in rebus seruator est, in hoc discrimine nos etiam conseruauit, quum videlicet latiùs diffunderetur atque emanaret. (Nouu. int.)

Tunc igitur quicunque in montibus aut excelsis, aridisue in locis habitant, magis pereunt, quàm ij, qui propè flumina aut maritimis etiam in oris degunt. Quapropter Nilus cum ad alia nobis est salutaris, tum quod omnem huius calamitatis metum atque curam a nobis pellit. (Benius.)

Com. XVI

Vbi sanè sacerdos iste ex his omnibus quæ de exustionibus dixit, infert, idque iure infert, eos qui edita & arida loca incolunt, facilè interire: qui uerò fluuijs marique uicini sunt, ab illis esse incolumes. Id quod licet generatim de his omnibus affirmet, præcipuè tamẽ Aegyptijs cõcedit propter Nilũ. Nilo enim authore Strabone tũ Aegyptus circũdatur uniuersa, sic ut insula efficiatur, tũ quàplurimis in partibus irrigatur. Quare elegãter sanè Herodotus, qui appellat † Aegyptum Nili domum: sicùtque rursus Strabo, qui Aegyptum definiens, Quid est aliud (inquit) Aegyptus nisi insula fluuialis, quam inundat aqua? quod ijsdem ferè uerbis repetit libro xvij. vbi Aegyptũ fluuialẽ regionẽ Nilo circũdatã appellat. Sed cur Nilũ asserit ille Aegyptijs nõ solũ esse in eo salutarẽ, quòd eos liberet ab incẽdijs, uerũ etiã in plurimis alijs? Proclus id dici affirmat tũ propter geometricas disciplinas, tũ propter fructus, tũ denique propterea quòd eius aquæ sunt corporibus salutares. Sed quod pertinet ad Geometriã, nequaquã mihi probatur. Etsi.n. referat Strabo nõ defuisse qui crediderint geometricas disciplinas ex Nili eluuionibus, quòd scilicet agros quã creberrimè dimetiri necesse esset, ortũ duxisse: sicut a Phœnicibus arythmeticã mercaturæ occasione inuentã opinabãtur, nõ idcirco tamẽ existimarim Nilũ Aegyptijs salutarẽ hac de causa appellari, cum de salute loquatur quam parit corpori, quemadmodum etiam in exustione auertenda contingit. Quod ad aquas attinet ac fructus, adde etiam pisces atque animantia cætera, ad Platonis aures esse non dubito: nam Strabo nutritiuũ & fœcundissimũ Nilũ appellat, præsertim pisciũ. Quod etiã Aristotelem secutus, ait contingere propter moderatam Solis decoctionẽ, unde superfluũ euaporat, & nutrimentũ relinquitur. Quamobrem Nili aquam dimidio etiam minore igne, quàm cæteras ait cõcoqui: & libro xvij. ad initium ubi mirificè commendat Aegyptiorum œconomiam, eos etiam à

De Ægypto & Nilo.

† lib. 2.

† lib. 1.

re-

regionis fœlicitate laudat, quæ non modò optimè excolatur, sed etiam feracissima sit. Mela etiam libro 1. *de situ orbis.* † *præclarè multa scribit de Aegypti fœcunditate. Nam præterquam quod eam & mirè fertilem esse contendit, & hominum animaliúmque perfœcundã generatricem appellat, affirmat etiam adeò efficacibus aquis ad generandum, alendúmque irrigari, vt magna piscium copia scateat, glebisque ipsis infundatur anima.* Idque ex eo (*inquit*) perspicitur, quòd vbi Nilus se sibi reddidit, perhumentes campos quædam nondum perfecta animalia, sed tum primùm accipientia spiritum, & ex parte iam formata, ex parte adhuc terrea visantur. *Ac Solinus capite* XXXV. *inter cætera refert in Aegypto ficum arborem fructus non ramis solùm verùm etiam caudice gestare: & vsque adeò fœcunditate augustam esse, vt vno anno septies fructum sufficiat.* Quare pomum (*subdit*) cum decerpseris, alterum sine mora protuberat. *Plinius etiam multa magnaque in eandem sententiam de Aegypto scribit ac Nilo, quæ ne longior sim, prætereunda existimaui. Tantùm dicam Nilum ita fœtiferum ab eo appellari, vt multa quæ apud alias gentes in fœtibus haberi solent prodigij loco, ibi naturalia esse deprehendantur. Iam verò etsi multa satis videri possimus ad propositum contextum explicandũ attulisse; tria tamen adhuc facilè desiderari possent. Atque alterum quidẽ est, quo pacto ex Nilo certis fermè temporibus tanta vis aquarum erũpat: vtrum nimirum in Ethesios ventos, siue in subterraneos halitus, siue in niues, siue in Lunam ac sidera, siue denique in aliam causam huiusmodi effectus sit reuocandus. Secundum verò vnde tanta illius fœcunditas ac vis oriatur, aquarúmne ipsarum copia, an terræ vbertate, ac cœli fœlicitate aut alia de causa. Tertium ac postremum quo pacto illi regioni res tam admirabilis contingat, atque à communi naturæ lege aliena, vt imbribus non attingatur, sed è terræ visceribus scaturiant aquæ. Num videlicet quòd sapientissimus Naturæ author quantam Nilo vim atque vbertatem ad Aegyptum irrigandam contulit, tantum de Solis efficacitate imminuerit in ea plaga: sic vt vapores in pluuias conuertere haud valeat: an alia de causa id accidere dicendum sit. Quo etiam in loco videndum esset an Aegypto tota id contingat: an verò (quod aliqui contendunt) maiore tantùm illius parte. Sed quoniã hæc obiter atque aliud agens attigit Plato, satis nobis quoque erit ea cursim attingere: atque authores interim varios afferre, vnde huiusmodi quæstionũ explicatio copiosissimè hauriri possit. Ergo (vt primam quæstionẽ aggrediar) Nili incrementum vsque adeò exercuit multorum authorum ingenia, ac tot támque varias peperit sententias, vt* † *Irenæus rem vni Deo cognitam esse iudicarit. Alij itaque id totum Ethesijs tribuunt: quasi his reflantibus contra Aegyptum, ac fluenta retroagentibus, sequatur effusio. Alij pugnant in Aethiopiam ab ijsdem Ethesijs propelli nubes, quæ deinde in aquam solutæ, augeant Nilum. alij censent id totum arenis ascribendum esse, quæ ethesiarum vi congestæ atque exaggeratæ altiùs, obstruant Nili ostia. Alij ab Oceano Atlantico ex subterraneis locis, iisque nobis oppositis augeri sentiunt. alij in aquas nescio quo casu subortas, vel Lunam atque alia quædam certa sidera*

† Cap. 9

Tres ponũtur quęstiones explicãdæ, quò vberiùs intelligantur quæ dicta sunt.

Additur & quarta.

Explicatur prima quæstio.

† l. 2. cont. hær. cap. 47.

sidera id reijciunt. Alij suspicantur ex sabulosi soli raritate effundi aquas, vel ex vaporibus è cauernis terrae sublatis, ac denique in aquas solutis Nilum intumescere. alij ex Septentrione fluere aquas opinantur ad opem adustae Aegypto ferendam sic instituente Natura. alij causam esse dicunt eliquatas niues ex Aethiopiæ montibus decidentes. alijs (atque hae duae proximae causae ac sententiae mihi sanè videntur verò persimiles) Aethiopiae pluuias eiusmodi incrementum afferre. alij denique Aethiopiae tum niuibus, tum pluuijs id totum acceptum referunt. Qua in re videndus est Herodotus libro secundo: Aristides in oratione Aegyptiaca: Seneca libro quarto naturalium quæstionum: Plutarchus libro quarto de placitis philosophorum, & libro de Iside & Osiride: Diodorus Siculus libro primo: Laërtius in Thalete: Galenus in libro de philosophica historia: Philo Iudæus libro primo de vita Mosis: Aelianus libro decimo de animalium historia: Plinius libro quinto naturalis historiæ: Ammianus Marcellinus libro vicesimosecundo: Pomponius Mela in primo: Strabo in decimoseptimo: Solinus capite vicesimoquarto & deinceps: Alexander Aphrodiseus libro primo Meteororum: Suidas vbi agit de Ethesiis: Lucianus libro sexto, & decimo: Eusthatius libro quarto Odißeæ: Claudianus in Epigrammate de Nilo: Dio in epitome Seueri: Aristoteles in libro de Nilo, si tamen Aristotelis est ille liber: Proclus in Timæum libro primo: Isidorus Hispalensis libro de Mundo: Egidius Romanus & Linconiensis in librum II. posteriorum: Ludouicus Nogarola in Timotheo: Franciscus Patritius libro vij. Peripateticarum discussionum. Hi inquam (vt eos omittam qui rem leuiter attigerunt ac per transennam) videndi sunt præter alios multos, præsertim antiquiores: quorũ tamen opiniones quas omnes, ni fallor, collegimus, apud recitatos authores sparsim inuenies.

Explicatur tertia.

Atque ex iisdem id quod tertio loco ponebatur (ponebatur autẽ quid causæ esset vt imbribus careret Aegyptus) intelligi poterit: si tamen poterit: nam sine dubio res est perdifficilis ac fortasse nondum explicatè satis percepta. Vt propterea alij id totum Solis efficacitati tribuant, qua vapores penitus consumi volunt: alij è contrario Solis vim in ea plaga minorem esse pugnent, quàm vt vapores in pluuias conuertere possit: quasi verò id maioris operis ac facultatis sit quàm eos extollere: aut huiusmodi conuersio a Sole effici debeat. Sed recitatos authores consulat quisque: atque vbi multa siue de ventis illius loci, siue de rapido Nili cursu perlegerit, tandémque rem in Solem probabili ratione reuocarit, aliam causam non magnopere requirat.

Explicatur secunda.

Iam verò faciliorem habet explicatum secunda quaestio: ea nimirum, qua quaeritur, vndenam Aegypti foecunditas oriatur. Et quidem, licet non inficier coeli foelicitatem huic rei conferre non mediocriter; aquarum tamen vbertas, proxima atque intima huius fœcunditatis causa censenda est. Cum etenim cæteri fluuij (vt ait Seneca) terras abluant & euiscerent, Nilus, etsi cæteris tantò maior, adeò nihil exedit aut abradit, vt contra vires adijciat & vbertatem. Quamobrem acutè † Herodotus, qui, vt ostenderet summã

Cap. 9

† l. 2. ... har. cap. 6

a Nilo afferri Aegypto fœcunditatem atque vbertatem, illum ἐργατικὸν, aratorem inquam & agricolam appellauit. Qua etiam de causa † Nazianzenus frugum parentem vocauit eum: atque Isocrates in Busiride Nilum non pro immortali muro solùm esse ait Aegypto; sed pro nutrice liberalissima. Idque vnum (vt opinor) occasionem dedit, vt à † quibusdã aurifer appellaretur, hominésque inopia & egestate omni soluere diceretur. Iure itaque cecinit Tibullus.

† lib. 2.

† ora. 39.

Te propter nullos tellus tua postulat imbres:
Arida nec pluuias supplicat herba Ioui.

Iure etiam Valerius † Flaccus.

Ac pinguia Nili
Fertilis arua secet.

† Eust. li. 4. Odis. & Pro. in Tim.

† l. 3. Argonautica.

Sed quoniam hac de re obiter aliqua attigimus suprà, ac plura etiam in eandem sententiam colligi possunt tum ex recitatis authoribus, tum ex Aristotele adhuc libro II. Meteororũ, Eusebio libro II. de præparatione capite I. Isocrate loco paulò ante citato, Plinio Secundo in panegyrico Traiani, Plutarcho libro IV. quæstionũ conuiualium quæstione V. Cicerone libro II: de Natura Deorum, & Philostrato in imaginibus; ideo hæc satis. Quod si illud quoque scisciteris an Aegypto tota id accidat vt imbribus non irrigetur; ego sanè, cum nihil comperti habeam ex authoribus, dicam quod ex illis occurrit in præsentia. Quod igitur scribit Plato ibi aquas nunquam supernè descendere, affirmatur quoque ab Aristide in oratione Aegyptiaca: vbi sanè vult diuinam prouidentiam ea de causa instituisse vt inundaret Nilus quòd in illis locis nullæ pluuiæ essent futuræ. Id quod confirmatur a Plinio Secundo in panegyrico Traiani; ubi inter cætera ait Aegyptum esse ita gloriosam, vt nihil imbribus aut cœlo debeat: idque ea de causa quòd proprio semper anne persusa pinguescat, non alienis aquis. Quam rem attingunt etiam ex recitatis authoribus aliqui. vt propterea eleganter Valerius † Flaccus appellet Nilum.

Attingitur explicatio quartæ.

Pinguem sine imbribus annem.

ac Tibullus (id quod paulò ante pro secundæ quæstionis explicatione attuli) cecinerit.

† in Argon. l. 5.

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluuias supplicat herba Ioui.

Atque huic quidem sententiæ illud fauet quòd, si Scaligero credimus, exercitatione quadragesimaoctaua, Straboni libro XVIJ. & Ammiano loco paulò ante relato, Nilus, ut eius humor rapido longóque cursu attenuatur, nullas edit auras aut uapores, quo fit ut pluuiæ desit materia. Atque huc etiam reuoluitur res, si (quod scribit Cardanus in libris de subtilitate

rerum

rerum, uapores eleuantur quidem, sed a Sole statim absumuntur, ita ut in pluuiam conuerti nequeant. Hæc isti. Veruntamen Seneca, Iulius Capitolinus, Lucianus & alij quidam scribunt in Aegypto reuera per hyemem sæpe pluere: idque experientia ipsa compertum esse. Quamobrem quid statuam non habeo: nisi fortè ea ratione conciliari possint isti, vel quòd cernantur interdum imbres in certa aliqua Aegypti regione quæ sit siue Aethiopiæ siue alteri cuipiam prouinciæ finitima, quæ pluuijs non careat: vel quia si alicubi interdum in summa hyeme pluat, vix leuissimè pluat: longeque absit vt terram fœcundare poßit. Vt omittam Aethiopiæ atque Aegypti fines (quanquam illud obstare dixeris quòd Aegyptus Nilo circundatur vniuersa) fortasse minimè ratos fuisse semper & constitutos apud omnes: sic enim facilè accidere posset vt non Aegyptus vniuersa hanc discordiam páreret, sed certus aliquis terrarum tractus quem alij Aegypto, Aethiopia alij concludi vellent. Denique Aegyptius hic sacerdos sic loquitur apud Platonem, vt dum ait, κατὰ τήνδε τὴν χώραν οὔτε τότε οὔτε ἄλλοτε ἄνωθεν ἐπὶ τὰς ἀρούρας ὕδωρ ἐπιῤῥεῖ. In hac nostra regione supernè nunquam imber defluit; neque magnopere neget leuißimam aliquam pluuiam ac tenuissimam in Aegypto quoque visam esse interdum: neque vllo modo definiat Aegyptúmne totam, an verò vnam Saiticam præfecturam imbribus carere velit. siquidem cum sacerdos iste in Saitica præfectura degeret (id enim exposuit iam antea) χώραν illam certæ alicui Aegypti parti, nimirum Saiticæ, non minùs quàm Aegypto vniuersæ aptare possumus. Vt propterea quisquis ex recitatis auctoribus fallatur, (si tamen vllus fallitur) nulla ex parte coargui possit Plato. Sed de his satis hoc loco. Ad quæ illustranda poßent adhuc peti atque hauriri multa ab ijs qui de Terrestri paradiso, déque eiusdem fluminibus, recentioribus præsertim temporibus, egerunt. Dum verò Aegyptiorum antiquitati sic fauet Plato, id ipsis Aegyptijs suppetias ferre videtur aduersus Scythas: ij enim generis antiquitate pugnant se illis præstare, quod validis etiam argumentis confirmant, quæ curiosi legere poterunt apud Iustinum historicum libro II. Nam cum ex diuinis literis humani generis & ortus & propagatio sit perdiscenda, haud valde nostra interest in præsentia in his versari. Illud tamen dicam, videri Aristotelem Aegyptiorum antiquitati non minùs derogare quàm Plato faueat. Nam primo Meteorologicorum sic scribit. Quapropter nullius memoriæ beneficio percipitur quinam primi aut superiores ætate fuerint, & quo locorum situ mutatio sedium facta sit, quemadmodum in Aegypto factum nouimus. Hæc enim regio videtur in dies magis exaruisse, a Nilóque omnis adaggerata esse. Hæc aliáque eiusmodi Aristoteles, quibus a Præceptore videtur discedere.

De Ægyptiorum antiquitate videri Aristotelem non omnino cum præceptore conuenire.

Nunc ad Critiam, seu potiùs ad Aegyptium Sacerdotem reuertamur, quem sensim ad id quod maximè instituerat, traducit Plato: ac propterea statim iste sequitur.

Part. XVII.

Ὅταν δ' αὖ οἱ θεοὶ τὴν γῆν ὕδασι καθαίροντες κατακλύζωσιν, οἱ μὲν ἐν τοῖς ὄρεσι διασῴζονται βουκόλοι νομεῖς τε. οἱ δ' ἐν ταῖς παρ' ὑμῖν πόλεσιν, εἰς τὴν θάλατταν ὑπὸ τῶν ποταμῶν φέρονται.

Ficinus. *Quando verò Dij aquarum colluuione terræ sordes diluunt, pastores ouium atque bubulci qui iuga montium habitant, periculum illud euadunt: vestræ autem ciuitates in planitiæ sitæ impetu fluminum ad maria rapiuntur.*

Nou. inter. *At quum Dij effuso diluuio terram expurgant, tum verò ij qui ad montes habitant, bubulci & quilibet alij pastores potiùs conseruantur: qui autem in vestris habitant ciuitatibus, in mare fluuiorum impetu deferuntur.*

Benius. *Verùm enimuerò cum Dij terram aquis perpurgantes demergunt, tunc bubulci asseruantur atque pastores, qui montes incolunt. At qui vrbium vestrarum sedes nacti sunt, ad mare fluminum impetu rapiuntur.*

Com. XVII. *Quoniam hactenus comprobauit id quod pertinebat ad incendia, nunc refert sese ad eluuiones. Quocirca quando Dij (inquit) terræ sordes colluuione diluunt, siue (vt est Græcè) terram aquis purgantes demergunt, (id verò a cœlestibus quoque conuersionibus oriri paulò post exponet) ciuitates, quæ in planicie sitæ sunt, fluminum impetu ad maria rapiuntur. Quo in loco Proclus (id quod in Ethnico sua laude carere non debet) animaduertit a Platone eluuionum causam luculenter in Deos referri. Ex quo efficere conatur incendiorum quoque causam in eosdem esse reijciendam. Nam (inquit) non minùs incendia quàm eluuiones purgandi vim habent: purgatio autem vbique a primis causis, hoc est a Dijs (per Deos autem cœlestes mentes siue Angelos intelligi, sicut alibi ostendi, nihil prohibet) per secundas, nempe per ignem & aquam, proficiscitur. Quibus addit primas illas causas suapte sponte id facere, ac proprio suarum virium pondere impulsas: ijs semper benè vtentes ac boni causa. Quamobrem hæ mutationes & vastitates habebunt quidem naturales causas, nempe cœli* παράλλαξιν, *Dei tamen vis eas ex Platone præueniet; sicque præueniet, vt etsi naturaliter quoque fiant, veruntamen liberè potiùs fiant, quàm naturaliter: id quod sacræ literæ luculenter ostendunt, dum narrant Sodomæ incendium, terrarúmque eluuionem a Deo propter hominum scelera fuiße immiſsa. Atque idcirco etiam (si hæc ex Platonis sententia vera sunt) dum ait,* exitia maxima aut ignis conflagratione, aut aquæ inundationibus prouenire necesse est. *Et rursus.* Fit longo temporum interuallo cœlestis circuitus permutatio quædã, quam inflammationis vastitas necessariò sequitur, *de ea necessitate intelligi debet, quæ liberè a prima causa, cæteris causis imponitur. Atque eodẽ pacto intelligendus fortasse erit M. Tullius, qui in somnio Scipionis, hunc locum imitatus ac secutus,* Quin etiam (*inquit*) si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes vniuscuiusque nostrum a patribus acceptas posteris prodere: tamen propter eluuiones exustionésque terrarum quæ accidere tempore certo necesseest, non modò non æternam, sed ne diuturnam quidem gloriã assequi possumus. *Nam Trismegistum ex cuius spatijs extitit noster Plato, in Dei consilium ac voluntatem vel solùm vel maximè id totum retuliße constat, dum in sermone de Mundo sic scribit.* Dominus primipotens o Asclepi, vnus guberna-

bernator Mundi, intuens in mores factaque, ſua voluntate, quæ Dei eſt benignitas, vitijs reſiſtens, malignitatẽ omnem vel illuuione diluens, vel igne conſumens, vel morbis peſtilentibus vbique per diuerſa loca diſperſis finiens, ad antiquam faciem Mundum reuocabit. *Quanquam, quod ad hunc Timæi locum attinet, neque illud* neceſſe eſt, *neque alterum illud* neceſſariò ſequitur, *hîc à Platone profectum eſt, ſed tantùm à Ficino, neſcio quo conſilio, appoſitum: nam græcè ſic eſt.* πολλαὶ φθοραὶ γεγόνασιν ἀνθρώπων καὶ ἔσονται interitus hominũ fuerunt, eruntque plurimi, ac rurſus, διὰ μακρῶν γιγνομένη τῶν ἐπὶ γῆς πυρὶ πολλῷ φθορά. Poſt longa tempora multo igne terrenis clades infertur. *Immo neque in Atlantico vbi de huiuſmodi eluuionibus verba facit, fatales vocauit eas, vt Ficinus voluit, cum verteret.* Tertia priùs eluuione fatali, *nam græcè eſt* τρίτου πρότερον ὕδατος ἐξαισίου tertia numeratur aquarum eluuio. *Vbi mirum de Fato aut Neceſſitate ſilentium. Vt propterea haud mirari ſatis poſſim Ficinum his omnibus locis affingere hæc voluiße. Sed & mirum adhuc in Ethnico eſt, quod habet idem Proclus, dum hîc Deos illos* καθαίροντες, *purgantes, inquam, a Sacerdote illo obſeruat nuncupari. Scribit enim in hac Vniuerſitate purgationes tum generales, tum priuatas, ſiue (vt rem ſignificantiùs exprimam) partiales reperiri: eáſque ſuos præfectos habere, ſic vt generales præfecti ante partiales influant in Vniuerſitatem. Deinde diuinas etiam expiationes profert, ita vt alij Dij perficiant, alij perficiantur, neque his vnquam Vniuerſitas deſeratur. Atque idcirco, inquit, Sacerdos iſte ſupra tanquam phyſiologus* φθορᾶς, *interitus, inquam, nomen vſurpauit: hîc autem* καθαρμὸν, *ideſt, purgationem, ſacrum nempe nomen, retinuit. Quæ quod pertinet ad purgationes per elementa factas tum cum Theologis noſtris conſentiunt, qui Angelos elementis præficiunt, tum cum diuinis literis, quæ quatuor Angelos, quicunque illi ſint, nobis proponunt, qui terris cladem inferre ſoleant. Quod verò attinet ad purgationes, quibus Dij partim perficiant, partim perficiantur, omnino cum B. Dionyſio congruit, qui hæc de Angelis diſertiſſimè teſtatur. Ac facilè etiam id ex ipſo Dionyſio vſurpauit Proclus, quemadmodum & alia multa, de quibus nos ſuis in locis dicemus. Duo tamen hîc habuit, quorum alterum non omnino commodè probari poteſt, alterum ſuperſtitioſum videtur. Nam dum generales purgationes ſtatuit,* ἐν τοῖς ὅλοις, *atque harum etiam generales præfectos, id ſanè non valde conſentire cum ijs videtur, quibus ſupra contendit nullum reperiri aſtrorum aſpectum, vnde* τὰ ὅλα *vaſtari poſſint: purgationes enim ad vaſtationes ſequi vult, immo (vt paulò ante conſtitit) earum notiones promiſcuè vſurpat atque confundit. Dum verò purgationis vocem ea religione vult a Platone efferri, id quidem ſuperſtitioſum videtur: nam etſi Iuppiter apud Orfeum (vt ipſe Proclus affirmat)* τὰ καθάρσια κομίζειν παρακελεύεται, *purgationes afferri monet, crediderim tamen eundem ſacerdotem corruptionis ſiue cla-*

dis vocem vsum passe supra, quòd ad deletam antiquitatum memoriam ostendendam eluuionũ exustionúmque effectus, quæ ipsa corruptio est & clades, commemorandus erat. At cum vellet finem Dijs illis propositum manifestare, qui purgatio est, purgatio non corruptio erat commemorand.. Sic vt nullum in illis mysterium lateat. Iam verò locus fortasse postularet, vt quoniam nonnulla diximus de exustionum causis, aliqua etiam sigillatim traderemus de causis intimáque ratione eluuionum. Verùm quia Aegyptius ille ex ijsdem astrorum conuersionibus vtrasque voluit promanare, quæ de vnis diximus, de alijs, præsertim commutata proportione, intelligi possunt. Quanquam particulatim etiam attigimus aliqua de diluijs: atque in primis varios authores recitauimus qui de illis scripserunt apud Ethnicos. Inter quos ea quæ fusè scribit Seneca quatuor integris capitibus, etsi nonnullos Stoicorum errores habent, ac quædam etiam continent quæ non congruunt cum Platonis ratione; multa tamen disserit, tum eruditione plena, tum ad vitæ huius imbecillitatem fragilitatèmque declarandam aptissima.

Part. XIIX.

Κατὰ δὲ τὴν δε τὴν χώ-
ραν οὔτε τότε, οὔτε ἄλλοτε
ἄνωθεν ἐπὶ τὰς ἀρούρας
ἐπιρρεῖ. τὸ δ' ἐναντίον, κα-
τώθεν ἐπανιέναι πέφυ-
κεν. ὅθεν καὶ δι' ἃς αἰτίας
τ' ἀνθάδε σωζόμενα λέ-
γεται παλαιότατα. τὸ δὲ
ἀληθές, ἐν πᾶσι τοῖς τό-
ποις ὅπου μὴ χειμὼν ἐξ-
αίσιος ἢ καῦμα ἀπείργει,
τότε μὲν πλέον, τοτὲ δὲ
ἔλαττον ἀεὶ γένος ἐστὶν ἀν-
θρώπων.

Ficinus. *Sed in hac nostra regione neque tunc, neque aliàs vnquam in agros supernè descendit, contra verò sursum è terræ visceribus scaturit. Quamobrem antiquissimarum rerum apud nos monimenta seruantur. Proinde vbicunque nec imbrium tempestas nimia, nec incendium ingens contingit, licet aliàs pauciores, aliàs plures semper tamen homines sunt.*

Non. Int. *Verùm in hac nostra regione, neque tunc, neque vnquam aqua superiùs in terram emanat: contra verò, eum habet naturæ impetum, vt inferiùs (è terræ nimirum sinu scatu riens) affluat aque dilabatur: & hæ causæ perhibentur esse cur hæc nostra regio conseruata sit, atque adeò quæ hic sunt, antiquissima habeantur. Ita autem omnino se res habet. In omnibus ijs locis in quibus aut importuna hyems, aut immoderata æstas non prohibet, quamuis modò quidẽ minùs, modò plus, hominum tamen genus quoddam perpetuo loca illa incolit.*

Benine. *Sed aqua intra regiones nostræ fines atque agros neque huiusmodi purgationis tempore, neque aliàs vnquam labitur atque descendit; sed potiùs eam naturam ac vim habet vt è terræ visceribus extollatur ac manet. Atque his sanè de causis factum esse perhibetur, vt apud nos vetustissimarum rerum memoriæ conseruentur. Nam verissimè dici potest in omnibus locis in quibus caloris iniuria, aut immoderatæ hyemis rigor id non prohibeat, homines siue plurimos atque frequentes, siue pauciores ac raros perpetuò conseruari.*

Com. XIIX. *Potuisset quis obijcere ipsos quoque Aegyptios quippe qui in planitie degũt, aquarũ calamitatibus obnoxios censeri posse, ac proinde eadẽ lege iuuenes esse appellandos, tollit hanc dubitationem, quòd ab aquis & eluuionibus defenderet eos cœli sitúsque clementia atque fœlicitas, per quam contigisset, vt neque tunc, neque aliàs ad eos supernè discendisset aqua, sed è terræ tantùm visceribus scaturiret, vt propterea fluminum impetus nulli essent, quibus vrbes ad mare raperentur. Atque hinc etiam concludebat*

apud ipsos antiquißima monumenta seruari. Et quoniam dixerat supra ab alijs etiam causis varias calamitates oriri, idcirco ne quis diceret Aegyptios alia saltem causa ac via disciplinis atque antiquitatum monumentis priuari, addit, Proinde vbicunque nec imbrium tempestas nimia, nec incendium ingens contingit, licet aliàs pauciores, aliàs plures, semper tamen homines sunt. *Quibus demonstrare conatur monumenta apud eos perpetuò asseruari, quòd minores inde vastitates sequantur, quàm vt omnes homines atque monumenta intereant. Hæc est tota ratio qua Grecos veluti iuuenes notat: Aegyptios verò antiquitatis laude, atque rerum cognitione extollit. Quamobrem non poßum non magnopere mirari, vndenam permotus Foxius obseruare potuerit hoc in loco* Platonem *in tribus illis Pythagoreorum decretis niti, quæ alibi attingere videtur latiùs. Nimirum & animos fuisse omnes eodem tempore procreatos: in varia corpora migrare: ac scientiam illorum nihil aliud eße quàm præteritæ vitæ recordationem. Atque ita fieri, vt cum Græcorum animi post hominum multorum interitum in corpora subierint, Græci ipsi iuniores euaserint, quàm illi ipsi qui longo ante tempore mortui sunt. Quid enim frigidius excogitari potuit, cũ Plato rem omnem ad ipsarum historiarum monumentorúmque nouitatem (quod scilicet vetusta propter eluuiones atque exustiones interierint) disertissimis verbis reuocarit. immo verò apud nos etiam qui tria illa dogmata omnino detestamur, Platonis argumentatio eâdem planè ratione valeret qua apud Græcos, si incendia & eluuiones illas quibus innititur* Plato, *contigißent: eßemus enim rerum vetustarũ propter monumentorum excidium nescij, atque ita ob vetustatis ignorationem iuuenes appellari poßemus, quo nomine Græcos iuuenes ac pueros appellat. Quod plura? si tria illa dogmata sumeret hîc Plato, fortasse contrarium potiùs colligere debuißet, nisi tamen noua somnia proferat Foxius. Nam si animos omnes procreasset simul* Deus, *eorundémque scientia, cum in hoc mortali corpore degũt, esset rerum præteritarum recordatio, qui nouissimè deturbati in corpus essent, eorum recordari potuißent quæ primo procreationis tempore didicerunt, non secus atque ij qui ante ipsos lapsi essent. Vt propterea certum sit Platonem (siue ipsi dogmata illa probarentur, siue suspecta essent) propter solam historiarum nouitatem Græcos iuuenes, atque adeò pueros appellasse.*

Ficinus. Non. lit. Benius.

Part. XIX. Οσα δὲ ἢ παρ' ὑμῖν ἢ τῇδε, ἢ καὶ κατ' ἄλλον τόπον ὧν ἀκοῇ ἴσμεν, εἴπου τι καλὸν ἢ μέγα γεγόνον ἢ καὶ τινα διαφορὰν ἄλλην ἔχον, πάντα γεγραμμένα ἐκ παλαιοῦ τῇδ' ἐστὶν ἐν τοῖς ἱεροῖς καὶ τοῖς ἀλ-

Quæcunque verò a nostris, siue a vestris, siue alijs nationibus gesta sunt memoratu digna, modò ad aures nostrorum peruenerint, nostris in templis descripta seruantur. Apud vos quidem & alias gentes res gestæ nuper, literis monimentisque traduntur: sed certis temporum curriculis illuuies immissa cælitus omnia populatur. Ideo qui succedunt & literis & musis orbati sunt. Quo fit vt quasi iuuenes iterum sitis & rudes præteritarum rerum omnium prorsus ignari. Ficinus.

Quæ-

λοις ἄρτι κατεσκευασμέ-
να, ἑκάστοτε τυγχάνει
γράμμασι καὶ ἅπασιν ὁ-
πόσων πόλεις δέονται. καὶ
πάλιν δι' εἰωθότων ἐ-
τῶν ὥσπερ νόσημα ἥκει
φερόμενον αὐτοῖς ῥεῦμα
οὐράνιον καὶ τοὺς ἀγραμ-
ματοις. καὶ ἀμούσους ἔλι-
πεν ὑμῶν. ὥς τε πάλιν
νέοι ἐξ ἀρχῆς γίνεσθαι οὐ-
δὲν εἰδότες οὔτε τῶν τῇδε.
οὔτε τῶν παρ' ὑμῖν ὅσα ἦν ἐν
τοῖς παλαιοῖς χρόνοις.

Quæcunque vero aut apud vos Græcos, aut hic apud nos, aut alijs in locis præclara & magna contigerint, præter cōmunem rationem insigniora quæ quidem auditione ad nostras aures peruenerint omnia, illa antiquitùs Sacrorum monumentis perscripta hic habentur, ad hunc quidem vsque diem conseruata. Quandoquidē igitur eæ res quæ & apud nos & apud alias gentes olim confectæ sunt, literarum monumentis, cæterarumque rerum, quibus ad publicam posteritatis memoriam in ciuitatibus vsus nunc est, notis atque insignibus, iam olim quoque a nobis continuo, & è re nata perscriberentur: factum sanè est hoc pacto, vt rerum illarum antiquitùs gestarum cognitio apud nos perdurauerit. Contra verò quandoquidem perfecto statorum annorum circulo cœlestis quidam fluxus, tanquam morbus in res humanas irruit atque dimanat, contingit vt præteritarum rerum cognitio vos hactenus fugerit, qui literarum videlicet disciplinarumque olim caruistis adiumentis. Itaque quasi pueri, idest ignari estis antiquitatis, earum nimirum rerum, quæ siue hic, siue etiam apud vos priscis seculis euenerunt. Nou. int.

Quæcunque autem vel apud vos, vel in hac regione, vel denique alio quopiam in loco, cuius ad nos cognitio peruenerit, contigere, dummodo pulchra aut magna sint, atque (vt dicam breui) præcipuum aliquid contineant; hic nostris in templis ab antiquis vsque temporibus descripta reperiuntur, incolumiaque seruantur. Quod tamen apud vos aliasque gentes longè aliter accidit: a quibus passim non nisi ea quæ nuper effecta sunt, literis cæterisque monumentis, quibus eget humana societas, consignantur: sicque rursus statis temporibus exactis, cœlestis quædam fluxio veluti morbus manat in illa, vnde illi tantùm apud vos superstites relinquuntur, qui a literis ac Musis sunt alieni. Quapropter iterum iuuenes euaditis: nihil eorum scientes, quæ antiquis temporibus hic apud nos vel etiam vestris in regionibus contigerunt. Benius.

Com. xix. *Narrat apud ipsos in more fuisse positum, vt in templis res pulchras ac magnas, & (vt simpliciter dicam) memoria dignas describerent: nec domesticas solùm, sed externas etiam quæcunque ad eorum aures peruenirēt. Atque his explicatis, vt in circulum recurrat oratio, latiùs ostendit quod à principio posuerat: Græcos scilicet esse animo iuuenes, idque quoniam statis annorum curriculis exactis, cœlestis quidam fluxus, tanquam morbus atque illuuies, in res humanas manet atque graßetur, vnde ipsi aliæque gentes literis, Musisque orbantur, iuuenésque iterum fiunt nihil scientes eorum, quæ domi forisue antiquitùs contigere. Cur autem hæc seruarent illi, facilè intelliget is, qui animaduerterit quot quantásque vtilitates atque ornamenta cum publicè tum priuatim historia afferre homini soleat. Quare a M. Tullio cum alijs laudibus multis extollitur, tum ea præcipuè quòd sit lux veritatis atque magistra vitæ. Quamobrem sicut Sacerdos iste pueros vocat eos qui antiquitatum memorijs carent, ita idem M. Tullius hunc (ni fallor) Platonis locum sequutus, semper pueros ait eße illos qui ignorent quid acciderit antequam nascerentur. Ac meritò; nam (vt ait † Aristoteles) nihil refert an quis ætate, an moribus ac scientia sit iuuenis.*

† lib. 1. mor.

iuuenis. Neque verò in templis solùm descriptas antiquitates seruabant Aegyptij, verùm etiam (vt Iamblichus atque alij plurimi tradunt) in columnis, quas vt omnibus obuiæ essent, in triuijs collocabant. Quamobrem Græci etiam huiusmodi consuetudinem arripuerunt, quemadmodum tum ex alijs multis, tum ex Plutarcho in Theseo, Strabone libro IX. & ex Platonis Dialogo de Philosophia intelligitur. Vbi easdem constat adhibitas etiam fuisse ad disciplinarum instituta commendanda, quo nomine Aegyptij etiam teste Iamblicho eas retinuerant. Quamuis id totum a veteribus Hebræis facilè profectum est, nam Iosephus libro primo † Iudaicarũ antiquitatum, scribit filios Seth ante diluuium varia doctrinarum decreta in duabus columnis excidisse, quarum altera vel suis temporibus in Syria viseretur. Quam sanè rem perinde ac veras Babilonum & Hebræorum antiquitates, vel planè ignorasse, vel de industria dissimulasse Platonicus iste Sacerdos, seu potiùs Plato ipse videtur, dum subdit non solùm apud Græcos, verùm etiam apud alias gentes fuisse in more positum, vt ea tantùm, quæ nuper gesta essent, literis monimentisque mandarent, quæque etiam illuuione cælitùs immissa statis temporibus delerentur: etsi enim Græci uix aliquid supra Deucalionẽ ex suis historijs proferre possent, vt ex Plutarcho in libro de nobilitate, & ex Platone ipso in Timæo intelligitur, apud multos tamen, quales Hebræos Babilonicósque esse diximus, verè antiquiores temporum rerúmque memoriæ extabant. Sed de hoc paulò post fusiùs disputabimus. Interim dum Aegyptius contendit propter illas clades accidisse, vt à Græcis cæterisque gentibus non nisi res nuper gestæ literis monumentísque traderentur, illud monimentis, *græce est* ἅπαντα ὅσων πόλεις δέονται, omnibus quibus egent ciuitates: *quod etsi Erizus planè reticuit, ac Ficinus, vt patet, ieiunè nimis ac tenuiter subindicauit, alter tamen interpres fusè satis expressit, cum vertat.* cæterarúmque rerum quibus ad publicam posteritatis memoriam in ciuitatibus vsus modò est. *Nam quemadmodum deinde factitatum videmus, vt à Romanis non literis solùm, verúmetiam pictura ac tabulis, varijs praterea statuarum iconúmque generibus, trophæis atque alijs huiusmodi rationibus rerum memoriæ posteris consignarentur, sic etiam Aegyptius ille contigisse affirmat vt Græci nationésque aliæ similibus rationibus res gestas testarentur posteritati. Vbi etiam non temerè voluit literis monimentísque alijs ciuitates egere: nam rerum temporúmque monumenta ac notas humanæ societati, ciuitatibúsque ipsis esse vtilia, atque adeò necessaria, nemo est qui non videat: cum his sublatis omnes artes ac disciplinas vniuersámque morum vitæque rationem corruere atque interire necesse sit. Sed vnum hoc in loco prætereundum non est, quod Chalcidium primùm atque Ficinum, tum Erizum, Foxium, ac nouum interpretem, qui Ficinum secuti sunt, transuersos egit. Etenim illud* καὶ τοὺς ἀγραμμάτους καὶ ἀμούσους ἔλιπεν ὑμῶν *longè aliam sententiam facit ab ea quàm isti vno ore expresserunt. Nam hi omnes ex Sacerdotis istius sententia statis temporum curriculis accidisse volunt, vt apud Athenienses illuuies quaedam è Cælo veluti morbus ingrueret*

† *vide c.4.*

ac grassaretur, vnde qui succederent literis orbarentur ac Musis: & sanè si græcè illud ὑμῶν *esset* ὑμᾶς, *vel illud* τοῖς *repeteretur, legeretúrque* τοῖς ὑμῶν, *rectè quidem verterent: sed cum in omnibus libris* ὑμῶν *tantùm habeatur, verba profectò nullo modo ferunt interpretationem istam: sed omnino vertendum est.* qua de causa illi tantùm apud vos superstites relinquuntur, qui a literis ac Musis sunt alieni. *Vt proinde qui supersunt ab illis cladibus, illiteratos tantùm esse affirmet, non autem qui succedunt seu posteros dicat literis ac Musis orbari. Et hoc est, quod disertissimis verbis hunc ipsum locum in memoriam nobis reuocans confirmat in Atlantico, dum hoc argumentum paulò fusius persequens* earum monumenta (*inquit*) quæ antiquissimi illi Athenienses gesserunt διὰ τὰς τῶν παραλαμβανόντων φθορὰς ἠφανίσθη. τὸ γὰρ περιλειπόμενον ἀεὶ γένος (ὥσπερ καὶ πρόσθεν ἐρρήθη) κατελείπετο ὄρειον καὶ ἀγράμματον. propter varios interitus obscurata sunt: cum superstites (de quibus supra etiam mentionem fecimus) montani essent atque a literis alieni. *Sed cum in idem fermè, licet alia ratione ac via; recidat sententia, atque ex Platone certum sit Græcos, siue propter superstitum inscitiam (quòd nimirum montani essent atque agrestes) siue propter posterorum infortunia, qui rerum monumentis superiorum cladiū iniuria priuati, veluti pueri diu perseuerarent; literis, historijs, atque omnis antiquitatis cognitione caruisse, non est quod hac in re diutiùs immoremur. Sequitur verò Aegyptius.*

Part. xx.

Τὰ γοῦν νῦν δὴ γενεαλογηθέντα, ὦ Σόλων, περὶ τῶν παρ' ὑμῖν ἃ διῆλθες, παίδων βραχύ τι διαφέρει μύθων. οἳ πρῶτον μὲν ἕνα γῆς κατακλυσμὸν μέμνησθε, πολλῶν ἔμπροσθεν γεγονότων. ἔτι δὲ τὸ κάλλιστον καὶ ἄριστον γένος ἐπ' ἀνθρώποις ἐν τῇ χώρᾳ τῇ παρ' ὑμῖν, οὐκ ἴστε γεγονός, ἐξ ὧν σύ τε καὶ πᾶσα ἡ πόλις ἐστὶ τανῦν ὑμῶν περιλειφθέντος ποτὲ σπέρματος βραχέος.

Nam & ea ipsa quæ modò ex vestris historijs recensebas a fabulis puerilibus, o Solon, parum distant. Primò quod vnius tantùm inundationis memineritis: cum multæ præcesserint. Deinde quòd genus maiorum vestrorum in regione vestra clarissimum & optimum ignoretis: ex quo tu & Athenienses cæteri nati estis exiguo semine quondam publicæ cladi superstite. — Ficinus.

Ac proinde illa quæ è vestræ illius puerilis historiæ notis recensuisti modò Solon, haud certè multum à fabulis abhorrent. Etenim vos vnius tantùm diluuij meministis, quum plura tamen illatenus extiterint: illud etiam vos latet, & quodnam inter Græcos homines præstantissimum optimumque sit genus, ex quo nimirū & tu & ciuitas vestra Solon, est propagata exiguo semine quondam publicæ cladi superstite. — Non. Int.

Quæ itaque Solon apud vos gesta ex vestris antiquitatibus recensebas, minimum quidem a fabulis puerilibus distant. Primùm enim vix vnā terræ eluuionem meministis: cum tamen plures acciderint: deinde verò præclarissimum atque optimum hominum genus in vestra regione fuisse ignoratis: vnde tu tuique ciues originem habuistis omnes, tametsi admodum exiguum illius semen aliquando remanserat. — Benius.

Com. xx.

Perseuerat Sacerdos in sententia: nam ex ijs quæ paulò ante statuit, Solonis dictum adhuc refutat, simúlque ea confirmat quæ posuerat in principio, dū Græcos animo rerúmque scientia iuuenes appellarat. Ait itaque Græcorum antiquitates, quas Solon ex græcis historijs commemorauerat, pueriles esse,

les eße, atque a fabulis parum distare; id quod duplici suadet argumento. Primum est, quia Græci Deucalionis eluuionem veluti vetustißimum Græciæ monumentum proferrent; cum tamen illam aliæ multæ anteceßerint. Alterum quia genus suorum maiorũ, quod in ea regione omnium mortaliũ clarissimum atque optimum fuerat, ignorarent. Cum tamẽ Solon ipse, atque vniuersa Athenarũ ciuitas ortum duxisset ex illo, cuius tamen olim exiguũ semen superstes fuerat. Atque ita primo argumento secundam partem dicti Solonis refutauit, quæ pars Deucalionis antiquitatem prætexebat: secundo autem primam, quæ Phoroneum ac Niobem tanquam Argiuorũ authores ac parentes produxerat. Hic autem quod affert in primo argumento, certissimum est: nam (vt ostendimus supra) Deucalionis diluuium tria alia antegressa sunt. Quanquam an tria tantùm fuerint, an plura hinc non satis liquet: nam multas eluuiones dicit contigisse ante Deucalionem: ac paulò post nouem mille annos exactos fingit ac memorat, qui tamen propter diluuia Græcis incogniti, fuerint, numerum verò horum diluuiorum hîc non decernit. Tametsi in Alãtico perspicuis verbis statuere videtur (id quod & Xenophõ tradit: & nos ostendimus supra) tres tantùm eluuiones Deucalioni antecessisse: ait enim ex Sacerdotis sententia. Nũc enim vna saltem nox pluuiosa terræ solum cum liquefecisset; terræmotum induxit, & ante illud Deucalionis exitiũ. τρίτου πρότερο ὕδατος ἐξαισίου tertia numeratur aquarum eluuio. *Quod verò pertinet ad secundũ argumentum, quo & Solonis sententiam refutat ex* Phoronei *antiquitate desumptã, & Græcos contendit suorum maiorum genus ignorasse, ipsemet fusè suam sententiam explicat infra: nam docet qui fuerint ij maiores, et qua ratione optimi atque clarissimi, vt hic eos uocauit. Quare infra cum eo de his agemus; simúlque videbimus cur exiguũ ex illis semen superstes fuiße dicat, ex quo Atheniensium genus instauratũ sit. Nunc sat sit monuisse hunc locum nullam vim habere ad ostendendum Platonem de generali Mundi eluuione loquutum esse, dum exiguo semine superstite Atheniensium genus renouatum eße scribit: nam Athenienses tantùm vult ex eo semine instauratos esse, idémque semen ex priscis* Athenien*sibus extitisse. Sed de hoc latiùs infra. Sequitur.*

Part. xxI.

Ἀλλ' ὑμᾶς λέληθε, διὰ τὸ τοὺς περιγενομένους ἐπὶ πολλὰς γενεὰς γράμμασι τελευτᾶν ἀφώνους. ἦν γὰρ δή ποτε, ὦ Σόλων, ὑπὲρ τὴν μεγίστην φθορὰν ὕδασιν ἡ νῦν Ἀθηναίων οὖσα πόλις ἀρίστη, πρός τε πόλεμον καὶ κατὰ πάντα εὐνομωτάτη διαφερόντως. ᾗ κάλλιστα ἔργα καὶ πολιτεῖαι γενέσθαι κάλλιστα λέγονται, πασῶν ὁπόσων νῦν

Ficinus.

Quod propterea vos latuit quia superstites illi, eorumque posteri literarum usu multis seculis caruerunt. Fuit *enim ante exitialem illam terræ eluuionem, o Solon, Atheniẽsium ciuitas, tam belli quàm pacis officijs præstantissima, eiusque opera legesque omnibus, quorũ memoria ad nos puenit excelluerũt.*

Nou.inter.

Quæ res nobis hastenus fuerunt incognitæ, quod illorũ temporum homines per longa ætatum spatia, sine vlla literarũ voce quasi muti permanserint, atque adeò rerum illarum memoriam quum morerentur; ipsi secum quasi consepelierint. Erat *nimirum quondam ante maximarum illud aquarum diluuium, quæ nunc Atheniensium vocatur amplissima ciuitas, optimis legibus & ad bellum, & ad omnes vitæ rationes ornata, atque instructa: cuius quidem res ge-*

ὑπὸ τ' οὐρανὸν ἡμεῖς ἀκοὴν παρεδεξάμεθα.

sta pulcherrima, & pulcherrima legum instituta, pulcherrimaque Reipublicæ forma omnium certè quas sub cœlo existere auditu percipimus, celebrantur.

Id autem propterea uos latuit, quòd eorum posteri per multa secula literarum usu caruerunt, ac penè muti decesserunt. Fuit enim, o Solon, ante maximam illam eluuionem, quam paulò ante commemorabas, Atheniensium ciuitas cum ad alia vitæ officia, tum ad rem militarem optimis legibus informata: siquidem apud nos egregia illius tum facta, tum ciuilia instituta celebrantur, quibus sanè nihil vnquam illustrius atque admirabilius in hoc amplissimo terrarum orbe contigisse percepimus. Benius.

Com. XXI. *Potuisset Solon Sacerdoti illi respondere, mirum esse se Græcósque alios tum de superioribus eluuionibus, tum de maioribus suis, qui adeò clarueră̄t, nihil audisse: cum tamen ex illis cladibus adhuc aliqui superstites extitißent, a quibus ea memoriæ potuerant consignari. Occurrit itaque huic dubitationi Sacerdos, aîtque id mirandum non esse, quòd illorum temporum homines literarum vsu per multas ætates caruerint, ac quasi muti decesserint. Qua in re ad coniecturā non omnino infirmam videtur confugere: nam verè literarū notæ longè post Deucalionem a Græcis receptæ sunt, cum eas (si Xenophonti atque alijs nonnullis credimus) partim Cadmus paulò ante Troiæ excidium, partim Palamedes ac Simonides non multò post è Phœnicia in Græciā transtulerint. Hanc autem sententiam, qua monumenta illa statuit esse deleta, fusiùs explicat in Atlantico, vbi suadere conatur hæc non modò literis, sed ne sermone quidem ac per manus (vt aiunt) fuiße posteris consignata. Quare sic scribit.* Quorum duntaxat *(loquitur autē de maioribus illis)* nomina supersunt: opera verò eorum qui successerunt, interitu & longo temporum interuallo è memoria hominū deleta sunt. semper enim superstes hominū genus, vt in superioribus diximus, mōtiuagū atque rude, cui potētū in regione virorū nomina solùm audita. Ac præter hæc ex rebus gestis exiguæ quædā notæ fuerunt. Quapropter filijs suis posteri quodā amoris affectu nomina priscorum imposuerunt, virtutū legúmque superiorum ignari: nihil enim de his habebāt præter famā, & eam nō satis certā. Cum verò multa per secula rebus ad victum necessarijs indigerent, ipsíque & filij mentē his adhiberent, quorū penuria premebātur, déque his verba facerent, rerū antiquarū memoriam neglexerunt. Confabulatio enim priscarúmque rerū inuestigatio in Ciuitatibus cū otio simul oriri consueuerunt, cum necessaria vitæ parata iam sunt, priùs verò nequaquam. Atque ita priscorum nomina sunt absque operibus reseruata. *His, inquam, efficere conatur ne sermone quidē potuiße illos rerum antiquitates posteris commendare. Vbi sanè (vt vides) prætexit eorum qui superstites ab eluuionibus fuißent, statum ac vitæ rationem: quòd nempe rudes, mōtaníque (haud enim aliter suspicandum de ijs videtur, qui eluuionum successerint vastationibus) omnino extiterint: commemorat etiam exiguas rerum notas, incertam famam, necessarias rerum curas, quibus vitam tolerarent, nullúmque denique non monet lapidem, quo sententiam suadeat suam. Ac propterea eius discipulus † Aristoteles, vt præceptoris rationē ingeniosam esse perspexerat, aliqua* Ar. 1. met. cap. 2.

illam ex parte vsurpauit. Sed quoniam ne id quidem satis adhuc in re proposita fuisset, nisi Plato ostendisset qua tandem ratione Aegyptij hæc cognouissent, si Græci neque literarum notas, neque vllam antiquitatis curam habuerant, quibus posteritati consulerent, affert etiam coniecturas, quibus id siue restitum, siue indagatum fuisse suadeat: quas coniecturas in eodem Atlantico persequitur Critias. & idcirco Plato, cum hæc omnia statim in Atlantico accuratè tradere instituißet: hic verò optaret potiùs ad eas res præclarè gestas recensendas descendere, quibus institutæ Reipub. virtutem patefaceret, nunc rem simpliciter exponit. Contendit itaque earum rerum memorias, antequam apud Græcos eluuione delerentur, ad Aegyptiorum aures peruenisse, a quibus publicis monumentis fuerint consignatæ. Et idcirco subdebat. Fuit enim ante exitialem illam terræ illuuionem, o Solon, Atheniensium ciuitas tam belli quã pacis officijs præstantißima, eiúsque opera legésque omnibus quorum memoria ad nos peruenit excelluerunt. *Quibus verbis, cum Athenienses ante magnam eluuionem illam præstantissimos fuisse contenderet, Solonem vehementer (vt videbimus) excitauit ad sciscitandum de rebus illis. Suspicatur autem hoc in loco* Proclus *maxima ista clade, quam Plato ab aquis profectam dicit, non* Deucalionis *eluuionem, sed aliam, quæ illam anteierit significari. Sed de hoc agetur infra, vbi de eluuionibus disputationem instituemus. Addit idem* Proclus *Atheniensium ciuitatem* πολεμικωτάτην καὶ εὐνομωτάτην, *optimis, inquam, institutis ad bellum pacémque informatam dici, vt significetur speciem referre præsidentis* Deæ, *quam voluit tum belli tum philosophiæ, proindéque optimarum legum studiosissimam esse: id quod paulò post ex Platone ipso intelligetur, qui id totum explicat disertissimè. Non omnino tamen verum est, quod statim addit* Proclus, *nempe illud* κάλλιστα ἔργα, *hoc est pulcherrima siue præstantissima opera, propter uictoriam dici ex Atlanticis relatam: nam non multò post ait.* πολλὰ μὲν οὖν ὑμῶν καὶ μεγάλα τῆς πόλεως τῇδε γεγραμμένα ἔργα θαυμάζεται. Multa quidem & magna vestræ ciuitatis opera, quæ hic descripta sunt, admiramur. *ac statim addit inter hæc magnitudine & virtute illustrius illud fuisse quod cum Atlantinis gessit. Quamobrem illud* κάλλιστα ἔργα *conferendum est cum eo* πολλὰ, καὶ μεγάλα ἔργα, *licet uerè Atlantinum facinus ex ijs præcipuum fuerit. Sed cur dicit eorundem priscorum Atheniensium ciuitatem* καλλίσταις πολιτείαις, *optimis politijs, excelluiße, quasi non vna sed multae extiterint? Proclus ingeniosè quidem rem explicat, aitque id dici, quia optima politia ex multis constet politijs, siquidem, inquit, uniuscuiusque uita una quaedam politia est, ac propterea communis ciuium uita ex multis politijs partialibus conflatur, tametsi unica tandem sit, quòd unicum sit uinculum, nempe ipsum pulchrum. Sed fortasse acutè magis quàm uerè hæc dicta sunt. Nam Plato simpliciùs uidetur loqui, politias pro uitæ rationibus, seu potiùs pro politicis institutis (quod apud bonos authores frequenter usurpatum inuenimus)*

acci-

accipiens: & ideo statim illorum leges atque instituta commemorat. Quod omnino dicendum est, etiam dum idem Sacerdos ea opera, politicáque instituta omnium contendit fuisse præstantißima, quæ ὑπὸ τ' οὐρανῷ, sub cœlo, inquam, extitisse apud Aegyptios auditum esset. Nam ait sub cœlo, vt confirmet nullam aliam aut Græcorum aut Barbarorum (vt ipse Plato loqui solet) ciuitatem cum priscis Atheniensibus conferri posse: non autem vt indicet hanc politiam Mundanæ esse imaginem, atque in cœlo suum habere exemplum, vt Proclus vanissimè commentatur. Hæc autem, quibus tantopere priscos illos Athenienses extollit, ambitioni ne magis ac patriæ celebrandi studio, quàm veritati ipsi acceptum referri debeat, non satis explicari potest, nisi antea constiterit num sermo ille de rebus Atlanticis, historia, an verò fabula censendus sit. Quamobrem illud tantùm in præsentia affirmauerim, Platonem, vt supra moderatus videri debet, qui Græcos non dubitet rerum cognitione pueros fateri atque appellare (quantum enim sibi hac in re reliqui Græci arrogarent, satis supérque ex eorum libris compertum est) sic hoc in loco in suspicionem saltem venire posse, ne hæc enuntiauerit sentiens quàm uel facile eßet Athenienses Athenis laudare, uel dulce patriam ipsam celebrare. Sequitur.

Part. XXII.

Ἀκούσας οὖν ὁ Σώλων, ἔφη θαυμάσαι, καὶ πᾶσαν προθυμίαν σχεῖν, δεόμενος τῶν ἱερέων, πάντα δι' ἀκριβείας οἱ τὰ περὶ τῶν πάλαι πολιτῶν ἑξῆς διελθεῖν.

Tunc admiratum Solonem obnixe Sacerdotes obsecrauisse ait, vt omnia diligenter priscorum ciuiũ opera reuelarent. — Ficinus

His auditis Solon aiebat se admiratum, & omnia animi alacritate a Sacerdotibus illis contendisse, vt de antiquis suis ciuibus historiam omnem accuratè persequerentur. — Nou. int.

Quæ cum audisset Solon, sese admiratum esse aiebat: atque mira quadam cupiditate incensum flagitasse ab illis Sacerdotibus, vt quæ de antiquis ipsius ciuibus percepissent, accuratè omnia narrarent. — Benius

Com. XXII. Excitatus Solon sacerdotis illius oratione, qua & nihil antiquitatis redolere contendebat ea quæ a Græcis vetustissima habebantur, & Athenienses longè vetustiores, atque clariores esse prædicabat, quàm ipsimet existimarent; conuertit sese ad ad sacerdotes illos obsecrandos, vt sibi accuratè vellent explicare quæ de suis illis antiquissimis ciuibus cognouissent. Nec sanè Solonis postulationem grauatè tulerunt illi: statim enim ex ipsis vnus, siue nouus aliquis esset, siue potiùs antiquissimus ille qui eò vsque locutus erat, Soloni vt satisfaceret diligenter curauit. Quare sequitur Critias.

Par. XXIII.

Τὸν οὖν ἱερέα φάναι. φθόνος οὐδεὶς ὦ Σώλων. ἀλλὰ σοῦ τε ἕνεκα ἐρῶ καὶ τῆς πόλεως ὑμῶν. μάλιστα δὲ καὶ τῆς θεοῦ χάριν ἣ τήν τε ὑμετέραν καὶ τήνδ' ἔλαχε, καὶ

Atque illi sic a Sacerdote quodam fuisse responsum. Nulla hoc inuidia prohibet Solon. Dicam equidem libẽter tui & ciuitatis vestræ gratia. Maxime verò gratia Deæ quæ & vestram illã & hanc nostram condidit, educauit, instituit: priorem vestram annis mille ex terra & Vulcano accipiens semina. — Ficinus.

Sacerdotem autem illum Soloni respondisse, nihil impedit — Nou. int.

ἔθρεψε

ἔθρεψε, καὶ ἐπαίδευσε. προτέραν μὲν τὴν παρ' ὑμῶν ἔτεσι χιλίοις, ἐκ Γῆς τε καὶ Ἡφαίστου τὸ σπέρμα παραλαβοῦσα ὑμῶν.

Solon quo minus tuis votis satisfiat. Dicam igitur in tuã, & tuæ ciuitatis gratiam; Deæ verò illius maximè quæ & nostram patriam, priorem videlicet illam, priscamque, quæ multis retro annorum millibus extitit, sortitò creauit, educauit, instituit, accepto nimirum ex Tellure & Vulcano semine: tum demum ipsa etiam instaurauit.

Tuncque ex illis vnum respondisse. Nulla profectò inuidia prohibet Solon quo minus tibi morem geramus: Immo verò cum tui ac ciuitatis vestræ causa hæc edisseram, tum præsertim Deæ illius gratia quæ & vestram & nostram ciuitatem non sortione solùm obtinuit, verùm etiam educauit atque instituit. Vestram quidem priùs: mille scilicet ante annis: idque ex Tellure atque Vulcano vestrum desumpto semine: nostram verò posteriùs.

Benius.

C.XXIIII. Ergo humanissimus iste Sacerdos, cum Soloni morem gerere decreuisset, rationes etiam attingit propter quas id libentissimè faciat; asserit enim se id totum & Solonis & Atheniensis ciuitatis gratia facere, præcipuè verò Palladis, quæ tum Atheniensium, tum hãc ipsorum Aegyptiorum vrbem, Athenas scilicet & Saim, non ædificauerat solùm, verùm etiam educauerat atque instituerat. Vbi statim, vt ante omnia Solon tempora atque adeò rationem ipsam cognosceret, quibus eas vrbes condidisset atque instituisset Pallas, contendit primùm Athenas mille annis ante Saim fuiße conditas: tum verò vt fundatæ vrbis quoque rationem vel aperiret, vel (vt veriùs dicam) inuolueret, ex Tellure atque Vulcano ait fuisse desumpta semina. Quo in loco nemo est qui non videat vtrunque dictum dubitationem habere. Quî enim fieri potest, vt vna eadémque Pallas fuerit duarum urbium tam disiunctis temporibus fundatrix? Vel quid est semina ex terra & Vulcano desumere? Equidem quod ad primam dubitationem attinet, diu mecum ipse cogitaui quid sibi uellet grauissimus iste Philosophus. Occurrebat primùm annos illos menstruos esse potuisse: ita enim non usque adeò a uerisimili abhorrere uideretur Palladem intra octoginta circiter annos (tot enim fermè essent mille illi anni, si menstrui censerentur) duas urbes fundasse: cum præsertim eo tempore homines paulò diuturniorem uitam uiuerent. Quod si interdum ne octoginta quidem annorum spatium interponi potuisse suspicarer, ueniebat in mentem hos mille annos lunares saltem extitiße: sic enim paulò excessissent septuagesimum. Nam annos ab Aegyptijs interdum menstruis spatijs, uel etiam ad Lunæ cursum fuisse confectos testantur inter cæteros Plutarchus, Plinius, Xenophon, & Eudoxus. Verùm hæc suspicio (si rem paulò attentiùs consideremus) Platonis sententiæ nullo modo consentire uidetur. Nam sacerdos ille notabat Græcos ueluti pueros, quòd nullam haberent uetustatis memoriam: atque idcirco apud Aegyptios tot millia annorum monumenta asseruari contendebat. Quod si menstrui uel lunares fuissent anni, pueriliter lapsus esset: cum tandem ad summum septingentorum annorum, vel etiam sexcentorum, memorias proferret: dum contra Solon quadringentos fermè annos supra mille obijcere ex Græcis antiquitatibus potuisset: immo iam Phoronei nomine pro-

Quî tandem Plato effecerit Palladem duarum vrbium ædificatricem mille annorum interposito spatio.

protulisset. Nam (ut ex Methastene & alijs intelligitur) a Nino tertio Babiloniæ Rege, circa cuius tempora floruit primus Phoroneus, usque ad Alexandrum Magnum, ante quem centum fermè annos floruit Solon, anni circiter mille & quingenti fluxerunt. Quamobrem cum hanc primam suspicionem falsam esse intelligerem, alia veniebat in mentem, quæ fortasse magnam probabilitatem habet: Platonem scilicet in Aegyptiorum antiquitates atque historias incidentem, siue cum Aegyptio aliquo de antiquitatibus colloquentem, non animaduertisse eorum annos non solares esse, sed menstruis constare spatijs. Atque ita hac opinione deceptum, in eum quoque errorem incidisse, ut & nouem millia annorũ monumenta apud eos asseruari scripserit: & proinde Athenas mille annos solares ante Saim (quod illi de annis lunaribus tantùm intelligebant) ædificatas crediderit. Id enim facilè accidere potuisse ex Xenophõte intelligi potest, qui cum in libro quem de temporum æquiuocis scripsit, asseruisset. Annus etiam diuersus est. Etenim ipsi Aegyptij vtuntur anno quandoque menstruo: sæpe bimestri, non raró trimestri: sæpe quadrimestri: nonnunquam solari, *Subiunxit.* Quæ varietas etiam ex nostris, qui ab eis literas habuerunt, sapientes coëgit aberrare. *Quo in loco Xenophon cum Græcus esset, Platonem fortasse quem ab Aegyptijs sapientiam hausisse certum erat, inter cæteros significare uoluit, dum Græcos sapientes per hanc annorum uarietatem scribit deceptos esse. Nam nullus fuit apud Græcos alicuius nominis author, qui Platonis libros non haberet in manibus. In quibus, si quid aliud unquam, hoc certè, quo tot annorum millia introducit, commouit plurimos. Verùm illud uidetur huic sententiæ obstare, quòd Plato non ad breue tempus in Aegypto fuit, sed (si † Straboni credimus) tredecim annis. Quamobrem non uidetur uerisimile, magnum istum Philosophum, quíque unius sapientiae studio ibi uersaretur, primo ipso in limine (ut dicitur) aberrasse. Immo ne si ipsi quidem Aegyptij illum hac in re decipere studuissent, concedendũ uidetur Platonẽ nõ aliquãdo percepisse, quibus illi annis in suis antiquitatibus uterentur: aut saltẽ non optimè animaduertisse solares certè non esse: cum præsertim Aegyptij in his Babilones atque Chaldæos sequuti sint, qui etsi menstruis annis interdum utebantur, optimè tamen solarem annum nouerant, eundémque in temporibus subducendis usurpare solebant. Quamobrem Semiramis Babilonis Regina (si priscis historicis credimus) suorum maiorum antiquitates ac tempora solaribus annis in columna notauit: ídque hac ipsa ratione quam proximè intueri licebit. cum etenim ingeniosa mihi uideri soleat eiusmodi notatio atque descriptio, lubet eam legentibus referre totam, atque ante oculos ponere. Est autem eiusmodi.*

† Strab. lib. 17.

Mihi pater

Mihi pater Iuppiter Belus, auus Saturnus
Babilonicus, proauus Saturnus Aethiops,
Abauus Saturnus Aegyptius, Attauus
Cœlus Phœnix Ogyges. Ab Ogyge
ad meum Auum Sol orbem
ſuum circumluſtrauit
ſemel ac tricies centies. Ab Auo ad
patrem ſexies & quinquagies. A
patre ad me bis & ſexagies.
Columnam, Templum,
Statuam
Ioui Belo Socero, & Matri Rheæ
in hoc Olympo Semiramis
dicauit.

Hæc, Xenophonte teſte, Semiramiramis: ubi Solaribus annis (ut dicebam) uſam eſſe conſtat. Quam temporum rationem ſequuti ſunt non ſolùm Aegyptij, uerùm etiam Perſæ & Græci, quemadmodum apud Manethonem, Metasthenem, Archilocum & alios eſt animaduertere. Vt cùm uulgò & Solaris & menſtruus annus non uno modo ſed uariè uſurparetur ab Aegyptijs, non facilè credi poſſit, Platoni non antea fuiſſe exploratum eos annos Solares non fuiſſe. Quanquam ſi quomodo poſſet euinci uerè Platonem non longum tempus fuiſſe in Aegypto, atque in hoc Strabonem eſſe deceptum, quòd cum ibi uerſaretur, Platoniſque & Eudoxi domicilia luſtraret, exiſtimarit annos, quos ibi Plato fuiſſe diceretur, Solares fuiſſe, cùm tamen uerè eſſent menſtrui, non grauatè concederem Platonem etiam, ac Solonem potuiſſe aliquo pacto in temporũ æſtimatione aberrare, ac proinde in alios, de quibus paulò ante dicebamus, errores incidere. Verùm illud tandem mihi probabilius uiſum eſt: Platonem quandam Palladis diuinitatem, uel quòd ita ſentiret, uel certè quòd uulgi exiſtimationi ſermonem accommodaret, admiſiſſe. Atque ita hac admiſſa diuinitate, ſic de Athenarum fundatione eſſe loquutum quaſi uerè ante Saim mille annis condi potuiſſent. Quod tamen (ut opinor) non incallidè fecit. Nam ut in ſua politia Herum Pamphilium ab inferis excitauit, Phœnicum fabulam, de qua ſupra meminimus, cuſtodibus ſuaderi præcepit, magnificam illam nautarum οἰκόνα inſeruit, tergiuerſationes, reprehenſiones, obteſtationes adhibuit, ac nullum denique lapidem non monit, ut ſuam politiam, ac præſertim nouas quaſdam leges atque inſtituta, quæ omnino παράδοξα uidebantur, uendibilia faceret: ſic in præſentia ualidiſſimam hanc quaſi machinam excogitauit, qua eadem tueretur. Nam ut paulò poſt uidebimus, cum ſuam hanc Athenarũ antiquitatem ab hominum memoria deletam quidem, ſed tamen omnino ueram eſſe, quibus potuit rationibus ſuaſiſſet, ſtatim in eadem leges atque inſtituta illa omnia uiguiſſe uoluit, quæ in ſuam politiam induxerat:

atque ita priſcas Athenas illis legibus temperatas clariſſima facinora geſ-ſiße tradens, ſuadere inſtituit ſuam quoque Rempub. quippe quæ iiſdem legibus formata eſſet, non niſi clariſſima opera edere poſſe Ergo Plato, vt ſuam rem gerat, atque propoſitam machinam in ſcænam tandem producat, non grauatè vulgi ſeſe opinioni accommodat, Palladis diuinitatem concedens: vnde ſtatim & Athenas venditat mille annis ante Saim conditas eſſe, & cætera omnia introducit, quæ ad propoſitum finem excogitauit. Quod minùs mirum videbitur iis qui Platonem in Menexeno, vbi patriam extollere inſtituerat, conſimilibus commentis vſum eße animaduertit, immo Atlanticum ipſum (id quod rem maximè explicat) excogitatis huiuſmodi inuentis complexiſſe, vt nouæ illi politiæ fidem aſtrueret. Atque his (ni fallor) vel in ipſa politia cœperat inhiare: nam ſiue in tanta inſtitutorum inſolentia ac nouitate iam facilè pertineſceret querelas atque adeò calumnias multorum, ſiue (quod infra conſtabit ex Crantore) iam vt fit, in tanta auditorum æmulorùmque frequentia, eiuſmodi querelæ excitari cœptæ eſſent, ipſe libro VI. vbi politica illa inſtitutione abſoluta Adimantus obiicere cœperat quædam, ſic tandem inter diſceptandum concluſit. Si quando igitur olim infinito tempore ante acto, viri in philoſophia præſtantes neceſsitate impulſi Rempub. gubernarunt, vel hiſce temporibus regunt barbarica quadam in regione nobis inacceſsibili, vel in futurum adminiſtrabunt, in hoc certè rerum ſtatu proculdubio aſſeueramus Rempub. ſupra deſcriptam fuiſſe, eſſe, ac fore. *Hinc, inquã, iã cœperat vaticinari tũ antiquiſſimas illas Athenienſiũ tũ Saitarũ politias: Athenienſiũ quidẽ, dũ dicit* Si quando infinito tẽpore anteacto viri præſtantes Remp. adminiſtrarunt. *hic enim* ἀπείρῳ χρόνῳ, *infinito, inquã, tẽpore, ſeu potiùs diuturno, ad Aegyptiorũ & Chaldæorũ opinionem alludit, vel certè eandem præmeditatã, quadã veluti vaticinatione clam prænunciat, vt antiquiſſimam illã politiam introducere deinde poſſit: Saitarum verò dum ſubdit.* Vel his temporibus regunt barbarica quadam in regione a noſtro aſpectu remota (*ſic enim omnino legendum eſt illud* πόῤῥω τῆς ἡμετέρας ἐπόψεως *non* inacceſsibili *vt perperam vertit Ficinus*) talis omnino fuerit neceſſe eſt, qualis a nobis deſcripta fuit: *nam Sais Barbarorum Ciuitas erat, quam deinde explicat per idem fermè tempus iiſdem planè legibus gubernatam fuiße: & in regione ab eorum aſpectu remota, nempe in Aegypto iacêre. Hoc igitur conſilio exiſtimarim ethnicum virum apud eos loquentem, quibus Palladis diuinitas eſſet perſuaſa, & ſuam politiam quibuſcunque tandem poſſet praeſidiis ſancire conantem, commentitiam illam Athenarum exaedificationem importaſſe. Ac propterea Proclo aßentiri nullo modo poſſum, qui cum tandem poſt longam diſputationem de Vulcani dimiurgia ſiue molitionibus habitam, profeſſus eſſet ſecundùm expoſitam literae ſententiam, atque (vt ipſe loquitur)* ἱστορικῶς *ſe rem explicaturum eße,* Σημαίνειν δὲ (*inquit*) ἔοικε καὶ τὸ πρεσβεῖον τῆς τῶν Ἀθηναίων ζωῆς, ὅτι ὅλως ἔδει τὴν ἑαυτῶν ζωὴν πρότερον ἔχειν τῆς τῶν Σαϊτῶν. *hoc eſt.* Significare autem videtur & ſenium Athenienſium vitæ: nimirum

omni-

omnino oportuiſſe ipſorum vitam ſuperiorem eſſe Saitarum vita. *Vbi etiam ſuperſtitionis plena ſunt ea quibus Porphyrium ſecutus notat vrbium vitam chiliadibus menſurari, atque iiſdem etiam Dæmones metiri tempus. Nec fortaſſe minùs abſurda eſt* Iamblichi *ſententia, dū contendit ſermonem non ad vitæ tempus pertinere, ſed ad menſurarum diuerſitates, quibus Minerua participatur. Sed quoniam longum eſſet eorum commenta recenſere, atque huiuſmodi ſiue fabulas, ſiue nugas perſequi omnes; iam (vt ad alteram dubitationem veniamus) quid eſt ex Terra & Vulcano accipere ſemina? Porrò hî (vt ego quidē exiſtimo) non aſſerit Plato Mineruam ex Terra & Vulcano ſumpſiſſe ſemina ad Athenas ſiue condendas ſiue inſtituendas, vt habent Chalcidius, Ficinus, & nouus interpres, ſed potiùs ad procreandos illorum ciues. eſt enim græcè.* ἐκ γῆς τε καὶ Ἡφαίστου τὸ σπέρμα παραλαβοῦσα ὑμῶν. *Vbi hæc poſtrema vox* ὑμῶν, *potiùs ad Solonem qui cum loquebatur, atque ad Athenienſes pertinet, quàm ad* πόλεως, *cuius iam antea mentionem fecerat. Id quod paulò poſt etiam accidit in illis verbis,* ἡ θεὸς προτέρους ὑμᾶς διακοσμήσασα κατῴκισεν. *Quo in loco non eſt legendum* Priorem veſtram vrbem Dea exornauit, *vt legit Ficinus, ſed* Priores vos Dea exornauit. *Quamobrem etſi ciuitate pro ipſis ciuibus ſumpta, ſenſus in idem recidere poteſt, veruntamen, vt quod quærimus planiùs conſtare poſſit, ſatiùs eſt planam literæ ſententiam ſequi. Hoc itaque conſtituto, iam videndum eſt, qua ratione ex Tellure & Vulcano ſemine ſumpto ciues illos procrearit. Quo in loco exponam primùm quid exiſtimem ſibi uoluiſſe Platonem, idque ex variis ipſiuſmet locis atque teſtimoniis, tum ſtrictim Procli opinionem attingam, & eandem, quoniam quoduis aliud facit, quàm locum ipſum explicet, quambreuiſſimè refellam. Plato in Atlantico vbi de terrarum partibus ageret, quas Diis curandas obtigiſſe aſſerebat, ad Athenas cum deueniſſet, hæc habuit verba.* Vulcanus autem, Mineruáque naturam habentes communem, tum quia eodem ex patre ſunt, tum quia per ſapientiæ ſtudium pérque artium diligentiam ad éadem tendunt, ita communem ſortem hanc nacti ſunt regionem: vt potè prudentiæ virtutíque natura propriam atque congruam: procreantéſque in ea viros indigenas admodum generoſos, eorum mentibus Reipublicæ ordinem infuderunt. *Vbi vocem, indigenas, quæ græcè eſt* αὐτόχθονας, *tanquam Atticorum proprium cognomentum vſurpauit. Venditabat enim primos homines in Attica terra fuiſſe procreatos: indéque in cæteras regiones deriuatum atque propagatum eſſe humanum genus: ſic vt ibi homines indigenæ eſſent: alibi incolæ ac peregrini. Quod in Menexeno luculētiùs adhuc explicauit: vbi cū de iiſdē Athenienſibus loqueretur, qui pro patria dimicantes ceciderant.* Prima quidē, *inquit*, generis horū laus eſt, quòd maiorū origo haud peregrinafuit: neque ſucceſſores hos reliquit, velut inquilinos, nouóſque homines ex aduenis genitos, ſed indigenas, ac reuera in patria habitātes viuētéſque.

Quid ſibi velit Plato dū ait Palladem Athenas ædificaturam ex Tellure & Vulcano accepiſſe ſemina.

Quod ſanè non propter Deucalionem pronunciauit, qui ſi non in Attica, in Theßalia ſaltem genus humanum ferebatur excitaße (id enim fuiſſet tolerabilius) ſed quoniam verè in Attica primos homines conditos arroganter conabatur ſuadere. Atque ob id ſubdebat. Eo tempore quo tellus omnia animalia omnigena producebat, feras & paſcentia omnia terra duntaxat noſtra ad hæc ſterilis erat, agreſtibúſque animalibus vacua: propriè verò ex omnibus animantibus hominem genuit, qui cæteris intelligentia præſtat, ſolúſque ius ac Deos animaduertit. *Idque ſtatim (neſcio an impudenter magis quàm frigidè) oſtendere contendebat ſubdens.* Quod verò hæc regio & eorum quos pro concione celebramus, & noſtros maiores progenuit, hinc euidentiſsimè licet cognoſcere, quia omne quod gignit alimentum conueniens genito cõtinet: quo planè diſcernitur mulier illa quæ peperit ab ea, quæ infantem ſimulando ſuppoſuit: nam quæ peperit, lacte abundat ad eius quod genitum eſt alimoniam: alia verò nequaquam. Tellus itaque noſtra, matérque perſpicuum argumentum præbet, quod homines procrearit: nam & ſola, & prima tunc pabula humana porrexit, tritici hordeíque fruges. quibus commodiſsimè genus hominũ alitur, vtpote quæ verè animal id produxerit. Potiùs autem de terra quàm de muliere coniectare id licet: neque enim terra mulierem conceptu partúque, ſed terram mulier imitatur. *Propterea ad hanc ſententiam alludens M. Tullius.* Adſunt († *inquit*) Athenienſes, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ atque in omnes terras diſtributæ ſunt. *Ergo dum hic aßerit Plato ipſorum Athenienſiũ ſemen ex terra fuiſſe deſumptum, verè ſignificat illos ex ipſa terra ſumptos eſſe, atque indigenas eſſe, non autem ex ſemine primùm traductos, aut tanquam incolas Atticam habitaße. Quamobrem quemadmodum deinde qui aut ſuorum maiorum genus proferre non poterãt, aut obſcuro loco nati erãt, per ſummam cõtumeliam † Tertulliano teſte ac † M. Tullio terra nati dicebãtur: ita è contrario Plato Atticos terra natos eſſe in ſummæ laudis loco ducebat. Quanquam hoc contumeliæ loco vel Platonis tempore vſurpatũ fuiſſe ex illo Euripidis conſtat, vbi Ion ſic loquitur.*

† *in ora. pro Flacco.*

† *Tertul. in Apolog.*
† *Tu. ad At. l. 1. epiſt. 10 & Fam. l. 7 ep. 9. & 16.*

Γῆς ἄρ' ἐκπέφυκα μητρός;

Num ſatus Tellure matre?

Et idcirco Plato cùm id laudi tribuere Athenienſibus niteretur, γηγενεῖς, *Terrigenæ, inquam, nomen callidè vitauit: atque eos auguſtiore vocabulo,* αὐτόχθονας *nimirum appellans, deſcripſit. licet vt ſuam rationem conficeret, nõ potuit nõ affirmare hos ſuos* αὐτόχθονας ἐκ γῆς *ſumptos eſſe. Immo quos tũ hic, tũ in Protagora* ἐκ γῆς καὶ πυρὸς, *ex terra inquam & igne conflatos dicit, in politico, vbi de primorũ hominũ ortu, nõ de Atheniẽſiũ laudibus ageret,* γηγενεῖς *(quod nomẽ cõtumeliæ eſſe dicebamus) vocat eos. Quãuis reuera in Ciuili affirmat homines ex terra sũmptos eſſe, nulla Atticæ mẽtione facta & proinde eos* γηγενεῖς *terrigenas, inquã, appellat: in Menexeno autẽ illos nõ ſolũ ex terra ſed ex Attica peculiariter ortos contendit. Ita vt in hac (quod paulò ante mo-*

nebam

nebam) ſint aborigines, ſeu potiùs αὐτόχθονες atque indigenæ: alibi verò inquilini, atque ex Attica ipſa peregrini. In Atlantico autem tantùm eos in Attica αὐτόχθονας vocat; nec explicat alibi eſſe inquilinos. Quamobrem dum hic in Timæo dicit Atticos ex terra natos eſſe, iure quidem indigenas poſſumus eos appellare: ſed ſic indigenas, vt alibi ſint peregrini atque accolæ tantùm, non omnino poſſumus ex hoc loco concludere: niſi tamen, quia Sacerdos ille, ex terra, inquit, veſtrum ſemen deſumens, ſignificauit Aegyptios contra nõ eſſe indigenas: quaſi ad eam ſententiam alluderet, qua Attici ſibi tantùm auguſtiſſimum illud indigenarum cognomen tribuebant. Verùm cur dicit ex Vulcano etiam huiuſmodi ſemen eſſe deſumptum? Ea ſanè de cauſa (ſi me audias) quòd venditabat primos homines in Attica cum Terra fuiſſe procreatos, idque vt efficeret non ex ſemine traductos eſſe, ſed ex ipſis elementis. Et idcirco alibi non ſolùm ex terra & igne, ſed ſimul ex quatuor corporibus (vt paulò poſt oſtendam) contendebat eſſe conſtitutos. Nam illud vnum (vt ſimpliciter dicam) ſuadere conabatur: Atticos antiquiſſimos eſſe omnium gentium authores atque parentes: idque eo argumento, quòd cum Attici ex primis corporibus, cæteri verò ex ſemine procreati eſſent, illi ſolùm primi eſſe potuiſſent. Qua in re ſine dubio in fabuloſa quadam opinione (quod & ipſe interdum non diſſimulat) nitebatur, qua primi homines à Dijs intra terræ viſcera ex terra ipſa & igne, cæteris quoque duobus corporibus admixtis, conflati eſſe dicebantur. Quam opinionem ſiue fabulam ipſe Plato in Protagora enarrauit his verbis. Olim quandoque Dij ſoli erant, nulla verò mortalium genera. Sed cùm tempus generationis fatale veniſſet, ipſa Dij in terræ viſceribus ex igni terráque finxerunt, interuenientibus ijs quæ igni terræque miſcentur. Hæc ibi Plato. Vbi etiam quatuor prima corpora, etſi ignis ac terræ præcipuam rationem habeat, vides omnium animantum ortui, hominique ipſi adhibuiſſe. Nam hæc de homine etiam pronunciari, non de mutis animantibus tantùm, ſtatim apparet vbi vnum hominum inter tot animantium genera nudum, inermémque conditum fuiſſe traditur. Quam rem luculenter etiam indicauit in Ciuili, vbi ſic habet. Hoſpes. Quid verò? Nonne & priſcos illos è terra procreari audiuimus, haud verò ex ſe inuicem? Socrates. Hoc quoque in antiquis rebus commemoratur. Quam rem diſſeruit ibi fusè, ac tandem concluſit. Hoſpes. Conſtat o Socrates, quod illis temporibus nihil genus hoc ex ſeſe propagabat. Quòd autem dicitur quandoque genus ortum ex terra fuiſſe, hoc ea tempeſtate fuit ex terra rurſus conuerſum. Tradiderunt hæc primi illi progenitores noſtri, qui ſtatim poſt primam reuolutionem orti ſunt. Hi ſanè horum teſtes, præconésque fuerunt, quibus minimè nunc vulgò habetur fides: cùm tamen admodum conueniat habere. Hæc in Ciuili. Quamobrem cum dicit Sacerdos ille Athenienſes a Minerua fuiſſe conditos ex Terra & Vulcano ſemine ſumpto, haud dubitandum eſt Platonem ex vera terra & igne voluiſſe illos eſſe conflatos. Quod ſiue dicat quia veritas primi hominis ex terra conditi fabulis mendacijsque permixta ali-

quo

quo modo ad eius aures peruenisset, siue quòd Mundi origine posita, de qua constans apud Platonem atque antiquos sententia erat, ratione ipsa eò deduceretur, vt primos homines non humano semine ortos, sed ex primis corporibus, terráque in primis in quam maxime soluitur, conflatos iudicaret, siue varijs rationibus atque suspicionibus talem opinionem temperasset, alibi disputabimus. Nunc sat sit ex Platone ipso omnino declarasse atque confirmasse opinionem nostram. Proclus verò cum hanc rem explicaret, longè aliā rationem ac viam inijt. Ac primùm quidem statuit Vulcanum eße omnium corporatarū rerum opificem, cui terra qua corporalia omnia significari vult, materiæ loco inseruiat. Atque id suadere conatur, tum quòd Vulcanus ex Olympho fertur in terram descendere, tum quòd alia multa, quæ de eius artificijs, ac forma corporis dici solent, Symbola (quod ille fusè dißerit) sint huius rei. Addit deinde eundem Vulcanum in materiam operari, semina in illam infundendo, eiúsque vastitatem ornando: sic vt & Ideas, quæ in hac Vniuersitate reperiuntur, ab ipso procedant, & Natura ipsa quoddam veluti instrumentum sit, quo ipse, præsertim ob uim caloris, operetur. Quibus positis concludit sermonem eò spectare, vt ostendat Vulcanum esse efficientem causam eorum quæ in materia geruntur. Verùm hactenus absurdissima est hæc opinio: nam præterquam quod & Vulcani diuinitatem tanquam veram ac certam accipit, & fabulosa multa suo arbitratu cum physicis miscet, non de Vulcani, sed Mineruæ artificio atque molitione agendum erat: neque enim Plato Vulcanū ait infundere semina, sed Mineruā Vulcano in seminis loco vti. Adde hoc pacto communia omnia corporatarum rerum semina, cōmunémque effectionem explicari, non Atticæ, cuius tantùm ortū atque initia proponit Plato. Quanquam his omnibus ingeniosè tandem probabilitatē aliquam attulisse visus est Proclus extremis suæ affabulationis (quam nonnulli vocant) verbis, quibus addid t, haberi in fabulis Vulcanum, cum Mineruam deperiret, τὸ σπέρμα εἰς γῆν *fudisse, & inde natum esse Atheniensiū genus. Hinc enim videntur indicari semina atque Ideas quas in rebus corporatis posuit, a Vulcano profectas esse, atque eâdem ratione Vulcanum ipsum rerum naturalium fabrum causámque censeri. Quam sententiam & sequitur Foxius, & grauißima ratione confirmare videtur his verbis.* Quod autem per Vulcanum, calorem naturalem ad generationem aptum, & per terram, materiam subiectam intelligamus, Aegyptiorum Theologia, quam optimè Plato nouit, nos admonet, Aegyptij enim (vt Diodorus Siculus libro primo ait) ignem Vulcanum esse dicebant, eúmque magnum Deum, & ad generationem perfectionémque rerum accommodatum existimabant. Terram autem tanquam receptaculum eorum quæ fiunt, matrémque subijci putabant: ideóque mutato nomine δημητέρα, quasi matrem vocari ipsam affirmant. *Hæc Foxius. Sed hæc parùm admodum referunt. Nam cum Vulcanus adhuc per calorem & semina ista omnium rerum naturalium sit author, ac terra ipsa res omnes corporatas significet, ostendendum istis erat, qua tandem peculiari ratione Athenien-*

ses

ses potiùs dicerentur ex ijs orti, & quo pacto a Minerua effecti dici poßent. Huc accedit, quòd ista Procli fabula longè commodiùs aptari potest sententiæ nostræ: nam dicam Platonem significare ex Vulcani semine, hoc est ex igne qui ex æthere deciderit, simul cum terra Mineruam formaße Athenienses: à quibus deinde cæterum humanum genus sit propagatum. Atque hac ratione optimè Athenienses αὐτόχθονες atque indigenæ censeri poterunt, reliqui incolæ ac peregrini. Sed quoniam fabulosa tandem sunt hæc omnia, atque ex his quæ iam antea attulimus, satis constat Platonis sententia, & non multò post etiam in eandem incidemus, iam quæ sequantur videamus.

Part.XXIV. Τὴνδε δὲ ὑστέραν. τῆς δ' ἐνθάδε διακοσμήσεως παρ' ἡμῖν ἐν τοῖς ἱεροῖς γράμμασιν ὀκτακισχιλίων ἐτῶν ἀριθμὸς γέγραπται.

Posterioris autem huius nostræ vrbis res octo annorum millibus gestæ in sacris literis continentur. *Ficinus.*

Iam verò nostrarum rerum status quis olim fuerit, annorum octo millium series in sacris nostris libris recensetur. *Non. int.*

Atque descriptio quidem earum rerum, quæ intra octo millium annorum spatium in huius vrbis administratione gestæ sunt, apud nos in sacris literis certo ordine continetur. *Benius.*

Co.XXIV. Cum dixisset à Pallade tum Atheniensium, tum Saitarum vrbem fuisse conditam, atque illam fuisse priorem ædificatam & institutam, mille scilicet ante annos: subdit Τὴνδε δὲ ὑστέραν. Hanc uerò (ædificauit intellige atque instituit) posteriorem. Nam quanto post tempore condita eßet, non erat quamobrem apponeret, cum priorem illam dixisset mille ante annis fuisse aedificatam. Quamobrem Chalcidius qui vertit, Posteriorem vestram octies mille annis post condidit, toto cœlo à Platone discedit. Neque verò hunc quasi scopulum omnino tutus præterijt Ficinus; nam licet apud eum parum de sententia pereat, tamen illud τὴνδε δὲ ὑστέραν cum proximis verbis iungit atque confundit, quod litera nullo modo patitur. Sed & nouus interpres quoque grauissimè deceptus est, qui praeterquam quòd haec verba cum posterioribus nectit, illud ἔτεσι χιλίοις, mille, inquam, annis, in superiore particula omnino omittit: ita vt non exprimat quàm fuerint Athenae ante Saim aedificatæ: sed eius loco legit, priscas illas Athenas multis retro annorum millibus extitiße, quod nihil facit ad hunc locum, in quo Plato non priscas Athenas cum recentioribus, sed cum Saim comparat. Decepti verò sunt, quia non animaduerterunt hic illud, τὴνδε δὲ ὑστέραν, respondere superiori parti προτέραν μὲν, & Platonem, quoniam iam dixerat à Pallade vtranque vrbem aedificatam esse, explicare quae fuerit prior, quaéue posterior aedificata: non autem id tanquam certum ponere. Hanc itaque vrbem, Saim videlicet, vult mille annis post priscas illas Athenas fuisse conditam. Quibus addit eiusdem Saim statum, rerúmque ordinem apud ipsos ad octo mille vsque annos in sacris literis contineri. Consultò autem dicit in sacris literis, nam praeterquã quòd res praeclarè gestae apud ipsos in tẽplis descriptae seruabantur, vt monuit supra, apud Caldaeos & Aegyptios eas Sacerdotes literis mãdabant: et ideo apud istos ij solùm merebãtur fidẽ in his quae ad tẽporũ memoriã pertinebant. Quare Methastenes sic scribit. Neque tamen

tamen omnes recipiendi sunt qui de his regibus scribunt: sed solùm Sacerdotes illius regni penes quos est publica & probata fides annalium suorum. *Ac propterea etiam (id quod Franciscus Patritius quoque notauit, immò Plato ipse tum hic tum infra disertè significat) historia apud eos sacra habebatur. An verò non solùm literis, sed alijs rationibus inter ipsa templa asseruarentur huiusmodi memoriæ, quódue literarum genus hoc esset, nō est cur disputemus: potest enim id copiosè cum ex alijs, tum præsertim ex Pierio Valeriano hauriri. Sat sit indicasse Sacerdotem ea ipsa quæ supra dixerat, in templis descripta seruari, hîc affirmare sacris literis, siue libris mauis, contineri: ac paulò post in eandem sententiam earundē literarum siue librorum mentionem facere: sic ut historiæ illæ vernaculo Aegyptiorum sermone, atque annalium instar, quemadmodum in Manethonis Aegyptij Sacerdotis historia videre est, facilè conscriptæ essent. Vt propterea Chalcidius qui asserit sacris delubrorum apicibus eas memorias fuisse contentas, si edita templi loca atque exposita monumenta significare voluit, non mihi videatur hæc Platonis loca satis consuluisse. Cuiusmodi autem esset ingens hic annorum numerus, quorum memorias apud ipsos asserit asseruatas, quídue de ijs sentiendum sit, iam pro virili nostra explicauimus. quanquam paulò post etiam fortasse in eandem sententiam nonnulla afferemus. Sequitur Sacerdos.*

Part.xxv. Περὶ δὴ τῶν ἐνακισχίλια ἔτη γεγονότων πολιτῶν σοὶ δηλώσω διὰ βραχέων νόμους τε καὶ τῶν ἔργων ὃ κάλλιστον ἐπράχθη· τὸ δ' ἀκριβὲς περὶ πάντων ἐφεξῆς εἰσαῦθις κατὰ σχολὴν, αὐτὰ τὰ γράμματα λαβόντες, διέξιμεν.

Illorum ergo ciuium qui in hoc nouem millium annorum tempore ante nos fuerunt, instituta & præclara facinora breuiter Solon inpræsentia tibi perstringam. Deinceps verò cum plus dabitur otij, accepto historiarum libro latiùs exponemus. — Ficinus.

Nouem autem millium annorum seriem, quibus illi maiores extiterunt, tibi breuiter demonstrabo, & leges & præclarissimum quoddam ab illis editum opus. Vbi verò rem simpliciter indicauerimus, ipsam illam deinceps, quum maioris otij dabitur facultas, ex nostris originum libris accuratius persequemur. — Nou. Int.

Illorum verò ciuium, qui nouem mille ab hinc annis extiterunt, & leges, & factum quoddam, quotquot vnquam gesserunt, præstantissimum, tibi patefaciam. Nam exactam omnium historiam aliàs deinceps commentarijs ipsis acceptis, maiore cum ocio prosequemur. — Benius.

Com. xxv. *Breuiter, inquit, commemorabo quæ ad eorum ciuium leges pertinent, atque vnum in primis facinus præclarè ab illis gestum, qui nouem mille ante annos extitere. Athenienses verò intelligit, non Saitas horum ciuium nomine. Nam & de ijs sciscitabatur Solon, & eorundem præclarum facinus quod hic se narraturum poticetur, deinde recenset. Neque tamen verba illa* τῶν ἐνακισχίλια ἔτη γεγονότων, *quae Ficinus interpretatur*, qui in hoc nouem millium annorum tempore ante nos fuerunt, *sic intelligenda sunt, vt vellet res perstringere quae ab Atheniensibus toto illo nouem millium annorum decursu gestae essent, vt voluit nouus interpres dum verteret.* Nouem autem millium annorum seriem, quibus illi maiores extiterunt, tibi breuiter demonstrabo. *ita enim moderniores*

niores etiam retulisset, quæque ipsius Solonis ætatem attigerãt, atque ei optimè perspectæ erant: sed voluit res significare quæ patratæ fuerant ab illis ciuibus, qui supra nouem mille annos extiterant, quæ scilicet contigerũt ante eluuionem illam, in qua Atlantinos memorat fuisse demersos: nam verè quæ de Atheniensibus narrat, ante illud tempus vult contigisse: & idcirco in Atlantico in quo latiùs hanc eandem historiam persequitur, Primum (*inquit*) commemoremus summam esse annorum nouem millium ex quo bellum extitisse traditum est inter eos omnes qui vltra, & eos qui circa columnas Herculis habitabant, quod in præsentia narraturi sumus. *Nec tamen præclara eorum facinora recipit exponenda, vt vertit Ficinus: sed certum quoddam ex illorum operibus, atque illud præclarissimum. Addit verò se deinde, cum per ocium licuerit, acceptis historiarum siue originum libris persecuturũ,* τὸ ἀκριβὲς περὶ πάντων, *hoc est plenam, omnibúsque numeris absolutam earum rerum quas breuiter attigisset, historiam. Quam tamen, cum deinde Plato in Atlantico, præsertim quod ad præclarissimum illud facinus pertinebat, esset aggressus, morte præuentus non exposuit. Atque ex hoc loco satis intelligitur præter rẽ atque adeò falsò in hunc locum scripsisse Foxium, Sacerdotem istum affirmare incorruptas apud Aegyptios manere antiquitatis memorias, quod in columnis eas seruarent, idque non literis, sed alijs quibusdam notis descriptas: etsi enim non me latet consueuisse illos aliquando non modò res gestas atque historias, sed disciplinas etiam (id quod de Trismegistro testatur Iamblichus) in columnas referre, immo verò (quod alibi ostendimus planiùs) mos iste apud Hebræos Græcósque viguerit, hoc tamen in loco de historijs loquitur, quæ literis, atque adeò libris ipsis continerentur, quaéque manibus ipsis tractari possent ac volutari: ait enim* τὸ δ' ἀκριβὲς περὶ πάντων αὖτις τὰ γράμματα λαβόντες διέξιμεν. plenã harum rerum narrationem, acceptis historiarum libris prosequemur. *Sed & grauiùs, mea quidem sententia, lapsus est Foxius, dum ex ingenti isto annorum numero de quo mentionem facit Plato, constare tradit Mundum ex ipsius Platonis sententia æternum esse. Quanquam enim Foxio facilè assentior dum negat annos istos lunares esse potuisse ex Platone, veruntamen dum ex hoc loco Mundum facit sempiternũ, idque apertè constare vult, cum tamen nullam rationem afferat in re tam graui, non possum non magnopere eius iudicium requirere. Sed quoniam hoc ipso in loco monet infra etiam hanc Mundi æternitatem à Platone tradi, non decrit opportunus huic disputationi locus. Pergit verò Critias.*

Par.XXVI. Τοὺς μὲν οὖν νόμους σκόπει πρὸς τοὺς τῇδε. πολλὰ γὰρ παραδείγματα τῶν τότε παρ' ὑμῖν ὄντων, ἐνθάδε νῦν ἀνευρήσεις.

Ac primùm leges illorum considera quo pacto cum his nostris conueniant. Multa enim hic similia illis reperies. — Ficinus.

Leges verò primùm considera, quomodo cum vestris hodiernis conseneiant, multa enim antiquarum illarum vestigia nunc comperies. — Nou. int.

Nunc ergo illorum leges animaduertas, ac cum his nostris conferas: multa enim exempla inuenies, vestris illis ciuibus fuisse proposita, quæ a nobis in præsentia retinentur. — Benius.

Com. XXVI.

Duo quasi capita explicanda proposuit: nempe priscorum illorum ciuium leges, ac præclarum quoddam facinus ab illis gestum. Primum igitur primo loco aggreditur, atque idcirco Socratem hortatur vt priscorum illorum Atheniensium leges primo loco animaduertat, atque cum ipsorum Saitarum legibus conferat: fore enim affirmat, vt ex illis multas easdem planè cum ijs esse intelligat. Quam sententiam Ficinus accommodatè quidem; nouus autem interpres omnino præposterè expressit; nam existimauit Sacerdotem illum priscorum Atheniensium leges cum legibus recentiorum Atheniensium conferre, quare ita legit. Leges primùm considera quomodo cum vestris hodiernis consentiant, *cum tamen græcè sit* πρὸς τοὺς τῇδε, *quod debebat verti*, cum his nostris, *nempe Saiticis;* Simillima inuenies illis, quæ tunc, *cum scilicet prisci illi Athenienses florerent*, apud vos vigebāt. *Neque tamen apertè asserit, fore vt easdem planè leges promulgatas inueniat; sed* παραδείγματα, *exempla scilicet, siue (vt habet nouus interpres) vestigia, siue cum Chalcidio mauis; inditia germanitatis. Quod cur dictum sit, Proclus explicare conatus est his verbis.* παραδείγματα νῦν τὰς εἰκόνας ἐκάλεσεν, ὅτι δὴ δευτέρως οἱ Σαΐται μετέχουσιν ὧν οἱ Ἀθηναῖοι πρώτως, exempla nunc imagines appellauit, quoniam quæ prisci Athenienses priùs, Saitæ posteriùs sunt consequuti. *Vbi luculenter quidem confirmat id quod nos contra nouum interpretem attulimus; priscorum Atheniensium leges non cum recentioribus eorundem* Atheniensium *institutis, sed cum Saiticis conferri: sed quod quærebatur non explicat: nam* παράδειγμα *non significat imaginem, siue id, quod ad alterius similitudinē effingitur, vt hîc veluti certum sumit Proclus. sed potiùs illi opponitur, rem ipsam obijciens, ad cuius similitudinem exprimitur aliquid. Quamobrem existimarim* παραδείγματα, *propriè ac verè pro exemplis accipi, atque id affirmare Platonem quòd in priore Atheniensium Republ. verè tanquam exempla essent, ac primò instituta, non aliunde expressa. Quod si eadem priscæ illius ciuitatis exempla in Saitica quoque Republ. vult agnosci, hoc dicit quia in hac etiam habebant exempli rationem cum à Pallade fuissent instituta sicut Athenis, non ex Atheniensibus expressa. Quamobrem statuit vbique exempli rationem habuisse, quia eædem fermè leges erant, & ideo inter se conferri vult ac comparari, vt in multis easdem esse intelligatur. Sed & illud præterea mihi non probatur quod hîc significat Proclus de his exemplis, quæ pro iconibus siue imaginibus accepit: nam indicat Platonem ex his velle agnosci prima atque* ἀρχέτυπα *exempla: hoc est ex legibus Saitarum leges Atheniensium: quia (inquit) icones licet sint natura posteriores exemplis, secundùm tamen nostrum modum cognoscendi sunt priores. Non placet, inquam, tum quia nullas leges in iconis loco habet hic Plato, sed omnes vult esse* παραδείγματα *siue exempla: tum quia vult hæc exempla inter se conferri, idque facit non ab ijs incipiendo quae ex Proclo iconum obtinent locum, sed ab ijs quæ idemmet exempla esse fatetur: proponit enim Sacerdos ille priscorum Atheniensium leges, quas inquit o Solon Saiticis intelliges esse persimiles. Quare sequitur.*

Par.xxvII. Πρῶτον μὲν τὸ τῶν ἱερέων γένος, ἀπὸ τῶν ἄλλων χωρὶς ἀφωρισμένον. μετὰ δὲ τοῦτο τὸ τῶν δημιουργῶν, ὅτι καθ' αὑτὸ ἕκαστον, ἄλλῳ δὲ οὐκ ἐπιμιγνύμενον δημιουργεῖ. τότε τῶν γεωργῶν. καὶ δὴ τὸ μάχιμον γένος ᾔσθησαί που τῇδε ἀπὸ πάντων τῶν γενῶν κεχωρισμένον οἷς οὐδὲν ἄλλο πλὴν τὰ περὶ τὸν πόλεμον ὑπὸ τοῦ νόμου προσετάχθη μέλειν.

Ficinus. *Principio quòd Sacerdotes separati ab omni turba vitam agunt. Deinde varia opificum genera ita inter se discreta sunt, vt suum quisque agat, promiscue verè nullus. Similiter pastorum, uenatorum, agricolarum inter se distincta sunt opera. Milites quoque hic, vt nosti, ab alijs omnibus segregati bellica duntaxat tractare legibus iubentur.*

Nou. Int. *Primum igitur Sacerdotum genus ab alijs seorsim distinguebatur: tum opificum, quatenus etiam vnusquisque per se, nemini alteri commixtus in suo munere versatur: deinde pastorum, & venatorum, atque agricolarum distributa, & distincta sunt opera. Bellicorum quidem hominum genus, ab omnibus aliorum hominum generibus separatum comperies, quibus nihil aliud quàm armorum curam & administrationem lex imperat.*

Benius. *Ac primùm Sacerdotes ab omni turba vitam agebant segregati. Opifices quoque sic artes tractabãt, vt suum quisque opus obiret, ac cum nullis aliarum artium opificibus misceretur. Idque pastoribus etiam ac uenatoribus, necnon agricolis constitutum erat. Qua in re optimè nosti à militibus hic apud nos non aliter factitari: nam a cæteris hominum generibus separati ex legum imperio nihil aliud quàm res bellicas curant.*

C.xxvII. *Iam siue machinam siue rationem profert, qua suam politiam confirmet. Multa enim in illam induxerat, quæ & grauissimas dubitationes habebãt, & multorum reprehensiones atque calumnias subierant. Nam vt ex Crantore, qui primus Platonem exposuit, atque ex alijs intelligitur, quo tempore Timæum scripsit, politici libri iam fuerant peruulgati, variaque de illis iudicia rumorésque percrebuerat. Immo verò (vt ex eâdem politia coniici potest) ea dogmata atque instituta antequam in publicum euulgarentur, priuatim fuerant a Platone tractata, multis ab eo dissentientibus atque Politiam illam non probantibus. Ergo vt eam tueatur, priscorum Atheniensium Rempub. profert, quæ consimilibus institutis ac legibus temperata, præclara facinora edidißet. Atque ex his constare satis potest cur Plato in tanta varietate rerum quas historijs illis contineri venditabat, hæc duo capita, factum videlicet illud & leges, elegerit, quæ voluerit à Sacerdote isto Soloni breuiter explicari. His enim duobus hoc tempore egebat: quare hæc duo fecit illum edisserentem. Quanquã hac in re illud dubitationem facere potest: cur scilicet huiusmodi instituta ac leges quæ in vetustißimis illis Atheniẽsibus agnoscit, in Saitis etiã tãto studio et agnoscat et vicissim cũ Atticis conferat, támque cupidè obseruari velit. Huius facti ratio paulò altiùs est pertexẽda. Etenim qui Platonis Rempub. perstringebant, etsi in eo præcipuè nitebantur, quod multa (vt aiebãt) & absurda, & ἀδύνατα & Reipu. inutilia, atque perniciosa etiã tradidißet, veruntamẽ illud quoque obijciebant, quòd varia instituta ab Aegyptijs transtulißet: cũ tamen eorum author videri vellet. Cuius sanè rei testis est idẽ Crantor author antiquissimus: de quo sic scribit Proclus.* Πρῶτος τοῦ Πλάτωνος ἐξηγητὴς Κράντωρ σκώπτεσθαι μὲν φησὶ αὐτὸν ὑπὸ τῶν τότε, ὡς οὐκ αὐτὸν ὄντα τῆς πολιτείας εὑρετὴν, ἀλλὰ μεταγράψαντα τὰ Αἰγυπτίων. Crantor qui Platonem primus explicauit, ipsum notatum fuisse scribit ab ho-

minibus illius tēporis: idque quod politiā minimè inuenisset ipse, sed ab Aegyptijs transtulisset. *Atque huc opinor spectabat Aristoteles libro II. politicorū, vbi cū multa reprehendisset in Socratis Repub. quæ aut difficilè, aut nullo modo fieri possent, aut eßent absurda, aut denique obessent potiùs quàm prodessent, tandē* τὰ δ᾽ ἄλλα *(inquit)* τοῖς ἔξωθεν λόγοις πεπλήρωκε τὸν λόγον, reliqua verò extraneis peregit sermonibus. *Quod si ita est, facilè existimarim Platonē, cùm priorē calumniā ea ratione refutare contenderet, quod prisci Atheniēses ijsdē fermè institutis formati, præclara facinora edidissent (ita enim vsu cōpleri poße, recta & vtilia esse prætexebat) simul etiā quasi aliud ageret, alteram calumniā ea ratione nitebatur eleuare, quod sua politia, quæ cum Saitica conueniret in multis, longè antea priscorū Atheniēsium fuißet: cum eadem fermè* παραδείγματα *Saitis atque Atheniensibus ostendißet Pallas, & ideo subdit Crantor* τὸν δὲ τοσοῦτον ποιήσασθαι τῶν σκωπτόντων λόγον, ὥστε ἐπὶ Αἰγυπτίους ἀναπέμψαι τὴν περὶ Ἀθηναίων καὶ Ἀτλαντίνων ταύτην ἱστορίαν, ὡς τῶν Ἀθηναίων, καὶ ταύτην ζησάντων ποτὲ τὴν πολιτείαν. Hunc verò (*Platonem intellige*) ita fuisse cōmotum obtrectantiū sermone, vt ad Aegyptios miserit hanc historiam, qua de Atlantinis, & Atheniensibus agebatur: idque veluti ad Athenienses verè spectaret, qui aliquando his politicis institutis vixissent. *Id quod confirmat his verbis.* Μαρτυροῦσι δὲ καὶ οἱ προφῆται τῶν Αἰγυπτίων ἐν στήλαις ταῖς ἔτι σωζομέναις ταῦτα γεγράφθαι λέγοντες. Testantur id Aegyptiorum prophetæ, qui affirmant hæc apud ipsos adhuc in columnis asseruari. *Sed quoniam ad calumniam dißoluendam nō videbatur id satis, cum si non ab Aegyptijs, at certè ab alijs vsurpaße illa obijci adhuc posset: dum tamē pro suis ea vēditaret; idcirco Critiā deinde induxit, qui se cū Socraticæ politiæ instituta recēseri audißet, admiratū esse diceret, quòd multa percensuisset, quæ ipse aliquādo de priscis illis Atheniensibus atque Aegyptijs quibusdā ex Solone audierat: vbi etiā id* δαιμονίως *atque* ἔκ τινος τύχης, *fœlicitate inquā & diuina quadā sorte factū esse dicebat. Quo in loco cùm factū seu legū confessionē negare non poßet, culpam tamen eluere nitebatur, quòd id totū sorte contigisset. Atque hinc etiam constat, cur paulò ante affirmaret eadē fermè* παραδείγματα *fuisse apud Saitas, & priscos Athenienses inuenta: cur etiā tam diligenter confert illa, id enim facit, vt se leges illas ab Aegyptijs istis verè haud trāstulisse, si quomodo posset, suaderet, dū tandē similitudinis causam in sortē reijceret. Atque hinc respōderi posse videtur cuidā dubitationi, quā tertio libro, dum de introductione Timæi ageremus, in hunc explicandā reiecimus. Quærebamus autē an verè Plato ab ipso statim initio politicæ scriptionis eum sibi finē ac scopum proposuißet, quem deinde ostendimus, tum politicis libris, tū Timæo, Critiæ & Hermocrati eße propositum: an verò deinde noua occasione excitatus id consilij cœpisset, vt politicos libros ac cæteros illos dialogos pulcherrimo illo ordine inter se copularet, atque ad certum veluti scopum referret. Qua in re equidem hoc postremum omnino arbitror esse dicendum. Nam ad initium librorum de Republica ne leuissimo quidem indicio intueri aut conijcere licet hoc Platonis consilium & institutum. Contra verò in Timæo non obscurè*

intelligitur Platonem, ut crimina sibi obiecta dissolueret, Socratem induxisse, qui cum se politicam disputationem simulasset cum Timæo ac Socijs contulisse, eiusdem epilogum eo planè consilio fecit, ut occasionem inde rei benè gerendæ arriperet, Quod & fecit: nam ea (licet aliò spectare uideri uellet) posuit disputanda, ex quibus pendet criminum illorum depulsio atque refutatio. Quò idcirco etiam non dicam uires ac neruos omnes intendit, sed miras machinas (dicam liberiùs) mira mendacia, ueritatis tamen specie egregiè aspersa, congessit ac contulit: quæ omnia suis locis discutiuntur. Quanquam (id quod iam antea † obseruare cœpi) libro vi. de Rep. cum iam politicum illud παρέργον absoluisset, aliqua ex parte præsentire cœpit crimina ista: ac propterea etiam apologiam atque adeò machinam qua sese tueretur meditari ac machinari aggressus erat. Sed iã ad contextũ reuertamur: in quo ipse ad suas illas leges aggreditur de quibus tamẽ nos paulò post cum eo fusè agemus. Nũc animaduertendũ est liberaliorẽ uideri uoluisse nostrũ authorẽ, quã expectandũ uideretur. Petierat enim Socrates a Timæo ac socijs, ut exẽplo aliquo excogitato declararent, qua ratione deberet Res. a se descripta belli officia tractare. At Critias nõ a se excogitato exẽplo, sed quod reipsa cõtigisset, rẽ declarare instituit. Hac itaque de causa res a priscis Atheniẽsibus aduersus Atlãtinos gestas aggreditur explicare: quas tamẽ anteuertit eorundẽ leges percensens: nec sine magno cõsilio. nã cũ hac historia ueluti exẽplo quodã ostendendũ esset, quo pacto foret Socratica illa Resp. rem bellicã pro institutionis dignitate tractatura, non immeritò a priscæ illius Reip. legibus incipit, ut illustres eius actiones ab eiusdẽ institutis profectas esse intelligẽtes, tales quoque ex Socratica expectaremus, quippe quæ ijsdẽ fermè institutis ac lagibus esset tẽperata. Ac propterea si quæ de his legibus atque actionibus refert, uera sunt, nihil profectò ad suã politiã tuendã illustrius afferre, si falsa, nihil callidius atque artificiosius excogitare potuit. Nũc igitur strictim attingit priscorũ Atheniensiũ instituta ac leges, atque a Sacerdotibus incipit, quos ait a cæteris separatim uiuere cõsueuisse. His addit id quoque opificibus cõtigisse, quorũ quisque a cæteris distinctus in suo munere uersaretur: sicque pastores, uenatores, agricolas sua opera nemini admixtos exercuisse. Quod (subdit) in militibus hic apud nos factitari perspexisti, qui à cæteris hominũ generibus separati, ex legũ imperio nihil aliud, quàm res bellicas curãt. Vbi sanè nõ incallidè id quod de separatis militũ sedibus, unóque rei militaris studio tradit, diligentissimè explicat. tum apud Saitas in more positũ, tum a Solone oculis ipsis perspectũ fuisse: nam inter cætera quæ noua omnino uideri poterãt in Socratica politia, atque plurimarum gentium consuetudine argui, non postremũ erat, quo statuit ut milites, qui tamen apud alios ex uarijs hominũ generibus deligebãtur, uariásque artes tractabant, nulli alteri admisceantur, sed certas sedes habeant: militarique exercitatione, cæteris reiectis, tota uita occupẽtur. Vt igitur hac in parte lata instituta tueretur appositè rẽ hanc tã accuratè obseruat hoc in loco. Verùm dũ hæc percen-

† com. 23.

ſet Plato, mirum eſt quanta rerum varietate, atque myſteriorum mole hunc locum Platonici onerarint. Tradit Proclus priſcam, quæ modò affertur Athenienſium politiam magis diuiſam eſſe quam Socraticam, ac tertiam quandam dimiurgiam imitari. quod inde oſtendit, quia in Socratica tria tātùm hominum genera enumerentur: cuſtodes ſcilicet, auxiliarij, artifices: Sex in priſca illa: Sacerdotes, Milites, opifices, paſtores, venatores, agricolæ. Quod etiā confirmat ex uarijs qualitatibus perſonarū, quibus Reſpublicæ iſtæ conflantur. Verùm tripliciter in hoc peccat: primùm quidem, quia (vt demonſtrantum eſt) priſcæ illius Reipublicæ inſtituta refert, vt cum Socraticis conſentire oſtendat, proindéque huic qua explicauimus ratione, fidem & authoritatē afferat: & idcirco ſexto de Rep. vt iam ſupra obſeruauimus, hanc moliri cœperat ac vaticinari Socrates cū diceret, ſi forte in barbarica regione aliqua a Græcis remota viri in Philoſophia præſtantes Remp. adminiſtrarēt, ea planè ratione, qua ſuam ipſe deſcripſerat, adminiſtrare, ita vt communis eßet vtrique ſtatus. Quare dum Proclus inter eas politias exquirit differentias, totum Platonis conſilium euertit. Quod etiam facit dum ex perſonarū qualitatibus ὑφειμένον, καὶ ὑπερέχον, *exceſſum & defectum, ſiue diſſenſiones ijſdem politijs affingit: quod enim ſtruit Plato, Proclus, nec ſentiens, omnino deſtruit. Deinde peccat quia iſta fermè omnia hominum genera, quæ in priſca iſta politia vaniſſimè obſeruat, atque alia etiam ſunt in Socratica ſi paulò articulatiùs, non autem per genera perquirat ea. peccat denique quia quinque tantùm genera hominum, non ſex attinguntur hîc in antiqua illa Rep. Neque hoc contendo, quòd (vt Porphyrius facit, ac Iamblichus) opifices potiùs diſtribuat hîc Plato in agricolas, paſtores, atque venatores, quàm velit diſtinctum ordinem conſtituere: id enim cū Ammonio eodémque Proclo falſum eſſe exiſtimo; ſed quia hîc milites, quos ſeparatos degiſſe ait, non ex priſcorum Athenienſium ordinibus, ſed ex Saitarum Repub. profert: nam milites in Saitica ciuitate ſeparatim ſua munera obire tradit, ſicut id de ſacerdotibus atque opificibus in priſca illa Athenienſi commemorauerat. Vt propterea Ethnici iſtius myſteria quatenus in numeris iſtis nituntur, falsò fundamento nitantur. Ergo dum infert Proclus* ὥστε κἂν τοῦ ἀριθμοῦ κἂν τῆς ποιότητος δῆλον ἡμῖν γέγονεν, ὅτι τῆς Σωκρατικῆς πολιτείας ὑφεῖται τὰ νῦν παραδιδόμενα, καὶ δευτέραν ἂν ἔχοι μετ᾽ ἐκείνην τάξιν. *hoc eſt.* Quare & ex numero & ex qualitate (*perſonarū ſcilicet, quas in vtraque politia obſeruauit*) ſatis cōſtat Socraticæ politiæ ſubijci, quæ nūc tradūtut (*priſca Athenienſium inſtituta intelligit*) & ſecundum ab ea locum tenere, *parum admodū Platonis conſilium videtur exploraſſe. Traducit deinde ad Dimiurgiam duplex illud numerorum genus quorum alterū in Socratica, alterum in priſca illa Athenienſium Repub. notauit: vbi cum vtrunque Palladi optimè conuenire monuiſſet, vaniſsima quadam numerorum tractatione debaccatur. Quanquam illud vnum, etſi inopportunè, ſapienter tamen pronunciauit ac penè diuinè:* οἰκεία γὰρ ἡ τριὰς τῇ μονάδι τῇ δημιουργικῇ. Propria atque domeſtica eſt trinitas opifici vnitati. *Confert præterea Socraticos cuſtodes cū cœleſtibus Dijs, auxiliarios cum auxiliarijs cœleſtiúmque conſortibus, arti-*

fices

fi·es cum singularibus, siue (vt rem significantiùs cum illo explicem) partialibus animis, quorum alij errantibus insint, alij inerrantibus, alij denique his, quæ materia constant: atque ita fanaticis illis suis commentis triumphat. Porphyrius autem hos sacerdotes (quod mirum sanè esset nisi ab apostata proficisceretur) cum Archangelis comparat, qui ad Deos conuersi sunt, quorum sunt nuntij: milites animis in corpora descendentibus, ac pastores deinde venatores, agricolas, quibusdam alijs siue animorum siue dæmonum ordinibus, de quibus varia comminiscitur. Sed Iamblichus interim Porphyrium multis obiurgat atque refellit: quibus sanè, si unum excepero, non possum non libentissimè assentiri. Nam dum ostendere conatur ista omnia & a Platonis decretis, & à veritate ipsa procul abesse, atque istam interpretandi rationem, βαρβαρικῆς ἀλαζονείας, barbarica, inquam, temeritate atque audacia plenam esse, equidem non dubito verissimè dici. si quod de Archangelis a Porphyrio traditur (eos enim Deũ intueri, atque eiusdẽ nuncios esse, immo & Sacerdotes cũ Angelis comparari, eorúmque nomen sortiri, ex diuinis literis satis superque constat) certissimum esse, ac stultissimè ab eo reprehendi monuero. Sed & dum suam sententiam statim profert Iamblichus, ac contendit per Sacerdotes secundas substantias ac virtutes significari, per agricolas verò semina in terram è cœlo immissa, atque ita demum cætera consimili ratione cum cœlestibus aut etiam naturalibus comparat atque coniungit, non diuinus, sed cum Porphyrio stultissimus atque temeritate plenus mihi videri solet. His omnibus quamplurima alia cum Ammonio subiungit Proclus, ijsdem planè commentis ac fortasse maioribus inuoluta. Quæ ne diutiùs nos in præsentia detineant, eorum nugas valere iubeamus. Nam si obseruassent (id quod non ab re erit animaduertere) sacerdotes separatos habitasse, vt profanorum hominum consortium vitarent, sanctimoniámque faciliùs tuerentur, vel etiam eorum primo loco mentionẽ fieri, ut intelligamus, summam præcipuámque curam habendam esse religionis, vel eiusmodi aliquid excogitassent, commodioribus certè contemplationibus hunc illustraßent locum. Pergit autem Sacerdos.

Pa. XXIIX

Ἔτι δὲ ἡ τῆς ὁπλίσεως αὐτῆς σχέσις ἀσπίδων καὶ δοράτων, οἷς ἡμεῖς πρῶτοι τῶν περὶ τὴν Ἀσίαν ὡπλίσμεθα, τῆς θεοῦ, καθάπερ ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις, παρ᾽ ὑμῖν πρώτοις ἐνδειξαμένης.

Armatura etiam vt clypeorum iaculorumque usus apud utrosque persimilis. His primi nos in Asia, vsi sumus, & Dea, ut illis in locis, sic uobis primis hæc tradidit. **Ficinus.**

Accedit armorum habitus & conformatio, clypeorum ac hastarum quibus nos primi in Asia vsi sumus, ipsa etiam illius Dea, sicuti apud nos, commostratione. **Non. int.**

Sed & idem erat armorum genus: nam clypeis hastisque utebantur, quemadmodum & nos facimus: qui Dea ipsa commonstrante primi omnium in Asia illis usi sumus, non secus ac uobis in uestris regionibus contigit. **Benius.**

C. XXIIX. *Refert quo armorum genere vsi fuissent prisci illi Athenienses, signifi-*

gnificátque Saitas quoque in eorum vsu se cum illis conformasse: cum vtrique clypeis, hastísque vterentur. Addit Saitas primos in Asia hæc tractasse arma, sicut primi in Europa fuerunt Athenienses illi: atque id totum factum esse subiungit, Pallade commonstrante. Quo in loco mirificè consentire videtur cum his quæ habet Berosus libro v. antiquitatum vbi Palladem arma tractasse, ac militiam docuisse scribit. Etsi enim refert in Lybia id contigisse, ac propterea subindicat ijsdem Lybicis priùs quàm cæteris eorum vsum fuisse ostensum, cum ibi educatam scribat: non tamen prohibet quin id ipsum Sais, quæ vrbs a Lybia non multùm distat, immo in Attica etiam effecisse existimemus. Ac propterea fortasse Plato asserit. His primi nos in Asia vsi sumus, *quasi alios populos, ac Lybicos inter cæteros, priùs ea docuerit: etsi Atticis antequam alijs Græcis, Saitis antequam Asiaticis ea commonstrarit. Dum uerò noster Plato Saim Aegypti urbem collocat in Asia, ne id putes cosmographiæ ignoratione fecisse, cum Ptolemæus Aegyptum nō in Asia ponat sed in Africa: ueteres enim, quos etiam sequutus est Strabo † libro* II. *nō Arabico sinu ut Ptolemæus, sed Nilo Africam ab Asia disterminabant. Ex quo fiebat ut uniuersa illa Aegypti pars quæ inter Arabicum sinum ac Nilum sita est, immo urbes ac præfecturæ illæ quæ Nili fluentis cinguntur, cuiusmodi est Sais, Asiæ attribuerentur, non Affricæ. Quæ uerò hic habēt allegoricè Proclus, Porphyrius & Iamblichus de clypeo & hasta Mineruæ fabulosa omnino sunt & puerilia. Vt non necesse sit ea recensere.*

Vid. li. 5. c. 9.

Part. xxix. Τὸ δ' αὖ περὶ τῆς φρονήσεως, ὁρᾷς που τὸν νόμον τῇδε, ὅσην ἐπιμέλειαν ἐποιήσατο εὐθὺς κατ' ἀρχὰς, περί τε τὸν κόσμον ἅπαντα μέχρι μαντικῆς καὶ ἰατρικῆς πρὸς ὑγίειαν.

Ficinus. *Prudentiæ quoque & modestiæ magna sicut uides, nostris legibus ab initio cura fuit: diuinationis insuper & Medicinæ, & sanitas nobis per hæc diuininitus procurata.*

Nou. int. *Quod ad prudentiam autem attinet, vides quantam cautionem ipso statim initio lex illa adhibuerit, & de reliquo omni apparatu, ad diuinationem vsque, ipsamque Medicinam, sanitatis tuendæ causa.*

Benius. *Quod uerò attinet ad prudentiam, cernis quantam hic curam, uel ab ipso statim initio de illa susceperit lex: id quod de cæteris Reipublicæ ornamentis factum est ad diuinationem usque ac Medicinam ualetudinis gratia comparatam.*

Com. xxix. *Lubricus sanè ac spinosus videri posset hic locus, si interpretum sensa cōtuleris, ídque tum propter verba illa* περί τε τὸν κόσμον *quibus alij Mundum alij honestatem, alij apparatum, alij denique modestiam intelligunt: tū propter illud* πρὸς ὑγίειαν, *quod nonnulli cum sequentibus verbis miscentes, sanitatem diuinitùs procuratam exponunt: tum deni que propter illud* τὸν νόμον τῇδε, *quod aliqui non ad Saiticam, sed priscam illam Atheniensium Rempub. videntur referre. Verùm quoniam longum esset, omnium sensa discutere, & res ipsa, vt immoremur, non valde postulat, dicam quam esse putem germanam loci sententiam. Sic igitur locum exprimerem.* Prudentiæ verò cernis quantam hic curam, vel ab ipso statim initio lex habuerit: id quod de cæteris animi ornamentis, virtutibúsque contigit, ad diuina-

uinationem vsque ac Medicinam valetudinis gratia comparatam. *Vbi primùm illud* κόσμον *(Procli atque Erizi pace) arbitror nullo modo ad Mundum referri posse: sed omnino ad animi, ac proinde etiam Reipub. ornamenta quæ in virtutibus sita sunt: ita vt quemadmodum prudentiæ, vt pote virtutum moderatricis, meminerat, ita hîc iustitiam, temperantiam, atque fortitudinem designet. Et ideo statim (vt paulò post videbimus) addit diuinationem, medicinam, & cæteras disciplinas: vt virtutibus moralibus propositis, eas quæ tum ad intelligentiam, tum ad valetudinem pertinebant, adiungeret: deinde illud* πρὸς ὑγίειαν, *quicquid Ficino & Erizo visum sit, omnino ab his verbis disiungo, quæ consequuntur: cum præsertim non modò sanitatem (vt interpretatur Ficinus) sed diuinationem etiam, prudentiam, cæteràsque virtutes omnes, quæ ad mores pertinent, diuinitùs procuratas affirmet: ac denique id totum propter illam particulam* τῇδε *de Saitis enunciari existimo, non autem de priscis Athenienſibus, vt placuisse videtur nouo interpreti. Quanquam cum Socratem iam antea monuisset Sacerdos ille, in his legibus priscas illas Athenas ac Saim plurimùm conuenire, quæ de prudentia, cæterisque huiusmodi virtutibus Saiticæ Reip. hîc obseruat, facilè deinde Athenienſi illi tribui possunt: quemadmodum e contrario, quæ de seiunctis Sacerdotum domicilijs, atque alijs nonnullis in Arhenienſi illa obseruauit, ad Saiticam queunt transferri. nam huc spectant ea verba* τοὺς μὲν οὖν νόμους σκόπει πρὸς τοὺς τῇδε. πολλὰ γὰρ παραδείγματα τῶν τότε παρ' ὑμῖν ὄντων ἐνθάδε νῦν ἀνευρήσεις. *Hîc igitur attingit etiam leges, quibus Sais instituta erat, vt hinc priscas quoque Athenas iisdem legibus excultas fuisse intelligamus. Ac prudentiæ primùm meminit, cuius quanta ibi cura vel ab ipso ciuitatis exordio suscepta eßet, Soloni ipsi excogitandum relinquit: quasi apertissima eius rei extarent argumenta. Neque verò inconsulto tam grauiter ac significanter Sais, ac proinde etiam priscorum Athenienſium prudentiam nobis ante oculos ponit, aditum enim sibi aperit, vnde cum primùm res præclarè ab antiquis Athenienſibus gestas audierimus, non nisi ab optimis istis institutis profectas esse persuadeat, ac simul Socraticam Remp. quippe quæ legibus atque institutis cum ea consentiret, a calumnijs vindicare possit. Atque huc etiam pertinent cætera illa ornamenta atque animi virtutes, quas illi tribuit politiæ. Vbi ne mireris iustitiam, fortitudinem, ac temperantiam, ornatus illius nomine (vt nos exposuimus) designare: cum epistola decima disciplinas quæ ad meram intelligentiam pertinent, animi ornamenta censeri velit: fortitudinem verò atque huiusmodi alia, non ornamenta, sed veras virtutes, verámque philosophiam iubeat appellari: nam eo in loco vbi interpres legit ornamenta; græcè est non* κόσμον, *vt hîc, sed* κομψότητας, *quæ vox, vt aliqui existimant, haud ita verè animi ornamenta significat, sed potiùs fastum, atque cognitionem cũ superbia mixtã; ita vt dum fortitudinem, caeteràsque huiusmodi virtutes veram philosophiam iudicat, caeterarum uerò rerum cognitionem fastum quendam atque superbiam; illud fermè Apostoli expresserit.* Scientia inflat, spiritus ædificat. *Quare idemmet Ficinus in eius epistolae argumento fatetur*

eam vocem ornamentum significare argutæ vanitati ac superbiæ mixtum. Vt propterea hoc in loco, in quo est κόσμον, rectè possimus fortitudinem, cæteráſque huiuſmodi virtutes intelligere. Quanquam quam germanam illius loci sententiam eſse putem, expoſui alibi. Sed cur eas leges ad diuinationem vſque ac medicinam addit pertinere? Proclus cum quæreret quam nam prudentiam significaret hîc Plato, tradidit eſſe illam quæ pertinet ad contemplationem τῶν ὅλων: atque in rebus ſupramundanis (vt ita dicam) verſari primùm, tum in humanis: sic vt ad diuinationem vſque, medicinámque perueniat. Quo in loco dum prudentiam ad contemplationem τῶν ὅλων τῶν ὑπερκοσμίων πραγμάτων refert, quantopere Platoni contradicat, ſatis ſuperque conſtat ex his, quæ paulò ante de moralibus virtutibus atulimus. Dum verò vult prudentiam ad diuinationem ac medicinam vſque deſcendere, videtur præcepta ab expoſita literæ ſententia longè aliena fundere: nam quod de lege tradit Plato (hanc enim dixit ab ipſa prudentia ad medicinam vſque per intermedias virtutes deſcendere) ad prudentiam reuocat Proclus: & quae Plato in rerum diuinarum loco habita eſſe monuit, (diuinationem inquam & medicinam) ille intra humanarum rerum ordinem collocauit. Ac propterea etiam dum illis verbis, Εστι δὲ καὶ μίξις τῶν δύο τούτων φρονήσεως τε μαντικῆς καὶ ἰατρικῆς diuinationē ac medicinā duas prudētias appellat, a præſenti inſtituto longè vagatur. Satis itaque erit opinor, ſi dicamus poſt morales virtutes, quæ apud Saitas lege procuratae commemorantur, diuinationis, medicinǽque peculiariter mentionem fieri, quòd hæc neceſſaria cenſerentur in ciuitate: ſicut eodem planè nomine tam luculenter meminerat prudentiae. Quod ſi artes illas ab Aegyptijs ſummo ſtudio tractatas fuiſſe conſtaret, legibúſque ipſis procuratas, facilè etiam Plato hac de cauſa peculiarem harum mentionem facere potuiſſet. Quanquā id de medicina vel ex eo conſtare poteſt, quod Euripides (id quod ex Laërtio iam antea retulimus) Aegyptios omnes pro medicis haberet. Nam de diuinatione illa ſeu potiùs ſuperſtitione, hoc ipſum ita certum eſt, vt ſexcenta ſuperſtitionum genera ab ipſis tanquam a fonte promanaſſe Chryſoſtomus atque alij plurimi ſanctiſſimi viri teſtentur. De huiuſmodi autem Aegyptiorum diuinatione non eſt cur hic agamus; nam praeterquàm quod obiter hîc Plato incidit in eius mentionem, diuinationis tractatio proprium locum habet in Timaeo. Ac propterea multò minus in Procli nugis refutandis laborabo, qui dum hic diuinationem ac medicinam in Dijs primùm, tum in Daemonibus, ac denique in hominibus ponit, varia pro more commentitia ac fabuloſa Platoni affingit. Sequitur.

Part.XXX.	Ἐκ τούτων θείων ὄντων εἰς τὰ ἀνθρώπινα ἐξανευρὼν ὅσα τε ἄλλα τούτοις ἕπεται μαθήματα, πάντα κτησάμενος.	Primùm quæcunque ad hæc attinent diſciplinæ diligenter inſtitutæ a lege reperiuntur.	Ficinus.
		Rebus diuinis itaque primùm conſtitutis, cætera addidit omnia quæ ad humanæ ſocietatis diſciplinam rationemque pertinerent.	Nou.int.

Atque

Atque ex his quæ diuina ſunt, ad eorum inuentionem pergens quæ ſunt humana, eas omnes diſciplinas comparauit, quae ex ſuperioribus conſequuntur.

Com. xxx

Hunc locum ſic vertit Ficinus, vt propter illud ἐκ τούτων θείων ὄντων. Ex his quæ diuina ſunt, *Medicinam de qua poſtremo facta erat mentio, diuinam, hoc eſt diuinitùs procuratam, crediderit ſignificari: atque ita cum in ſuperiore contextu vertiſſet,* & ſanitas nobis per hæc diuinitùs procurata. *hîc priorem huius loci partem neglexit. Sed profectò aberraſſe videtur: nam præterquam quod horum verborum ſententia a ſuperiore diſtinguitur, Plato non modò ſanitatem, ſiue (vt ipſe ait) Medicinā, ſed cætera omnia de quibus paulò ante loquebatur; diuinitùs procurata eſſe contēdit. Qua in re Erizus etiā tū in eo lapſus eſt, quòd Marſiliū magna ex parte ſequutus, hæc loca coniunxit, tum præſertim quòd illud* ὥστε ἄλλα πάντα κτισάμενος, Cæteras diſciplinas poſsidens, *vertit, quod (vt videbimus) nihil fermè ad rem facit. Hæc itaque (ni fallor) germana eſt huius loci ſententia.* Ab his quæ diuina ſunt, pergens ad eorum inuentionem quæ ſunt humana eas omnes diſciplinas comparauit, quæ ex ſuperioribus conſequuntur. *Quo in loco ſignificat legem ijs omnibus procuratis quæ diuina ſunt, prudentia ſcilicet, cæteriſque moralibus virtutibus, ac diuinatione præterea & Medicina, ad humanas diſciplinas deſcendiße, cuiuſmodi ſunt (vt Proclus exponit) Geometria, Aſtrologia, ac cæteræ mathematicæ diſciplinæ. Quare ab his, quæ tū ad humanā ſocietatē tum ad uitā tuendā neceßaria iudicabantur, ad ea quæ non neceſſaria ſunt, ſed animū potiùs ornant, profectus eſt. Vocauit autē ſuperiores uirtutes atque artes, diuinas, uel in eam Menexeni opinionē intuens, qua procreatis, adultíſque Athenienſibus principes illis ac præceptores inductos ait Deos, a quibus rei militaris ſcientiā, artéſque uarias didicerint: uel ad eā alludens fabulā, qua ferebant Iouē per Mercurium hominibus pudorē iuſtitiámque inſeruiſſe. Prometheum uerò Vulcani Mineruaéque ſapietiā atque artes docuiſſe: uel certè diuinas appellat, quia exiſtimauit prudentiam cæteráſque morales uirtutes (ut in Politia uidere eſt) a Deo in animos inſeri ab ipſo ortu atque a nobis excoli potiùs, quā cōparari: quod iam ſatis antea explicauimus. De diuinatione uerò, cur eā diuinam cenſeat, dubitari non poteſt. Quod de medicina etiā facilè intelligitur, tum propter eiùs authores Apollinem (vt ipſi opinabantur) & Aeſculapium, quos ſtultiſſima illa natio in Deos referebat: tum fortaße quòd eam cum diuinitate, atque adeò cum ſuperſtitioſiſſimis cantionibus, ac ueneficijs coniungerent, ſic ut diuina ipſa quoque haberetur: tum denique quòd talem † Hippocrates atque alij multi eam eſſe uenditaſſent. Qua in re uidendus eſt Celſus, Galenus, atque ipſemet Hippocrates. Contra uerò cæteras diſciplinas appellat humanas, quia hominum induſtria inuentæ eſſent. Geometria enim et Arythmetica, immo Aſtrologia etiam & Muſica tales exiſtimabantur: quibus fortaſſe diſſerendi quoque artem; & alia id genus addere poſſis. Nam licet uenditaſſe uideatur*

† Hip. lib. de veter. medi. & lib. de decen. orn.

Musicam non ab hominibus inuentam, sed diuinitùs fuisse illis tributam ut in Alcibiade primo, & secundo de legibus uidere est: ibi tamen præterquam quod poëtarum sese existimationi accommodat, atque Apollinē, & Musas per allegoriam harmonici rythmi, harmoniaéque ipsius duces facit, sic tamen eos duces facit, vt concelebratores tantùm atque moderatores appellet. Quare nouus interpres qui hoc in loco per has disciplinas ea omnia intelligit, quæ ad humanæ societatis disciplinam, rationémque pertinent, aliquanto latiùs expressisse locum videtur, quàm postularet: immo nonnihil a Platone discessisse: nam superiùs (vt ego quidem existimo) per virtutes morales, diuinationémque ac medicinam ea omnia significauit, quibus ad humanam societatem tuendam tum animo, tum corpori prospiceretur: at hic de cæteris loquitur, quæ intelligentem quidem animum excolunt atque ornant, non tamen ad tuendam humanam societatem valde sunt necessaria, ut sunt Dialectica, Musica, & huiusmodi alia. Quod si quis duas istas superiores particulas alijs interpunctionibus adhibitis inter se coniungat, atque in hunc modum legat. Τὸ δ' οὖν περὶ τῆς φρονήσεως ὁρᾷς που τὸν νόμον τῇδε ὅσην ἐπιμέλειαν ἐποιήσατο εὐθὺς κατ' ἀρχὰς, περί τε τὸν κόσμον, ἅπαντα μέχρι μαντικῆς καὶ ἰατρικῆς πρὸς ὑγίειαν (ἐκ τούτων θείων ὄντων εἰς τὰ ἀνθρώπινα ἐξανδρῶν) ὅσα τε ἄλλα τούτοις ἕπεται μαθήματα πάντα κτησάμενος, *atque sententiam nonnihil a superiore dissidentem elicere velit, non magnopere me repugnante faciet: sed spinosum iste & obscurum locum fateatur necesse est. Sequitur.*

Part. XXXI. Ταύτην οὖν δὴ τότε ξύμπασαν τὴν διακόσμησιν καὶ σύνταξιν ἡ θεὸς προτέρους ὑμᾶς διακοσμήσασα κατῴκισεν ἐκλεξαμένη τὸν τόπον ἐν ᾧ γεγένησθε, τὴν εὐκρασίαν τῶν ὡρῶν ἐν αὐτῷ κατιδοῦσα, ὅτι φρονιμωτάτους ἄνδρας οἴσει. Ἅτ' οὖν φιλοπόλεμός τε καὶ φιλόσοφος ἡ θεὸς οὖσα, τὸν προσφερεστάτους αὐτῇ μέλλοντα οἴσειν τόπον ἄνδρας, τοῦτον ἐκλεξαμένη πρῶτον κατῴκισεν.

Ficinus. *Huiusmodi institutione & ordine priorem vestrā vrbem Dea exornauit, cum in vrbe condenda eam regionem elegisset, quæ ob aeris temperiem prudentissima ingenia procrearet. Vtpote enim bellicosa & sapiens Dea regionem eligendam censuit talem, quæ esset sui similes homines editura.*

Nou. int. *Hunc in modum Dea hoc compositionis, ornatusque genere & forma compositas certis sedibus collocauit, ijs nimirū locis in quibus nati estis, ad hanc rem destinatis, montium commodam opportunamque tempertem conspicata, inde præsagiens prudentes & sagaces viros orituros. Dea igitur illa, & armorum & prudentiæ studiosa, cum locum qui optimos excellentissimosque homines laturus esset, & elegit, & habitationi accommodauit.*

Benius. *Hac itaque dispositione, hisque institutis, Dea priores vos instruxit ac perpoliuit, certisque sedibus collocauit: hunc ipsum locum in quo nati estis, ea de causa eligens, quod propter montium temperationem præsenserat uiros prudentissimos editurum. Namque ut est bellicosa & sapiens, eum delegit locum, qui uiros sibi progigneret quamsimillimos, eundemque ad habitandum accommodauit.*

Com. XXXI. *Concludit Sacerdos hac dispositione institutoq́; úmque ratione priscos Athenienses a Pallade fuisse exultos: atque in certis sedibus collocatos: cum eum ipsum locum in quo nati sunt, elegisset, quē sanè locū propter*

montium

montium (ὀρῶν *enim retinendum esse, non autem reponendum* ἐρῶν, *infra docebimus*) *temperationem præsenserat viros prudentissimos editurum. Cuius rei statim etiam affert rationem, ab ipsius Mineruæ naturæ ductam. Nam* (*inquit*) *vt est* φιλοπόλεμος καὶ φιλόσοφος, *bellicosa & sapiens, ita eum delegit locum, qui editurus esset viros sibi quã simillimos: simúlque* (*id quod Chalcidium secuti omiserunt Erizus ac Ficinus*) *eundem locum habitationi accommodauit atque disposuit. Quam rem in Atlantico dum de terræ partitione inter Deos illos facta loqueretur, latiùs explicauit his verbis.* Vulcanus autem & Minerua naturam habentes communem, tum quia eodem ex patre sunt, tum quia per sapientiæ studium, pérque artium diligentiam ad eadem tendunt, ita communem sortem hanc nacti sunt regionem, vt pote virtuti prudentiæque natura propriam atque congruam: procreantésque in ea viros indigenas admodũ generosos, eorum mentibus Reipub. ordinem infunderunt. *Quo in loco, etsi totus in eo videtur esse, vt Palladis, atque eorum, qui ex ea regione orti sunt, sapientiam exprimere velit, non tamen rei bellicæ studium omittit: nam hoc tum in Pallade expressit, dum præter sapientiam, aliarum artium studium in ea posuit: tum priscis illis Atheniensibus attribuit, dum eos* ἀγαθοὺς *generosos, inquam, ac fortes* (*hoc enim nomine in Menexeno eos passim appellat, qui pro patria fortiter occubuissent*) *dicit procreatos. Et ideo præterquam quòd res ab illis bello præclarè gestas commemorat, hîc addit Palladem illis Reipub. ordinem infudisse, cuius tamen administratio non sapientia solùm, sed rei quoque militaris scientia continetur, vt in Protagora, & in politicis docet. Atticæ verò totiusque illius regionis rationem ac formam descripserunt non pauci, qui omnes asperam ac montosam esse tradiderunt, quemadmodum etiam hîc significat Plato. Quare Solinus capite xiij. plurimos illius regionis montes recenset, veluti Icarium, Aegialũ, Hymettum atque alios; eiusdem saxa quædam ac rupes affirmat sex millia passuum protendi. Cui optimè consentit Mela libro de situ orbis capite iij. qui asserit illam grandi fronte procedere: ingentem, & quasi peninsulam extendi: varia denique promontoria habere. Sed accuratissimè omnium Strabo sub initium libri ix. vbi & montanam appellat Atticam, & promontorijs, scopulis, præcipitijs ait esse refertam. Quocirca Plato sicut hîc montosam Atticam vocat, ita in Atlantico montiuagum genus videtur Atticos appellare. Quod si ita est, quid sibi voluit supra Aegyptius ille Sacerdos dum diceret,* ὅταν δ' αὖ οἱ θεοὶ τὴν γῆν ὕδασι καθαίροντες κατακλύζωσιν, οἱ μὲν ἐν τοῖς ὄρεσι διασώζονται βουκόλοι, νομεῖς τε. οἱ δ' ἐν ταῖς παρ' ὑμῖν πόλεσιν εἰς τὴν θάλατταν ὑπὸ τῶν ποταμῶν φέρονται. *hoc est.* Contra verò cum Dij terram aquis perpurgantes demergunt; tunc bubulci asseruantur atque pastores, qui montes incolunt. At qui vrbium vestrarum sedes nacti sunt, ad mare fluminum impetu rapiuntur. *Hæc Sacerdos: qui loqui videtur de Atticis vrbibus perinde atque in planicie sitae essent non in montibus: vt propterea Ficinus vertat.*

Vestræ autem ciuitates in planicie sitæ, impetu fluminum ad maria rapiuntur. *Pugnare itaque secum ipse videtur Plato: qui Atticam modò montosam, modò in planicie positam facit? Respondeo Atticam montibus locorúmque asperitate obstructã atque impeditam fuisse, negari non potest, id enim clariùs fatetur Plato, atque historici omnes tradunt, quàm vt in controuersiam vocari possit. Et licet Marathonem fortasse, immo aliquam Athenarum partem, aliúmue locum (cum Strabone testes, duodecim vrbibus à principio constaret Attica) non negarim quoquo modo in planicie fuisse positam, id tamen minimè efficit, quo minùs in vniuersùm montosa atque aspera appelletur regio. Quare Sacerdos nullo modo affirmabat eas vrbes in planitie fuisse sitas, vt vult Ficinus, sed tantùm.* Qui vestras (*aiebat*) vrbes incolunt, rapiuntur in mare. *Vbi generaliter loquebatur, atque de omnibus qui in vrbibus versarentur non de aliquibus vt suspiceris, si Ficinum audias, Ac propterea cum nunquam in campis ac planicie sitam faciat Atticam, nullo modo dicendum est, secum ipsummet pugnare, quòd modò in montibus, modò in planicie eam collocauerit. At saltem idcirco reprehẽdendus est, quod fluminibus, eas vrbes rapi affirmat, quas montosas esse non negat. Immo cum eos qui incolunt vrbes, ijs pastoribus visus sit opposuiße qui in montibus degunt, atque hos idcirco igne, cæteros qui essent in vrbibus, àquis perire dixerit, neque prima dubitatio videtur sublata. Profectò (vt his quoque respondeam, atque ingenuè fatear quod sentio) Plato omnino decreuerat antiquissimas illas Athenas suis illis institutis excultas proferre: séque interim eluuionibus atque exustionibus tueri, si quis ob inauditæ rei nouitatẽ reclamaret. Id autem eò fidentiùs facere potuit, quòd aliarum huiusmodi calamitatum memoria extaret apud Atticos: nam Thessalia, quæ etiam non parum montosa est, immo Attica ipsa aliáque loca superioribus temporibus aquis ignéque fuerunt deuastata, vt suo loco exponemus fusiùs. Huc accedebat quòd Attica depreßo loco sita erat, & vndique ferè attingebat mare, atque litoralis erat: vnde etiam nomen inuenit. Quod si edita habebat loca, ea sanè (vt ex Strabone intelligitur) maiore ex parte, scopulis, promontorijs, rupibus, asperisque huiusmodi locis continebãtur. atque hoc pacto multas finitimas insulas habebat, quas suburbanas vocat Solinus. Quare eluuionibus hæc potiùs loca, quàm montes, ac præsertim editos vastari voluit Plato: sicut contra eos qui loca magis edita tenerent ac celsa, igne perire affirmauit. Atque ita opponit Atticæ Aegyptum, quòd hanc ab igne tueretur Nilus ab aquis loci natura, cum aqua in eo nunquam supernè descenderet. Vt propterea non modò secum ipse non dissideat, verum etiam accommodatè prætexerè potuerit, vrbes in mare rapi, quæ tamen non in planitie, sed asperis in locis essent collocatæ. Verùm an idem iudicauerit de eius loci temperamento paulò post considerabimus, Nunc videamus, cur hîc dicat Palladem eum locum elegiße, cùm paulò ante sorte illi dixerit obtigisse? Sic enim aiebat Sacerdos.* Dicam maximè Deæ gratia, quæ vestram vrbem ἔλαχε καὶ ἔθρεψε, καὶ ἐπαίδευσε, sortita est, nutriuit atque instituit. *Marsilius & Erizus facilè sese expedisse videntur, nam illud ἔλαχε, uer-*

terunt

terunt Condidit, Chalcidium ſecuti, qui eodem planè modo locum conuerti. Sed malè, nam præterquam quòd in Atlantico etiam vbi eâdem de re fuſiùs agitur, Pallas eum locum ſortita dicitur, vocis notio clarior eſt, quàm ut diſſimulari poſſit. Proclus ergo, qui optimè hanc dubitationem uidit, ut eam dilueret Συντρέχει (inquit) ἀμφότερα. καὶ οὔτε τὸ λαχεῖν ἔξω αὐτῆς ἀβούλητον, οὔτε ἡ αἵρεσις ἄτακτον, διὰ δὴ ὅτιν ἐπὶ τῆς μερικῆς ψυχῆς, hoc eſt. In idem vtrumque recurrit ac recidit: neque enim inuita eum locum ſortita eſt: neque tumultuaria fuit electio, vt in ſingulis animis vſu venire ſolet. Quod vt explicaret, ſtatim etiam addidit diuinam neceſſitatem cum diuina voluntate concurrere, electionémque cum ſorte. Sed hæc ſententia, quod ad Deum pertinet, non ſolùm Platoni, verùm etiam ueritati ipſi contradicit, Platoni quidem, quia in Deo ſummam libertatem ſtatuit: neceſſitatémque ab eo longo interuallo diſiungit, vt in Timæo ipſo conſtabit. Veritati autem, quia etſi in Deo intrinſecùs in filij generatione atque Spiritus Sancti productione quæ neceſſariò fit, hoc eſt naturaliter ac per ſe, neceſsitas cum voluntate concurrat, cum illud ipſum quod neceſſariò fit, ſimul etiam tum pater, tum filius velit, omniſque violentia, atque extrinſecæ naturæ actio excludatur; in his tamen quæ Deus extra ſeipſum efficit aut adminiſtrat, nulla, quod ad ipſum attinet, neceſsitas cadit, aut admiſcetur: ſed ſumma libertas reperitur. Adde fieri quidem poße vt voluntas & neceſsitas in re aliqua coëant, vt cum humana voluntas beatam vitam expetit; nam neceſſario expetit; at electio & neceſsitas coire nullo modo poßunt: cum electio neceſsitati è regione opponatur. Exiſtimarim itaque non eſſe cum Proclo ad hæc myſteria confugiendum: potuit enim Palladi ſorte obtingere Attica regio, ac deinde tamen certum eius regionis locum deligere, in quo vrbem exædificaret. Nam in Atlantico, vbi Deos tradit vniuerſam terram inter ſeſe partitos eße, Vulcanus, (inquit) & Minerua hanc ſortiti ſunt regionem: hîc verò vbi de electione mentionem facit, contendit Mineruam eum locum elegiſſe, in quo montium temperiem conſpicata eſſet. Vt propterea ſors ad regionem vniuerſam, electio ad certum eius regionis locum pertinere poſsit. Quanquam quoniam in Atlantico τόπον καὶ χώραν, locum, inquam, & regionem promiſcue vſurpare videtur, atque eadem fermè quæ ibi pronunciauit de regione iſta, quam Palladi obtigiße ait, hîc de eo loco profert, quem voluit elegiſſe, commodior fortaße dubitationis ſoluendæ ratio eſt conquirenda. Et ſanè Plato ipſe in Atlantico luculenter, ſi rectè animaduertamus, obtulit eam: nam cum de hac terræ diuiſione diſputans, dixiſſet, Dii quondam vniuerſæ terræ orbem ſigillatim ſortiti ſunt, in regiones ſingulas diſtributum, ſtatim ne ſuſpicaremur diſsidio quodam id factum eße, intulit. Neque partitionem hanc contentio fecit: nam procul á ratione id eſſet, quod Dij, vel quæ vnicuique ipſorum conueniunt, ignorarent, vel cognoſcentes, quæ potiùs alijs competunt, aliena iura viciſsim vſurpare contenderent. Cæterum iudicij iuriſque ſortibus: ſua quique ad votum ſuſcipientes, curantéſque amicorum ſingula, regiones ha-

bitandas

bitandas disposuerunt. *Vbi satis declarat, antequam ea fieret distributio, fuisse Dijs illis perspectum, quis vnicuique locus conueniret, atque ita, cum nemo expeteret nisi quod sibi cōueniret,* δίκης τοῖς κλήροις, *iuris siue iudicij sortibus, quæ nihil tandem erant, quàm distributio quædam summa omnium consensione ac voluntate facta; terram fuisse diuisam, atque hac ratione Palladi Atticam obuenisse. Quamobrem hîc ex parte Deorum illorum nulla erat necessitas; vel si aliqua erat, ex suppositione erat (vt Scholæ loquuntur) quia scilicet cum optimè nossent quid deceret, iam in animum induxissent, nihil nisi decens efficere: quod electionem ac libertatem non tollit. Immo Plato verbis illis* δίκαις κλήροις τὰ φίλων λαγχάνοντες, iuris sortibus quæ amicorum essent, sortientes, *his* iuris sortibus, *omnino videtur admonere hanc distributionem nullam necessitatem habuiße, vt propter Poëtas, qui eam peruulgarant, suspicari poterat quispiam, sed ad votum omnino successisse. Qua fortasse ratione Procli sententia ad meliores fruges traduci posset.*

De Atticæ tẽperatione.

Sed iam videamus quid tandem intelligat per hanc εὐκρασίαν τῶν ὀρῶν, *per bonam, inquam, montium temperationem, quã ibi Pallas dicitur obseruasse: & (quod præcipuum est) quomodo huiusmodi loca prudentes viros dicantur edere.*

Porphyrius.

Mitto autem Porphyrij sententiam qui id non ad loci temperamentum retulit, sed cum Mineruam in Luna collocasset, inde animos dimitti voluit tum animosos ac fortes, tum mansuetudine ornatos, atque ita φιλοπολέμους καὶ φιλοσόφους *euadere. Nam etsi Plato in politia animi robore ac mansuetudine suos custodes excolit, ijsdémque virtutibus, quippe quæ omnia vitæ officia manant, fortes effici vult & sapientes: dum tamen hos animos è Luna in Atticam descendere, aut Palladem ibi residere contendit, fabulã potiùs mihi videtur pertexere quàm philosophari.*

Origenes.

Ad Origenem itaque venio, qui id totum de cœlestibus conuersionibus intelligi voluit, ea nimirum opinione ductus, quòd inde oriatur siue fertilitas, siue sterilitas animorum. Atque id quidẽ vel ipsius Platonis testimonio cõstare dicit, qui id in politia docuerit. Verùm hæc sententia vix ac ne uix quidem videtur tolerari poße: nã primo Critias tum hic, tum in Atlantico perspicuis verbis id de loci situ ac regione pronunciat, quam optimè temperatam esse vult. Deinde si id totum ad cœli conuersiones reuocandum est, quò tandem spectat id montibus acceptum referre? aut quorsum hæc terrarum distributio, certæque regionis electio? Denique facilè dici potuit ex cœlestibus conuersionibus animorũ siue sterilitatem, siue fertilitatem prouenire: sed sine ratione non debuit: quam si quis ab eo quæsißet, aut nullam tandem afferre potuißet, aut certè longè remotam: cum non nisi alijs intermedijs causis, atque accidentaria (vt ita dicam) ratione cœlum operetur in animum, quatenus scilicet permiscet atque afficit corpora, quibus & ad intelligendum, & ad cæteras functiones exercendas, quandiu in hac vita viuit, aut iuuari, aut impediri potest. Neque video vbinam in Platonis politia hæc opinio prodita sit: nam vt paulò post dicam, oppositam planè sententiam tradidit ibi noster Plato.

Longinus.

Longinus itaque conten-

contendit hanc ἀκρασίαν *non pertinere ad aëris temperamentum, sed ad priuatum quendam habitum nomine carentem, qui valde ad prudentiam conducit. Ita vt quemadmodum reperiuntur quædam aquæ quæ diuinandi vim conferunt, & loca quædam quæ morbos & interitus afferunt, sic etiam priuatus at latens loci quidam habitus prudentiam ingeneret. Qua in re Iamblichus etiam consimilem explicandi viam init: etsi enim dum declarat, cur Pallas* φιλοπόλεμος *dicatur ac* φιλόσοφος, *videtur agnoscere Attici soli temperaturam, per quam regio apta sit ad animos excipiendos Palladem in belli ac sapientiæ studijs imitantes, dum tamen de huiusmodi* ἀκρασίας *agit, negat hanc tribuendam esse corporeæ regionis dispositioni, sed incorporeæ cuidam causæ, quæ terram peruadens, omnémque dimensionem complectens, vitæ beneficio corpora sustineat ac tueatur. Sed præterquàm quòd isti ad occultas virtutes atque causas confugiunt, quæ longè obscuriores sunt eo ipso aëris locique temperamento, quod plana literæ sententia nobis affert: explicandum Iamblicho erat, cur hæc virtus quæ terram vniuersam peruadit, cum vna eadémque sit, Atticos homines præclarè afficiat, cæteros verò demissè atque humiliter: & cur in eodem planè loco alter in belli studijs prudens ac solers, in Medicina verò rudis euadat: alter contra medicinæ arte excellat, sed rei militaris prudentia omnino careat. Certè nisi alias magis intimas causas afferat, quæ diuersas atque oppositas agendi vires habeant, vel etiam varias hominum qualitates ac temperaturas ijs addat, vnde alia atque alia ratione afficiantur, non video qua ratione sententiam istam tueri possit. Nam si eam huius incorporeæ causæ vim esse velit, vt nullius rei adminiculo, sed pro arbitratu prudentiam ingenerare possit, atque ad varia studia incendere atque informare, iam explicandum quoque erit, cur velit Plato Palladem certam regionem delegisse, tantámque institutorum, atque legum varietatem introduxiße, quibus suos ciues excoleret. Longino etiam declarandum erat, quo pacto hominum mentes, quae eiusdem per se naturæ sunt, ab vna eadémque virtute, præsertim corporea, quæ ad vnum aliquid determinata eße debet, inclinari possint ad tam multiplicia studia ac prudentiae munera, quae miram ingenij varietatem & postulant, & praeseferunt. Quare huic etiam tandem ad magis intimas ac peculiares causas, affectionésque confugiendum eßet. Nam mortifera illa loca (vt ad eius exempla deueniam) praeterquam quòd vnum semper ac certum effectum, interitum videlicet inducunt, non autem varios, quemadmodum in politica administratione contingit; non sine aliarum causarum adminiculis agunt: demúmque (quod rei caput est) non in animum ac mentem, sed in corpus influunt. Aque verò illae, quas ad diuinandum tam magnum momentum habere contendit, parùm admodum aut nihil ad præsentem controuersiam faciunt. Nam legi quidem quae scribit Pausanias de duobus illis fontibus, quorum alter obliuionis, memoriae alter ea de causa diceretur, quòd illius*

Iamblichus.

aquæ epotæ obliuionem inducerent, huius contra ad memoriam conferrent: scio etiam eundem tradidiße in Achaia cuidam fonti eam vim fuisse insitã vt multi qui ex eo haurirent, futura præsentirent: memini præterea me apud eundem legere in Ysia Boeotiæ vrbe fuiße quasdam aquas, quarum munere verissima responsa acciperent ij qui eas perpotaßent: nec me latet (eodem teste) in Argis arce contigiße: vt virgines quæ singulis mensibus agni sanguinem delibarent, futura prædicere crederentur: id quod de oraculis Brachidico & Colophonio scripsit Porphyrius, *dum huius aquæ vates efficerent bibentes: illius verò ascendentes halitus, diuinandi vim tribuerent sustinentibus. Atque in eandem fermè sententiam alia perlegi multa, quæ Plutarchus, M. Tullius, alijque nonnulli memoriæ prodiderunt. Sed vt omittam hæc non immeritò in suspicionem venire poße, partim falsitatis nomine, partim quòd non aquarum vi, sed Dæmonis industria consecuta sint, quid opus est, aut ad occultos locorum habitus confugere, aut illos huiusmodi exemplis confirmare, cum Plato tam disertis verbis rem totam retulerit ad montium temperamentum? atque (vt mox dicam) experientia ipsa constet hoc temperamentum ad incolarum intelligentiam atque prudentiam plurimum momenti habere? Proclus autem monet, singulas locorum partes nactas esse animos sibi conuenientes: ita vt Mars in sua regione animosos ac fortes animos habeat, Apollo diuinandi peritos, Aesculapius medendi studio deditos, Minerua prudentes. Quod si ab eo quæras, qua tandem ratione tales efficiantur, ad latebras de more cõfugit: contendit enim id à qualitate quadam prouenire. Sed quoniam facilè animaduerterat se his fabulatorem potiùs, quàm philosophum videri posse, addidit à numine potiùs id prouenire, quod regionem illam sortitum esset: sic vt* εὐκρασία *hæc nihil aliud sit quàm* εὐαρμοσία, *siue bona quædam constitutio. Nam (inquit) singulis locis plurimæ insunt virtutes tum physicæ, tum animales, tum dæmoniacæ, tum denique Angelicæ; quas omnes miscet atque vnit immixtè vniens vnitas sortientis Deæ. Atque hæc quatuor virtutum genera subdit ab Homero significatas esse per horas, quæ à patre custodiæ sortem accipientes, cœlum custodiunt, animósque perficiunt. Vt propterea Pallas cum cerneret illius regionis intercapedinem optimè custoditam, atque ad prudentes animos excipiendos accommodatam esse, elegerit ipsam. Atque ita multa adhuc somnia pertexit. Quamobrem si illud vnum ex huiusmodi dictis exceperis, quod ex B. Dionysio vsurpauit, Angelos nempe regionum custodiæ præeße, nihil ferè habes quod non commentitium sit ac fabulosum. Atque hoc ipsum contendo dum paulò post explicans cur Minerua dicatur* φιλοπόλεμος, & φιλόσοφος, *eius ortum variásque res ab ipsa gestas ex poëtis hauriens, fusissimísque allegorijs declarans, seu potiùs inuoluens, tantopere triumphat. Ergo his omissis, dicendum est, verè loci temperamentum maximam vim habere ad animos afficiendos siue ad stuporem ac tarditatem, siue ad perspicaciam atque solertiam. Quæ res neque vsque adeò difficilem habet explicatum. Nam vt artifex*

Proclus.

Authoris sententia.

tifex instrumentis eget ad sua opera conficienda, atque eò perfectiùs hæc conficit, quo perfectioribus instrumentis vtitur: sic animus noster dum in hoc corpore versatur, eò meliùs intelligit, quò corporis humores ac temperatio, & sensus denique ipsi, vnde rerum species haurit, meliùs affecta sunt. Hinc fit, vt ubi aër, aqua, venti prætcrea, cibique ipsi, & si quæ sunt huius generis, reperiantur, quæ faueant corporis temperaturæ, eámque in debita quadam moderatione contineant, ibi homines intelligentia atque prudentia magis vigeant. Et ideo Aristoteles. Optima (*inquit*) † temperies non corpori solùm, verùm etiam intelligentiæ hominis prodest: excessus autem omnes dimouent: & vt corporis, ita etiam mentis temperamentum peruertunt. *Quod & ante Aristotelem summus ille medicorum princeps Hippocrates docuerat: qui loci temperamentum non ad sanitatem solùm, (id quod passim scriptum reliquit) verùm etiã ad ingenium disciplinásque plurimum pertinere affirmauit. Quamobrem in Lege puerum instilui iubet in loco ab ipsa natura ad disciplinam accommodato: nam locus (vt ipse subdit) in quo ad disciplinas incũbimus, est circum stantis aëris instar, a quo his, quæ oriuntur è terra, accedit nutrimentum: atque in libro qui de aëre, aquis & locis inscribitur, magnanimitatem, fortitudinem, ingenij etiam siue tarditatem, siue acumen, tum in artibus omnibus, tum præsertim in re bellica à loco deriuare contendit. Quamobrem quæ de locis in eo libro tam copiosè disseruit magnus hic author, dum & varios gentium mores variáque studia atque ingenia ad locorum naturas referret, & rationem in primis traderet, qua Europei affecti essent, atque inter hos qui regiones aut asperas aut mari proximas incolunt; rem vniuersam apertiùs declarant, quàm vt ad istorum somnia confugere oporteat. Neque tamen est negandum cœlestia quoque corpora magnum ad id momentum habere: cum aërem ac cætera huiusmodi alia varie afficere soleant ac permiscere. Quare Aristoteles.* Tẽpora (*inquit*) † vim habent, & siderum ortus, Orionis, Arcturi, Vergiliarum, caniculæ, qui flatus imbrésque excitant, qui serenitates, frigora, teporésque solent afferre. Et † *Hippocrates cum ipse quoque locorum affectiones cum ad ventos tum ad cœlestia corpora reuocaret*, Circumspicere oportet (*inquit*) Vrbis situm, quomodo ad ventos & Solis exortus iacet: non enim æquales vires sunt ad Septentrionem sitæ & vergentis ad austrum: nempe eius quæ Solem exorientem, & quæ eundem occidentem spectat. *Et idcirco etiam monebat ad cognoscendam locorum temperationem, obseruandos esse astrorum occasus atque ortus, Astronomiámque ipsam esse perdiscendam. Quam sententiam Galenus deinde varijs in locis, ac longè fusiùs est prosecutus. Constat itaque cur montium temperamentum ad hominum prudentiam, facere existimauerit Plato.* Atque *hæc ipsa quidem sententia videtur etiam fuisse Pan ætij, atque aliorum quorundam veterum Platonicorum, qui etsi non explicent qua tandem ratione loci temperatio ad prudentiam conferat, attamen vt ait Proclus*, ἐπὶ τῶν φαινομένων ἤκου-

† *in proble. sect. 14. problem. 1.*

† *In problema. sect. 1. problem. 1.*

† *libro citato in initio.*

σαν, ὡς τῆς Ἀττικῆς διὰ τὰς ὥρας τοῦ ἔτους εὖ κεκραμμένας ἐπιτηδείως ἐχούσης πρὸς τὴν τῶν φρονίμων ἀνδρῶν ἀπογέννησιν. *hoc est*. Rem exploratam esse iudicarunt. Atticam propter temperatas anni partes prudentes viros omnino edere. *Immo Plato ipse (si quis rectè reputet) id non hîc solùm tradit, sed etiam (quod Origenis pace dictum sit) in politia. Nam in libro quarto cùm doceret mores, qui in ciuitate sunt, eos ipsos esse, qui in hominibus singulis reperiuntur, nec aliunde illos in ciuitatem importari*, Nam ridiculum esset (*inquit*) si in Thracia ac Scythia, atque in omnibus fermè superioribus terræ locis non ea ratione animositas vigeret, quòd in priuatis esset: vel si sapientiæ studium non eodem pacto in hac regione reperiretur: vel si denique lucri cupitas, quæ in Phœnicibus atque Aegyptijs non mediocriter dominatur, in aliam causam, quàm in singulos homines conferretur. *Quo in loco non sine artificio atque consilio exemplum animositatis ex illis gentibus sumit, quae degunt* κατὰ τὸν ἄνω τόπον, *in superioribus terrae locis, Boreales intelligens: nam tales sunt Thraces ac Scythae: sapientiae verò ex Attica regione: ac quaestuosi denique ingenij ex alia. Nam superiora illa loca (quaecunque tandem vera sit huius rei causa: nam non eadem affertur ab omnibus) ita animositati fauent, vt Solinus XVI. capite suae historiae Thraces validimas gentes appellet, ijsdemque affirmet ineße contemptum vitae: Attica verò vt est tēperata (est enim inter frigidas calidásque oras interiecta) sapientiae plurimum confert. Quam rem optimus hac in parte Platonis interpres*† *Aristoteles luculenter transtulit, ac declarauit in suis politicis his verbis.* Nam quæ frigidas regiones incolunt, & quæ per Europam (*tales autem*, † *Strabone teste sunt Thraces & Scythae, qui etiam Europeos attingunt, immo a* † *Plinio &* † *Solino Europei censentur*) animo quidem abundant, ingenij verò & artificij parum habent: quapropter in libertate magis perseuerant; disciplinam verò Reipublicæ difficulter recipiunt, ac finitimis dominari non possunt. Quæ verò Asiam incolunt (*inter has verò gentes Plato Phoenices atque Aegyptios recensuit, vt deinde Strabo* † *etiam fecit*) ingenio & arte abundant, sed animositatem non habent: propter quod & parêre dominantibus, & seruire perseuerant. At Græcorum genus, vt mediam regionem locorum sortitum est, sic etiam amborum est particeps: nam & animosum & ingeniosum est, ex quo fit, vt in libertate degat, & disciplinam Reipublicæ optimè recipiat. *Haec Aristoteles diligentissimè praeceptoptorem sequutus, qui (vt etiam libro primo aliqua ex parte significauimus) non solùm in Timaeo, & in quarto Politicorum haec tradiderat, verùm etiam in Menexeno & in Alantico, in quo inter caetera Mineruam scripsit Atticum solum nactam esse, tanquam uirtuti ac prudentiae accommodatum: atque inde procreaße homines admodum generosos, Reipublicæ ordinem illis infundendo. Quod hic ab Aristote-* le vi-

† Aristot. 7. pol. c. 7.

† Strab l. 7. & 11.

† Pl. l. 7. c. 11. & 12.

† Solin. c. 16.

† Strab. lib. 16. & 17.

le uides expressum. Verùm maiorem fortasse dubitationem habet an iure ac merito siue Plato siue Aristoteles affirmauerit Atticam regionem optimè temperatam esse. Nam Longinus id omnino negat: contendítque Atticam immoderatis imbribus ariditatibúsque esse obnoxiam: quod tum eluuio suadere videtur, quæ eam regionem inundauit: tum Phaëtontis incendium, quod in Attica fuisse Platomet testatus est: tum denique quod † Strabone teste magna sit eius sterilitas: sterilitas enim ab ijsdem causis saepè manat, quae corporis temperamentum deprauare solent. Quibus etiam illud addi potest, quod cum Plato patriæ celebrandæ studio fabulosa plurima protulisse videatur (id quod in Menexeno satis supérque constat) valde suspicandum est, ne hic quoque vbi in eundem sermonem incidit, eâdem cupiditate incensus, Atticam terram supra veritatem extulerit. Equidem M. Tullius qui hæc eadem de Romano solo affirmare ausus est, Platonis studium sequutus quidem, veritatem autem attigisse minimè videtur. Qua in re videndū esset an Attica fœliciter sita sit ad solē, astráque reliqua, & ventos: & an aquis (aëris enim bonitas ex Sole, & uentis præcipuè pendet) vtatur bonis: hac etenim lege (si Hippocrati credimus) regionum temperatio dijudicari debet. Quod si alicubi difficile est exploratu, in Attica certè est. Nam Europa (ut idem author scribit) eò præcipuè differt a reliquis Mundi partibus, quòd inter eius loca atque homines magna passim intercedit dissimilitudo atque varietas. Id quod in Attica (ni valde quidem fallor) non uulgariter contingere necesse est, cuius extremæ oræ undique ferè demissae sunt, & mari cinguntur: mediæ asperæ sunt & montosæ: sic ut hinc Septentrionem tota, illinc Austrum spectet Attica: hinc ad alias uergat Mundi plagas. Ac propterea non eadem ubique esse potest eius temperatio. & idcirco fortasse non dixit Plato regionis uniuersim, sed montium temperamentum illi fauere. Quamobrem (ut rem breuiter concludamus) existimarim quaecunque tandem fuerit Attici soli fœlicitas, Athenienses non tam loci natura, atque temperatione, quàm educatione, maiorum exemplis, gloriæ cupiditate, perpetua multarum gentium æmulatione, reíque militaris, & ingenuarum artium tractatione, tantopere bellica laude, cæterarúmque disciplinarum gloria floruisse. Sed iam facilè expectes, ut quoniam aliqui illud ὀρῶν, non montium, sed anni temporum (ὀ nimirū in ω uertentes) interpretantur, aperiam quid ad Platonis mentem esse putem. Et sanè uel ab eò tempore quo Academicorū sententias de temperatura illa percurrerem, dubitare cœpi quid tandem uox illa significaret; cum apud Proclum ὀρῶν passim (sed mendosè sine dubio ut alia innumera) reperirem: Ficinus uerò ὀρῶν montium scriptum reperisse uideatur: Panætiúsque ac Germanus interdres ὡρῶν hoc est anni tēporum legerint, ac † Pamælius denique ὅρων hoc est finium moneat legi posse.

Sed

An verè Attica optimè tēperata esset.

An motiū an verò anni tēporum præ texat temperamentū Plato.

† Strab. li. 8. sub init.

† Pa. in Tertull. l. de anima. nu. 264.

sed cum locum hunc cum Atlantico conferrem, ubi fusiùs eadem res tractatur, uisus est mihi Plato omnem dubitationem tollere: nam ibi longa disputatione de situ, ubertate, temperatura, pulchritudine ac fœlicitate loquitur huius soli, quod hic Mineruam sibi aßerit delegiße; & in quo tum Athenas condiderat, tum Attica sita erat uniuersa: imprimisque montes enumerat quibus continetur, earundem feracitatem ac bonitatem commemorat: docétque quo pacto factum esset ut per illud tempus minùs feraces essent, immo aruisse, atque a pristina ubertate ac fœlicitate degenerasse uiderentur. Vt propterea reliquis omnibus omissis quæ ad nostram sententiam confirmandam afferri poßent; Plato ipsemet uideatur tum dubitationem meã sustulisse, tum litem etiam diremiße, quam Henricus Stephanus Panætij sententia fortaße commotus, nouissimè excitauit: malè enim anni tempo-rum, *Panaetius, Henricus, ac Germanus interpres: non commodè* regionis fines *Pamelius: tametsi fines deinde pro regione sumit, quia finibus continetur, paulò commodiùs* salubrem locum, *aut* regionem *Chalcidius, & Ficinus (sententiam enim generatim saltem expresserunt) rectissimè omnium in præsentia Serranus, qui vt non semper dormitat,* montium *vertens, ententiam attigit expreßitque sigillatim. Quanquam hac in re anni tempus, aëris ac cœli affectio, montium, totiúsque Atticæ temperies ac natura ita inter se coniuncta sunt, vt quod de vno dixeris, de cæteris fermè dixeris. Atque ita facilè accidit vt Panætius ex temperie, ac natura anni temporum, montium atque Atticæ totius temperaturam declarare vellet. Nam Tertullianus qui in libro de anima,* † Siquidem (*inquit*) Plato in Timæo Mineruam affirmat cum vrbem illam moliretur, nihil aliud quàm regionis naturam prospexisse, talia ingenia pollicitam: *etsi montium non meminit, satis tamen ostendit se* ὀρῶν *legiße cum regionem spectasse dicat, de anni uero temporibus nihil. Sequitur,*

† nu. 264. siue c. 20.

Part. XXXII.

Ὠικεῖτε οὖν δὴ νόμοις τε τούτοις χρώμενοι, καὶ ἔτι μᾶλλον εὐνομούμενοι, πάσῃ τε πάντας ἀνθρώποις ὑπερβεβληκότες ἀρετῇ, καθάπερ εἰκὸς γεννήματα καὶ παιδεύματα θεῶν ὄντας,

His itaque legibus vel etiam honestioribus institutionibus formati veteres Athenienses, omni virtutum genere præ cæteris omnibus excelluerunt, vt decebat eos, qui Dijs geniti editique essent. **Ficinus.**

Vos ergo habitatis eum locum huiusmodi legibus vtentes, vt omnis virtutis genere cæteros mortales superetis, sicuti eos decet qui a Dijs & geniti, & educati fuerunt. **Nou. int.**

Vos igitur his legibus, vel etiam clarioribus vtentes, illam regionem incolitis, virtute cunctos mortales superantes, ut eos decebat qui a Dijs generati atque instituti essent. **Benius.**

Com. XXXII.

Si hæc de veteribus illis Atheniensibus pronunciaret Plato, vt summo consensu interpretantur Chalcidius, Marsilius, & Erizus, congruenter superiora claudere videretur. Cum enim breuiter attigerit illorum Atheniensium instituta, nunc iurè concluderet his legibus vel etiam honestioribus fuisse illos formatos: ac propterea omni virtutum genere excelluisse. Verùm etsi videri possit ita fuisse agendum, cum a claris illis legibus, ad res præclarè gestas progredi instituisset, vt has veluti exem

pla

pla (qua supra docuimus ratione) ad Socraticam politiam transferret: veruntamen si græcum codicem spectemus, aliter fecisse comperiemus; nam Plato id non de veteribus illis profert, sed de alijs qui ad Solonis vsque tempus floruerant, immo vel ab ipso Solone instituti erant. Nam cum dixißet Palladem eum locum elegisse, habitationémque aptaße. Vos itaque (intulit) his legibus (quas scilicet hactenus percensuimus) vel etiam clarioribus vtentes, eam regionem incolitis, virtute cunctos mortales superantes, vt eos decebat qui a Dijs geniti atque instituti essent. Atque in hūc fermè modū locū interpretatur nouus interpres: nec discrepare videtur Proclus, dum ait Platonem his verbis vnam candémque uitam per continuationem facere omnium Atheniensium, priscis illis Solonem annectens. Vbi quasi ipse etiam dubitaßet, cur ad Solonem vsque eiúsque ætatis politiam ita subitò conuertisset sermonem, cum priscorum tantū Atheniensium, qui ante eluuionem fuerant, instituta referret, indicat Soloni aptari priscam illam politiam per continuationem quandam. Quamobrem (vt ego quidem existimo) Plato quippe qui tum in patriæ laudibus, tum præsertim in Solone, cui sanguine iunctus erat, celebrando libentissimè versabatur, sacerdotem illum Atheniensibus, Solonique in primis blandientem fecit, quasi omniū mortalium clarissimi essent, idque veteribus institutis, vel etiam clarioribus (his autem Solonis leges subindicare videtur) vtentes. Solon enim antequam in Aegyptum nauigaret, ad præclarum vitæ institutum Remp. traduxerat. Quamobrem dum Socrates in libris da Rep. videtur tantopere damnare Atheniensium administrationem, in sua tempora intuetur quibus collapsa erat politica disciplina: statim enim ac Pysistratus rerū potitus est; quod contigit dum Solon ex Aegypto reuerteretur, Respub. ab optimo illo statu in perpetuam fermè Tyrannidem redacta est. Quod si prisca illa instituta & uirtus, quibus Solonis tempore floruisse significat Athenienses, fuerant simul cum Attica eluuionis clade deleta, optimè tamen uult loci temperie, qua iterum homines strenui ac sapientes gignerentur, post aliquod tempus excitata atque instaurata fuisse, ac propterea res, quibus orti essent Dijs, dignas egisse: quæ omnia disertissimè explicat in Menexeno, ubi persequitur & quæ aduersus Persas, Daríumque præsertim, & quæ aduersus alios multos terra maríque strenuè gesserant, ac quos ex Marathone præcipuè, Salamina, Plateisque triumphos reportarant. Quare dum dicit. Vos virtute cunctos mortales superantes, cum eos omnes intelligit, de quibus in Menexeno uerba facit, tum Solonem, atque alios omnes, qui per ea tempora uirtutis laude floruerunt. Nec tamen id impediet, quo minùs conuenienter claudat superiora, optiméque suum negocium conficiat, Nam cum attigisset leges atque instituta priscorum Atheniensium, hic posteris quoque temporibus illa uiguiße tantisper monens, ad res ab ijsdem priscis Atheniensibus gestas (ut proposuerat) progressum facit, ut mox dicam, si

tamen

Platonis & Lycurgi Respublicæ conferuntur.

tamẽ priùs dubitationẽ quandã diluero, quæ in rebus paulò ante dictis oritur. Etenim si quis diligenter conferat Platonis Remp. cum ijs, quæ multi ac Plutarchus in primis de politicis Lycurgi institutis scribunt, intelliget profectò ipsos plurimum inter se conuenire, ac præsertim in rebus difficilioribus. Nam Solon milites a cæteris opificibus separauit: mulieres nudas atque in publico uirorum instar lucta, disco, telorum iactu exercuit: a communitate uxorum ac filiorum non multum abfuit: idem amandabat inconcinnos atque ineptos fœtus, elegantes atque frugi retinebat: hæc, inquam, atque huiusmodi alia factitabantur in Lycurgi Repub. quæ Plato secutus est omnia. Neque enim audiendi sunt ij qui legislatorem Lacedæmoniorum Lycurgum Platonis discipulum faciunt, nominis similitudine decepti. Nam legislator iste trecentos circiter annos floruit ante Socratem, ut ipsemet Plato testatur in eo dialogo, qui Minos inscribitur. Quamobrem cum tanta intercedat similitudo atque consensio inter Laconicam atque Socraticam Politiam, & Lycurgus ex Cretensibus eas acceperit, ut Plutarchus inter cæteros in Lycurgo, & Plato in loco recitato testantur, mirum profectò uideri potest, Platoni fuisse obiectũ quòd Aegyptios non autem Lycurgum secutus fuerit, dum tamen earum legũ inuentor uideri uellet. Respondeo, Lycurgus, si Plutarcho credimus, etsi nonnullas Cretensium leges respuit, aliquas tamen approbauit, & accepit: atque hæ fortasse præcipuæ fuerunt ut in loco citato refert Socrates. Verùm idem Lycurgus in Aegyptum quoque nauigauit: indéque, ut opinor, multas leges hausit. Nam quod ad eam pertinet, qua milites a cæteris artificibus seiungebantur, unde etiam Plato suæ reip. institutionem auspicatus est, id uerò Plutarchus retulit his uerbis, Aegyptij apud se arbitrantur Lycurgum fuisse: bellatoréſque a reliquis corporibus diremptos in primis probasse ac traduxisse eum morem Lacedæmonem, ſegregatíſque illiberalibus, & fœdioribus operarijs planè elegantem & nitidam Remp. instituisse. Atque in hisce astipulantur nonnulli Græci & ſcriptores Aegyptij. *Hæc Plutarchus: cui eò libentiùs assentior, quòd Plato, ut uidimus, hæc ipsa instituta apud Saitas in usu fuisse tradit. Quod de alijs etiam legibus multis facile credi potest, cum instituendæ Reipublicæ gratia nauigationem suscepisset illam. Atque idcirco cum Plato in Aegypto tandiu fuisset: cum facilè etiam constaret alias inde leges sumpsisse, quæ apud Lacedæmones non essent: cũ multarum legum, quas Lacædæmones cum Aegyptijs haberent communes, ij authores agnoscerentur: cum denique Lycurgus non in Cretam solùm, uerùm etiam in Aegyptum legum causa traiecisset, haud mirum uideri debet si Aristoteles atque alij multi leges ab Aegyptijs potiùs ac Barbaris, quàm a Lacedæmonijs affirmarent accepisse Platonem. Iã uerò quoniam aliò deflectit Aegyptius hic Sacerdos, atque ab priscis istis legibus, politicíſque institutis ad inauditum quoddam atque admirabile bellum orationem traducit suam, nos quoque commodam hanc nacti occasionem, septimo huic libro fastigium imponamus.*

FINIS LIBRI SEPTIMI DECADIS PRIMAE.

IN PLATONIS TIMAEVM, SIVE IN NATVRALEM OMNEM ATQVE DIVINAM PLATONIS ET ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM

DECADIS PRIMAE

LIBER OCTAVVS.

AN Hactenus imposuerit nobis Plato qui cum aliæ quædam inaudita, atque adeò suspecta; tum verò ingentē illum annorum numerum introducere visus est, disceptabimus hoc libro. Vt enim iandiu pleniorem huius rei tractationem pollicitus sum: ita huius, aliarúmque multarum quæstionum quæ cum hac ipsa coniunctæ sunt, opportunum mihi locum delegi: in quem, statim atque Atlanticum bellum, quod sese iam nobis offert, agnouerimus, incidemus. Quamobrem bellum hoc aggrediar in præsentia: mox verò cætera.

Partic. 1.

Πολλὰ μὲν οὖν ὑμῶν καὶ μεγάλα τῆς πόλεως τῇδε γεγραμμένα ἔργα θαυμάζεται, πάντων μὴν ἓν ὑπερέχει μεγέθει καὶ ἀρετῇ.

Multa quidem & mirabilia uestræ ciuitatis opera in monimentis nostris leguntur. Sed unum magnitudine & uirtute præcipuum facinus. Ficinus.

Multa quidem res & magna a vestra ciuitate olim gesta admiratione digna circumferuntur. vna verò inter cæteras magnitudine, & præstantia excellit. Nou. int.

Quanquam uerò multa & magna uestræ ciuitatis facta nostris historijs cõtinentur, quæ admirari omnia solemus, unum tamen præ cæteris suspicimus quod reliquis omnibus uirtute ac magnitudine antecellit. Benius.

Comm. 1.

Posteaquam veterum Atheniensium leges atque instituta, siue horum capita attigit; ad res descendit ab illis præclarè gestas: seu potiùs vnum ex ijs facinus narrandum deligit, quod cæteris omnibus antecellit. Id autem (ut iam iam videbimus) est bellum aduersus Atlantinos strenuè gestum. Quo autem consilio huc sermonem traducat Plato, exponit Proclus, (si tamen exponit) docens, hunc Sacerdotem persequi victoriam istam ab Atheniensibus ex Atlantinis reportatam, vt dum plerique alij in Panathenæis Athenienses laudantes, nihil fermè habent nisi Persicas victorias quas commemorent; ipse ex his regionibus, quæ extra hunc Mundum positæ sunt, ad Athenienses ornandos illa afferat, quæ superiores omnes laudes suo splendore obscurare valeant. Sed aberrauit (ni fallor) Proclus: etenim tantum abest, vt ea contemneret Plato quæ in Panathenæis ad Athenienses ornandos ex Persicis victorijs afferebantur, vt nemo vnquam fuerit qui illa præclariùs ad patriam laudandam vsurpauerit. Quocirca etiam statutum fuerat eam ipsam laudationem quam Plato hac de re habuerat, quotannis publicè recitari; sic omnium animos sui amplitudine atque admiratione compleuerat. Quamobrem si hæc oratio cum his conferatur quibus patriam celebrauit in Critia, facilè intelligetur falsum esse nouæ huius commendationis splendore (id quod prætexit Proclus) eas laudes imminui atque obscurari. Immo uerò dum ipsemet Sacerdos, qui nouum hoc Atheniensium facinus protulit, ipsos Athenienses clarissimos mortalium vixisse affirmaret, id (vt ostendimus) dixerat in eas victorias præcipuè intuens, quas deinde ex Persis atque alijs gentibus reportauerant. Denique esto Atlanticum istud facinus sui nouitate, adde etiam splendore ac magnitudine, res alias ab Atheniensibus præclarè gestas attenuare atque imminuere potuerit: at non huc tandem spectat hoc tempore, neque hoc consilio a Platone commemoratur, sed potiùs ad vnam politiam tuendam: vt scilicet inter huius siue fabulæ siue historiæ narrationem eorũ leges, totámque politiæ rationem exponeret, quæ cum Socratica mirificè consentiret: sic enim sperabat calumniam illã dissolui posse, unde sua politia non modò noua, verũ etiam absurda, quaeque re ipsa perfici nullo modo posset, censebatur. Et idcircò in præsentia ad vnum priscorum Atheniensium facinus elegit, vt cum ostenderit quid præcipuè in re bellica gesserint ij, qui propositis institutis

formati

formati essent; facilè etiam suadeat eodem pacto futurum esse vt Socratica Respublica se gerat, quando ijsdem fermè legibus atque institutis (id quod & ipse in Atlantico explicat fusiùs, & nos infra latiùs ostendemus) effecta est. Hanc igitur siue fabulam siue historiam anteaquam recenseat sacerdos iste, affirmat multa ac magna priscarum Athenarum opera esse apud ipsos descripta admiratione plena: statimque subdit vnum tamen esse quod cuncta superat magnitudine atque virtute. Quo in loco noster Plato (id quod paulò ante monebam) ad priscam illam ciuitatem reuertitur, a qua tantisper dum patriae ac Soloni blandiretur, orationem auocarat: simúlque ne exiliter illam extollens minùs commodè rem suam ageret, non solùm multa ac magna illi tribuit, sed eadem ab ipsis Saitis suspici affirmat. Atque ne illud interim huic præconio derogaret fidem, quòd popularis tantùm opinio ac fama quæ nonnunquam incerta esse solet ac fallax, illorum extaret; non circumferri asserit (vt perperam vertit nouus interpres) sed esse γεγραμμένα, *publicis, inquam, literis consignata: quas sanè literas, paulò ante sacras esse, atque in templis asseruari docuerat. Quodnam verò ac quale esset facinus illud praeclarissimum quod susceperat recensendum, incœpit statim exponere his verbis.*

Partic. 11.

Λέγει γὰρ τὰ γεγραμμένα, ὅσην πόλις ὑμῶν ἔπαυσέ ποτε δύναμιν ὕβρει πορευομένην ἅμα ἐπὶ πᾶσαν Εὐρώπην καὶ Ἀσίαν, ἔξωθεν ὁρμηθεῖσαν ἐκ τοῦ Ἀτλαντικοῦ πελάγους.

Ficinus. *Traditur enim uestra ciuitas restitisse olim innumeris hostium copijs, quæ ex Atlantico Mari profectae, iam cunctam Europam Asiamque obsederant.*

Nou. int. Scripta *enim illa narrant quantas olim vires vestra ciuitas compescuerit eorum hominum, qui è mari Atlantico erumpentes, vno impetu vastitatem in vniuersam Europã & Asiam importabant.*

Benius. *Etenim in illis legimus quantam olim uestra ciuitas compresserit uim eorũ qui ex Atlantico sinu erumpentes, uniuersam per Europam Asiamque hostiliter grassabantur.*

Com. 11.

Ergo *contendit literis illis explicari quantam olim ciuitas illa compresserit vim eorum qui ex Atlantico sinu erumpentes, vniuersam per Europam Asiámque hostiliter grassabantur. Hic autem mirum videri posset Platonẽ in Menexeno tot tantaque recensuisse ab Atheniensibus, tũ contra alios Græcos, tũ contra barbaros fortiter gesta, nec vllã huius rei mentionẽ fecisse: cũ praesertim vel ab ipsis Athenarũ incunabulis orsus sit laudationẽ: affirmãs ex Attico solo primos homines sũptos esse, primámque illorũ institutionẽ referens. Quod si idcirco dicat quispiã hinc cõiectari posse Atlanticũ bellũ cõmentitiũ esse, atque a Platone deinde excogitatũ ad querelas sedãdas aduersus eius politiã excitatas, equidẽ hac vna de causa id omnino affirmare uix ac ne vix quidem auderem. Neque hoc contendo, quod cùm in Menexeno (vt ait Marsilius) patriam ex rebus tantùm contra orientales gestis laudare instituisset, sibi uictoriæ huius mentio facienda non erat, quam illi ex occidentalibus reportauerant: verè enim Plato ibi laudabat eos omnes qui pro patria fortiter cecidissent, siue ij contra quos dimicauerant orientem siue occidentem incolerent. Quamobrem cum plerique Græcorum etiam decer-*

tasse affirmat, quorum tamen multi Atticos ab Occidente spectabant. Ac propterea minimè adduci possum vt credam Platonem hac de causa Atlanticum bellum reticuisse. Ergo cum ea ratione colligi haud possit Atlanticum bellum fictum non esse, quòd, cum gestum sit cum Atlantinis, qui Occidentem colunt, in Menexeno recenseri non debuit; qua tandem via intelligetur ex hoc loco eius falsitatem omnino euinci haud posse? Ea (vt opinor) quia in eodem Menexeno, dum bella illa exponeret, contendebat se omittere velle quæ Athenienses olim Eumolpi, atque Amazonum tempore cōtra Cadmios Argiuósque gessissent, vel contra alios, qui superioribus temporibus regionem inuasissent. Quibus extremis verbis aliquo pacto pugnare aliquis posset Atlanticorum rationem habuisse, quasi ibi satis indicarit supra Eumolpi tempora Athenienses cum multis bellum gessisse, atque inter cæteros cum Atlantinis quod tamen eo tempore omnino reticere instituerit. Quanquam hic locus (vt non multò post videbimus) apud pugnacem hominem potiùs ad tuendum Platonem valeret, quàm apud eum qui sententiam æquus bonúsque inuestigaret. Interim itaque ea de causa nihil de Atlantino bello in Menexeno dictum esse concedemus, quòd hæc historia nimis recondita esset, atque ab omnium Atheniensium cognitione remota: immo (vt in Timæo significat) absurda atque incredibilis videri posset: vt propterea non esset, cur eam in Menexeno attingeret, vbi ad populum habebatur oratio. Sed iam hic locus admonere videtur, vt de Atlantici maris, immo totius insulae situ ac regione, quantum tamen huius loci ac sermonis cognitio postulat disseramus. Quod tamen cum Platone in sequenti verborum contextu fiet commodiùs.

Part. III.

Τότε γὰρ πορεύσιμον ἦν τὸ ἐκεῖ πέλαγος. νῆσον γὰρ πρὸ τοῦ στόματος εἶχεν, ὃ καλεῖτε (ὥς φατε ὑμεῖς) Ηρακλέους στήλας. ἡ δὲ νῆσος ἅμα Λιβύης ἦν καὶ Ἀσίας μείζων. ἐξ ἧς ἐπιβατὸν ἐπὶ τὰς ἄλλας νήσους τοῖς τότ᾽ ἐγίγνετο πορευομένοις. ἐκ δὲ τῶν νήσων ἐπὶ τὴν καταντικρὺ πᾶσαν ἤπειρον, τὴν περὶ τὸν ἀληθινὸν ἐκεῖνον πόντον. (τὰ μὲν γὰρ ὅσα ἐντὸς τοῦ στόματος οὗ λέγομεν, φαίνεται λιμὴν στενόν τινα ἔχων εἴσπλουν, ἐκεῖνο δὲ πέλαγος ὄντως, ἥ τε περιέχουσα αὐτὸ γῆ παντελῶς ἀληθῶς ἂν λέγοιτο ἤπειρος.)

Ficinus.

Tunc enim erat fretum illud nauigabile, habens in ore & quasi vestibulo eius insulam, quas Herculis columnas cognominatis: ferturque insula illa Lybia simul & Asia maior fuisse, perquam ad alias proximas Insulas patebat aditus, atque ex Insulis ad omnem continentem è conspectu iacentem uero mari uicinam. Sed intra os ipsum portus angusto sinu fuisse traditur: pelagus illud uerum mare, terra quoque illa uerè erat continens.

Nou. int.

Peruium enim tunc erat *Atlanticum mare. Insulam autem in ore maris, aditque ad eas angustias quas vos Herculis columnas vocatis, extitisse. Illam verò Insulam Lybia, & Asia maiorem atque ampliorem: ex qua ad alias Insulas facilis esset traiectus: ex Insulis verò illis ad eam quoque continentem quæ è regione sita est, & in illo quidem mari, quod proprio, & peculiari nomine* Pontus *nuncupatur. nam ad eum locum intra maris illius angustias apparet portus arcto quodam, & tenui aditu; ea verò terra, quæ mare illud, quod propriè* πέλαγος *vocatur, cingit, ambitque, verè continens appellatur.*

Tunc.

Tunc enim Atlanticum mare peruium erat: atque insulam ante ostium illud habebat, quod apud vos ab Herculis columnis nomen inuenit. Eius uerò insulæ tanta erat magnitudo, ut hac Lybiam simul atque Asiam non exæquaret solum, uerùm etiam superaret. Porrò ex ipsa alias in insulas traycientibus patebat aditus: sicut facilè quoque erat ex illis insulis ad omnem continentem traycere, qui est uero illi ponto finitimus. Nam quæ intra ostium illud cernuntur, de quo dicebamus, speciem habent sinus, qui angustum quendam contineat aditum: ipse autem uerè uidetur pelagus; terra demum quæ complectitur ipsum ac cingit, rectissimè continens appellatur.

Benius.

Cõ. III.

Potuißet aliquis obijcere ingentem illam irruptionem Atlanticorũ non solùm nouam eße atque inauditam, verùm etiam fictam ac commentitam: idque ea de causa, quòd experientia ipsa constare uiderentur Atlanticum mare ea parte sic impeditum eße vt traijci non poßet, occurrere itaque conatur Plato tacitæ huic dubitationi, atque ait quo tempore irruptio ac bellum illud contigit, Atlanticum sinum minimè impeditum fuisse, sed peruium. Et per hanc occasionem antequam inchoatam belli huius narrationem prosequatur, breuißimè digreditur ad illius insulæ pelagique descriptionem: vbi etiam finitimarum insularum, continentis statum, ac denique traiectionis rationem tradit. Monet itaque Atlanticum sinnm tunc fuisse πορεύσιμον, *nauigabilem inquam ac peruium, atque eundem sinum habuisse insulam ante os illud sitam quod à Græcis Herculis columnæ appellatur: addit insulam illã eius fuisse magnitudinis, vt ea Lybiam atque Asiam simul superaret: ac tandem subdit inde ad alias insulas patuisse aditum: atque ex his deinde ad continentem veri ponti. Vbi etiam ne videretur sine ratione statuiße pelagum illum esse nauigabilem, obiectámque terram esse continentem, eam affert huius rei coniecturam, quod quæ adhuc intra os illud cernebantur, speciem referrent cuiusdam sinus, in quo angustus aditus, sed tamen nauigabilis contineretur. Quare hoc in loco cauendum est ne nos aut Ficini, aut Serrani turbet interpretatio.* Nã dũ ait Plato τὰ δὲ μὲν γὰρ ὅσα ἐντὸς τοῦ στόματος οὗ λέγομεν, φαίνεται λιμὴν στενόν τινα εἴσπλουν ἔχων· ἐκεῖνο δὲ πέλαγος ὄντως, ἥ τε περιέχουσα αὐτὸ γῆ παντελῶς ἀληθῶς ἂν λέγοιτο ἤπειρος. *Ficinus (vt eius verba cum Platonis conferenti facilè constare potest) loci summam vix leuissimè attingit: neque ex eius interpretatione intelligitur Platonem eò spectare vt explicet cur terræ illi continentis nomen dederit: aut cur pelagus illud dixerit esse nauigabile. Serranus verò verba illa* ἐκεῖνο δὲ πέλαγος ὄντως, ἥ τε περιέχουσα αὐτὸ γῆ παντελῶς, ἀληθῶς ἂν λέγοιτο ἤπειρος, *vertit*. Ea vero terra, quæ mare illud quod propriè Epirus vocatur, cingit ambitque, veré continens appellatur. *vbi illud* ἐκεῖνο πέλαγος *quartum casum facit, atque ita duo illa membra in vnum redigens,* Terra (*inquit*) quæ mare illud cingit verè continens appellatur. *Cum tamen hoc in loco* ἐκεῖνο πέλαγος *primus casus sit, & ex* λέγοιτο *vel certè ex* φαίνεται *pendeat: ac proinde nullo modo cum sequentibus verbis debeat copulari, quod particulæ illæ* δὲ *&* τε, *& vox* αὐτὸ *clariùs ostendunt, quàm vt in præsentia necesse sit Grammatici partes agere, atque idcirco vertendum erat.* Nam quæ intra ostium

Ficin.

Ser. int.

illud.

illud cernuntur de quo dicebamus, ſpeciem habent ſinus, qui anguſtum quendam contineat aditum; ipſe autem veriſsimè pelagi: terra denique quæ hoc complectitur, iure optimo continens appellatur. *Ac propterea illud* ἐκεῖνο, *id quod dubium Ficinus habuit; atque Serranum deinde Ficini perplexitatem fugientem tranſuerſum omnino egit; non ad pelagus in cuius metionem iam multò antea inciderat, eſt referendum, quemadmodum facit Marſilius dum vertit*, pelagus illud verum mare, *ſed vel ad* στόμα *os inquam, vel (quod denique eandem planè ſententiam facit) ad* στενόν τινα εἴσπλουν *anguſtum quendam ſiue aditum, ſiue (vt loci vim ſignificantiùs adhuc explicem) nauigationi accommodatum ingreſſum. Et idcirco iure ac merito hoc deinde veriſſimè pelagus appellauit. Hanc autem (vt ad inſtitutum reuertar) de qua dicebamus coniecturam firmare conatur deinde Plato ad eluuiones terræmotúsque confugiens, vt ſuo loco videbimus.*

Ex dictis vocantur in controuerſiã multa: multa enim explicantur vberiùs.

Interim verò locus ipſe poſtulare videtur vt inquiramus primùm vbi ſitæ ſint huiuſmodi columnæ, quídue per eas intelligendum ſit: deinde num verum ſit hanc inſulam extitiſſe, & an tam ingentis magnitudinis eſſe potuerit & amplitudinis, vt Aſiam ſimul ac Lybiam non æquaret ſolùm, verùm etiam ſuperaret: id enim ſine dubio non modò nouum & inauditum videri facilè poſſet, ſed & abſurdum atque indignum cui fides habeatur: poſtremum quæ fuerint confines inſulæ illæ, quas habuiſſe fertur, quiſue præterea continens, ad quem vnà cum inſulis aditum patuiſſe affirmat. Nam quod quærendum præcipuè videbatur an verè & nauigabile fuiſſet antea illud pelagus, & tunc impeditum eſſet, id verò commodiùs explicabitur infra, vbi Plato ſuam ſententiam nititur confirmare. Iam verò tum ad has res, tum ad alias quæ ſubinde occurrent percipiendas, plurimum referret Occidentis, in quo verſandum non nihil eſt, ſi non abſolutam atque perfectam, adumbratam certè deſcriptionem afferre. Sed ne ſim longior, pauca quædam attingam, móxque ad inſtitutum me referam.

Ergo (vt hic incipiam) Atlanticum pelagus ſiue Oceanus qua ſe ab occidente in terræ noſtræ oras fundit, anguſtam quaſi viam ſiue fretum efficit, cuius longitudo quindecim millia paſſuum obtinet: latitudo vix interdum ſeptem. Statim verò anguſto hoc freto peracto, quod in fine adhuc anguſtius eſt, ſe fundere incipit latiùs, ac ſubinde latiſſimè ſpatiatur. Quo fit vt ſiniſtro latere Europam radens, ad orientem vſque, licet paſſim fermè alio atque alio nomine gaudeat, ſe ſe extendat; dextero autem Affricam alluens, longiſſimis itineribus excurrat. At verò ab illius, quod deſcripſimus freti ore, Gades celebres inſulæ ad Solis occaſum poſitæ, breui maris interuallo diſtant: quæ inter ſe vix vnius ſtadij nilo ſiue Euripo diſſociantur. Earum longitudo duodecim, latitudo autẽ triũ millia paſſuum eſt: Calpe verò atque Abila, celebres & ipſi montes ſic ſe habent in eo freto, vt Calpe ab extremis Europæ finibus in medium fermè breuis illius freti tractum incurrat:

contra verò Abila ex Affrica in Calpe incidat ac vergat. Vt propterea freto illo Calpem & Abila scindi à quibusdam dicantur: distant autem a Gadibus septingentis quinquaginta stadijs. Denique (vt cætera loca prætercam quorum cognitione minùs indigemus in præsentia) duæ insulæ, eæque perexiguæ reperiuntur in eodem freto, quæ a dictis montibus breuissimo interuallo seiunctæ sunt. Hæc in præsentia de ijs locis monuisse volui. Tametsi, vt res tota sit planior & explicatior: atque ea etiam quæ dicturi postea sumus, clariùs intelligantur; qui interim fretum illud, ac regionem vniuersam ex probatis Cosmographiæ tabulis, atque historicis paulò attentiùs spectarit atque agnouerit, is sine dubio longè commodiùs quæ dicturi sumus intelligere poterit.

Vbi sitæ sint Herculis colũnæ, & quid maxime per eas intelligẽdum sit.

His positis & constitutis, venio ad primam quæstionem, in qua quæsitum a nobis est vbi sint hæc columnæ, quidue maximè per eas intelligere debeamus. Non defuerunt itaque qui affirmarint intra Herculis ædes quæ in Gadibus sitæ erant, columnas quasdam fuisse æreas altitudine octo fermè cubitorum: in quibus tum construendi templi sumptus relati atque descripti essent: tum indices sacra dona affigerentur eorum qui illuc nauigaßent. Atque has columnas aiebant eße illas quæ Herculis dicerentur: ibidémque terræ marísque terminos esse. Huius verò sententiæ (quẽadmodum retulit † Strabo) cum alij multi fuerunt, tum præsertim Posidonius. Cui tamen grauißimi Græcorum ac Latinorum historici refragantur, quos omnes inferiùs recitabo: in primis verò, qui pro omnibus in præsentia esse potest, antiquissimus Plato: namque ait τὸ τῆς νήσου σόμα *insulæ, inquam, ostium dictum fuiße à Graecis columnas Herculis. Vbi sanè tanquam de re apud illos non obscura & controuersa, sed certa atque constanti loquitur, cum ex Græcorum sententia id proferat. Immo cùm tantam Aegyptij sacerdotis consensionem ibidem expresserit, rem accepit Plato non secus atque Aegyptijs etiam atque adeò antiquitati fermè vniuersæ comperta esset ac certa. Quanquam quodnam, & vbi omnino situm sit hoc Insulæ ostium, cúrue Mundi terminus a priscis illis mortalibus diceretur, ex his non planè adhuc constat. Alij itaque affirmarunt Tyrios ex oraculi præscripto, quo ad Herculis columnas colonias deducere iuberentur, ter nauigasse: atque hinc factum esse, vt singula illa tria loca ad quæ terna nauigatione, varijs tamen temporibus, appulißent, columnas continere dicerentur. Quocirca alij freti extrema, alij Gades, alij extra fretum longiùs à Gadibus Herculis columnas esse dictitabant. Quã rẽ explicatiùs refert Strabo qui (vt alia quædam præterẽa) de huiusmodi colũnis disserit his verbis.* Memoriæ proditũ est Tyrijs datum esse oraculum quo ad Herculis columnas coloniam mittere iuberentur. Qui speculandi gratia missi fuerant, vbi ad fretum & Calpes angustias peruenerunt, Orbis terminos esse rati, & ibi Herculeæ expeditionis finem, & has ab oraculo columnas nominari, intra angustias quendam ad locum constiterunt, in quo nunc Axitanorum Ciuitas est. Ibi facto sacrificio, cum læta

Stra. l. 3. non longe a fine.

nequa-

nequaquam hostiæ portenderent, retroflexere rursum. Post tempo ris interuallum missi, extra fretum stadijs mille & quingentis pro gressi, in insulam Herculi sacratam peruenere; quæ ad Nobam Ibe riæ vrbem iacet. Existimantes hic esse columnas Herculis; Deo sacrificium instituisse. Non portendentibus laeta rursus hostijs domum repetisse. Tertiò cum classe missos, Gades condidisse, & phanum adspectantes ad orientem insulæ partes ædificasse, vrbem ad occasum. Quamobrem nonnullis angusti ipsius freti vltima, columnas videri, quibusdam verò Gades, alijs longiùs a Gadibus foris iacere. *Hæc Strabo: quæ si qua in parte Platoni consentiant, vel veritatem ipsam attingant atque explicent, dicemus paulò post. Nunc ad alias opiniones deueniamus. Nam Solinus capite xxvj. cùm de Oceano loqueretur.* Oceanus (*inquit*) quem Græci sic nominant a celeritate, ab occasu Solis irrumpens, læuo latere Europam radit, Affricã dextro: scissisque Calpe, & Abila montibus quos dicunt columnas Herculis, inter Mauros funditur & Hispaniam, *cui Mela etiam consensit libro primo capite v. his verbis.* Hunc montem Abila, illum Cal pe vocant columnas Herculis vtrunque. *Itaque vt vides ex horum sententia citra vllam controuersiam videntur ij montes pro Herculis colum nis habiti. Quod ex Plinio etiam eodem modo statuendum est: nam (vt mul ta alia loca omittam, in quibus id significauit) libro iij. in proœmio Abila (inquit)* Affricæ, Europæ Calpe, laborum Herculis metæ. Quam ob causam indigenæ columnas eius Dei vocant. *Sic Plinius, qui vel indigenarum testimonio rem confirmauit. Quin Strabo etiam refert id arbitratos fuiße quosdam, inter quos Eratosthenem uidetur ponere. Alij denique (vt quod superest in pauca contraham) exiguas quasdam insulas propè vtrũ que montem Calpe & Abila. Alij scopulos quosdam errabundos & symplegades. Alij portas quasdam (siue idem sint quod scopuli illi siue non) quas Pindarus Gaderitas vocat: ad has enim nouissimè affirmat Herculem acceßiße. Sed vt in tanta opinionum varietate rem clariùs perspicere poßimus. Strabonis ipsius iudicium audiamus.* Veteribus (*ait iste*) mos fuit huius generis confinia ponere, quemadmodum Regini columellam, turrim quandam exilem, super freto locauerunt, & huic columellæ turris, quam Pelori nuncupant, è regione sita est, & quæ Philenorũ dicuntur aræ, in media quodammodo Syrtium tellure sunt, in ipso quoque Corinthiaco Isthmo columnam quandam locatam fuisse memoriæ proditum est: quam Iones dum Atticum & Megarensem occupassent agrum, constituere communiter. Simul & qui eiectis illis è Peloponeso, Peloponesum in potestatem redegerunt, è parte qua Megaram spectat, hoc inscribentes pacto.

Hac non quidem Peloponesus est sed Ionia.

ex altera autem parte.

Hac Peloponesus non Ionia est.

Alexãder verò Indicæ militiæ fines posuit, in ijs videlicet locis aras,

ad quos

ad quos in orientem peruenit ad Indorum extremos, Herculem ac Liberum patrem imitatus. Iste quidem mos extitit. Cæterum loca ipsa titulos immutare credendũ, maximéque cum tempus locatos absumit terminos: haud enim hac tempestate Philenorum perdurant arae: sed locus alia assumpsit vocabula. Nec verò in terra Indica vllas Herculis stantes, aut Liberi patris columnas spectatas fuisse memoratur. At locis quibusdam indicatis Macedones illos columnas esse credidisse dicimus: in quibus signum aliquod offenderunt de rebus gestis Herculis aut Liberi patris, quas historiarum Scriptores posteritati commendarunt. *His quasi initijs vtitur Strabo ad rem propositam inuestigandam. Vbi sanè quàm verè atque accommodatè loquatur, tum experientia ipsa constare potest, cum his quoque temporibus similia extent monumenta atque inditia; tum ex* Platone† *Aristotele,† Plutarcho,† Iosepho, atque alijs pluribus intelligitur, qui de hoc columnarum similiúmue monumentorũ vsu plurima tradiderunt. Sed eundem adhuc Strabonem audiamus, qui ex istis initijs ac notis ad propositam quæstionem explicandam reuertitur his verbis.* Hic etiam haud incredibile est priores illos fabricatis manu finibus vsos esse: altaribus scilicet aut turribus aut columellis penes ea loca, ad quæ illustres viri peruenerunt. Illustria verò sunt huiusmodi freta, incumbentes montes, minores insulæ, vt regionum primos, aut postremos designemus limites. Quando autem manu constructa defecere monumenta, ad loca traducta sunt ipsa nomina, siue ad insulas, siue promontoria dicere malueris, a quibus fretum ipsum efficitur. Hoc verò iam definire arduum est, vtris cognomentum applices, cum vtrisque similes esse columnæ videantur. Dico autem similes esse, quoniam in eius generis locis constitutæ sunt, quæ aperte vltima denominant, pro quo & fretum os dicitur, & hoc ipsum, & alia complura. Ipsum os quidem intronauigantibus initium est: foras autem enauigantibus exitus & extremum. Itaque insulæ in ore perexiguæ, quæ descriptionem facilem & insignem habent, non tenuiter columnis æquiparari possunt: pariter & imminentes freto montes; qui eminentiam quandam huiusmodi ostendunt, sicuti columellæ vel columnæ. Recte proinde Pindarus portas dixit Gaditanas, si in ostio columnæ intelligantur. Ora nanque similia portis habent. Gades autem talibus in locis non consistunt, vt extremitatem ostendant: sed in magni medio littoris multis insignito finibus iacent. Ipsas verò columnas Herculeas ad ipsum referre litus minus profectò par est, minorésque vt censeo rationis. *Hæc rursus magnus hic author: qui cum Gadibus tum columnis illis intra Herculis ædes erectis, haud sinit columnarum Herculis tribui nomen: contra vero ostio siue ori illi coniunctas esse vult, vel certè ostio ipso contineri; Qua in re mirificè cum Platone consentit, qui scribit,* ςόμα ὃ καλεῖτε Ἡρακλέους σήλας, Os quod vocatis Herculis columnas. *loquuntur*

† Pl. in Eut. & in Atlantic.
† Ar. Auditione 127. et 129.
† Plutar. in in Theseo.
† Ioseph Hebr. antiq libro 1. cap 3.

autem vtrique de freti ore: nam vt Strabo in eo contineri vult columnas de quo scribit, Ipsum os quidem intronauigantibus initium est, foris enauigãtibus exitus & extremũ, *Sic Plato de ore illo, quod ab Herculis columnis nomen accepisse tradit, erupisse affirmat Atlantinos. Ac propterea scitè monet Strabo Gaditanas Pindari portas, ad quas etiam Herculem extrema nauigatione appulisse cecinit, in hoc ostio, ac pro ijsdem columnis accipiendas esse: cum ora portis similia ibidem habeantur, atque extremitatem ostendant. Atque eiusdem planè sententiæ tum ij videntur fuisse qui errabundos scopulos atque Symplegades in columnarũ loco constituebant, portas Gaderitas se intelligere dictitantes, tum author libri de Mundo ad Alexandrum capite iij. qui in angustis Atlantici Maris faucibus, quà veluti viam patefaciunt, easdem columnas collocauit. Et quanquam Plato dum affirmauit os illud Atlantis columnas dici, haud indicasse videtur an os tali nomine appellaretur propter insulas quas continebat, vel etiã propter montes illos, qui ibidem imminent, vel qua denique id causa contingeret; cum tamen Strabo, quippe qui rem de industria tractabat, omnino significauerit nomen illud siue montibus freto illi imminentibus, siue insulis illis in ipso ore atque aditu sitis fuisse impositum, indeque ori illi accommodari; veruntamen, vt ego quidem opinor, ne in hoc quidem dubitandi locum reliquit Plato. Nam cum Strabone teste insulæ illæ perexiguæ ore illo contentæ, & columnarum speciem referrent, & quasdam veluti portas efficerent: contra verò montes illi magis disiuncti essent ab illo ostio, ac freto potiùs quàm vni ori imminerent; demúmque propter magnitudinem non ita commodè possent columnarum formam exprimere, longè verisimilius est perexiguis illis insulis hoc nomen fuisse impositum, quàm montibus. Vt propterea cum res nullam eo tempore dubitationem haberet, sed constanter, vt ex Pindari & Aristotelis sermone etiam satis conijcere licet; freti ostio propter perexiguas insulas illud nomen tribueretur, Plato rem dilucidè satis expressisse videatur. Licet itaque Solini ac Plinij sententia, qua Calpe & Abila columnas faciunt, probabilitate non careat, atque eadem Straboni non displicuerit, qui sine dubio duorum illorum montium, quos propè insulas illas esse, atque ostio illi imminere dixit, Calpe & Abila intellexit (dum enim scribit*, Quidam exiguas propè vtranque insulas columnas facit, *per illud vtranque Calpem & Abilirem intelligit) ipse tamen longè veriorem, atque Platoni antiquioribúsque authoribus magis consentientem existimarim hanc quam sequuti sumus opinionem.*

An verè extiterit Atlantis insula, eaque Lybia simul & Asia maior

Nunc ad secundam quæstionem veniamus: in qua primùm certum esse debet Platonem omnino contendisse insulam illam Atlantis & verè extitisse, & simul fuisse Lybia Asiáque maiorem. Nam præterquam quod id (vt vidimus) apertè in Timæo affirmat; rem deinde confirmat in Atlantico his verbis. Insulam Atlanticam Lybia Asiáque maiorem fuisse quandoque perhibuimus. *Quo in loco ea ipsa reuocat nobis in memoriam, quæ dixerat in Timæo. Cui sanè (si vera refert Proclus)*

Proclus.

mirificè

mirificè fauet Marcelli cuiusdam testimonium, qui de rebus Aethiopiæ scripsit commentarios. Affirmat enim Atlantis insulam verè fuiße, éamque immensæ propè magnitudinis. Procli uerba hæc sunt. Ὅτι μὲν ἐγένετο τοιαύτη τις νῆσος καὶ τηλικαύτη, δηλοῦσί τινες τῶν ἱστορούντων τὰ περὶ τῆς ἔξω θαλάττης. εἶναι γὰρ καὶ ἐν τοῖς αὐτῶν χρόνοις ἑπτὰ μὲν νήσους ἐν ἐκείνῳ τῷ πελάγει Περσεφόνης ἱεράς, τρεῖς δὲ ἄλλας ἀπλέτους, τὴν μὲν Πλούτωνος, τὴν δὲ Ἄμμωνος, μέσην δὲ τούτων, ἄλλην Ποσειδῶνος, χιλίων σταδίων τὸ μέγεθος, καὶ τοὺς οἰκοῦντας ἐν αὐτῇ, μνήμην ἀπὸ τῶν προγόνων διασώζειν περὶ τῆς Ἀτλαντίδος ὄντως γενομένης ἐκεῖ νήσου παμμεγεθεστάτης. ἣν ἐπὶ πολλὰς περιόδοις δυναστεῦσαι πασῶν τῶν ἐν Ἀτλαντικῷ πελάγει νήσων, Ποσειδῶνος καὶ αὐτὴν οὖσαν ἱεράν. ταῦτα μὲν οὖν ὁ Μάρκελλος ἐν τοῖς Αἰθιοπικοῖς γέγραφεν. *Id est.* Quod quidem talis quaedam ac tanta extiterit insula, ex quibusdam constat qui de rebus extra mare iacentibus historias conscripserunt: perhibent enim in eorum annalibus notatum esse cum septem in eo pelago reperiri insulas Proserpinæ sacras: tum tres alias ingentes: quarum altera Plutoni, Ammoni altera, tertia denique quæ medium obtineat locum & mille sit stadiorum, Neptunno dicata sit. Atque huius incolas de Atlantide insula a suis maioribus exceptas asseruare memorias: quibus tradiderint, eam verè extitisse immensæ magnitudinis: longóque tempore imperasse reliquis omnibus insulis, quae sunt in Atlantico pelago. Hæc Marcellus in his quæ de rebus Aethiopicis scripsit. *Ita Proclus, qui etiam veritus ne quis obijceret, nec terræ globum tantæ esse magnitudinis, ut tam ingentem insulam continere possit: nec terræmotu illo atque eluuione potuisse, qua præsertim ratione statuit Plato, eandem insulam concuti atque demergi: vtranque dubitationem diluere conatus est: primámque his verbis.* Ἐν τούτοις μνημονεύειν χρὴ τῶν Πλατωνικῶν ὑποθέσεων τῶν περὶ γῆς, ὅτι οὐ κατὰ ταὐτὰ τοῖς μαθηματικοῖς μετρεῖ τὸ μέγεθος αὐτῆς, ἀλλὰ πλέον τι τὸ διάστημα αὐτῆς ὑπείληφεν εἶναι, ὥς φησιν ὁ ἐν Φαίδωνι Σωκράτης. καὶ ὅτι τῇ ἡμετέρᾳ οἰκουμένῃ πολλὰς οἰκήσεις παραπλησίας εἶναι τίθεται. διὸ καὶ ἐν τῇ ἔξω θαλάττῃ, νῆσον καὶ ἤπειρον ἱστορεῖ τηλικαύτην. ὅλως γάρ, εἰ κατὰ φύσιν ἡ γῆ τὸ σφαιροειδὲς ἔχει, δεῖ κατὰ τὸ πλέον αὐτὴν αὐτῆς εἶναι τοιαύτην. ἀλλὰ μὴν ἡ ἡμετέρα οἰκουμένη πολλὴν ἐπιδείκνυται τὴν ἀνωμαλίαν εἰσοχαῖς. ἔστιν ἄρα ἀλλαχοῦ τῆς γῆς πεδία τε ἀνηπλωμένα, καὶ εἰς ὕψος ἐκτεινομένη διάστασις. καὶ γὰρ Ἡρακλείτου λόγος, διὰ πολλῆς ἀβάτου χώρας διαπορευθέντα, εἰς τὸ Ἀτλάντιον ὄρος ἀπελθεῖν οὗ τὸ μέγεθος ἱστόρησαν οἱ τὰ Αἰθιοπικὰ γράψαντες, ὥς τε αὐτοῦ ψαύειν τοῦ αἰθέρος, καὶ τὴν σκιὰν ἐκπέμπειν, μέχρι σταδίων πεντακισχιλίων, ἀπὸ γὰρ ἐνάτης ὥρας ἡμερινῆς, ὑπ' αὐτοῦ κρύπτεσθαι τὸν ἥλιον μέχρι τελέας καταδύσεως, καὶ οὐδέν γε θαυμαστόν. καὶ γὰρ ὁ Ἄθως τὸ Μακεδονικὸν ὄρος ἐκπέμπει μέχρι Λήμνου τὴν σκιάν, ἑπτακοσίοις σταδίοις διεστώσης, καὶ οὐ τὸν Ἄτλαντα μόνον τὸ ὄρος τηλικοῦτον ἱστόρησε Μάρκελλος ὁ τὴν Αἰθιοπικὴν γράψας ἱστορίαν, ἀλλὰ καὶ Πτολεμαῖος τὰ Σεληναῖα ὄρη τὸ ὕψος ἄπλετον ἔχειν φησί, καὶ Ἀριστοτέλης τὸν Καύκασον τὸ τρίτον μετὰ δυσμάς, καὶ τὸ τρίτον πρὸ τῆς ἀνατολῶν μέρος τῆς νυκτός, ὑπὸ τῶν ἡλιακῶν ἀκτίνων καταυγάζεσθαι. καὶ εἴ τις ἀποβλέποι πρὸς τὸ ὅλον μέγεθος τῆς γῆς, ὁριζόμενον τοῖς ὕψεσιν αὐτῆς, οὕτως ἂν ἄπλετον αὐτὸν εἶναι λογίσαιτο κατὰ τὴν Πλάτωνος φήμην. *Id est.* In his oportet ad memoriam reuocare Platonicas assertiones de terra: non enim eadem cum Mathematicis ratione metitur illius magnitudinem: sed maius arbitratus est illius esse interuallum, quemadmodum pronunciauit So-

crates in Phaedone. Quin in noſtra hac habitabili terra multa vicina domicilia eſſe ſtatuit. Et idcirco in extimo mari refert huiuſmodi inſulam & continentem iacere. Nam ſi terra naturaliter eſt Sphærica, omnino neceſſe eſt ſecundum maiorem ſui partem eſſe talem. Atqui noſter terrarum orbis propter ea quæ tum intus, tum foris habet, multam præſefert inæqualitatem. Eſt itaque alibi terræ planicies explicata, & in ſublime extentum interuallum. Etenim Heracliti habet ſermo eum qui multam profundam regionem traiecerit in Atlanticum montem peruadere: cuius magnitudo, vt referunt ij qui de rebus Aethiopicis ſcripſere; & æthera tangat, & vmbram tranſmittat vſque ad quinque millia ſtadiorum, nam à nona diei hora ab ipſo abſcondi Solem vſque ad perfectam demerſionem, nec mirum: nam Atos Macedoniæ mons vmbram Lemnum vſque tranſmittit, quæ ſeptingentis ſtadijs diſtat. Neque verò de vno Atlante monte talia quædam commemorantur, vt Marcellus iſte fecit, qui Aethiopicam ſcripſit hiſtoriam, verùm etiam de Lunæ montibus, & de Caucaſo: nam Ptolemæus Lunæ montes immenſæ penè altitudinis eſſe voluit: Ariſtoteles verò Caucaſum tertia noctis parte ad occaſum, tertia ad orientem à Solis radijs illuſtrari, & ſi quis vniuerſæ terræ magnitudinem ſecum ipſe reputet, ſuis ipſam ſublimitatibus definitam, verè ipſam penè immenſam eſſe concludat ſecundùm Platonis opinionem. *Secundam verò dubitationem his rurſus diluebat* Proclus. Ὅτι μὲν καὶ φυσικὴν ἀκολουθίαν ἔχει τὰ λεγόμενα, δῆλον τοῖς μὴ παντάπασιν φυσικῆς θεωρίας ἀπείροις. σεισμόν τε γὰρ γενέσθαι τηλικοῦτον, ὥστε ἀπολέσαι τηλικαύτην νῆσον, οὐ θαυμαστόν. καὶ γὰρ ὁ πρὸ ἡμῶν ὀλίγον γεγονὼς σεισμός, ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ τήν τε Αἴγυπτον καὶ Βιθυνίαν ἔσεισεν, καὶ ἀπακολουθῆσαι τῷ σεισμῷ κατακλυσμὸν, οὐδὲν παράδοξον. εἴωθεν γὰρ τοῦτο ἐκπίπτειν ἐπὶ τοῖς μεγάλοις σεισμοῖς, ὡς καὶ Ἀριστοτέλης ἱστορεῖ, καὶ τὴν αἰτίαν ἅμα προστιθείς. ὅπου γὰρ ἅμα σεισμῷ γίνεται κατακλυσμὸς, κῦμα τούτου τοῦ πάθους αἴτιον· ὅταν γὰρ τὸ τὸν σεισμὸν ποιοῦν πνεῦμα μηδέπω ῥέον ἐπὶ γῆν, τὴν θάλασσαν ὑπό τινος ἐναντίου πνεύματος αὐτοῦ κινουμένην ἐξ ἐναντίας φερόμενον, ἀπῶσαι μὲν εἰς τὸ πρόσω μὴ δυνηθῇ, διὰ τὸ προωθοῦντα ἄνεμον αὐτήν, ἵστηται δὲ ἐμποδίζον αὐτῆς τὴν πρόοδον, αἴτιον γίνεται τοῦ πολλὴν αἰθουμένην ὑπὸ τοῦ ἐναντίου τούτου πνεύματος ἀθροισθῆναι. τότε δὴ πολλῆς τῆς θαλάττης γινομένης διὰ τὸ ἀπεναντίας ὠθοῦν, αὐτὸ μὲν ὑπὸ γῆν ἔδυ τῆς ῥοῆς ἀθρόας ἐπιχυθείσης, καὶ ἐποίησε τὸν σεισμὸν ἡ δὲ θάλασσα ἐπέκλυσε τὸν τόπον. *hoc eſt.* Quod quidem naturali ordini atque conſecutioni iſthæc reſpondeant, ijs perſpicuum eſſe poteſt qui non omnino phyſicam ſpreuerunt contemplationem. Nam terræmotum factum eſſe, qui talem euerterit inſulam, minimè mirum videre debet: haud enim longo ſupra ætatem noſtram interuallo terræmotus vnica die Aegyptum Bithyniámque concuſsit. Terræmotum verò eluuione exceptum eſſe, non eſt quod admiremur: cum eluuiones eo planè tempore

pore accidere soleant, quo magni fiunt terræmotus: vt Aristoteles tradit, qui etiam huius rei causam affert, vbi enim simul cum terræmotibus fit diluuium, fluctus est huius euentus causa. Cum enim qui terræmotum efficit ventus, nondum fluit per terram, maréque offendit ab aliquo vento sibi aduerso occurrens, nec propter huiusmodi ventum mare, ipsum propellentem, reijcere illud potest, consistitque illius progressum impediens, tunc efficit vt magna quædam commotio a uento priori huic aduerso confluat. Vnde fit vt mare turgeat propter aduersam commotionem: ventúsque subeat terram fluxu frequenti superinfuso. Ex quo terræmotus fit: ac Mare vndis obruit locum. *Hæc Proclus. Quem sanè quâ insulam istam verè aliquando fuisse contendit, haud ægrè videntur sequi Ficinus in Atlantici argumento, Foxius in hunc locum, & Serranus, tum in Timæi, tum in Atlantici obseruationibus. Atque hi quidem addunt Strabonem quoque ac* Plinium *huius insulæ meminisse. Neque fortaße Aristotelem in libro de Mundo ad Alexandrum leuiter fauere suspiceris huic sententiæ; nam capite* 11. *Cùm monuisset terrarum orbem vnicam eße insulam Atlantici maris ambitu circundatam, hæc intulit verba.* Multas (*terras intelligit*) & alias longè quidem illas summotas, sed tamen veluti dirimente freto huic ipsi esse obuersas, non absimile veri est: partim hac maiores, partim etiam minores: sed quarum nulla præter eam sub prospectum nostrum sita sit. Nam quod insulis nostris accidit, vndique vt nostra Maria eas alluant: idem orbi quoque huic contigit, rationem insulæ vt obtineat Atlantico mari cinctæ. Complures item alij terrarum orbes eadem positura constantes, insulæ naturam habent in vniuerso mari sitæ: quod latissimè patet: eorumque nonnulli prægrandes prægrandibus quoque ipsis maribus circumfusis. *Hæc author iste. Qui sanè cum plures Mundos, vel certè Antipodum terras iudicat reperiri: tum in hoc ipso nostri Orbis situ, alias terras quarum aliquas prægrandes vocat, & orbes statuit, quæ ab Oceano insulae efficiantur. Vt prægrandes istæ Atlantici pelagi insulæ atque adeò orbes ingenti illi Atlanticæ Platonis insulæ nonnihil fauere videantur. Quin idem Aristoteles (id quod Platoni mirificè videtur fauere) Oceanum Atlanticum ait nauigationi ineptum eße, quod submersa quædam insula vadosum mare reddiderit. Neque verò ex Patribus defuerunt, quibus probata esse videretur hæc Platonis historia: nam Tertullianus in Apologetico, cum Ethnicos refelleret, qui suarum cladium causas in Christianos per calumniam referrent,* Oro vos (*inquit*) ante Christi aduentum quantæ clades Orbem & Vrbem ceciderunt? Legimus Hierapolim, & Delon, & Rhodon, & Coon insulas multis cum millibus hominum pessum abijsse. Memorat & Plato maiorem Asiæ, & Africæ terram Atlantico Mari ereptam,

Ficinus & alii quidã Platonici.

Strabo.
Plinius.
Aristoteles.

Tertullianu

Arnobius.

ptam. Hæc Tertullianus: quem eiusdem calumniæ propulsandæ causa secutus est Arnobius, insulam hanc tanquam minimè dubiam introducens. Quamobrem nisi mendacio pro fide decertare voluerint, quod nefas est suspicari, fatendum est verè extitisse, ac demersam esse insulam istam: cum præsertim cum Nini, Xersis, Alexandrique & aliorum irruptionibus ac bellis de quibus ambigit nemo, bellum quoque Atlantinū misceat Arnobius: Tertullianus verò cum Hierapoli ac cæteris recitatis insulis, quas obrutas esse constat, obrutam Atlanticam recenseat. Quid plura? scribit Plato in Atlantico insulam illam fuisse Herculis freto obiectam: figurámque effecisse Tetragonā, ita tamen ut in longum vergeret in Austrum: addit in ea extitisse montes quosdam supra omnem propè fidē altissimos, solúmque vniuersum fuisse ad miraculum usque fœlicissimum. Deinde instar multarum insularum fuisse distinctam. Quæ planè omnia de Americis quæ in Atlantico pelago non multò ante nostrā ætatem inuentæ sunt, constare satis uidentur: ut ex Maffeio libro 11. de rebus Indicis atque alijs multis intelligi potest: ita ut Atlanticae Platonis Insulae sint Americae: cum præsertim tanta sit harum amplitudo, ut hactenus omni ex parte explorata sit nemini: quod mirificè cum immensitate illa Platonicae Atlantidis conuenit. Haec habui pro Platone.

Authoris sententia.

Quanquam (ut ingenuè fatear) non possum de huius rei ueritate non magnopere dubitare. Neque hoc contendo, quòd non existimem insulā reperiri potuisse, quæ tam ingentis esset magnitudinis: nam (ut omittam non ab † Aristotele solùm, uerùm etiam ab alijs doctissimis uiris uniuersum terræ globum insulam censeri) amplissima sunt Oceani spatia, & ultra omnem Asiæ Lybiaéque latitudinem extenta. Ac propterea licet nonnullis Mathematicis concederetur terram non excedere milliaria uiginti millia, aut etiam ab eodem numero nonnihil distare, haud tamen uerendum esset, ne terræ globus hanc quoque insulam continere potuisset. Neque etiam commoueor, quòd censeam naturæ haud consentire, ut hæc insula ea planè ratione deturbari potuerit ac mergi, quam tradit hîc Plato: quanquam enim (vt deinde dicam latiùs) magnum portentū arbitror eiusdem terræmotus eluuionis iniuria insulam istam atque Atticam, hoc est tam disiunctas regiones uno eodémque tempore corruisse: atque intermedias terras nihil detrimenti cepisse: immo clades istas ne cognouisse quidem (id enim partim a Platone affirmari, partim ex eius dictis sequi, ostendam † paulò post) unam tamen Atlantis insulam, etsi penè immensam, ea potuisse ratione deijci non inficior: cùm præsertim apud probatos authores ac Plinium inter cæteros legamus alicubi recessisse maria, vel repente emersisse insulas: alibi terras maris impetu fuisse interruptas: insulas rursus continenti adiunctas: multásque denique regiones (id quod rei nostræ inprimis interest) in mare conuersas esse, quas longum esset recensere. Ergo cur tandem uereris (inquies) ne hæc Platonis insula ficta sit & commentitia? Ea in primis de causa, quòd non

possum

† Ar. in li. de Mūdo ca. 2.

† vide part. & com. 35.

possum non molestissimè ferre cum ea historia coniungi, quæ dum assumit tot millia annorum, cum Hebræorum antiquitatibus, hoc est cum testatissima ac certissima ueritate, pugnat. Quod sanè miror non deterruisse nostros homines ab eius approbatione ac defensione: cum præsertim si res accuratiùs expendatur, tot sese offerant falsitatis indicia & argumenta, quot nos tum hîc, tum fusiùs post paulò exponemus. Deinde ea quoque ratione adducor, quòd neminem inuenio ex antiquis historicis cui hæc insula cognita fuerit: apud Ptolemæum enim, Solinum, Melam, immo quantumuis aliter scribant Platonici illi, apud Strabonem etiam aliósque omnes, qui tamen de Oceani insulis egerunt; altum de illa silentium. Vnus Plinius reperitur, qui eius mentionem fecerit. Nam cum de terris ageret in mare permutatis, hanc insulam inter cæteras terras recensuit. Quanquam ex unius Platonis uerbis: sic enim scribit libro II. capite IX.
In totum abstulit terras, primùm omnium vbi Atlanticum mare est, si Platoni credimus; immenso spatio: mox interno quæ videmus hodie, mersam Acaraniã Ambrocio sinu, Achaiam Corinthio, Europam Asiámque Propontide & Ponto. Ad hoc perrupit mare Leucada, Anthirrium, Hellespontum, Bosphoros duos. *Sic Plinius. Quãob rem cum accuratissimus hic author alium repeririret neminem, qui id assereret: ijsque ipse uerbis hoc protulerit, quibus rem sibi maximè dubiam atque incertam esse ostenderit; mihi sanè uel propter eundem Plinium Platonis assertio falsitatis nomine suspecta est. Nam quod ad Strabonem pertinet, nec ipse in secundo libro, in quo Foxius & Serranus contendunt huius Insulæ mentionem fieri, neque alibi, quod ego inuenire potuerim; hanc insulam commemorauit: tametsi & libro ultimo fusè egit de Lybia atque Atlante monte, quo in loco cæteri plerique insulas Oceani referre solent, & in primo ac tertio de fortunatis insulis, de Atlantico pelago, de Gadibus, déque insulis quibusdam uicinis. Præterea certum est Christophorum Columbum, qui supra centesimum fermè ætatis nostræ annum Fretum illud traiecit, ingentem quidem graminis copiam offendisse, sic ut prata potiùs quàm mare secare quodammodo uideretur: at limum, scopulos ac uada offendit nulla. Quod sanè ostendit nullam insulam ibi demersam esse, ac nihil minùs quàm scopulis obstructum atque impeditum esse fretum illud. Deinde (ut ad Platonem redeamus) consimili planè machina egebat Socrates, quam obtenderet ad suã politiam tuendam: ut enim in ea non modò noua quædam, uerùm etiam monstrosa protulerat instituta, ita insolẽtissimis machinationibus Aegyptiarum instar, immo incendijs, eluuionibus, (dicã liberiùs) magno æuo, Chaos denique ipso indigebat, in quibus sese immergens, delitesceret totus. Nam quæ hîc de eluuionibus ob cœli conuersiones contingentibus tradit, cum alibi, tum in Ciuili, magno illo æuo tuetur. Denique, vniuersus hic Critiæ sermo, si accuratè expendatur, innumeris penè mendacijs (id quod nos in sequenti capite disputabimus fusè) videtur refertus: facile itaque est insulam istam merum commentum esse ac fabulam. Et sanè verissimè affirmare possumus*

mus hæc ipsa fermè loca in quibus suam istam insulam collocauit Plato, *vt antiquis illis parum admodum perspecta erant & cognita, ita fabularum atque prodigiorum officinas extitisse. Hinc enim beatorum fluxerunt insulæ; hinc Elisij campi: hinc Gorgones Hesperides, Dracones: hinc Satyri: Aegypanes, semiferique illi homines. Hinc tam multa supra humanam fidem de Radamanto, Minoë, in primis verò de Hercule, atque Atlante manarunt: hinc denique sexcenta huiusmodi alia portentosissima commenta profecta sunt. Quamobrem haud mirum esset* Platonem *ad incognita hæc loca veluti ad monstrorum emporium, officinámque confugisse, ac quemadmodum ij qui adulterinum argentum cudere moliuntur, abdita inaccessáque loca petunt, sic ipsum ad hanc insulam atque adeò* Chimæram *cudendam in abdidissimas maris huius regiones sese abdidisse. At verè in* Oceano *septē illæ insulæ reperiuntur, quas tradit* Proclus. *Reperiuntur, fateor: hæ enim sunt, quas tum Atlantides, tum fortunatas insulas appellarunt antiqui. Quare* Plinius *etiam, Mela, Solinus,* Ptolemæus, *Strabo, Diodorus, aliique non pauci inter antiquos multa de illis memoriæ prodiderunt: immo antiquiores Aristoteles, Eudoxus, quin* Homerus *(si Straboni credimus) & alij plurimi, quos* Plinius, *aliique historici citant, eas cognouisse uidentur. Tres quoque alias, quas affert* Proclus, *Mela, clariùs autem* Plinius *attigit, qui vltra fortunatas alias etiam esse memorat: quibus implere fortunatarum numerum possis, dum interdum aliqui sex tantùm recensent Quanquam Atlantis insula, quæ Atlantico monti obiecta est (vt interim Hesperides, quæ in eodem fermè tractu sitæ sunt, & alias minores omittam, quarum fama non vsque adeò certa est ac constans) idem efficere potes. Verùm de illa quam* παμμεγεθεστάτω *vocat* Proclus, *quámque ab vnius illarum insularum incolis tradi vult, historici qui extant, ne uerbum quidem: cum tamen alios vetustissimos citent, & mira solertia res illas conquisierint atque tractarint: disiectas etiā atque in mare commutatas referentes. Neque præter hæc aliud quippiam affirmat author ille de Mundo ad Alexandrum, nisi verisimile esse terras nostræ è uestigio obiectas reperiri, idcirco enim huic nostræ asserit obuersas esse complures insulas, easdémque nonnullas magnas in nostri orbis, vel potiùs habitabilis huius terræ (sic enim est græcè in his locis citatis omnibus, in quibus interpres orbis nomen vsurpans, terræ partes in orbes videtur conuertere, atque multos quasi Mundos introducere)* Oceano *extare: intelligit Albium, Ternam, & huiusmodi alias, quæ uerè & ingentes sunt, & in* Oceano *iacent. Et idcirco idem author paulò post, cum de terrarum orbe paulò distinctiù sageret, aiebat* Porro quod aridum est, terram & continentes, insulasque appellamus. Iā Insularū nonnullæ grandes sunt, veluti hæc cuncta habitabilis a nobis iam dicta est, aliaéque quas ingentia maria undis ambiunt circumfluis: aliæ minores notæ & intestinæ. *Hæc iste: qui statim minores enumerat & intestinas, quas etiam notas esse dicit: Siciliam videlicet, Sardiniam, & alias nonnullas: tum varijs interim* Oceani *finibus descriptis, ad externas* Oceani *insulas redit, quas dixerat ingentibus maribus concludi; eásque recenset his verbis.* Extra supradictas

vide Stra. l. 1. & 3. Soli. cap. 27. & 60. Mel. l. 2. c. 7. & l. 3. c. 11. Pl. l. 6. c. 31. & 32. & al.

pradictas

prædictas columnas Oceanus terram fluctibus suis oberrat. Quo ipso in mari insulæ duæ sitæ sunt quammaximæ; quas Britannicas appellant, Albium & Ierna: ijs etiam maiores quas commemorauimus, supra Celtas iacentes. Quis tamen ipsis magnitudine nec Taprobane cedit, nec ea, cui Phebol nomen est: illa super Indos posita, situ ad terrarum orbem (*habitabilem terram intellige*) inflexo, hæc ad Arabicum sinum. Sunt etiam non paruæ sed exiguæ circa Britannicas, & Iberiam quæ quasi corona cingunt hunc orbem (*nostram nimirum terram habitabilem*) hominum domicilium, quem superiùs insulam esse disseruimus. *En tibi explicat quæ sint illæ terræ, siue qui orbes Oceano nostro in hoc situ contenti. Quocirca quemadmodum ibi significauerat ex orbibus illis Oceano conclusis, & insulas effectis, quosdam tantùm esse prægrandes, reliquos minores, ita hic, quæ praegrandes insulae istae sint, recenset; quaéue minores indicat. Quare (vt dicebam) praeter terras nostris obiectas nihil ponit quod alij historici non tradiderint. immo de ijs quoque insulis loquitur quae tunc extabant: quaéque etsi permagnae essent, Platonicam tamen illam uix exigua quadam parte aequabant. Vt propterea ex Aristotele nihil minùs habeamus quàm Atlanticam istam insulam quam Plato demersam ponit: cum tamen ita diligenter insulas omnes descripserit. Nam quod aliqui scribunt† Aristotelem etiam asseruisse Atlanticum Oceanum nauigationi ineptum euasisse, quòd cum ibi demersa sit insula, vadosum factum sit, id verò apud Aristotelem reperio nusquam. Nam † scribit quidem extra columnas breuia ostendi, idque propter lutum (quod etiam minimè consentit cum obruta insula ac vadis ex insulæ demersione profectis) obrutam verò fuisse Atlantis insulam, quod sciam, nullo modo. Quanquam non mirum id istos de Aristotele venditare, qui tum authorem commentarij de admirandis auditionibus, tum Diodorum Siculum proferunt tanquam eiusdem sententiæ adstipulatores: atque hos maximè pro ingenti magnitudine illa. Sed in hoc etiam errant (ac ni valde quidem fallor) grauissimè. Nam author ille auditione octogesima secunda meminit quidem desolatæ cuiusdam insulæ a Carthaginiensibus trans Herculeas columnas inuentæ: sed quæ tamen distaret a terra plurium dierum spatio: cum Plato ad columnarum ostium collocatam fuisse velit suam insulam illam. Deinde author hic de magnitudine, quæ rei caput est, nihil: quin sic de ea loquitur, vt non immeritò suspiceris haud valde amplam fuisse. immo si cũ Platonica illa cõferatur, angustissimã. Denique si diligenter expẽdas ea quæ scribit Diodorus lib. iij. & iv. de quibusdã Oceani insulis, cõperies profectò hũc nihil minus quã vastissimã illã, atque adeò immensã Platonis insulã, eámque obrutã Oceano significare voluisse. Quanquam dũ suspicantur aliqui, eas insulas, quas nos Americas appellamus, esse Atlanticã illã, iã quid hac de re sentiã aperiendum est. Et quoniam iam antea rationes attuli, quibus istorum opinionem confirmari posse crederem, afferam iam contrarias, statimque diluam superiores. Tametsi enim dum isti nihil planè*

† Scho. Ter. in Apol. nu. 528.

† l. 2. met. c. 1. ante fin.

Americas nõ esse Platonis Atlanticam.

afferunt, quo rem vsque adeò nouam, ne dicam incredibilem, suadeant, eâdem facilitate potuisset a nobis refelli ac reijci, qua ab authoribus asseritur, veruntamen quoniam eam nos confirmauimus, perficienda est res vniuersa. Multis autem ijsdémque grauissimis argumentis adductus arbitror Americas nullo modo censendas esse Atlanticam Platonis insulam. Nam primò Atlantica ex Platone (si ei credimus) verissimè fuit insula (describit enim circuitum, & dimensiones) eaque vnica, etsi spiris quibusdam ac zonis, arte tamen elaboratis, alicubi cingeretur Neptunni mons & metropolis, ac tota insula in plagas decem esset distincta. Americæ verò non vna, sed multæ insulæ sunt, ac fortasse etiam continentem efficiunt: nam ad Septētrionem existimant aliqui cum nostro orbe coniungi. Deinde esto interim Atlantica pluribus insulis constet, quod tamen cum Platone non consentit: esto etiam Americæ constituant non continentem sed varias insulas: tametsi id compertum non sit, at cum affirmet Plato insulas istas fuisse demersas, cur quæso ad eminentes potiùs atque editas confugiunt, vt Platonis causam tueantur, quàm ad demersas & lacunosas? At enim emerserunt aliquando: quemadmodum alias quoque multas emersisse legimus. Sed vt omittam id non facilè credi posse, nisi cōiecturas saltem aliquas proferant; quod tamen minimè faciunt, profectò non bonos Plato inuenit patronos, qui quas ipse insulas deturbat ac sepelit, excauant, ac post decē millia annorum excauant: cum præsertim asserat Plato Atlanticam istam fuisse non pelago solùm sed terra ipsa ob terræmotum ingentem conquassatam, absortámque. Huc accedit, quòd Americæ non solùm non superant Asiam simul & Lybiam, sed ne Asiam quidem fortasse exæquant. Sed & illud valet plurimum ad istos refellendos quod Americae distant ab Herculeo freto (idque vbi viciniores sunt) quinquaginta gradus, hoc est tria millia milliaria. Atlantis verò insula ex Platone breuissimo interuallo: Gades enim (vt mox dicam) aliquam faciebat ipse Atlantis partem. Nam si fingas easdem Americas antequam mergerentur, verè ad Herculis vsque fretum fuisse extentas, atque hoc pacto etiam amplitudinis illius fuisse aliquando quam Atlanticæ affingit Plato: postea tamen eam quae nunc cernitur partem, emersisse tantùm, iam Atlanticæ figura & situs longè alia fuisset ab ijs quam tradit Plato. Nam voluit quidem Plato extremam Atlanticae oram ad Herculis fretum fuisse positam, quam etiam Gadiricam a Gadiro filio appellauerit Neptunus, sed ea tamen ratione, vt quadrata esset, tametsi vtcunque oblonga: immo ob fossam circum erutam circularem quodammodo fuisse redditam: quod non consentiret Americis si tam longè extenderentur. Denique Brasilij (sunt autem ij præcipui Americarum populi) nonnulla de Noë, etsi tenui auditione, déque diluuio a patribus accepta referunt: id autem omnino indicat, hos ortos esse potiùs post generale diluuium, cum in varias Mundi partes disseminarentur mortales, ac deinde propter ingentem distantiam sublatum esse commercium, quàm post Platonem propagatos esse: nam non tam facilè eorum memoria & cognitio obsoleuisset. Hæc contra istos vt minora quædam taceam.

Ex

Ex quibus efficitur contraria argumenta corruere omnia, si illud vnum exceperis quod ex montium altitudine, ac fœlicitate, quod tamen leuissimam coniecturam efficit; vbertatéque duximus. Nam Atlanticæ & Americarum similitudo, quam ex figura aliisque huiusmodi colligebamus, si contrariæ rationes expendantur, deficit plurimum. Hæc aduersus istos. Tertullianus verò (si me audias) suspectam potiùs reddit Platonicam historiam istam, quàm ei faueat. Nam in libro aduersus Valentinianos, vbi Insulam (*inquit*) Feliculam credas tanta tabulata cœlorum, nescio vbi: illic Valentinianorum Deus ad summas tegulas habitat, *visus est quibusdam Atlanticam Platonis insulam deridere: sed clariùs in libro de Pallio, eandem suspectam habere uisus est. Vbi*, Nulla (*inquit*) iam Delos, Rhene, Samos, & illa (si non mendax Plato) in Atlantico Lybiam, & Asiam adæquans, quæritur nunc. *Quo in loco quoniam res alioquin si vera erat, mirificè illi fauebat, haud sanè cautione illa* (si non mendax Plato) *vsus eßet, nisi verisimilem minimè habitam intelligens, mendacij scopulum, atque adeò impudentiæ crimen extimuisset. Nam qui Aeon, hoc est (vt ego interpretor) meram atque certissimam fabulam, fabulatorémue legunt hoc in loco vbi Turnebus habet Plato, idipsum quod volumus etiam atque etiam confirmant. Denique cum illis in locis Tertullianus atque Arnobius aduersus Ethnicos, qui nimirum diuinis literis coargui non possent, disputarent, quid mirum si ad hunc Platonis locum tantisper cõfugerunt, dum eos proprijs illorum armis, atque ad hominem (vt dicitur) differentes oppugnarent? Certè eodem consilio ac lege Arnobius, etsi pietate illustris, eo ipso in loco decem illa annorum millia ex Platone vsurpare non dubitauit dum sic scriberet.* Vt ante millia annorum decem insula quæ perhibetur Atlantica Neptuni (sicut Plato demonstrat) magna erumperet vis hominum vt innumeras funditus deleret nationes, nos fuimus causa? *quare mendaces refellere mendacijs potuere, cum hæc interim non ipsi commentarentur, probaréntue, sed ab aduersarijs oblata arriperent. Quamobrem non poßum non suspicari insulae istius memoriam, quam Proclus ex Marcelli illius historijs, hicque prætcrea ex nescio cuius insulæ incolis, ijque rursus a suis maioribus accepisse dicũtur, fuiße ad Platonici commenti exemplar effictam, in quo Critias a Solone eiusdémque historijs, Solon a Saiticæ vrbis incolis, ij a suis maioribus eã excepisse commemorantur. Vt si ulla vnquam de causa Platonis nostri Diadochos hoc dignus cognomento fuit, ea certè de causa fuerit, quòd fingendi artem, in qua illum excelluisse animaduerterat, egregiè sit consectatus.*

Ad argumenta & authoritates in contrariũ allatas.

Atque ex his facilè est ijs respondere, quæ postremo loco quærebantur: continentem enim, ad quem ab Atlantica illa insula patère aditum voluit, eam in primis Affricae oram appellat, quae Atlantico pelago est obiecta, ac laeuo Oceani latere alluitur: tum verò reliquas regiones quæ Africae continuatae & iunctae sunt. Insulas verò quas in eodem pelago Atlanticae confines posuit, censere potes eas omnes quas Plinius, Solinus,

De confinibus insulis & continenti quæ Atlanticæ obiecit Plato.

atque alij plurimi recensent, qui de illius pelagi insulis agunt: sed Gaditanas præcipuè, Fortunatas, & iisdem proximas de quibus nos paulò ante. Quanquam cum Plato asseruerit Atlanticam Insulam fuisse sitam in Oceano propè Herculei freti angustias ac magnitudine Asiam, Lybiámque superasse, neque apertè explicauerit qua parte eius figura magis minúsue extenta esset atque porrecta, non facilè est diuinare, quas animo fingeret suo insulas illi vicinas esse: & an has vellet ante Atlanticae ruinam fuisse, an potiùs (vt accuratior ingentis illius chimerae ratio haberetur) huius veluti dissipatas quasdam reliquias superesse. Sic enim longè latéque in Oceano fuisset extenta: nec tantopere habuisset cur æstuaret Proclus dum suis illis εἰσοχαῖς καὶ ἐξοχαῖς *interioribus, inquã, exterioribúsque altitudinibus ac spatijs efficere conatur eius basim haud magnopere patuisse. Sed iam ad Critiae disputationem redeamus, qui pergit in hunc modum.*

Partic. IV.

Ἐν δὲ τῇ Ἀτλαντίδι ταύτῃ νήσῳ μεγάλη συνέστη καὶ θαυμαστὴ δύναμις βασιλέων, κρατοῦσα μὲν ἁπάσης τῆς νήσου, πολλῶν δὲ ἄλλων νήσων καὶ μερῶν τῆς ἠπείρου. πρὸς δὲ τούτοις ἔτι τῶν ἐντὸς τῇδε Λιβύης μὲν ἦρχον ἄχρι πρὸς Αἴγυπτον, τῆς δὲ Εὐρώπης μέχρι Τυρρηνίας. αὕτη δὲ πᾶσα ξυναθροισθεῖσα εἰς ἓν ἡ δύναμις, τόν τε παρ' ὑμῖν, καὶ τὸν παρ' ἡμῖν καὶ τὸν ἐντὸς τοῦ στόματος πάντα τόπον, μιᾷ ποτ' ἐπεχείρησεν ὁρμῇ δουλοῦσθαι.

Ficinus. *In hac Atlantide insula maxima & admirabilis potentia extitit Regum, qui toti insulæ illi, multisque alijs & maximæ terræ continentis parti, præterea & his quæ penes nos sunt, dominabantur. Siquidem tertiæ Mundi parti, quæ Libya dicitur, vsque ad Aegyptum imperauerunt: Europæ verò vsque ad Tyrrhenum mare. Horum vis omnis vna collecta, nostram, ô Solon, vestramque regionem & quicquid intra columnas Herculis continebatur inuasit.*

Nou. int. *In hac ergo Atlantica insula magnæ & mirabilis conflatæ erant Regum copiæ, quæ vniuersam quidem illam insulam, multasque alias, & continentis illius partem obtinebant. Iam verò ex vna quidem parte vniuersæ Libyæ ad Aegyptum vsque, Europæ ad vsque Hetruriam imperabant. Illæ itaque Regum in vnum collectæ vires & vestras & nostras, & omnes eas quæ intra illius maris aditum erant ragiones in seruitutem redigere conabantur.*

Benius. *In hac igitur Atlantis insula magna facta est Regum coniuratio, qui ingenti vi atque potentia, tum in insula illa uniuersa, tum in alijs multis dominabantur. Immo uerò non his solùm, uerùm etiam uarijs continentis ipsius partibus imperabant: sic ut hinc totius Lybæ usque ad Aegyptum, isthinc Europæ ad Hetruriam usque potirentur. Cumque illorum copiæ simul conuenissent, omnes nostras regiones & uestras, atque ea etiam loca omnia, quæ intra maris illius aditum sita sunt, uno impetu in seruitutem redigere conabantur.*

Comm. IV.

Redit ad institutum Plato; atque præclari illius facti narrationem persequitur. Primùm verò narrat reges illius insulæ (decem verò extitere, vt in Critia exponitur fusè) conspirasse inter se omnes: tum verò exponit quæ ac quanta fuerit eorum potentia, & quàm latè terra marique dominarentur: denique subijcit quid efficere molirentur simul atque vniuersæ ipsorum copiæ conuenissent. Quæ omnia ipsemet Plato, vt deinde Atheniensium

sium virtutem, atque res in ipsos Atlantinos fortiter gestas extollere magis possit, tum hîc breuiter, tum verò in Atlantico, altiùs exaggerat, atque ante oculos ponit illustrius quàm vt vlla declaratione egeant. Atque idcirco etiam statim se se ad Atheniensium fortitudinem conuertit celebrandam his verbis.

Partic. v.

Τότε οὖν ὑμῶν, ὦ Σόλων, τῆς πόλεως ἡ δύναμις εἰς ἅπαντας ἀνθρώπους διαφανὴς ἀρετῇ τε καὶ ῥώμῃ ἐγένετο. πάντων γὰρ προστᾶσα εὐψυχίᾳ καὶ τέχναις ὅσαι κατὰ πόλεμον, τὰ μὲν τῶν Ἑλλήνων ἡγουμένη, τὰ δ᾽ αὐτὴ μονωθεῖσα ἐξ ἀνάγκης τῶν ἄλλων ἀποστάντων, ἐπὶ τοὺς ἐσχάτους ἀφικομένη κινδύνους, κρατήσασα μὲν τῶν ἐπιόντων, τρόπαια ἀνέστησε· τοὺς δὲ μήπω δεδουλωμένους, διεκώλυσε δουλωθῆναι. τοὺς δ᾽ ἄλλους, ὅσοι κατοικοῦμεν ἐντὸς ὅρων Ἡρακλείων, ἀφθόνως ἅπαντας ἠλευθέρωσεν.

Ficinus. *Tunc vestræ ciuitatis virtus in omnes gentes enituit. Quæ cum omnes magnanimitate bellicisque artibus antecelleret, partim vnà alijs Græcis, partim sola cæteris deserentibus, extrema discrimina subijt, hostesque expugnauit, amicis seruata, vel reddita libertate.*

Nou. int. *Tunc verò vestra, Solon, ciuitatis potentia præter cæteros mortales maximè excelluit robere & virtute, omnes autē animi fortitudine & potentia omnibusque bellicis rationibus ita superauit, vt ijs hostibus qui irruebant, deuictis, trophea constitueret, erigeretque, cum partim communi cæterorum Græcorum nomine rerum summam obtinuisset, partim a reliquis græcis destituta, & ad summum periculum adducta, in eam necessitatem cogeretur vt sui defendendi priuatim & per se ab illis sciuncta atque separata, rationes iniret, eos verè qui nondum planè domiti erant, impediuit quo minus planè subigerentur: alios verò qui intra columnas habitamus amplissimè omnes in libertatem reuocauit.*

Benius. *Tunc igitur Solon uestra ciuitas virtute ac robore in omnes mortales enituit: nā ut ipsius copiæ cæteras omnes animi magnitudine ac militaris scientiæ laude superabant, sic decertauit, vt siue reliquos Græcos, quibus in belli administratione præerat, haberet adiutores, siue etiam desereretur ab ijs, ex irrumpentibus hostibus, vel ipsa necessitate in extremum adducta discrimen, trophæa reportarit: eos interim quibus seruitus imminebat omni periculo liberans: nos autem qui intra Herculis columnas habitamus, in libertatem omnes benignissimè vindicans.*

Cōm. v. Mira fuit Platonicæ orationis uis in hostium potentia commemorāda: sed admirabilior in suorum ciuium virtute atque fortitudine explicanda, qua omnino affirmare audet in omnes mortales enituiße. Quamobrem Atheniēsium copias in ingentem illam ac penè innumerabilē barbarorum multitudinem educit, vix exiguis aliorū græcorum præsidijs munitas; immo & interdum nullis: sic vt vnius vrbis copiæ ab omnibus socijs derelictæ, contra immensam hostium uim, non intra mœnia, sed aperto marte dimicarent: idque uel in extremo periculo atque discrimine (necessitate nimirum, nō ignauia ac culpa) constitutæ: cum tamen non solùm incolumes euasserint; verùm etiam hostibus deuictis ac profligatis, insignes triumphos reportarint: quamplurimis interim, qui ab illis in seruitutem redacti fuerant, reddita libertate: cæterisque omnibus liberatis, quibus durißima seruitus imminebat: hócque summa liberalitate atque benignitate.

Part. VI. Ὑστέρῳ δὲ χρόνῳ σεισμῶν ἐξαισίων καὶ κατακλυσμῶν γενομένων, μιᾶς ἡμέρας καὶ νυκτὸς χαλεπῆς ἐλθούσης, τό, τε παρ' ὑμῶν μάχιμον πᾶν, ἀθρόον ἔδυ κατὰ γῆς, ἥ, τε Ἀτλαντὶς νῆσος, ὡσαύτως κατὰ τῆς θαλάσσης δῦσα, ἠφανίσθη.

Ficinus. *Posthac ingenti terræmotu, iugique diei vnius & noctis illuuione factum est, vt terra dehiscens uestros illos vnà omnes bellicosos homines absorberet, & Atlantis insula sub uasto gurgite mergeretur.*

Nou. int. *Post autem quum diluuiorum & terræmotuum intemperies extitisset, vnius noctis & diei spatio omne illud bellicosorum hominum genus in terram absorptum fuit, illaque etiam Atlantica insula maris fluctibus planè obuoluta omnino disparuit.*

Benius. *Posteris uerò temporibus terræmotibus maximis, atque eluuionibus consetis, calamitatosissimæ diei noctisque spatio, tum apud uos bellicossimum illud hominum genus repente terra demersum est: tum Atlantis insula pelago eodem modo absorta, ex hominum conspectu euanuit.*

Comm. VI. *Multa ac magna affirmauerat Plato, quorum nullum monumentum aut vestigium apud ipsos extabat, nulla fama aut suspicio audita erat. Nunc itaque, ne quis illum in tanta rerum nouitate atque insolentia coargueret, ad illud perfugium sese refert, quod iam antea sibi parauerat: ad terræmotus nimirum atque eluuiones; quibus contendit, vel vnius diei ac noctis spatio demersos, deletósque fuiße non solùm bellicosissimos illos Athenienses, verùm etiam vniuersam Atlantis insulam. Et quanquam simulat se ea de causa ad hæc narranda descendere, vt ostendat pelagus illud fuiße aliquando nauigabile (idcirco enim subdit,* Quam ob causam innauigabile pelagus illud propter absortæ insulæ limum relictum fuit.) *reuera tamen id facit, vt ea omnia quæ sermone illo attulerat, præsertim verò priscorum Atheniensium res gestas atque instituta, veritatis specie aspergeret. Ea verò de causa, vt opinor, affirmat,* ὑστέρῳ χρόνῳ *postero inquam tempore id factum esse, ne quis eum mendacij argueret. nam si ingens hæc clades vtrinque sequuta eßet statim post bellum ac victoriam illam, vix ac ne vix quidem rescire potuissent Aegyptij hanc quam tam distinctè narrat Sacerdos rerum seriem atque rationem. Addit quoque, vnius diei ac noctis spatio ingentem hanc cladem esse sequutam, non vt ex tam repentina atque præcipiti terræ marisque iniuria intelligeremus neminem in Attica saltem fuisse superstitem (vt enim homines indigenas ibi eße tueretur, coactus est superstites aliquos facere: quanquam vt deinde explicet cur hæc memoriæ non tradiderint, æstuat) sed fortaße quoniam ea tempestate constaret vnius diei imbres terræmotum Athenis attuliße: ac propterea fictam cladem veræ quoquo modo similem præstaret introducere. Nam de recenti isto Athenarum terræmotu in Atlantico, hócque ipso (ni fallor) consilio, mentionem fecit his verbis.* Primo quidem tunc arcis alia quàm nunc erat dispositio. Nunc enim vna saltem nox pluuiosa, tenue solum cum liquefecisset, terræmotum induxit. *Et ob id etiam subdidit.* Et ante illud Deucalionis exitium, tertia priùs illuuione fatali. *Quanquam non satis video, qua tandem ratione (id quod rei caput est) probabile effecerit hanc cladem vno eodémque tempore tam ingentes atque disiunctas*

regiones

regiones vastare potuisse atque demergere: quis enim non miretur, aut potius apertum mendacium esse non intelligat, vnius eiusdémque diei ac noctis eluuionem ac terræmotum, & Atlantinos qui intra immensa illa Oceani spatia ad occidentem positi essent, & Athenienses qui interiores Europæ partes ad orientem penè incolerẽt absorbuisse? Quare omnino velim vt mihi explicet Ficinus ac cæteri illi qui hæc pugnant in historiæ loco esse habenda, primùm an interiectæ regiones, quæ tot sunt ac tantæ, absumptæ fuerint, aut lacessitæ clade illa: vel potiùs, quoniam satis indicat Plato vnos Atlantinos & Atheniẽses fuisse demersos, qua tandẽ ratione id contigerit. Nisi tamẽ Natura quippe quæ præuideret fore vt Plato hoc maximè prodigio egeret ad suã Rempublicam tuendam, consultò in Platonis gratiam id fecerit. Deinde cur non aliqua tam ingentis ruinæ ac portenti memoria & fama percrebuit ac permansit apud Europeos, ac præsertim apud eos qui sunt Atheniensibus finitimi atque propinqui. Denique cur eiusmodi cladem, hoc est admirabilem, ingentem, ac superioribus ætatibus inauditam, tam paucissimis verbis ac quasi præteriens retulit, nisi vt ignem malè sopitum ne excitaret, aut machinæ illius intuendæ aditum quamminimè posset nobis aperiret. tametsi χρόνῳ *illo* ὑστέρῳ *quo nullum definitum refert cladis illius tẽpus, atque vnico illo die ac nocte, in quibus tam facilè & terræmotum & eluuionem coire vult, ac sic coire, vt Athenienses terræ, Atlantini maris ui absorbeantur, non potuit hac etiam ex parte huiusmodi præcludere aditum. Vt propterea ex hoc etiam intelligi possit, ad machinam illam comparandam id quoque pertinere, quemadmodom & iam antea monere cœpimus, & infra etiam, quoniam sic res postulat, latiùs disseremus. Sed iam audiamus quàm accommodatè his terræmotibus atque eluuionibus Atlanticum illud pelagus intercludat. Nam non est cur in præsentia dißeramus an ex Physiologiæ præceptis atque ratione Plato affirmet terræmotui eluuionem esse consequutam. Hæc enim atque alia id genus proprium locum habent in Timæo.*

Part. II X. Διὸ καὶ νῦν ἄπορον καὶ ἀδιερεύνητον γέγονε τοὐκεῖ πέλαγος, πηλοῦ καταβραχέος ἐμποδὼν ὄντος ὃν ἡ νῆσος ἱζομένη παρέσχετο.

Quam ob causam innauigabile pelagus illud propter absortæ insulæ limum relictum fuit. Ficinus.

Vnde & illud mare traiectu difficile est, quum lutum adhuc copiosum ex insulæ illius reliquijs remanserit. Nou. int.

Atque idcirco pelagi illius nauigatio in præsentia est interclusa, limo paulatim impediente, quem insula subsidens ministrauit. Benius.

Cõ. II X. *Hinc pelagi illius impedimentum vult esse nauigantibus ortum quòd* καταβραχέος *(id quod non expreßit interpres) hoc est haud ita multò post, vel certè paulatim, limum demersa insula ministrarit. Id autem (opinor) idcirco affirmat, vt verisimili studeat: si enim limus impedimento est nauigantibus, vt ipse Plato tanquam exploratum accipit, id certè qui insulæ demersione factum dicit, conueniens etiam est, vt paulatim factum esse contendat. Hic autem in huius siue historiæ, siue fabulæ epithome Proclus multa de more fundit ecstasibus plena: nam cum monuißet hanc hostoriam* ἐπὶ τὰ ὅλα καὶ παραδείγματα, *ad vniuersalia (quæ vocant) & exempla rerum esse referendam,*

rendam, hócque bellum περὶ τὴν κοσμοποιΐαν καὶ φύσιν, *ad rerum inquam mundanarum effectionem naturámque tanquam ad iconas & simulachra pertinere, rem ad commentitiam gygantum Thytanúmque pugnam traducit, quã cum Olympicis Dijs habuiße dicuntur: hisque Athenienses significari vult, illis Atlantinos; tum decem Reges (tot enim Plato fuiße scribit, qui conspirasse dicuntur) affert in medium: hósque rursus in totidem principes Vniuersitatis transformat; Vniuersitatémque rursus in duas Systichias seu ordines: tum hos in alias quasi claßes. Mox verò deflectit ad Pythagorica quædam quæ ipse fingit mysteria: atque ad Orphicas fabulas: omnémque pelagi illius insularúmque situm atque rationem ad allegorias pro libidine traducit: in quibus sexcenta somnia atque adeò portenta fingit. Quamobrem vanissimis Ethnici istius nugis omissis, in Platone pergamus.*

Part. IX.

Τὰ μὲν δὴ ῥηθέντα, ὦ Σώκρατες, ὑπὸ τοῦ παλαιοῦ Κριτίου, κατ' ἀκοὴν τὴν Σόλωνος (ὡς συντόμως εἰπεῖν) ἀκήκοας. λέγοντος δὲ δὴ χθὲς σου περὶ πολιτείας τε καὶ ἀνδρῶν οὓς ἔλεγες ἐθαύμαζον, ἀναμιμνησκόμενος αὐτὰ ἅνυν λέγω. καταvοῶν ὡς δαιμονίως ἔκ τινος τύχης οὐκ ἀπὸ σκοποῦ ξυνηνέχθης τὰ πολλὰ οἷς Σόλων εἶπεν.

Ficinus. *Hæc o Socrates rerum quæ Critias maior a Solone accepta narrabat summa est. Sed dum præterito die de Repub. ciuibusque suis differeres subijt mihi quædam ex recordatione admiratio: cogitanti videlicet, diuina quadam sorte factum esse, vt simillima quædam haud ab re Solonis historiæ traderes.*

Nou. int. ***Hæc ferè sunt** Socrates **quæ à vetere Critia, ex Solonis auditu commemorata memini. Et quidem heri quum te audirem de Repub. differentem mirabar: in memoriam illa reuocans, quæ modò dixi, atque animaduertens, quam fœliciter & quàm diuinè sorte quadam, nec tamen præter rem, multa eorum colligeres quæ aiebat** Solon.*

Benius. *Atque hæc, Socrates, est summa eorum quæ Critias maior ex Solonis auditione narrabat. Nam cum hesterna die de Repub. deque eius ciuibus dispu tares, hæc mihi, nec sine admiratione, subierunt in mentem: intelligebam enim quàm tibi fœliciter sorte quadam contigisset, vt appositè multa percenseres eorum quæ pronuntiauerat Solon.*

Comm. IX. *Concludit Critias, hæc quæ narrauit, eorum eße summam quæ Solon a Sacerdote illo audita, maiori Critiæ exposuerat. Ac statim, vt minus suspicaremur hæc fuisse excogitata ad politiam illam tuendam, sorte quadam contigisse affirmat, vt Socrates tam multa in politia instituenda narrasset quæ Solon etiam aliquando pronunciaßet. Atque huc pertinet quod ait hæc sibi non sine admiratione subijsse in mentem. quemadmoeum huc quoque spectant ea omnia quæ statim tradit his verbis.*

Οὐ μὴν ἐβουλήθην παραχρῆμα εἰπεῖν. διὰ χρόνου γὰρ οὐχ ἱκανῶς ἐμεμνήμην. ξυνενόησα οὖν ὅτι χρεὼν εἴη με πρὸς ἐμαυτὸν πρῶτον ἱκανῶς πάντα ἀναλαβόντα, λέγειν οὕτως. ὅθεν ταχὺ ξυ-

Ob eam verò causam nihil tunc protuli, quoniam ex diuturna negligentia non satis reminiscebar. Satius igitur ipse cẽsui, vt priusquam referre uobis inciperem, mecum ipse repeterem. Ideò verò statim imperio tuo consensi, quia confidebam, vt in rebus huiusmodi maximè decet. aliquid me quod propositæ rei congrueret reperturum.

Nolebam tamen è uestigio illud dicere. nam propter temporis longinquitatẽ non satis expeditè animo succurrebant,

cogitaui

νωμολόγησά σοι τὰ ἐπιταχθέντα χθές. ἡγούμενος, ὅπερ ἐν ἅπασι τοῖς τοιοῖσδε μέγιστον ἔργον, λόγον τινὰ πρέποντα τοῖς βουλήμασιν ὑποθέσθαι, τούτου μετρίως ἡμᾶς εὐπορήσειν.

cogitaui ergo operæpretium esse rem totam primùm cũ animo meo reputare atque reuoluere: quũ etiã in me illud officium incumberet, prout inter nos erat constitutum, vt aliquid in medium afferrem, & quoniam illud a cæteris requirebatur vt aliquem sermonem instituto nostro accommodatum exponerent, hinc non planè alienus existimabatur, quem quidem expeditè comperirem.

Neque tamen ea statim aperire uolui: nam, ut a me iandiu antea excepta fuerant, haud occurrebant satis. Priùs itaque omnino faciendum putaui, ut illa omnia mecum ipse diligenter repeterem. Atque idcirco heri acquieui statim mandatis tuis: animaduertebam enim nobis non defuturam esse facultatem, unde accommodatus aliquis sermo (id quod in uniuersis huiusmodi rebus est præcipuum) instituto subijceretur.

Benius.

Cõm. x. *Vbi narrat cur neque hæc statim aperire voluisset: neque tamen Socratis mandatis non consensisset: illud enim idcirco fecit, quòd cum non facilè in præsentia illi omnia venirent in mentem; secum ipse illa repetere instituisset. hoc verò quoniam intelligebat haud sibi defuturam esse facultatem atque rationem, siue sermonem mauis aut historiam, vnde Socrati satisfaceret: nam ea verba,* ὅθεν ταχὺ ξυνωμολόγησά σοι τὰ ἐπιταχθέντα χθές. ἡγούμενος, ὅπερ ἐν ἅπασι τοῖς τοιοῖσδε μέγιστον ἔργον, λόγον τινὰ πρέποντα τοῖς βουλήμασιν ὑποθέσθαι τούτου μετρίως ἡμᾶς εὐπορήσειν. *non omnino cum Ficino, ac longè minùs cum Serrano interpretor (nam obscurè prior atque contractè, præposterè posterior exponit) sed hoc planè modo.* Atque idcirco heri consensi mãdatis tuis: animaduertebam enim nobis non defuturam esse facultatem, vnde accommodatus aliquis sermo (id quod in vniuersis huiusmodi rebus est præcipuum) instituto subijceretur. *Postulabat enim ibi Socrates effictam a se politiam effictósque ciues a socijs veluti ex vmbra ad certamen aliquod traduci, ita vt exprimeretur, quo pacto cum finitimis ciuitatibus decertarent. Quare Critias ait se non recusasse hoc onus, quòd venisset sibi in mentem quaedam Solonis historia, quam existimabat proposito instituto optimè inseruire: & hoc est quod sibi voluit Proclus dum hunc locum explicaret his verbis.* Πρότερον τοῖς λόγοις ἡγούμενος ἐν τοῖς τοιούτοις ἐπιτάγμασιν οἷον ὁ Σωκράτης ὑπέταξε κινουμένην τὴν πολιτείαν ἰδεῖν. ἔργον εἶναι μέγιστον ὑπόθεσιν εὑρεῖν, ἐφ᾽ ἧς δυνήσεται τὸ πρέπον ἀποδοῦναι τοῖς ἐπιτάγμασι. οὗ δὴ καὶ αὐτὸς πεποίηκεν τὸν Ατλαντίνων καὶ Αθηναίων πόλεμον ἀπὸ τῆς ἱστορίας λαβών. *id est.* Secum ipse primùm reputauit (*Critiam intelligit*) plurimum interesse si sermones illi argumentum suppeditarent, vnde pro dignitate satisfacere posset Socratis mandatis, quibus iubebat suam politiam ad motum ac res gerendas traduci. id quod fecit (*eundem Critiam intellige*) ex historijs repetens Atlantinorum atque Atheniensium bellum.

Iam verò quoniam Critias omnem suæ historiæ summam exposuit, ratio locúsque nos admonere videtur, vt ipsi quoque nonnihil insistentes, pauca quaedam de ea disseramus. Tria enim sunt quæ a Christiano viro

Variæ quæstiones ponuntur explicandæ.

interprete sine accurata animaduersione ac disquisitione omitti citra crimen haud possunt hoc loco. Quorum primum ad eluuiones pertinet, quas protulit Aegyptius iste Sacerdos, varias & antiquissimas. Alterum continet *ingentem illum annorum numerum, quem vel supra nouẽ annorum millia huc intrusit. Postremum ad sermonem attinet vniuersè: an nimirum verus sit censendus atque historiæ dignandus nomine: an potiùs falsus sit, & inter fabulas referendus. Nam quæ hactenus diximus, insulæ illius occasione diximus: historiam uerò integram huc reseruauimus. Hæc itaque quoniam diuinas Hebræorum historias, atque adeò Christianæ veritatis initia labefactare videntur, pro uiridi parte explicare conabor, a primo, quod pertinet ad eluuiones, sumens initium.*

Grauissimus est autem primus hic locus, omninóque dignus qui peculiari cura ac studio tractetur. Dum enim alij quamplurima illa annorum millia, alij varias cœli conuersiones, eásque magnas, nonnulli etiam infinitum (si Deo placet) temporis spatium fingunt, ac non pauci denique reperiuntur qui Hebræorũ antiquitates sic interturbant, ac cũ profanis miscẽt, vt veritas fabularum speciem habere videatur, hi ferè omnes ad Catachlysmos, siue eluuiones, tanquam ad firmissimum præsidium, siue (vt veriùs dicam) ad errorum latebras confugere solent.

De Generali eluuione Moses.

Terrarum eluuiones enumerantur variæ: sed generalis quæ (vt ostendã) prima fuit, vna recensetur tantùm. De hac præter Moysem meminit Berosus Babilonicus libro I. *antiquitatum; qui rem totam describit Mosi mirificè cõsentiens. asserit enim eam fuisse peruulgatam illam ac testatam cladẽ, qua octo hominibus exceptis, vniuersus perijs orbis. De Noë præterea eiúsque vxore ac liberis nominatim verba facit: de arca quoque, & (vt simpliciter dicã) totam illius eluuionis seriem pertexit. Vnum tantùm addit, quod ex sacris literis non constat: Noë videlicet Astrologũ fuisse apprimè peritum, astrorúmque scientia præuidisse futurã illam eluuionem. Quod an verũ fuerit nec ne, in præsentia non disputo: cùm præsertim non neget, immo disertissimis verbis contendat, illum fuisse eximiæ prudentiæ atque pietatis; & Ioseph libro* I. *Iudaicarũ antiquitatũ capite* XII. *eundem Noë, quem iam antea excellenti pietate ornauerat, scribat etiã astrorum cognitione excelluisse. A quo fortasse non multum abfuisse suspiceris Philonem libro* I. *antiquitatum, dum Lamech ipsius Noë parentem futurã illam ruinam præuidisse testatur; & idcirco filium (id quod in sacris quoque literis legimus) a requie quã allaturus esset terræ, accepto nomine, Noach appellasse. Quanquam cum Lamech eodem Philone teste sic prædiceret terrarũ cladem, vt affirmaret eam propter hominum iniquitatem euenturam, sensisse videtur Philo id illum diuino afflatum spiritu potiùs quàm siderum notatione percepisse. Sed & eiusdem eluuionis mentio fit a Manethone Aegyptio in libro de Regibus Aegyptiorum, qui diluuium maximum hoc appellat: traditque ab alijs etiam ante Berosum literis fuisse consignatum. Metastenes quoque Persa libro de iudicio temporum & annalium Persicorum luculenter de hac meminit clade, vocátque eam inundationem terrarum. Atque eodem planè nomine de-*

Berosus.

Manethon.

Metastenes.

scripsit eam Xenephon de quo supra loquuti sumus: nouémque integros mē-ses duraße tradidit. Archilochus, etiam in libro de temporibus apertè eam memoriæ consignauit, ac Mosi quem antiquissimum historicum appellat, pro fert testimonium. Idem fecit, eodem Archilocho teste, Mnesus Phœnix Damascenus libro xcvij. historiarum. Idem M. Porcius Cato in libris originū, qui de eiusmodi eluuione, quam vniuersum orbem terrarum inundasse dicit, Caldæos, Phœnicésque mirificè inter se conuenire testatur: additque, hac exacta, humóque exiccato, homines in Scythia primum apparuiße, indeque humanum genus propagatum, & in cæteras terras diductum esse. Idem Hieronymus Aegyptius, referente Iosepho libro primo antiquitatum Iudaicarum capite V. Idē Nicolaus Damascenus & Eupolmus qui referente Alexandro in libro de Iudaica historia, & Eusebio libro ix. de præparatione euangelica capite iv. cum de Babilone Vrbe loqueretur, Vrbs (*inquit*) Babilon ab his condita primùm fuit, qui a diluuio euaserunt. *Idem miro Iosephi, Philonis, atque Hebræorum omnium consensu confirmatur. Quibus omnibus omnium Christianorum suffragia accesserunt. Quin etiam Plinius libro quinto. capite xiij. Pomponius Mela libro primo. capite xi. & Solinus capite xxxvij. cum de antiquitate Ioppe Phœniciæ oppidi loquuntur, hoc toto terrarum Orbe antiquissimum esse ea ratione ostendunt, quod ante terrarum eluuionem conditum sit. Eluuionem verò Noëticam sine dubio intelligunt, tum quia appellant eam eluuionem terrarum, quod nominationis genus Noëticæ tantùm conueniebat (cæteræ enim quæ commemorabantur, in certa aliqua ac definita terræ parte cōtigisse dicebantur) eidémque soli ex Beroso, atque omnibus quos citauimus, tribuebatur: tū quia cum ante Ogygem Atticæ Regem et Deucalionem, innumera ferè alia oppida extitissent, frigida omnino fuißet horum ratio ad ostendendum Ioppe orbe toto antiquissimam fuisse vrbem, si de Attici Ogygis aut Deucalionis eluuione potiùs quàm de Noëtica locuti essent: tum denique quòd Deucalionis & Ogygis diluuia non attigerunt Phœniciam, quam tamen Noëticum demersit: ac propterea Ioppe incolæ, qui talia (vt Plinius significat) de hoc vulgabant oppido, Noëticam illuionem intelligerent necesse est. Nec fortaße Varro aliud diluuium significauit nisi Noëticum, dum Ogygis diluuio (vt testatur B. Augustinus libro xviij. de Ciuitate Dei capite viij.) nihil agnoscit antiquius: nam nō de eo Ogyge videtur loqui, qui (vt dicam postea) ad primi differentiam tum secundus tum Atticus est appellatus, sed de primo, qui priscus dictus est, & vt apertè constabit infra, fuit Noë. Quamobrem Fabius pictor qui ab aurea ætate historiæ suæ ducit initium, illam scribit cœpiße sub Ogyge, annis circiter ducentis & quinquaginta ante Ninum: Xenophontémque, ac cæteros veteres historios testes producit; qui sanè tum priscum Ogygem antiquissimum faciunt, ac sub eo volunt contigisse primam terrarum inundationem: tum Noë ducentis planè ac quadraginta nouem annis ante Ninum vixisse referunt. His addi possunt græci authores Abydenus & Alexander Polyhistor quorum priorem de hac ipsa eluuione loquentem citat Eusebius libro ix. de præparatione euangelica capite iv. posteriorem*

Xenophon.
Archilochus.
Mnesus.
Porcius Cato
Hieronymus Aegyptius.
Eupolmus.
Nicolaus Damascenus.
Iosepha, Philo. Hebræi Christianique plurimi.
Plinius.
Mela, Solinus.
Varro.
Abydenus.
Alexander.

Cyrillus libro primo contra Iulianum sub initio, ac propterea hac in re a Beato Augustino nescio quo pacto dissentire cogor: qui loco paulò ante citato. Nulla (*inquit*) græca uel latina gentium historia meminit de diluuio Mosis. *Nam licet de hac eluuione barbari inprimis scripserint, sic vt Ioseph libro primo Iudaicarum antiquitatum capite quinto affirmet de Diluuio & Arca, omnes barbarorum historias mentionem fecisse, rémque Berosi, & aliorum quorundam barbarorum firmet testimonio; veruntamen ex authoribus quos protulimus supra, nonnulli Græci sunt, nonnulli etiam Latini: ac Philo inter cæteros, etsi Iudæus fuerit religione, patria tamen extitit Alexandrinus: & quod hîc maximè refert, græcè scripsit. Neque verò inter citatos authores Methastenes, Xenophon, & Archilocus hanc interturbant veritatem, dum primam ac generalem terrarum eluuionem non sub Noë, sed sub Ogyge contigisse dicunt. Nam ij authores dum generalem illam terrarum eluuionem describunt, Berosi testimonio vtuntur, atque omnia ferè ex eo desumunt. Quamobrem cum hîc affirmauerit generalem eluuionem sub Noë contigisse, illi Ogygis nomine præter Noë intelligere neminem possunt. Quare Archilocus anno centesimo tricentesimo primo ab Ogyge illo scribit regnasse Saturnum Nini auum, ac Mosis literis de eo constare. Hæc verò tum ex Moyse tum ex Beroso in vno Noë cadunt. Neque mirum videri debet* Noë *Ogygem fuisse dictum ab ijs, nam Aegyptij ac Græci alijs nominibus efferebant eos quàm Armeni atque Hebræi. Quare vt Nembrot vocauere Saturnum, Belum verò eius filium dixere Iouem, sic auum Beli Noa appellauerunt Ogygem. Atque hi sunt etiam quos interdum isti tres Deos nuncupauere. Quin Noa, vt ex † Beroso constat,* Ianus *etiam vocatus est. Ac Porcius Cato inter principes Deos numerat Ianum, Camensem, & Saturnum. Quid plura? Berosus in fine libri secundi monet primum Ogygem fuisse ipsum Noa: docétque Ogygisum sagam nominatum esse, scilicet sacrorum Pontificem: docuerat enim (vt deinde idem Berosus tradit libro* III.) *Theologiam & sacros ritus, vnde etiam Saga, idest* Sacerdos *&* Pontifex *dictus est. Immo verò eundem Olybama & Arsa (quibus etiam nominibus exædificauerant Vrbes) Cœlum inquam & Solem vocauerunt: quòd scilicet astrorum motus docuisset: annúmque ad Solis cursum distinxisset: vbi etiam non dubitarunt illum Chaos, semen Mundi, patrémque Deorum maiorum & minorum dicere: ea nimirum de causa, quòd ex ipso renatum esset atque instauratum humanum genus. Vt propterea dubitari non possit quin primus Ogyges fuerit Noë: ac proinde prima terrarum eluuio Noëtica (vt dicebam) extiterit. Hæc de Noëtico diluuio extant testimonia, quæ illud omnium antiquissimum esse declarant. Vt omittam Brasilios, qui & ipsi (vt alio in loco monui) de Noë & Diluuio quaedam commemorant a maioribus suis quasi per manuus consignata. Nam si quis interim*

† *l. 5. sub fin.*

† eorum

† eorum authoritate commoueatur, qui ex recitatis authoribus nonnullos, ac Berosum maximè quo vsi sumus, adulterinos ac suppositios esse suspicantur; ijs sanè primùm authores graues obijcere† possem, quibus is qui nunc extat Berosus, ac cæteri qui cum eò ab Annio editi sunt, non spurij visi sunt & adulterini, sed germani ac veri. Deinde fateor me ijs debere qui veritatis studio hanc excitarunt controuersiam: in qua etiam, vbi opus fuerit, eorundem coniecturas expendam, & prout ratio tulerit, vel refellam, vel sequar: veruntamen in præsentia laborem hunc mihi non necessarium non est cur aggrediar. quæ enim ex Beroso & cæteris illis antiquioribus historicis attuli de diluuio, non tam ex ijs quae nunc extant fragmentis prolata esse profiteor, quàm ex antiquissimis ac minimè dubijs, quibus Iosephus, Eusebius, Hieronymus, Cyrillus, Clemens, atque alij vsi sunt. ij enim plerosque ex authoribus, quos paulò ante recitaui, ac Berosum inprimis testem faciunt dum scribunt Noëticum diluuium primum omnium ac generale fuiße. Hinc grauissimus author, & antiquitatum scientißimus Beatus Hieronymus in commentarijs de locis Hebraicis, cum in arce & diluuij sermonem incidisset, haec intulit uerba. Arcæ huius & diluuij omnes qui barbaras scripsere historias recordantur: quorum unus est Berosus Caldæus, qui super diluuio referens, hæc loquutus est. Dicitur huius nauis in Armenia propter montem Carduenorum pars aliqua permanere: & quosdam bitumen ex ea auellentes circunferre: quo utuntur uel maximè hi qui lustrantur, & se expiant. *Haec Hieronymus, quae in nostro Beroso verè reperiuntur: quanquam propter interpretum varietatem non ijsdem planè verbis. Ac sin minus reperirentur, satis etiam, vt dicebam, verus Berosus nobis faueret propter Hieronymi testimonium: qui etiam (quod mirificè confirmat ea penè omnia quae hactenus de Noëtico diluuio ex Hieronymo Aegyptio & alijs multis diximus) haec quoque subdit statim.* Sed & Hieronymus Aegyptius, qui antiquitates Phœnicum conscripsit: & Mnaseas, & multi alij, Nicolaus quoque Damascenus in xcvi. libro refert; Est in Armenia super Myniadem mons nomine Bearis: ad quem multos in diluuio confugisse autumant: ibique saluatos esse. Alios verò in arcæ alueo supernatantes, ad eius verticem superuenisse: & vsque ad multas ætates ligna arcæ monstrari solita: quos quidem ego puto non esse alios nisi eos quos Moyses legifer Iudæorum in suis voluminibus edidit. *Haec isti ex Hieronymo scripta reliquerunt de diluuio Noëtico: qui sanè omnes, si vnum exceperis (id nimirũ quod Damascenus de ijs affirmat quos in Bearim montem profugisse ait) cũ Moyse ac veritate ipsa planè consentiunt. Consimilia & plura habet Eusebius libro ix. de praeparatione capite iv. Iosephus libro i. Iudaicae antiquitatis capite v. & alij multi. De quibus, quoniam in re aperta versamus, in praesentia haec satis.*

De alijs quibusdã celeberrimis eluuionibus.

Post hãc verò eluuionem, quã solam generalem fuisse tot authores testãtur,

† Vide Vol. l. 14. post in. Lud. vi. l. 5. de traden. disciplina. Blõd. in Ita. Canuml. 2. de loc. Theologicis. Vergarã libello de octo qq. Pere. in Da. Poss. in Bib.

† Vide Ioa. Lucidum, Driedonem, Michaelem Medin. Valeriũ Anse. Nauclerũ, Syxtũ San. Hier. Bard. Camald. in Cronolog. et alios multos

tur, aliæ etiam eaéque insignes a scriptoribus memorantur: quarum altera in Attica facta est, sub Ogyge eius rege: qui Xenophonte teste, ad prisci Ogygis differentiam, sub quo prima & generalis inundatio facta est, tum Atticus, tum secundus est appellatus. Hoc autem diluuium Eusebius libro x. de præparatione euangelica capite vltimo, Iulius Afer libro iij. annalium, & Solinus capite xxxvij. contendunt, ac multorum testimonio confirmant, fuiße mille & viginti annos ante primam Olympiadem, hoc est mille & quadraginta annos ante Romam conditam: quod tempus ex quibusdam incidit in annum lxxxv. Iacob Patriarchæ, & fuit post diluuium Noëticum DXXXVij. annis: quanquam ex Beroso DLX. Nam contigit anno xxxiij. Belochi, qui fuit decimus Rex Babiloniæ: & regnare cœpit CDXXX. anno post erectum Babiloniæ imperium: hoc autem erectum est annno CXXX. a salute aquarum: ita vt ex Beroso (si rectè annorum rationem subduxi) haud contigerit DXXXVij. anno post salutem aquarum, sed (vt dicebam) DLX. sed hoc exiguum est discrimen: cum præsertim hoc diluuium, etsi dicatur duobus mensibus tantùm durasse, quemadmodum testatur Xenophon, tamen per ducentos fermè annos incultam reliquerit regionem.

Sed & inter hæc duo diluuia, aliud, quanquam minus celebre, interiectum fuit, quod contigit in Aegypto ex inundatione Nili, Herculis & Promethei tempore: de quo alius qui scribat, nisi Xenophon, qui tradit integro mense durasse, non occurrit in præsentia: nisi tamen proferas, qui obscurè satis idem subindicare visus est. Diodorum Siculum. Nam Strabo libro xvij. scribit quidem Nilum non semel paulò vberiùs inundasse ac vastasse Aegyptum: at de hac celebriori eluuione sigillatim nihil scriptum reliquit.

Quarta eluuio secuta est sub Deucalione, Thessaliámque sic demersit: vt ibi extincti sint omnes præter paucos quosdam siue in summis montibus cladem euaserint: siue ratibus exceperit eos Deucalion. Contigit autem ex Solino capite xvij. sexcentis annis post eluuionem Ogygis: sed ex Clemente Alexandrino libro I. stromatum centum & triginta quatuor tantùm. ex Eusebio tamen in Cronicis, & Orosio libro I. ducentis ac sexaginta. Et hi posteriores sine dubio proximè ueritati accesserunt: nam Xenophon scribit Deucalionem ortum esse anno secundo Spheri (fuit autem hic quintus decimus Rex Assyriæ) & octogesimo suæ ætatis anno vidiße Thessaliam demersam: hic autem annus ex Beroso. incidit in trigesimum tertium Spareti, qui fuit Decimus septimus Rex Assyriorum: & verè (vt ex eodem intelligitur in Spareti vita) octoginta duos annos antecessit Thessaliæ diluuio. Quamobrem cum ex Beroso a Noëtica eluuione vsque ad secundum Spheri annum ipsiúsque Deucalionis ortum septingenti anni computetur: necesse est, vt diluuium Deucalionis contigerit septingentesimo octosimo secundo a salute aquarum: ac proinde etiam cùm Ogygium acciderit (vt vidimus paulò ante) quingentis sexaginta annis post Noëticum, Deucalioneum secutum est post Ogygium vicesimo

secundo

ſecundo anno ſupra ducenteſimum. Et facilè non abſuit a tempore Moſis vt notauit Beatus † Cyrillus: cui mirificè conſenſit Xenophon, qui vt dixi a generali terrarum eluuione ad ortum Deucalionis computat ſeptingentos annos; ab ortu ad eius diluuium octoginta duos: quod fermè tempus ſacræ literæ fluxiſſe teſtantur inter Noëticum diluuium & Moſem. Et propterea etiam ueriſſimum eſſe intelligitur quod ſcribit Oroſius: nimirum hoc tempore contigiſſe ſimul Deucalionis Diluuium, Phaëtontis incendium, & Aegypti plagas: nam Beroſus etiam in vita Spareti teſtatur, eodem tempore & diluuium Deucalionis, & incendium Phaëtontis ſecutum eſſe. Ac propterea cum Moſes eodem tempore vigeret in Aegypto, rectè ſequitur has tres calamitates per idem fermè tempus contigiſſe.

† l. 1. contra Julianum non procul ab initio.

His quatuor celeberrimis diluuijs tum quinctū addi poteſt, quod Pharonicum dictum eſt, & accidit ſub Protheo Aegyptio in raptu Helenæ: vt idem Xenophon teſtatus eſt: tum cæteræ iungi poſſunt aquarum clades, quas poſterioribus temporibus varias terras deuaſtaſſe, aut etiam merſiſſe Plinius inter cæteros ſcriptum reliquit. Hæc ſunt celebres quæ ante Platonem fuere eluuiones, hæc earum tempora & antiquitates omnium ſeculorum ac gentium (ſi tamen uaniſſimam Aegyptiorum nationem exceperis) hiſtorijs ac conſenſione firmatæ.

Iam Solonis hiſtoria quod pertinet ad eluuiones refellitur tanquā fabula.

Iam uerò (ut ad illud noſtra recurrat oratio, cuius gratia huiuſmodi diſputationem ſuſcepimus) prodeat Aegyptius iſte Sacerdos, eiuſdémque auditor Solō, immo Plato ipſe, hoc eſt mirificus fingendi artifex, prodeat, qui eluuiones iſtas tam ingentes ac uarias, & non modò ſupra Noëticā, uerùm etiam ſupra nouem fermè annorum millia uendidat: ac ſi ullas habet, uel coniecturas & monumenta, unde in hanc ſuſpicionem inducatur, uel denique ſcriptorum authoritatem, quibus id confirmare poſſit, proferat. At hoc extat in Aegyptiorum monumentis. Ergo iam quæro, ſi Attica terræmotu illo ingenti concuſſa, ſtatímque eluuione demerſa eſt, cur pauci illi, quos in montibus ſuperſtites fuiſſe, ac deinde Atticum genus, emergentémque terram inſtauraſſe dicis, non conſignarunt poſterorum memoriæ tam ingentem ruinam ac cladem, nec effecerunt ut ad poſteros quaſi per manus iſtius eluuionis fama traderetur? At (inquit) montani erant ſuperſtites illi, rudes, literarúmque inprimis ignari, ac denique tolerandæ uitæ cauſa maioribus laboribus ac curis diſtenti, quàm ut animum adijcere poſſent ad hæc poſterorum memoriæ conſignanda. O frigidam excuſationem ac priore commento dignam. Et ſanè illud unum reſtabat, ut eos intelligētia quoque, memoria, ſermone, ore denique ipſo priuaret: ſic enim commodiùs rem peregiſſet. Quī enim fieri potuit, ut homines cū eſſent, filijs ac nepotibus tantam cladem non commemorarent: non ex ſqualore ac uaſtitate terrarum eam patefecerent: non: non ſexcentis ruinis atque monumentis antiquitatum confirmarent? quis tandem ita ruſticus atque imperitus morum, quis uel occupatiſſimus mōtanus id præſtare

non

non potuisset? Verùm & illud est absurdius, quòd huius eluuionis, ac rerum inprimis ab Atheniensibus illis gestarum rationem, tempus ac seriē tradit in Atlantico: ibidémque antiquissimæ Atticæ situm, naturam, statúmque omnem describit, vel leuissimis in rebus insistens, atque hæc omnia Solonem ab Aegiptijs accepisse vult: at Aegyptij cum iam alia eßet Atticæ terræ facies, alius gentium, morum, rerum denique omnium status, quo pacto res illas priores discere potuerunt nisi ab ipsis Atticis cognouerunt? Hos autem quis credat hæc tam diligenter communicasse cum exteris gentibus, & tamen posteros suos earum planè ignaros reliquisse? Huc accedit quòd cum tot sapientes, iíque plerique Athenienses ac Græci illuc nauigarint, mirum omnino est, atque adeò incredibile vnum Solonem cognouisse illa: cæteros verò qui de Aegyptijs, *déque Atticis tā multa & sciscitati sunt & scripserunt, ne leuissimam quidem huius rei famam audiuisse. Sed vt veniam ad alteram fabulæ istius partem, quid de Aegyptijs & Atlantinis dicam? Quî enim rescire Aegyptij potuerunt Atlantinos fuiße demersos, si haud peruium erat iter, vt ipsemet Solon dictitabat? At iter non statim, sed sensim est interclusum, cœno paulatim subsidente. Interim igitur a quibus priorem eorum locorum faciem ac statum, totiúsque commutationis rationē tā exquisitè acceperūt, cum ibi superesset nemo? Sed diceret fortaße Aegyptios, vt erant studiosissimi antiquitatum, vel etiam (si Deo placet) demersionis illius præscij, antea in eius insulæ descriptione diligenter insudasse: atque inde etiam totius demersionis atque commutationis rationem cognouisse. Sed esto. At quo pacto fieri potuit, vt cum Attici ab Atlantinis tam ingenti terræ marisque interuallo disiuncti essent, eodem terræmotu concuterentur: eâdem mergerentur eluuione (ita enim affirmauit apertè) cum tot gentes interim mediæ ac finitimæ nihil non modò detrimenti caperent, sed ne illa sentiret quidem? Profectò dum hæc aliaque huiusmodi tam miris cum Atheniensium laudibus coniunxit, atque singulari quadam eloquentia ornauit, potuerunt fortaße Atheniensibus ipsis quoquo modo probari. verùm cæteris qui minimè iurarint in eius verba, sed rationum momentis rem velint expendere, nunquam, opinor, probabuntur: cum præsertim ostensum sit ea etiam quæ de insula illa Atlantinorum, alijsque huiusmodi nonnullis ex eâdem historia cum eluuionibus istis fluxerunt, eßе commentitia, atque mendacijs plena. Quamobrem tum ex his, tum ex alijs multis, quibus non multò post historiam istam in vniuersùm merum commentum fuiße ostendemus, facilè est animaduertere huiusmodi eluuiones fuisse a Platone excogitatas, vt haberet quò aliquo pacto confugeret, si quis Atlantinorum atque Atheniensium illorum antiquitates ex historijs redarguere conaretur. Et idcirco etiam nihil est quod in præsentia de cœlestibus illis conuersionibus quas hic introducit Sacerdos iste veluti eluuionum causas, aut de magno illo æuo seu potiùs diuerticulo, dißeramus, ad quod cum alibi, tum præsertim in Ciuili confugiebat, dum nescio quam cæli reuolutionem seu conuersionem fingeret ante hoc tempus sexaginta sex annorum millibus exactam. Nam præterquam quod ista faciliùs enunciantur a* Platone *quàm demonstrentur*

ratione

ratione, quòd ad æuum istud attinent, nihil faciunt ad has eluuiones tuendas, quas posteriore seculo ponit: quod autem interest conuersionum illarũ, haud sanè præsentis sunt temporis & instituti. Res enim esset reuocanda ad Astrologiæ decreta: uidendúmque esset an accessus ullus astrorum, aut cœlestium corporum conuersio fieri possit, unde totius Mundi, aut etiam certae illius partis sequatur eluuio & clades. Sed hoc quoniam, ueluti monuimus supra, est non modò Academicorum, uerùm etiam Peripateticorum perfugium ad tot annorum millia, siue etiam ad Mundi aeternitatem statuendam; fortasse in Timaei progressu considerabimus opportuniùs: ubi etiam uidebimus quae sint tandem eorum rationes, qui de diluuijs, déque huiusmodi alijs tã multa scripserunt. Nam quae hactenus scripsimus aduersus has eluuiones, satis hoc loco uideri possunt.

Eadem historia refellitur tanquam fabula quod attinet ad nouem illa annorũ millia.

Nunc ad secundam quæstionem uenio, quæ ad nouem illa annorum millia pertinet. Hæc autem non in Timæo solùm protulit, ubi sacerdos ille referebat a priscis Atheniensibus usque ad Solonem nouem mille annos fluxisse: uerùm etiam in Atlantico: in quo affirmabat Critias nouem mille annorum spatium fuisse interiectum inter Solonis ætatem & bellum illud quod prisci Athenienses gesserant cum Atlantinis. Quod quantopere cum ueritate Christiana pugnet (si solares annos intelligas) nemo est qui non uideat. Hîc itaque agendum esset primùm de uarietate annorum, quibus cum antiquorum multi utebantur, tum præsertim Aegyptij: a quibus uult Plato manasse sermonem istum. Deinde uidendũ esset an Plato uerè de annis confectis ad Solis cursum, an de alio genere annorum loquutus sit: & si de illis, quibus tandem aut rationibus, aut scriptorum authoritatibus, aut coniecturis suam munierit opinionem. Denique demonstranda esset falsitas, atque falsitatis etiam occasio (si fieri possit) detegenda. Quod ad primum attinet, nihil est cur multum hoc tempore immoremur. Nã legi potest hac in re Solinus capite III. ubi tradit quibus annis uterentur Arcades, quibus Aegyptij, quibus etiam Acarnanes, quibus Lauinij apud Italos, & quanta denique uarietate usurparent eos Romani. Legi quoque potest in eandem sententiam Plinius libro VII. capite XI. Macrobius libro II. in somniũ Scipionis capite II. & Saturnaliorum libro I. capite xij. (quanquam quod attinet ad Aegyptios mirè dissentit a cæteris) & (ut alios taceam) Xenophon, ex quo sanè de hoc ipso annorum usu multa retulimus supra in libro VII.† præsertim quod pertinet ad Aegyptios, (hoc enim nostri instituti intererat) ostendimus enim apud ipsos miram fuisse annorum uarietatem: ita ut sæpissimè menstruo spatio annos definirent: bimestri aliquando; trimestri etiam interdũ, nonnunquam etiam quadrimestri, ac sæpe denique integro Solis ipsius cursu: atque ibidẽ etiam (id quod hîc secundo loco quærebatur) declarauimus Platonem uulgatum anni spatium, solare inquam usurpasse: nam ut omittam uerisimile haud esse, ut cum hæc Graecis & narraret Solon & testaretur Plato, anni nomine aliam notionem usurparint praeter uulgatam ac tritam, neque Graecos ueluti pueros propter antiquitatum

† part. 23.

ignorationem notare, neque Aegyptios veluti rerum vetustatis præ cæteris gentibus gnaros commendare potuisset: nisi temporum seriem solaribus annis atque vulgatis interstitijs metitus esset: immo verò pueriliter fuisset lapsus Plato: cum certum esset Cecropem, Deucalionem, Phoroneũ, atque huiusmodi alios, a quibus Græcorum antiquitatũ originem petebat Solon, supra nouem mille annos floruisse, si ipsi anni menstruis spatijs conficiantur. Nam si bimestre, aut aliud huiusmodi interstitium intellexisse fingas, hoc præterquã quod & vix aliquando reperias apud Aegyptios fuisse retentũ (quod de menstruo affirmare non possumus) ad Græcos veluti pueros notandos haud satis accõmodatũ fuisset. Quamobrẽ cũ Aegyptij reuera se antiquissimos profiterentur, ac tot millia annorum antiquitates iactarent, (id enim Berosus, Plinius, Strabo, & alij testãtur plurimi) Plato (ut ego quidem existimo) se libentissimè accommodauit illorum opinioni, vt inde rei benègerẽdæ occasionẽ arriperet, ac machinã quã moliebatur, ueluti in scenã tandẽ produceret. Quamobrẽ (vt alterã secundæ huius quæstionis partẽ expediamus) videndum est quas tandẽ rationes habuerit, quibus sententiã suaderet suã. Sed neque in hoc diu erit laborandũ: nã si frigidũ illud ac planè cõmentitiũ Aegyptiorũ testimoniũ exceperis, nihil habet quod proferat: semper enim tũ in Timæo tũ in Atlantico in historia illa delitescit. Quare ijsdẽ planè argumentis vrgeri potest, quibus paulò ante redarguimus ac refutauimus eluuiones illas. Dũ enim petimus, vt vel scriptores, vel monumenta, vel rationes denique aut coniecturas afferat tantarũ rerũ, ac tã ingentis uetustatis: atque ille, quoniã omniũ gentiũ uoces atque historias refragari sensit, eluuiones obtendit, unde deleta sint omnia, nos si eluuiones illas meritò improbauimus, ac falsitatis notauimus, ingentẽ etiã istorũ annorũ numerũ euertimus. In quã sententiã eò magis venire cogimur quòd ex Beroso, aliisque multis (ut alibi docuimus) cõstat Aegypti regionẽ incoli cœptã esse post annũ cẽtesimũ tricesimũ ab eluuione Mũdi. Scribunt enim isti Cam Noë filiũ cœpisse primũ ibi gẽtes propagare: immo & in eas terras colonias deduxisse. Tũ uerò eiusdẽ filiũ Misraim nomen illis imposuiße a proprio nomine. Nã idcirco ab Hebræis Aegyptus appellatur Misraim, Aegyptij uerò Misraima. Vt propterea uix exiguã eorũ annorũ partẽ sibi arrogare possint Aegyptij. Id quod de Atheniensibus etiã certũ est: nã a Iano Iapeti filio Ionia & Hellades profecti sunt: ac multò post ab altero Iapeti filio Elisa Aeolij, ab altero uerò cui Cethin nomẽ erat, Cyprij (quãquã de hoc postremo non inter omnes cõstat) cæteríque maritimi Græciæ populi orti sint ferè omnes. Vt propterea tã ingẽs annorũ numerus ex eodẽ ueluti fonte manarit, ex quo fluxerũt eluuiones illæ. idque totũ ad politica illa dogmata egregijs illis Atheniensibus affingẽda, Socraticãque politiã tuendã. Nã Arnobius, Tertullianus, & si qui alij sunt ex Ecclesiæ patribus qui hæc annorũ millia nõ veluti commentitia usurpasse uisi sint, profectò uel existimarunt hosce annos non ad Solis cursum, sed longè breuioribus spatijs conflatos fuisse, uel certè eò planè consilio id fecerunt quod mox aperiam.

Etenim

Etenim Arnobius instituerat disputationem aduersus gentes, atque earum in Christianos calumnias refellebat. id autem efficere haud poterat diuinarum literarum historijs, quibus Ethnici fidem præstabant nullam. Ergo ipsorummet armis illos aggreditur. nam cum augustissimum apud illos haberetur Platonis testimonium, illud ipsum vsurpat ad ostendendum præsentes clades ac calamitates in Christianam religionem non nisi per calumniam ac mendacium referri, quare sic scribit. Nam quod nobis obiectare consuestis bellorum frequentium causas, vastationes vrbium, Germanorum & Scythicas irruptiones, cum pace hoc vestra & cum bona venia dixerim: quale sit istud quod dicitur, calumniarum libidine non videtis. Vt ante millia annorum decem, ab insula quæ perhibetur Atlantica Neptuni (sicut Plato demonstrat) magna erumperet vis hominum, vt innumeras funditus deleret atque extingueret nationes, nos fuimus causa, vt inter Assyrios & Bactrianos Nino quondam Zoroastreque ductoribus non tantùm ferro dimicaretur & viribus, verùm etiam Magicis & Caldæorum reconditis disciplinis, inuidia nostra hæc fuit? vt Helena Dijs ducibus atque impulsoribus rapta, & suis esset dirum, & venturis temporibus fatum, religionis nostræ attributum est crimini? vt ille immanis Xerxes mare terris immiteret, & gressibus maria transiret, nostri nominis effectum est iniuria: vt ex Macedoniæ finibus vnus exortus adolescens orientis regna & populos captiuitate & seruitio subiugaret, nos fecimus atque excitauimus causas: vt modò Romani, velut aliquod flumen aut torrens, cunctas submergerent atque obruerent nationes, nos videlicet numina precipitauimus in furorem? Quod si hominum nullus, qui quæ dudum gesta sunt, nostris audeat temporibus imputare, quemadmodum possumus miseriarum esse præsentium causæ, cum noui fiat nihil, sed sint omnia vetera, & nullis antiquitatibus inaudita. *Hæc Arnobius. Vbi non approbat Platonis historiam, sed eam rei benè gerendæ causa arripit tantùm quòd esset aduersarijs probatissima. Nam eam hac ratione sumere ideo licuit, quòd ad refellendum aduersariorum errorem atque calumniam alium eorundem aduersariorum errorem afferre, (vt in argumentatione ad hominem fieri solet) non modò reprehendi non solet, sed laudari. Atque eodem consilio, & artificio tum Helenã Dijs impulsoribus ac ducibus raptam esse sumebat in ijs ipsis verbis: tum paulò ante (vt alia mittam exempla, quæ apud hunc authorem sunt multa) Mũdi exustionem ac dissolutionem obijciebat illis, cum diceret.* Quando Mundus incensus in fauillas & cineres dissolutus est? non ante nos? *vbi uel Stoicorum sententiam, vel potiùs Phaëthontis incendiũ quo Græci, Platone ipso teste, non exiguam terrarum partem, sed Mundum conflagrasse dictitabant, ad eorundem aduersariorum coarguendum mendacium, usurpauit alacriter. Atque eodem ferè modo Tertullianus, cum ipse etiam Ethnicos argueret. Quanquam paulò adhuc cautiùs quàm Arnobius, sic enim locum illum vsurpauit, vt eodem tempore significarit nolle se statuere vera ne*

an falsa eßet Platonica illa historia. Certè Lucianus, quem etsi impiū alioquin atque scelestum, in Ethnicorum tamen siue superstitione siue fastu ac vanitate ridenda cordatum iudicaui semper, Aegyptijs Platonique non pepercit tot annorum millia commentantibus. Nam cum in libello de sacrificijs sexcenta enumerasset, quæ mortales illi stultissimè aut crederent, aut peragerent: quæque vel propter inscitiam Democritum plorantem, vel propter amentiam Heraclitum ridentem sibi deposcerent, ad extremum Aegyptiaca ista annorum millia & recensuit & irrisit.

Historiā denique ipsā vniuersam nō historiā sed fabulam esse ostenditur.

Sed vt iam transeamus ad illud quod in his controuersijs est præcipuum, ac propositam Critiæ disputationem continet vniuersam, uideamus an ea quæ hoc sermone habentur, mera sint historia, an potiùs ficta censenda sint atque commentitia, an denique veritate & falsitate mixta sint ac temperata. Et si mixta, quid veri, quidue falsi contineant. Si falsa, vtrum saltem in illis arcana quædam sensa nobis tradere voluerit Plato, an verò ne allegorias quidem spectarit vllas. Sed totus hic sermo quem veritatis plenum esse dicit, sit fabulosus, ac veluti machina quædam inuentus ad politiam illam propugnandam.

Prius tamen multa afferūtur quæ videri potuissent fauere Platoni.

Primùm itaque rationes coniecturásque proponamus, quibus videtur suaderi posse huiusmodi sermonem historiæ loco eße habendum: tum verò contrarias afferemus. Et quoniam non solùm continet res a priscis illis Atheniensibus contra Atlantinos gestas, verùm etiam eorundem Atheniensium leges & instituta; ideo ex vtroque capite erit examinanda quæstio.

Ergo Critiæ sermonem in historiæ locum esse referendum, inde primùm suaderi potest, quòd Solon a quo videri voluit Plato se accepisse illum, verè fuit in Aegypto, & cum Sacerdotibus versatus est. Immo verò ipse quoque Plato eò nauigauit, multósque annos loca illa incoluit, cum Sacerdotibus familiarissimè viuens. Quamobrem † Plutarchus vel nomina refert eorū Sacerdotum, quibuscum Soloni erat consuetudo: quæ tamen nomina, cum a Platone sileantur, necesse est vt Plutarchus*(id quod sermonem veritate ipsa fundatum esse ostendit) ab historico aliquo acceperit. Huc accedit quod* Pla*to illa Aegypti loca ita accuratè descripsit ac verè, vt cum†* Strabone *qui ea diligenter lustrauit atque recensuit, non solùm mirificè consentiat, verùm etiā ab eodem propter hunc ipsum Critiæ sermonem testis citetur. Quod etiam accidit in Sacerdotum illorum moribus studijsque exprimendis. Quocirca ibidem etiam, Strabone teste, ostendi solebant cellulæ, in quibus Eudoxus & Plato commorati dicebantur. Sais quoque cultam fuisse Mineruam, vt* Plato *contendit, luculenter confirmat Strabo. Quaprobter prior huius sermonis pars tam insignes habet veritatis notas, vt omnino dicendum uideatur, vel* Platonem *à Solone uerè accepiße illum, vel certè ea omnia ab ipsis Sacerdotibus audiße: tametsi ipse, vt interim maiorem authoritatem haberet oratio, ac modestiæ in primis studeret, Soloni sermonem tribuerit vniuersum. Quod si priorem hanc partem concedas, facilè etiam sibi posterior vindicabit fidem. Quanquā ea etiam suas notas & coniecturas habet, ob quas verisimilis iudicetur. Etenim primùm fatetur* Plato, *sermonem, licet plenus*

† Plut. in Solone.

† Strab. lib. 17.

sit veri-

sit veritatis, absurdum tamen videri posset. Quod sanè nulla alia de causa videtur enunciasse, nisi quia ita veritas postularet: nam si res ficta erat, ea omnia prætermisisset quæ minus probabilem sermonē redderent: neque enim erat cur deprecaretur culpam, vbi verisimilis ratione habita, ea carere potuisset. Deinde Crantor, quem primum ferunt Platonem interpretatum esse, sermonem hunc tanquam historiam accepit: quod etiam fecerunt Marsilius in Timæi argumento capite IV. & clariùs in argumento Atlantici, & inter recentiores Serranus, qui etiam omnino pugnat hic omnes planè allegorias (id quod Ficinus minimè fecerat) esse reijciendas. Quin ij ipsi qui ad allegorias sermonem trasferũt, omnes (si Ficino credimus) historiam quoque esse concedunt: licet vel ad ingenium exercendum, atque adeò ostentandum, vel quòd occulta quædam sensa ibidem crederent à Platone indicari, innumeris illum allegorijs cumularunt. Immo Proclus qui in suis allegorijs tantopere exultat hoc in loco, historiam quandam (vt vidimus) profert ex Aethiopum monumentis, qua mirificè Platonis historia confirmatur. Ac (quod non minùs vrget) Crantorem ipsum refert scriptum reliquisse huiusmodi historiam tum quod ad leges illas pertinet, tum quod interest Atlantini belli, verè in Aegyptiorum columnis notatam fuisse. Procli verba hæc sunt. Ὃς δὴ καὶ σκώπτεσθαι μέν φησιν αὐτὸν ὑπὸ τῶν τότε, ὡς οὐκ αὐτὸν ὄντα τῆς πολιτείας εὑρετὴν ἀλλὰ μεταγράψαντα τὰ Αἰγυπτίων. τὸν δὲ τοσοῦτον ποιήσασθαι τῶν σκωπτόντων λόγον, ὥστε ἐπὶ Αἰγυπτίους ἀναπέμψαι τὴν περὶ Ἀθηναίων καὶ Ἀτλαντίνων ταύτην ἱστορίαν ὡς τῶν Ἀθηναίων κατὰ ταύτην ζησάντων ποτὲ τὴν πολιτείαν. Μαρτυροῦσι δὲ καὶ οἱ προφῆται φησὶ τῶν Αἰγυπτίων ἐν στήλαις ταῖς ἔτι σωζομέναις ταῦτα γεγράφθαι λέγοντες. *Id est.*

Qui sanè (*Crantorem intelligit*) Platoni obtrectasse affirmat eius ætatis homines, quòd non ipse huius politiæ inuentor esset, sed ab Aegyptijs transtulisset illam. atque idcirco Platonem eorum obtrectationibus ita esse commotum, ut huiusmodi Athenensium Atlantinorúmque historiam ad Aegyptios miserit tanquam Athenensium esset, qui aliquando hac ratione Rempublicam administrassent. Quæ omnia subdit Aegyptiorum Prophetæ testantur, qui hæc adhuc in columnis descripta asseruari contendunt. *Atque his omnibus addi possunt grauissimi authores Plinius & Plutarchus: quorum prior libro II. capite XC. dum varias terras recenseret mari permutatas, atque inter cæteras Atlanticam Insulam Platonis testimonio vsus referret, rem historiæ loco habuit. posterior verò in Solone hunc Critiæ sermonem historiam appellare non dubitauit.*

Authoris rationes Platonicam illam historiam falsitatis coarguentes.

Contra tamen plurima sunt quæ perspicuè uidentur ostendere falsissimum esse. Nam author inprimis ueluti totius sermonis fundamentum iacit fictam illam ac planè absurdam diuisionem terrarum inter Neptunũ, Vulcanum, Mineruam, ac reliquos Deos factam, quam etiam diuisionem alijs commentis onerat Poëta potiùs quàm historico dignis. Atque huc pertinet quòd Iouem inducit, qui Dijs ad Concilium uocatis, ex medio Mundi Throno illos alloquitur: huc quòd homines ex Tellure & Vulcano sumptos facit, atque indigenas procreatos. Quæ res (vt demonstratum est

tum est supra) nititur in ea fabula qua uenditabat homines ex primisqua tuor corporibus, præcipuè uerò ex igne & terra, intra terræ uiscera fuisse ab Epimetheo fictos, idque in Attico solo. Huc etiam pertinet quod tradit simúlque tanquam certum fundamenti loco sumit, Palladem fundasse duas remotissimas urbes Athenas & Saim: idque uel mille annorum spatio interposito. Sed & illud deinde apertum mendacium est, quo affirmat in Aegyptum nunquam supernè descendisse aquam, illámque ab omnibus semper eluuionum iniurijs fuisse liberam. Nam præterquàm quod Berosus, Archilochus, Xenophon, Manethon, Metasthenes, Porcius Cato, atque (ut dicam breui) omnium fermè ætatum ac gentium literæ testantur, generalem illam eluuionem uniuersam terram demersisse, Xenophon (ut iam antea retulimus) apertè tradit menstruo Nili diluuio sub Aegyptijs Hercule & Prometheo eã regionem fuisse inundatam: ac Strabo libro XVII. alteram Nili recenset eluuionem, qua Aegyptus demersa sit: eandémque diluuijs obnoxiam esse contendit. His affine uideri debet id quo affirmat priscis illis temporibus aquam quæ in Atticam descenderet, totam semper fuiße absortam a terra, a qua quidẽ sic intra uiscera concaua quadam miræ tenacitatis altitudine contineretur, ut ad mare nullo modo difflueret aut transmitteretur. Huc etiã pertinet, quòd uaria illa hominum exitia, mundíque eluuiones profert quæ ostendimus eorum perfugium semper fuisse, qui uel Mundi æternitatem, ut Peripatetici, uel ingentem annorũ numerum, ut Aegyptij & Platonici commentarentur. Denique (vt non solùm redarguamus mendaciũ, sed occasionem etiam patefaciamus, quæ ad illud transuersum egit Platonem) reuocandum est ad memoriam, ac paulò latiùs etiam explicandũ, id quod iam multò antea hac in re significauimus. nimirum Platonem varia instituta in suam Rempublicam importasse, quæ magnas in eum Tragœdias excitarunt. Atque horum sanè omnium illud erat fundamentũ ac caput, quòd non modò priuatam omnem poßessionem ægrè sustinebat, verùm etiam nomina ipsa meum tuúmue ex hominum animis atque ore euellere, perpetuaéque obliuioni tradere nitebatur. Atque id sanè vel ad liberos vxorésque traducere non dubitauit. Et quoniã (vt ipsemet fatetur in Politia) vix ac ne uix quidem hæc fieri posse videbantur, ac si fieri potuissent, perniciosa potiùs ac turpia, quàm vtilia atque honesta censeri poterant, vehementer sanè longáque disputatione contendit ostẽdere, nec turpitudinem habere vllam, nec admodum difficilia esse: sed magna cum honestate ac Reipub. vtilitate ad exitum perduci posse. Qua in re incredibile profectò est quàm æstuarit: quot qualésque rationes ac vias inierit. Nam siue ipse per se satis animaduertisset quæ in ea instituta obijci possent: seu certè (vt in politicis lùculenter ostendit) dum ea doceret, commoueri multos ac repugnare sensisset; nihil fermè uideo ab Aristotile ac Peripateticis obijci, quod Plato ipse non antea attigerit, ac diluere etiam conatus sit. Verùm cùm peruulgatis libris parum admodum

admodum perfeciſſet, nouam quæ eos tueretur, excogitauit machinam: vel potiùs iandiu excogitatam, re ipſa explere aggreſſus eſt. Ergo Rempublicã quandam excitauit, quæ ſupra nouem mille annos fuiſſet: quæ que iiſdem ferme legibus atque inſtitutis temperata, quibus Politiam informarat ſuam, præclara facinora domi foriſque edidiſſet: atque (vt dicam breui) virtutum ſplendore cunctos mortales ſuperaſſet. Tunc enim demum fore exiſtimabat, vt omnia frangi poßent aduerſariorum argumenta, cum huiuſmodi Reſpublica, eiuſdémque res geſtæ fidem inueniſſent. Verùm, vt interim machinationem quibus poßet rationibus tegeret, Rempublicámque illis probaret cõmodiùs, illud primùm curauit vt rem totam coniungeret cum Athenienſium laudibus. Etenim quàm facile eſſet Athenienſes laudibus in ſententiã trahere, atque adeò irretire, ex funebri oratione didicerat: cuius hiſtoriæ, tametſi magna ex parte commentis ac mẽdacijs aſperſæ eſſent, ita pergratæ acciderant, vt decretum eßet quotannis publicè recitari. Antiquiſſimis itaque Athenienſibus, egregiam illam atque admirabilem affingere inſtituit Politiam: eósque proferre qui rerum geſtarum magnitudine ſupra omnes mortales claruißent. Sed quoniam in oratione illa Perſas atque alios quos Græcorum hiſtoriæ ſuppeditabant, omnes habuerat, in quos enituiße oſtenderat Athenienſium virtutem; iam ex Aegyptiorum monumentis nouos populos proferendos, ac veluti ab inferis (ſi Deo placet) excitandos iudicauit, aduerſus quos tanta cum laude priſci illi Athenienſes decertaßent. Ergo intra immenſa illa Atlantici maris ſpatia quæ tunc nauigantibus quà Herculeum fretum attingit haud per via ſed cœno impedita eſſe conſtabat, tradidit fuiße aliquando Atlantinos, quibus cum bellum geſſißent Athenienſes. Et ne res ficta videretur, dum Græcis tot ſeculorum ſpatia erant planè incognita & inaudita, addidit & ab Aegyptijs Sacerdotibus, qui fama celebres erant, atque apud Græcos ſapientiæ laude commendati, fuiße expoſitam, & a Solone qui antiquitatis fuerat ſtudioſiſſimus, plurimúmque apud omnes authoritate ſemper valuerat, fuiſſe exceptam: qui etiam & ſuis eam narraßet, literiſque conſignare cœpißet. His, vt eam perſuaderet faciliùs; addidit quoque hiſtoriam illam religioſè fuiſſe ab Aegyptijs aßeruatam: eandem præterea cum Palladis exiſtimatione, atque adeò cum patria religione coniunxit: tradens à Pallade ipſa priſcos illos Athenienſes fuiſſe educatos: atque ita non niſi ea duce ea omnia geſſiſſe quæ commemorabat. Quibus omnibus miro etiam artificio ingentem terræmotum interpoſuit & eluuionem, vnde tum apud Athenienſes vetuſtiſſima monumenta illa, hominéſque penè omnes extincti eſſent: tum Atlantinorum Inſula in Oceanum corruens, penitus euanuiſſet: cum tamen interim harum rerum memorias ſoli Aegyptij conſeruaſſent, quippe qui Nili regioniſque clementia ab huiuſmodi cladibus immunes eße ſolent. Atque ita in Timæo antequam narraret res à priſcis illis Athenienſibus geſtas, & inter narrandum etiam, licet aliud agere videretur, ac denique in Atlantico vbi rem latiùs proſequendam aggreſſus erat, diſſeminauit ſua illa dogmata in priſca illorum Republica, in primis verò tradidit Sacerdotes, agricolas, artificéſque omnes ſeparatim ſua munera obire conſueuiſſe,

ſueuiſſe, atque a cæteris tractandis abſtinuiſſe : idque præcipuè de militibus affirmauit, ob quos maximè laborarat in Politia. Deinde Reipub. ac belli ſtudia fuiſſe viris cum mulieribus communia, ita vt mulieres etiam arma tractarent. Cuius facti rationem quoque attulit in ſuæ illius politiæ initijs inſiſtens, vbi, Ea tempeſtate (*inquit*) armata Dea palam colebatur, exemplum datura omnibus, quòd in ſingulis animalium gregibus mas fœminaque ſortis eiuſdem pro generis cuiuſque virtute ita natura inſtituta ſunt, ut aggredi communiter ualeant. *Tum verò ad ſuū quaſi myſterium propiùs accedens, communitatem rerum eius* Reipublicæ *militibus affinxit aſſerens.* Milites autem a diuinis uiris principio ſegregati, ſeorſum uiuebant, habentes omnia tum ad alimenta, tum ad educationem conferentia: quorum nullus proprium aliquid poſſidebat. Nam communia inter ſe cuncta exiſtimabant: vltra verò uictus ipſius ſufficientiam nihil ab alijs ciuibus exigebant. *Quibus omnibus ſuam illam communitatem confirmare ſtuduit, licet ad declinandā inuidiam non ita ſpeciatim auſus eſt id de vxoribus ac filijs iterum exprimere. Et quoniam dum hæc narraret, maximè cupiebat à nemine percipi ſe interim de ſuis politicis inſtitutis planè tuendis cogitare, & tamen omnino optabat, vt nos ipſi ex his dictis apologiam erueremus; tandem paulò audacior factus, euomit ea verba.* Exercebántque ea omnia quæ heri de Cuſtodibus quos deſcripſimus expoſita ſunt. *Vbi vetuſtiſſimæ illius Reipublicæ inſtituta concludens, non potuit ſe continere, quin ipſemet hanc Rempublicam cum ſua illa conferret. Atque ita cum communia omnia feciſſet, quaſi aculeo relicto, ſe obiter ea dixiſſe ſimulans, ad alia conuertit orationem: in qua tandem ne mendacij omnino coargui ab illis poſſet, non modò ad ſummam illam Athenienſium cladem, verùm etiam ad Atlanticæ inſulæ demerſionem deuenit: illam immenſo pelago ſepeliens, atque aditus ingenti cœni vi impediens. Quamobrem nihil dubitarim Atlanticum iſtud bellum, eluuiones præterea, terræmotus, clades, vniuerſum denique Critiæ ſermonem germanam fabulam eſſe: ac veluti machinam fuiſſe à Platone extructam ac comparatam, non ad ſuorum ciuium virtutem (vt prætexit ac ſimulat) in re bellica exemplo aliquo exprimenda, ſed ad obtrectatorum crimina diſſoluenda, ſuámque tuendam Rempublicam. In quam ſententiam eò libentius venio, quòd ſi tam multa erant atque varia (vt ipſemet uenditat) quae in illis* Aegyptiorum *hiſtorijs de priſcis Athenienſibus narrabātur, mirum ſine dubio eſſet Sacerdotem iſtum in tanta rerum varietate cæteris omnibus prætermiſſis hæc duo capita, quibus & victoria legéſque iſtæ continerentur, &* Plato *(vt aliàs oſtendimus) ad reſellendos aduerſarios egebat, Soloni narraſſe; quaſi verò præſagiret fore vt his ipſis duobus capitibus aliquando ſuā Plato Rempublicam tueretur. Ac propterea longè veriſimilius eſt haec Sacerdoti iſti affinxiſſe* Platonē *quòd ad machinam conflādam vti ipſis inſtituiſſet. Quamobrem (vt diluam ſententiæ oppoſitæ argumenta) dum obijcitur Platonem atque Solonem verè fuiſſe in Aegypto, atque cum Sacerdotibus familiariſſimè verſatos eſſe, id ego non inficior, ſicut in præſentia minimè*

Diluuntur rationes in contrarium allatæ.

nimè pugno Sacerdotes istos non eos fuiße, quos memorat Plutarchus, sed dum additur ex illis Atlanticam historiam siue Solonem, siue Platonem auditam retuliße, id verò pernego: immo magnopere vereor vt Plato ex profectione illa occasionem sumpserit suam comminiscendi historiam, quòd inde sentiret quoquo modo ad veritatis speciem effingi poße. Atque huc etiam pertinet accurata illa Aegypti descriptio: huc spectant Sacerdotum mores ac studia tam diligenter expressa: huc Mineruæ a Saitis cultæ historia. Ideoque tantum abest vt prior hæc sermonis pars reliquæ dictioni fidem faciat, vt mendacij velum atque integumentum sit reputanda At verò dum ante narrationem fatebatur sermonē, etsi veritatis sit plenus, ἄτοπον *tamen siue* ὑπότομον, *absurdum inquam, siue subdurum esse, id opinor, fecit vt mendacij suspicionem, in quam non poterat non incidere, minueret, atque adeò eleuaret ingenuitatis specie. Cùm enim ingentem illam machinam cōflare minimè posset, nisi (vt in mendacijs texendis sæpe accidere solet) quædam paulò insolentiùs proferret, insolentiæ confessione, atque ingenuitatis obtentu mendacij notam subterfugere studuit. Ac propterea nullo pacto assentiri possum Proclo, ac nonnullis alijs Academicis, qui ad huius sermonis veritatem tuendam tantum ponderis illud habere volunt, quòd Plato ipse omni ex parte verum esse affirmarit. Cum enim id suadere conaretur ad suā Rempublicam tuendam, quis inter tot quæ deprehendimus mendacia, fidem habere illi poßit? Crantorem verò tanquam meram historiam accepisse sermonem illum, haud mirum, cum tali prorsus consilio eam protulißet Plato: eòque omnes suas contulißet vires, vt vendibilem illum faceret? Nam si non desunt inter Christianos, qui Aristotelem, immo Auerroēm atque alios huius ordinis homines ita mordicùs tuentur interdum, vt religionis obliti videantur; quis miretur Ethnicum interpretem, eúmque Græcum, Græci authoris, quique citra omnem controuersiam sapientiæ palmam eo tempore ferret, dogmata atque opiniones sequutū eße? cum præsertim non pauci fortasse reperirentur, qui uel ab eo vsque tempore narrationem illam monstrosis allegorijs onerare cœpissent: idque vel ipso Platone repugnante, qui verissimæ historiæ loco haberi cupiebat. At nullus vnquam Accademicorum fuit qui hunc sermonem veram historiam esse negaret.* Profectò *dum hæc in Atlantici argumento scripsit Marsilius,* Proclum, *ex quo magnam illius argumenti partem accepit, non omnino accuratè videtur legisse: inuenisset enim id opposita ratione ab eo tradi, cùm habeat hæc verba.* Οἱ δὲ φασὶν αὐτὴν μῦθον εἶναι καὶ πλάσμα γινομένων μὲν οὐδαμῶς, ἔνδειξιν δὲ φερόντων τῶν ἀεὶ ὄντων κατὰ τὸν κόσμον ἢ γιγνομένων, οὐδὲ τοῦ Πλάτωνος ἐπακούοντες, οὗτοι βοῶντες ὅτι μάλα μὲν ἄτοπος ὁ λόγος παντάπασί γε μὴν ἀληθής, *hoc est.* Qui verò ipsam (*historiam intelligit Solonis*) contendunt fabulam esse ac figmentum reū haud gestarum quidem, sed quæ speciem quandam præseferant eorū quæ in hac Vniuersitate vel sempiterna sunt vel orta; Platonem non audiunt, qui etsi absurdum, omnino tamē verum sermonem illum esse clamauit. *Ecce (ne nos vnos obijcias omnium Platonicorum sententiam re-*

fellere voluiße) à Proclo apertè Ficinum redargui. Iam verò politica Platonis instituta ab Aegyptijs *aliqua ex parte fluxiße nō disputo: de hoc enim non pauca diximus iam multò antea: ex eorundem tamen monumentis huiusmodi historiam fuisse sumptam, ac proinde etiam veram habendam esse, propter rationes paulò ante allatas, nullo modo concesserim: cum præsertim & alios ex Platonicis legamus à Crantoris sentētia discessisse, cum Proclo ipso teste dictitarent* μῦθον εἶναι καὶ πλάσμα, *fabulam, inquam, esse & figmentum: & Crantor qui ea in columnis contineri affirmabat, non magnopere cū Platone consentiat: qui affirmabat quidem illa in sacris libris eße descripta, de columnis autem (cum tamen earum mentio magnopere pertineret ad rem suadendam dum tam insolens videbatur) ne verbum quidem. Et idcirco cum dixisset* ἐν τοῖς ἱεροῖς γράμμασι γεγράφθαι) in sacris literis descripta sūt *statim ferè subdebat,* τὸ ἀκριβὲς περὶ πάντων ἐφεξῆς κατὰ σχολὴν αὐτὰ τὰ γράμματα λαβόντες διέξιμεν. *hoc est.* exactam omnium historiam deinceps commētarijs ipsis acceptis maiore cū otio prosequemur. *At Ficinus historiam esse affirmauit. Affirmauit, fateor. Sed dum eam deinde allegorijs, seu potiùs somnijs cumulauit, fidem illi ademisse videtur. Nam rationem quam in eandem sententiam attulit, iam diluimus antea, ubi etiam noluimus illum vrgere, quòd historiæ nomen sermoni illi tribuat, qui Christianæ veritati tot tantisque in rebus aduersetur: nam cùm ex Eudoxo monuerit ingentem illum annorum numerum in menses conuertendos esse (quanquam in hoc etiam a scopo quàm aberrarit, ex his quæ supra disputauimus potest intelligi) & in reliquis facilè prætexere potuerit ab Aegyptijs illis potiùs fuiße deceptum quàm ex sua quasi officina protulisse illa, mitiùs cum pio viro agendum esse iudicaui. Serranus verò sic primùm in historiæ loco sermonem illum habuit, vt omnes Platonicorum allegorias valere iusserit: quòd nihil tale spectaret Plato: qua in re libentissimè eius sententiam amplector ac sequor: deinde arbitratus est proponi a Platone tanquam germanam historiam: in quo etiam non dissentio: nam tametsi existimo omnino esse falsam, ab authore tamen pro vera venditari non dubito. Et idcirco etiā dum suspicatur iste fuisse desumptam ab Aegyptiorum monumentis, licet obsoletæ cuiusdam vetustatis situm & squalorem præseferat, id ego inficior, ac planè falsum eße contendo. Quod si dum Aegyptij (vt ait Serranus) antiquitatis ius ac laudem sibi arrogabant, potuerunt Athenienses, ut erant cum illis summa quadam necessitudine coniuncti, & peregrinari ad illo solebant, historias ab ijsdem excipere; ego sanè quod ad præsentem attinet, id contigiße nullo modo concedere possum: nam quæ aduersarijs obieci, maiorem apud me vim habent, quàm vt coniecturas istas sequi possim. Et sanè si isti diligenter euoluissent animo politica instituta illa, ac dubitationes, quas ibidem tollere conatur* Plato, *hásque præterea cum his contulißent, quibus statim in Timæo, ac deinde latiùs in Atlantico purgare studet instituta illa, deprehendissent profectò illius artificium & calliditatem, qua nobis fabulam in historiæ supposuit locum. Atque hoc ipsum ijs responsum esse velim, qui (vt refert* Proclus) *dum ad allegorias confugiunt, historiam tamen*

haud

haud esse negant. Quæ verò propter Aethiopum historias illas ex Marcello obijciebat Proclus, satis, opinor, infirmauimus atque adeò diluimus supra. Quamobrem (vt id vnum addam in præsentia) si Franciscum Patritium audias, facilè concedas historiam istam eiusdem farinæ aut etiam deterioris esse cum illa cui suffragatur. Nam hîc in Contareno dialogo (*est autem hic tertius inter eos in quibus disputat de historia*) *satis ostendit se hoc ipsum Procli testimonium merum reputasse commentum, cum idem uel quibusdam Procli nominibus retentis ipse quoque ingeniosissimè in machinæ loco vsurparit ad historiæ ortum vetustatémque confirmandam. Quin hoc ipso in loco atque in Lamberto, qui dialogus primus est inter eos quos de Rhetorica inscripsit; vniuersos Saitici Sacerdotis Solonisque sermones, vt fuit diligens Platonis imitator, ex Timæo & Atlantico transtulit in suos dialogos, atque pro suis vsus est. Quocirca quemadmodum Poëtæ interdum facere solent, qui aliorum fabulis (id quod de seipso fatetur alicubi latinus Comicus) penè totis vsurpatis, nouisque interim personis, locis, huiusmodique alijs quibusdam confictis, eas veluti nouas vulgant; sic Patritius vniuersam ferè illam Timæi* Atlantidisque *narrationem nouis personis affingens, veluti nouam vulgauit, fabulam interim venditans pro historia. Plinius verò dum de terris in mare conuersis ageret, nihil certi statuit, sed rem integram cuiusque iudicio (vt vidimus) arbitrióque reliquit. Sed esto crediderit Plinius insulam illam fuisse; esto etiam re ipsa extiterit, ac quis propterea non dicam constanter affirmare, sed uel leuissimè suspicari possit, tam ingentem fuisse illius magnitudinem, tantam gentium multitudinem, & (quod rei caput est) non Græcis solùm, sed omnibus regionibus quæ intra Herculis columnas sunt, hoc est vniuersæ huic terræ habitabili, bellum simul intulisse? vel si id tandem concedatur, quis sibi persuadere vnquam possit eosdem demum Atlantinos, dum totius penè orbis terrarum potirentur, ab vnis* Athenienfibus, *ijsque in summas angustias adductis ac penè oppressis profligatos fuisse atque deuictos? Plutarchus denique tametsi sermonem illum, vbi in eius mentionem incidisset, historiam cum Platone appellauit; postea tamen dubitauit an historiæ vel potiùs fabulæ nomen deberetur illi: sic enim scriptum reliquit.*† At Solon cùm argumentosam de Atlantico sermone uel fabula inchoasset commentationem, quam ex doctis Sai acceperat conuenientem Athenienſibus, elanguit. *Nec dissimili consilio videtur etiam statim intulisse.* Atqui Plato argumentum Atlanticum cinxit ingentibus vestibulis, septis, & atrijs, qualia scriptum nullum aliud, nec fabula, nec poëma habuit. *Vt propterea (si me audias) Plato in hoc sermone, non historiam, non allegoriam aut Symbola vlla, sed merum commentum ac fabulam, germanámque ac verissimam machinam nobis protulerit, meritóque hac in parte in eum vsurpari Timonis illud possit.*

† *In Solone ad finem.*

Ὡς ἀνέπλασε Πλάτων πεπλασμένα θαύματα εἰδώς; *hoc est.*

Vt conficta Plato astutus miracula finxit?

Sed ad verborum contextum redeamus: in quo Critias pergit hoc modo.

Partic. XI. Οὕτω δὴ, καθάπερ ὅδ' εἶπε, χθές τε εὐθὺς ἐνθένδε ἀπιὼν πρὸς τούσδε ἀνέφερον αὐτὰ, ἀναμιμνησκόμενος. ἀπελθών τε σχεδόν τι ἅπαντα ἐπισκοπῶν τῆς νυκτὸς ἀνέλαβον.

Ita heri ut iste ait, post discessum protinus his prout tunc recordabar, recensui. A nocturnis deinde uigilijs penè omnia recuperaui. Ficinus.

Ita videlicet hesterno die (quemadmodum hic dixit) vbi primùm hinc discessimus, ista cum his communicabam illorum memoriam refricando, & cum de his attentiùs nocte cogitarem, omnia penè recensui. Nou. int.

Ita heri illa omnia ueluti monebat iste, statim atque hinc discessimus, ijs referens, rem mihi in memoriam reuocabam: ut tandem cum idipsum per noctem animo agitauerim, integrum fermè recuperauerim. Benius.

Comm. XI. *Reuocabat sibi in memoriam, (id enim planè significare arbitror hoc in loco illud* ἀναμιμνησκόμενος*, quod Ficinus,* prout tunc recordabar, *conuertit) ea omnia Critias, rem cum socijs conferens: sicque tandem cum hanc ipsam per noctē euoluisset animo, omnia fermè recuperauit. Quare dum dicit.* καθάπερ ὅδ' εἶπε χθές τε εὐθὺς, ἐνθένδε ἀπιὼν πρὸς τούσδε ἀνέφερον αὐτά. heri quemadmodum monebat iste, statim atque hinc discessimus cum ijs rem communicabam, *intuetur in ea quæ supra explicauimus Hermocratis verba.* Nam præterito die cùm disputatione peracta, mox ad hospitium quo apud Critiam suscepti sumus, rediremus, & intereundum primò, & domi rursus de his rebus uerba fecimus. Hic igitur nobis ueterem narrauit historiam; *simúlque videri vult hoc ipso in loco, in quem modò conuenerunt, tum a Socrate iteratam fuiße politicam institutionem, tum a cæteris deinde omnibus disputandum eße. Addit verò se per noctem ea agitaße animo, ac fermè omnia in memoriam reuocaße, vt verisimile tueatur: nam reuera vt per noctis quietem incursantes rerum species atque idola minùs pulsant aures atque oculos, minúsque distrahunt animum, sic hærētes iandiu species, si quo modo excitentur, faciliùs recurrunt in mentem: præsertim verò quòd post vespertinam quietem ac somnum, & puriores adesse illæ solent, & animus instrumentis aptioribus vtitur ad res reminiscendas. Quod cum in omnibus quæ didicimus accidere solet, tum maximè in ijs quæ à pueris discimus: quod ipsemet statim explicat, aßerens.*

Partic. XII. Ὡς δή τοι τὸ λεγόμενον, τὰ παίδων μαθήματα θαυμαστὸν ἔχει τι μνημεῖον.

Profectò quæ in pueritia discimus, diutiùs, firmiùsque vt fertur meminisse solemus. Ficinus.

Sicuti & fert prouerbium, ea quæ a pueris discuntur, memoriæ tenaciter inhærere. Nou. int.

Ac profectò (vt est in prouerbio) quæ a pueris discimus, admirabilem quandam habent firmitatem. Benius.

Comm. XII. *Cuius etiam rei, etsi prouerbio testare satis, & per se plausibilis, statim affert confirmationem his verbis.*

Part. XIII. Ἐγὼ γὰρ ἃ μὲν χθὲς ἤκουσα, οὐκ οἶδα, εἰ δυναίμην ἅπαντα ἐν μνήμῃ πάλιν λαβεῖν. ταῦτα δ' ἃ πάμπολυν χρόνον διακήκοα παντάπασι θαυμάσαιμ' ἂν εἴ τί με αὐτῶν διαπέφευγεν.

Atque haud scio, an quæ heri audiui, referre nunc omnia memoriter possim: quæ verò puer accepit, mirabor equidem si quid eorum memoria mihi exciderit. Ficinus.

Equidem quæ olim audiui, nescio an omnia possem reminisci, eorum uerò quæ à longißimo hinc audiui tempore, vix dici posit quàm mentem, animumque nullo modo effugerint. Nou. int.

Etenim

Etenim vt de me loquar, haud ſcio an poſſim in eorum omnium memoriam redire, quæ heſterna die excepi: vehementer tamen mirarer ſi quid eorum excidiſſet, quæ iam multò antea audiui. — **Benius.**

Co.XIII. *Quibus ſanè verbis experientia eorum quæ ſibi acciderant, confirmat pueros memoria pollere magis, quam prouectae aetatis viros: tum verò vt ſuaderet hac inprimis in re id ſibi contigiſſe, addit.*

Part. XIV.

Ην μὲν οὖν μετὰ πολλῆς ἡδονῆς καὶ παιδικῆς τότε ἀκουόμενα, καὶ τοῦ πρεσβύτου προθύμως με διδάσκοντος, ἅτε μου πολλάκις ἐπανερωτῶντος, ὥστε οἷον ἐγκαύματά μοι ἀνεκπλύτου γραφῆς ἔμμονά μοι γέγονε.

Ea quippe cum voluptate & ioco audiebam, cum & ſenex ille libenter me doceret, & ego ab illo ſedulo ſciſcitarer. Quapropter quaſi quædam literarũ inuſtæ indeletaliter notæ, ea mihi omnia infixa memoriæ permanſerunt. — **Ficinus.**

Et illa quidem a me cum maxima voluptate & lætitia percipiebantur, & ea ſenex iucundè narrabat, mihi illum hac de re ſubinde interroganti, vnde & quaſi monumenta indelebilis ſcripturæ altè inuſta atque impreſſa conſtanter ad hunc vſque diem perdurant. — **Nou. int.**

Tunc enim illa non ſine magna delectatione atque iucunditate hauriebam cum interim alacri animo doceret me ſenex: ego verò illum ſæpenumero interrogarem. Quapropter quemadmodum altiùs inuſtæ literarum notae immutabiles permanent, ſic ea mihi firmiſſima in animo inſederunt. — **Benius**

Com.XIV. *Vbi iis omnibus acceſſiſſe vult tum magnam quandam pueri delectationem atque iucunditatem, qua ea ipſa hauriret, tum miram ſenis comitatem, atque alacritatem in eo docendo, tum denique ardens adiſcentia ſtudium, quo ſaepe de illis ſciſcitaretur. Atque his factum eſſe vult, vt quemadmodum altiùs inuſtae literarum notae immutabiles permanent, ſic illa ipſi firmiſſima inſederint in memoria.*

Ex Ariſtotele Dubitatur aduerſur ea, quæ de memorai tradit Plato.

Sed quamuis haec ita ſint, veruntamen dubitatione non carent: nam temporis diuturnitas videtur requirere vt faciliùs recordemur ea quæ recenter, quàm quae iam antea exactis temporibus audiuimus. Etenim (ſi Ariſtotelis credimus) memoria non eſt ſine phantaſmate: quod quidem eſt † picturarum inſtar, quae tempore deleri ſolent. Huc accedit quod puerorum temperatio, eodem Ariſtotele teſte, molliſsima eſt: ac propterea illius organa vel formas effigiéſque ſuſcipere nequeunt, vel certè ſuſceptas, non ſecus ac liqueſcenti cerae contingit, ſtatim deperdunt: cum tamen in viris qui firmioris naturae ſunt ac temperamenti, altiùs imprimantur. Adde mentis aciem atque intelligentiam mirificè conferre ad memoriam: cum experientia ipſa doceamur vix perdiſci poſſe ea quae non intelliguntur. Vt propterea cum viri plus polleant intelligentia quàm pueri, memoria quoque pollere magis debeant. Et propterea Ariſtoteles libro de memoria & reminiſcẽtia capite II. Manifeſtum eſt (*inquit*) quòd oportet intelligere talem aliquam factã per ſenſum in anima & in parte corporis habente ipſam, velut picturã quandam, paſsionem cuius dicimus habitum eſſe memoriã factus enim motus imprimit uelut figurã quãdã ſenſilis, ſicut ſigillantes annulis, vnde & aliis quidem qui in motumulto, aut propter paſſionem, aut propter ætatem ſunt, non fit memoria: tanquam

† *Ar. lib. de mem. & remin. cap.* I.

vtique

vtique in aquam fluentem incidente motu & sigillo, alijs autem propterea quod frigida sunt, sicut antiqua ædificiorum, & propter duriciem accipientis passionem, nō ingignitur figura. Quapropter & valde iuuenes & senes immemores sunt: fluunt enim illi quidē propter augumentum, hi verò propter decrementum. Similiter autem & multum veloces, & multum tardi, neutri videntur memores: illi enim humidiores sunt quàm opportunum fit: hi verò duriores. Illis igitur non manet phantasma in anima, hos uerò non tangit. *Et rursus in fine quarti capitis.* Omnino autem iuuenes, & ualde senes immemores sunt propter motum: hi enim in decremento, illi uerò in augumento multo sunt, amplius autem pueris, & nanis similes sunt usque ad longam ætatem. *Hæc Aristoteles. Sed quanquā hæc ita sint, verè tamen loquutus videtur Plato: nam Critiam dixit, cùm illa ex Solone audiret, ad decimum ætatis annum perueniße: hoc verò tempore experientia ipsa satis supérque docet, pueros memoria plurimùm valere: atque idcirco prouerbio quodam, quod nimirum magnam hac in re consensionem ostenderet, id efferebat, aßerens,* ὡς δή τι τὸ λεγόμενον τὰ παίδων μαθήματα θαυμαστὸν ἔχει τι μνημεῖον. *hoc est.* Et sanè (ut est in prouerbio) quæ à pueris discimus, mirum est quàm firmiter hæreant in memoria. *Ac cum Platone quidem mirificè consentit Magnus* † *Basilius, qui* ἀμετάτυπα *(inquit)* πέφυκεν εἶναι τὰ τῶν νέων μαθήματα, firmissimæ esse solent adolescentium disciplinæ. *Quamobrem videtur Aristoteles non id ætatis pueros significasse, dum diceret eos memoria minimè pollere; sed eos tantùm qui ab hac ætate procul abessent. Quamobrem haud contentus eos vocaße (id quod fecit in II. capite)* σφόδρα νέοις valde iuuenes, *& senibus opposuisse, capite IV. appellauit eos* πάμπαν νέους omnino iuuenes, *ijsdémque* λίαν γέροντες valde senes *respondere voluit: ac denique ad finem eiusdē capitis* τῇ παιδίᾳ, *infantiæ inquam, hoc maximè tribuit. Et hucetiam illud pertinet quod tum pueris tum senibus id contigere affirmabat* ὅτι οἱ μὲν ἐν φθίσει, οἱ δὲ ἐν αὐξήσει πολλῇ εἰσίν. *Quod, inquam, senes in summa diminutione sunt: pueri contra in summa accretione: quæ verè in infantia decrepitáque ætate nobis contingunt. Quod si ratio suadere videtur ea nobis succurrere magis debere quæ nuper, quàm quæ iam multo antea audiuimus, id sanè concedendū est si hæc non altiùs quàm illa insederint in memoria. at Critias quæ refert, firmissima sibi in animo insedisse tradit: ac propterea illa cum literarum notis comparat quæ altiùs inustæ sint, atque immutabiles perseuerent. Atque idcirco etiam contendit se audire illa consueuisse* μετὰ πολλῆς ἡδονῆς καὶ παιδιᾶς *ingenti cum delectatione atque lætitia: senem quoque* προθύμως, *summa inquam alacritate, eum docuiße: ac sese denique frequenter senem ipsum (illis nimirum de rebus) interrogaße: quæ omnia mirificè pertinent ad ostendendū (id quod statim etiam concludit) ea non nisi altiùs potuiße in eius animo imprimi atque confirmari. Ex quibus constare potest (vt hoc etiam diluamus quod secundo loco obijciebamus) talem decimo ætatis anno firmitatem accipere in pueris memoriæ organa, vt quamuis tenera censeri adhuc possint*

sicut

Probatur Platonis sententia & diluuntur propositæ dubitationes

† *Bas. hom. ad adolescentes.*

ſicut Baſilius videtur feciſſe, qui aſſerebat adoleſcentium diſciplinas δι' ἁπαλότητα τῶν ψυχῶν εἰς βάθος ἐνσημαινόμενα propter animæ teneritudinem altiùs inuſtas & conſignatas eſſe; *haud tamen ſint molliſſimæ inſtar ceræ quæ imagines ſtatim deperdit: ſed potiùs proximè ad mediocritatem accedant, proindéque egregiè ſatis ad res percipiendas atque conſeruandas ſint conſtituta: ac præſertim ſi res haud perdifficiles narrentur, quæque ſubtili egeant contemplatione, ſed faciles, nouæ, admirabiles atque iucundæ, cuiuſmodi fuiſſe ea didicimus quæ ex Solone audiuit Critias. Quapropter quemadmodum in huius dialogi exordio confidere ſe affirmabat Socrates ea quæ de nuptijs ac liberorum procreatione ſtatuerat* διὰ τὴν ἀήθειαν, *propter nouitatem inquam & inſolentiam firmiùs hæſiſſe in memoria auditorum: ſic etiam Solonis hiſtoria multis eiuſmodi de cauſis debuit altas radices in Critiæ memoria agere. Atque ita bona cum Ariſtotelis venia retineri hic & poteſt & debet Platonis ſententia. Quanquam audiendi ſunt etiam hoc in loco Porphyrius ac Proclus: qui licet nullam habere videantur Peripateticorum decretorum rationem, haud tamen mythologi ſunt, vt paſſim ſolent, ſed Phyſici: & propterea eorum rationem ſubijcere hic decreui. Ergo cum Proclus dixiſſet.* τὸ μνημονικωτέρους εἶναι τοὺς παῖδας καὶ ἐπὶ τῶν ἔργων ὁρᾶται, καὶ πολλὰς ἂν ἔχειν πιθανὰς αἰτίας, Memoria, *inquam*, pollere magis pueros, & reipſa conſtare, & plauſibilibus rationibus oſtendi poſſe; *id primùm ex Porphyrio declarabat, quòd puerorum animi experientiam non habent humanorum malorum: ac propterea vt a rebus externis minimè diſtrahuntur atque pulſantur, ſic* φανταστικὸν καὶ διανοητικὸν, *eas inquã animi partes in quibus phantaſia reſidet atque cogitatio, formis ac ſpeciebus magis vacuas gerunt. Quæ ratio mihi ſanè non parum probatur, atque experientia ipſa videtur cõperta ſatis. Idipſum deinde ſuadet Proclus his verbis.* Ἡ λογικὴ ζωὴ πλέον ἐν ἑαυτοῖς συμπέφυρται πρὸς τὴν φαντασίαν. ὥσπερ οὖν τῆς ψυχῆς τῷ σώματι συμπαχούσης συγκεκραμένης αὐτῷ, ῥωμαλεώτερόν ἐστι καὶ ζωτικώτερον τὸ σῶμα, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ φαντασία ῥώννυται διὰ τὴν τοῦ λόγου σχέσιν. ῥωννυμένη δὲ, μονιμωτέρους ἔχει τοὺς τύπους μᾶλλον † αὐτῆς λαμβανομένη διὰ τὴν ἑαυτῆς δύναμιν. ὥσπερ καὶ τὸ σῶμα, μᾶλλον κρατεῖ † τῶν ἐν τῷ ζωτικώτερον ὂν διὰ τὴν τῆς ψυχῆς πλείονα κοινωνίαν. *hoc eſt*. Ratio vberiùs in ipſis cum phantaſia eſt permixta: quare quemadmodum corpus robuſtius redditur atque viuacius, cum anima ſimul cum eo conſentit atque conſpirat: ſic phantaſia robuſtior efficitur propter rationis habitudinem atque conſtitutionem. quare robuſta effecta, firmiores retinet effigies ac formas, cum illas ob ſuas vires aptiùs comprehendat: ſicut etiam corpus propter eam quæ ſibi cum anima arctior intercedit communicatio, maiorem po teſtatem habet in eo qui eſt viuacior. *Sed hæc ratio & eſt ſuperiore obſcurior & inde etiam nonnihil infirmari videtur, quod pueri longè minùs ualeant ratione: ut propterea ipſa ratio non maiori adiumento eſſe poſſit phantaſiæ in puerili, quàm in virili aetate. Quanquam ſi forte ſignificare voluit phantaſiam in pueris maiore quadam vi atque facultate obiectam ſpeciem amplecti, quòd animus in ipſis contemplationis munere vacuus, totus quodammodo phantaſiae officio occupetur, ſicut in caecis animaduertimus, qui* dum

Subijciuntur multa ex Academicis: quibus cõfirmatur Platonis ſententia de memoria.

† αὐτοὺς legẽdum puto.

† fortè legendũ τὸ ἐν τῷ ζωτικωτέρῳ ὄν, ſic vt referatur ad σῶμα.

dum oculorum formis non distinentur, maiore quadam vi memoriae atque phantasiae species amplectuntur ac seruant; id verò mihi non videretur temerè dictum. Alteram denique rationem inde desumit, quòd pueris res uideri maiores solent quàm uiris, quocirca magis etiam laetantur, admirantur, mærent, & (vt dicam breui) afficiuntur quàm illi: quare faciliùs etiam recordantur: quò enim aliquid plus afficit animum, eò faciliùs recurrit in mentem. Atque haec quoque ratio, vt opinor, verissima est, & vt constare potest ex his quae attulimus supra; ex Platone ipso desumpta. Sed quoniam ea uerba μετὰ πολλῆς ἡδονῆς καὶ παιδικῆς, *nonnihil perplexa sunt, hoc vnum superesset, quod explicaremus si fieri posset. & quidem cum ad uerbum sit* cum multa uoluptate & puerili, *illud, puerili, si cum voluptate iungatur, non admodum venustè se habeat ac Graecè praesertim, Ficinus itaque (quem deinde sequutus est Erizus) vertit* cum voluptate & ioco, *vbi vel* παιδιᾶς *legit, (quod tamen in nullis codicibus scriptum reperi) vel certè (nisi vocis similitudine deceptus sit) scopulum ita vitandum esse censuit. Atque eâdem ferme ratione se gessit Serranus, qui & ipse vertit,* cum maxima voluptate & lætitia *quasi* παιδιᾶς *extaret, haec namque vox, & iocum & laetitiam, ac voluptatem significare potest. Atque consimilem sententiam faciunt Chalcidij verba. Henricus itaque monuit* cum puerili voluptate *legendum esse: sed quàm opportunè atque uenustè* παιδικῆς *coniungi possit cum* ἡδονῆς *non video. Ipse itaque cum angustias cernerem, nec satis exploratum haberem quò me verterem, verti*, non sine magna delectatione atque iucunditate. *quod* iocum *minùs probarem. Tu si Henricum sequaris, in uerbis minùs laborbis. Sequitur.*

Part.xv.

Καὶ δὴ καὶ τοῖσδε εὐθὺς ἔλεγον ἕωθεν αὐτὰ ταῦτα, ἵνα εὐποροῖεν λόγων μετ' ἐμοῦ.

Ficinus. *Atque his etiam ante solis ortum ipsa narraui, & vt vna mecum essent ad hanc orationem paratiores.*

Nou.int. *Et mane quidem illis omnia exposui, vt eiusdem mecum sermonis essent participes.*

Benius. *Quare etiam statim atque illuxit dies, hæc ipsa narraui, vt mecum ipsis dicendi suppeteret argumentum.*

Com.xv.

Hæc omnia, inquit Critias, statim atque dies illuxit, narraui socijs, vt εὐποροῖεν λόγων μετ' ἐμοῦ: *quibus verbis, vt ego suspicor, non omnino significat se illis ea narraße vt participes essent eiusdem sermonis. quemadmodum uertit Serranus; sed vt cum eo ad futuram disputationem essent paratiores, vt vult Ficinus: vel certè vt hinc illis quoque dicendi suppeteret argumentum: (nam singulis erat dicendum, vt Socratis mandata curarent) eúmque mutuis disputationibus veluti epulo quodam exciperent: quod fecerunt singuli ex vna Critiæ historia tanquam ex perenni quodam fonte suarum disputationum materiam occasionémue haurientes.*

Part.xvi.

Νῦν οὖν, οὗπερ ἕνεκα πάντα εἴρηται, λέγειν εἰμὶ ἕτοιμος, ὦ Σώκρατες, μὴ μόνον ἐν κεφαλαίοις, ἀλλ' ὥσπερ ἤκουσα καθ' ἕκαστον. τοὺς δὲ

Ficinus. *Verùm vt ad id quo hæc omnia spectant, me conferam, paratus sum o Socrates non modò summatim sed sigillatim sicut audiui omnia enarrare. Ciuitatem vtique & ciues quos quasi per fabulam hesterna disputatione finxisti, rem veram esse ponemus. Ciuitatem quidem illam, Atheniensem hanc vrbē*

πολίτας

πολίτας καὶ τὴν πόλιν ἣν χθὲς ἡμῖν ὡς ἐν μύθῳ διῄεισθα, μετενεγκόντες ἐπὶ τἀληθὲς, δεῦρο θήσομεν, ὡς ἐκείνην τήνδε οὖσαν. καὶ τοὺς πολίτας οὓς διενοοῦ, φήσομεν ἐκείνους τοὺς ἀληθινοὺς εἶναι προγόνους ἡμῶν, οὓς ἔλεγεν ὁ ἱερεύς.

esse. Ciues quoque quos ipse excogitabas, nostros illos maiores a sacerdote narratos censebimus.

Nou.int. *Nunc igitur qua de causa hæc omnia dicta sint, paratus sum, Socrates tibi explicare, non tantùm summatim & per capita sed singulatim etiam quemadmodum illa percepi. illos autem ciues, illamque ciuitatem, quam nobis heri tanquam per fabulam exponebas, re ad ipsam traducta veritatem, huc conferemus: vt illam omnino, illosque quemadmodum cogitatione complectebare, statuamus esse reuera priscos nostros illos maiores, de quibus Sacerdos ille apud Solonem verba faciebat.*

Benius *Iam verò Socrates, quoniam huc spectabat omnis oratio mea, sum ad ea narranda paratus, non summatim solùm ac quasi capita rerum attingens, sed sigillatim etiam atque distinctè, quemadmodum illa excepi. Ciues autem, Ciuitatemque ipsam, quam heri quasi per fabulam effingebas, ad veritatem traducentes, huc statuemus, perinde ac tua ista ciuitas, non alia quàm mea esset; sicque etiam quos animo fingebas Ciues, maiores illos nostros omnino esse dicemus, quos Sacerdos ille commemorabat.*

Com.xvi. *Iam Critias sermonis illius summa proposita, sese paratum esse affirmat ad ea omnia sigillatim atque distinctè narranda, quo politia illa, quam veluti per fabulam Socrates finxerat, ad veritatem traduceretur: atque in priscas illas Athenas conuerteretur. Vbi si animaduertis callidè ad institutum suum descendit, vt conflatam siue calumniam, siue querelam, quasi aliud agens dissoluat. Conabatur enim ostendere Socraticam politiam & fieri posse, & rectam atque vtilem esse: & idcirco priscos illos Athenienses excogitauit, qui cùm eodem ferè Reipub. atque institutionis genere vterentur, cæteros mortales virtute atque rerum gestarum præstantia superauerint. Nunc itaque his veluti è machina quadam productis, simulat se exemplo illorum politiæ ad ea explicanda festinare, quæ Socrates postularat: quasi verò non instituisset politiam illam tanquam omnino veram statuere, sed hoc posterius tantùm (quod tamen illius causa excogitauerat) perficere optaret. Quanquam non ita statim sese refert ad Socratis postulationem implendam quin præmunitione quadam adhuc vtatur, vt mox videbimus in particula sequenti. Interim Athenæo respondendum est, qui (vt in Platonis decretis insectandis acrior quàm perdiscendis fuit) cùm intueretur tum in hunc locum in quo asserit Critias Socratem quasi per fabulam ciuitatem ciuésque descripsisse hesterna die, tum in ea quæ de ciuibus ad effictam ciuitatem perducendis habentur paulò post, tum denique in Politicum epilogũ, immo in politicam institutionem vniuersam,* Quis autem † (*inquit*) velle ciuitatem concedere, legésque imponere, non gloriae cupidi viri esse dixerit? quod manifestè patet ex ijs quæ dixit in Timæo. Eo-

†l.11.c.22.

dem planè modo affectus sum quod spectat ad Rempublicam quo & pictores. qui opera sua se mouere, & operari videre cupiunt: sic & ego Ciues quos descripsi. *Et paulò post.* At quo pacto non absurdus est Plato? nam cum tres fuerint legum latores Dracon, Solon, ac Plato, illorum leges obseruarunt Athenienses, Platonis verò subsannantes deriserunt. *ac rursus* Et sanè oratio illa de Republica: etsi omnium pulcherrima sit, nobisque nihil persuadeat, quid præterea? Visus est ipse Plato non existentibus viris leges scripsisse, sed hominibus a se fictis, ita vt qui his vtantur postea, perquirere oporteat. Conueniebat sanè ea scribere quæ dicendo persuaderet: ac non optandis viris hæc scribere: sed ijs qui hæc complecti possunt. *Hæc iste, Cui non opponam ibidem obiecisse alia multa Platoni nostro, in quibus tum secum ipse apertè pugnat, tum philosophatur ac sentit turpissimè, vt dum Aristotele vtitur teste, qui tamen & ipse politica præcepta eodem modo conscripserat, & animi immortalitatem in Platonis decretis vituperat: cum tamen ob hoc maximè summam laudem inuenerit: sed (vt calumniam dissoluam paucis) tria respondebo breuissimè. Primum est; primam huius calumniæ partem in puerili quodam niti mendacio. nam hoc sanè in loco in quo asserebat Socrates optare se constitutæ illius Reipublicæ certamen aliquod intueri, nihil minùs spectabat quàm vt cuperet sua præcepta ab Atheniensibus ad opus ipsum referri, sed inde aperire aditum moliebatur proximis disputationibus, quemadmodum & fecit. Quod quoniam suo loco ostendimus apertè satis, non repeto, cum præsertim neque assereret Socrates optare se certamen aliquod suæ Rei publicæ intueri, quod falsò assumit Athenæus, sed optare vt aliquis dicendo effingeret prælia ac cætera rei militaris officia, quæ ab Rebubl. ijs institutis formata expectanda essent: quod ad calumniatoris rem nihil facit. Alterum est longè abesse vt aliquid de Reipub. administratione monumentis mandare non liceat ijs quibus antea perspectum non sit, fore vt Respublicæ ac ciuitates illud vitæ genus amplectantur. Quod si ita est, cur absurdus erit Plato (id enim secunda est calumniæ pars) quòd eius leges non exceperint Athenienses? aut cur potiùs risu digni atque absurdissimi non erunt Athenienses ipsi, qui Draconicas leges receperint, quæ ob eximiam sæuitiam sanguine exaratæ dicerentur? Solonicas verò, hoc est æquiores, breui peruertissent ac sustulissent? Quanquam neque Plutarchus atque alij scribunt tentasse Platonem vt sua Politia ac leges ab Atheniensibus exciperentur, neque ipse tunc alio consilio Rempub. effinxit, nisi vt de Iusti quem describebat, officijs explicatiùs constaret ac latiùs, vt iam antea demonstrauimus. Vt omittam (id quod iugulat aduersarium) Platonem, quæ eius fuit prudentia ac ciuilis rei cognitio, ab Archadibus & Thebanis inuitatum fuisse vt quam condidissent vrbem legibus informaret, nascentémque Rempublicam temperaret. Quin Magnesiis & Syracusanis dedisse leges: Ilios, Pyrcos, Archades denique ipsos politicis sanctionibus informasse atque instituisse.*

tuisse. Atque ex his patet postremam quoque accusationis partem esse absurdã, qua optandis viris Rẽp. legésque parasse scribit. Nã illud potiùs ostẽdere debuisset indignas esse quæ probaretur, ac meritò explosas fuisse ab Atheniensibus, ac (quod verè ostendere potuisset) machinam moliri Platonem *ijs in locis, quàm vt tam facilè ab euentu calumniæ occasionẽ arriperet. Sequitur.*

Par. XVII. Πάντως ἁρμόσουσι, καὶ οὐκ ἀπᾳσόμεθα λέγοντες αὐτοὺς εἶναι τοὺς ἐν τῷ τότε ὄντας χρόνῳ. κοινῇ δὲ διαλαμβάνοντες πάντες πειρασόμεθα τὸ πρέπον εἰς δύναμιν οἷς ἐπέταξας ἀποδοῦναι

Nempe omnino hæc congruunt: neque ab re fuerit, si ciues tuos reuera priscos illos extitisse dixerimus. Quare communiter rem ipsam inter nos partientes conabimur omnes muneri abs te nobis imposito pro viribus satisfacere. — Ficinus.

Res optimè quadrabit, nec quid causæ esse videtur cur repellamur, si statuerimus huiusmodi illos homines olim extitisse. Re autem communiter perpensa, conabimur pro viribus vnicuique rei quod decet, & consentaneum est ex disquisitionis nostræ instituto tribuere. — Nou. int.

Et sanè perbellè se res habebunt: facileque sustinebimur, si tuos istos ciues eos ipsos esse dixerimus, qui eo tempore floruerunt. Quapropter rem communiter partientes, pro virili parte conabimur, vt quæ nobis imperasti, pro dignitate constituantur. — Benius.

Co. XVII. *Ad Socratis postulationem implendam mox aggressurus Critias, rem præmunitione quadam (vt dicere cœperam) anteuertit. Vbi sanè extollit emergentium disputationum argumentum atque œconomiam: profitetúrque perbellè se rem habere, nec posse vllam cuipiam esse causam cur non facilè sustineat atque adeò assentiatur (siue enim legendum sit ἀπωσόμεθα, vt iacet, siue ἀποδησόμεθα, satis constat loci hanc esse sententiam) Socraticos illos ciues eos ipsos esse, qui celebrati fuerant Solonis sermone. Atque ita ex Solonis historia occasione accepta, muneribúsque partitis, percupidos sese ostendunt Socratica curandi mandata. Et idcirco etiam ex Socrate sciscitantur an id ex ipsius quoque sententia accidat, vel potiùs alium sermonem exquiri iubeat: ideo enim suo aliorúmque nomine subiungit.*

Par. XVIII. Σκοπεῖν οὖν δεῖ, ὦ Σώκρατες, εἰ κατὰ νοῦν ὁ λόγος ἡμῖν οὗτος, ἤ τινα ἔτ' ἄλλον ἀντ' αὐτοῦ ζητητέον.

Sed uide o Socrates nunquid sermonem hunc probemus, uel alium exigamus. — Ficinus.

Videndum ergo est Socrates an id opportune dicatur, necnè an alia inuestiganda sit sermonis ratio. — Nou int.

Vide itaque Socrates an ex animi tui sententia res geratur, an potiùs alium sermonem exquirere debeamus. — Benius.

Co. XVIII. *Cui statim Socrates sermonem illum omnino retinendum esse multis suadere conatur. Nam sequitur.*

Part. XIX. Σωκ. Καὶ τίνα, ὦ Κριτία, μᾶλλον ἀντὶ τούτου μεταλάβοιμεν ἄν, ὃς τῇ τε παρούσῃ τῆς θεοῦ θυσίᾳ διὰ τὴν οἰκειότητα ἂν πρέποι μάλιστα, τό

Socr. At enim quem o Critia, sermonem magis quàm istum probabimus? qua præsentibus Deae sacris propter propinquitatem quandam mirificè congruit. Maximum uerò illud est, non fictam a nobis fabulam, sed ueram historiam recenseri. Quonam igitur pacto, & unde, hac spreta, disputa- — Ficinus.

τε μὴ πλασθέντα μῦθον, ἀλλ' ἀληθινὸν λόγον ἐστὶ), παμμεγάπου. πῶς γὰρ, καὶ πόθεν ἄλλους εὑρήσομεν ἀφέμενοι τούτων, οὐκ ἔστιν ἀλλ' ἀγαθῇ τύχῃ χρὴ λέγειν μὲν ὑμᾶς, ἐμὲ δὲ ἀντὶ τῶν χθὲς λόγων νῦν ἡσυχίαν ἄγοντα ἀκούειν.

tionem aliam exordiemur? Certè non licet. Ideo bonis fortunæ auſpicijs oportet iam tam uos diſſerere, quàm me pro heſterna narratione hodie uos ſilentio audire.

Nou.int.

Soc. Ecquid verò Critia, meliùs commodiuſue agere poſſimus? Et quod huic etiam diei, qui illius Deæ Sacro deſtinatus eſt, magis conueniat? Illud verò non fabulam, ſed verum ſermonem afferri, permagnum ſanè quid eſt. Et cur ergo illam reliquerimus, vt alium quendam inueſtigemus? quod ergo fœlix fauſtumque ſit, ad vos redeunt loquendi uices, vt ego in mercedem heſternorum a me habitorum ſermonum, audiens quieſcam.

Benius.

Soc. At enim Critia, quem alium huic tuo ſubſtituamus? Cum enim praeſentem Deæ celebritatem, tanta quaſi affinitate attingat, proindeque tam egregiè illi conueniat, cumque tantopere etiam interſit non fictam a nobis fabulam, ſed uerißimum ſermonem afferri, quo pacto propoſitum ſermonem repudiabimus? aut ex quibus fontibus alium hauriemus? Itaque in præſentia, quod fœlix fauſtumque ſit; uobis omnino erit diſſerendum: mihi uerò, quoniam heſterna die hoc munere functus ſum, his curis uacuo audiendum erit.

Com. XIX.

Ergo contendit Socrates, omnino retinendũ eſſe propoſiti ſermonis argumentum: idque tum quòd celebritati illi mirificè conueniret, tũ præſertim quòd plurimùm intereſſet non fabulam, ſed verisſimum ſermonẽ (atque id quidem erat quod præcipuè in noſtris animis inſerere cupiebat) afferri. Sed cur conueniebat hic ſermo celebritati illi qua colebatur Pallas? Tres attingit rationes Proclus: ac prior quidem eſt, quoniam ἡ εἰκὼν ὁ πόλεμος τῶν κοσμικῶν πολέμων, vbi ſi legamus εἰκὼς, decens, ſignificat cum ea Palladis celebritate congruere illorum bellum qui in Mundo pugnabant: & ita alluderet Proclus ad celebre illud Mineruæ appoſitum ac cognomentum, quo Plato non ſemel φιλοπόλεμον belli, inquam, ſtudioſam appellauit eam: atque huic ſententiæ illud etiam fauere videtur, quòd Proclus tunc ſanè cum dixißet huius belli ſermonem eſſe τῇ ἑορτῇ προσήκοντα pompæ accommodatum, ſtatim hanc cauſam afferens intulit, καὶ γὰρ ἦν εἰκὼν ὁ πόλεμος τῶν κοσμικῶν πολέμων vbi ſi pro εἰκὼν, εἰκὼς legeremus, alluſißet etiam non inuenuſtè ad id, cuius rationem inueſtigabat. Quanquam locum adhuc commodè, vt iacet, legere poſſumus. nam ſi non Platonis, Procli certè inſtituto erit accommodata ratio: ſic enim ſignificaret ſermonem illum eſſe retinendum, quod bellum contineret mundanarum pugnarum ſimilitudinem gerens: ita enim ſua illa ſomnia confirmabat Proclus, quibus contendebat Platonem Atlantino hoc bello veluti rerum mortalium totiúsque Naturæ ſimulachro naturalem diſputationem anteuertere voluiſſe. Altera verò ratio eſt, quia hic ſermo ὕμνος ἦν τῆς Ἀθηνᾶς τῇ θυσίᾳ προσφορος hymnus erat Palladis ſacrificio accommodatus. *Quæ ratio in eo nititur, quod dum Palladi in ea pompa ſacrificabatur, hymni etiam dicebantur, & idcirco non niſi opportunè accidere poterat hic ſermo: qui quoniam cum Palladis laudibus coniunctus erat, veluti cuiuſdam hymni atque laudationis loco eſſe poterat. Atque*

id

id quidem optimè Platoni consensit: nam (vt vidimus) Critias antequam huiusmodi historiam ordiretur, dixerat se ea narratione quasi quodam hymnorum cantu Mineruam, vt decebat, honorare instituisse. Et idcirco in hanc ipsam Critiæ historiam intuetur hic Plato, dum asserit huiusmodi sermonem Deæ celebritatem magna affinitate attingere, illique egregie cõuenire: quod in Atlantico cernitur clariùs. His addebat Proclus *(atque in his postrema erit posita ratio)* ἐπειδὴ θεωρίας καὶ πράξεως ἡ θεὸς αἰτία, διὰ τῆς θυσίας μιμούμεθα τὴν πρακτικὴν αὐτῆς ἐνέργειαν, διὰ δὲ τοῦ ὕμνου τὴν θεωρητικήν. *hoc est.* Quoniam Dea & actionis & contemplationis est causa, sacrificijs imitamur illam Deæ efficacitatem, quæ posita est in actione: hymnis verò illam exprimimus quæ in contemplatione consistit. *Sed ut tertia hæc ratio paulò longiùs petita uideri potest, ita secunda, quo explicauimus modo, mirificè congruit cum Platonis sententia. Addit uerò* Plato *eius historiæ narrationem ea quoque de causa sibi probari, atque retinendã esse, quòd plurimum interesset non fabulam, sed historiam afferri, quoniam hæc historia (vt notauit Proclus)* ἐμαρτύρει τῷ δυνατῷ τῆς πολιτείας, *suffragabatur, inquam, Socratis Politiæ: eámque ostendebat (id quod in controuersiam fuerat reuocatum) & extare posse, & non sine vtilitate atque honestate. Et verè hoc machinabatur* Plato: *licet videri vellet aliud instituisse. Atque idcirco monebam supra id omnino studuisse in nostris animis inserere tanquã certum. Et hinc est vt de hac historia solicitus, concludat iam oportere illos fœlicibus auspicijs aggredi receptas partes: sèque interim, quoniam dicendi munere hesterna die functus esset, omni disputationis cura solutum, illos audire. Quo in loco, dum dicitur iam illos* ἀγαθῇ τύχῃ *debere aggredi ad disputationem, Proclus contendit a Platone significari* τὴν ὅλων τὴν ἔνθεον διακλήρωσιν καθ' ἣν ἕκαστον ἔλαχεν τάξιν τὴν ἑαυτῷ πρόσφορον ἀπὸ τοῦ ἑνὸς πατρὸς καὶ τῆς ὅλης δημιουργίας *rerum, inquam, partitionem diuina sorte sic factam, vt vnum quodque à singulari Vniuersitatis parente atque opifice conuenientem sibi statũ rationémque acceperit. Sed quid Fortuna significet Platoni, & an præclarè hac in parte philosophetur Proclus, dicemus suo loco: nunc enim satis constat (quicquid tandem significet* ἀγαθῇ τύχῃ*)* Platonem *tritum loquendi modum vsurpasse, quo vterentur ij qui optarent fœliciter aliquid sibi contingere. Sed iam siue Hermocrates siue Critias audiendus est, qui singulis singulas partes demandatas fuisse referens, quas mutuis disputationibus tuerentur, ad postremam proœmij partem descendit.*

Κει. Σκόπει δὴ τὴν τῶν ξενίων σοι διάθεσιν, ὦ Σώκρατες, ᾗ διέθεμεν. Ἔδοξε γὰρ ἡμῖν Τίμαιον μὲν, ἅτε ἀστρονομικώτατον ἡμῶν, καὶ περὶ φύσεως τοῦ παντὸς εἰδέναι μάλιστα, ἔργον πεποιημένον πρῶτον λέγειν ἀρχόμενον

Considera Socrates an cõmodè mutuum tibi conuiuium disposuerimus. Visum nobis est vt Timæus tanquam in Astronomia nostrum omnium peritissimus, maximeque in rerũ natura cognoscenda versatus, primus edisserat, ita ut a Mundi generatione exordiens, vsque ad generis humani naturam deueniat. Atque ego deinde suscipiens homines a Timæo quidem genitos, a Critia *verò vt plurimum institutos, secundùm* Solonis *sermonem legemque*

ἀπὸ

ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως, τελευτῆσαι δὲ εἰς ἀνθρώπων φύσιν. ἐμὲ δὲ μετὰ τοῦτον, ὡς παρὰ μὲν τούτου δεδεγμένον ἀνθρώποις τῷ λόγῳ γεγονότας, παρὰ σοῦ δὲ πεπαιδευμένοις διαφερόντως αὐτῶν τινας, κατὰ δὲ τὸν Σόλωνος λόγον τε καὶ νόμον εἰσαγαγόντα αὐτοὺς ὡς εἰς δικαστὰς ὑμᾶς, ποιῆσαι πολίτας τῆς πόλεως τῆσδε, ὡς ὄντας τοὺς τότε Ἀθηναίους, οὓς ἐμήνυσεν ἀφανεῖς ὄντας ἡ τῶν ἱερῶν γραμμάτων φήμη. τὰ λοιπὰ δὲ ὡς περὶ πολιτῶν καὶ Ἀθηναίων ὄντων ἤδη ποιεῖσθαι τοὺς λόγους.

in iudicium vestrum adducam, ciuitatisque istius ciues efficiam eos, qui prisci illi Athenienses fuerunt: quos iam extinctos sacræ Aegyptiorum literæ in lucem è tenebris eruerunt, adeò vt de illis deinceps tanquam de veteribus Atheniensibus verba fiant.

Nou. int.

CR. vide ergo Socrates, qua ratione animus sit tua illa hospitalia dona tibi compensari, visum enim est nobis operæpretium futurum ut Timæus nostrum omnium Astrologiæ peritissimus, atque rerum naturæ scientissimus, primùm dicat de NATVRA VNIVERSI deque ipsius generatione & ortu, denique de hominum NATVRA. Ego verò post hunc qui quidem homines ab illo acceptos ratione a natura præditos, à te verò exquisita quadam via institutos atque educatos, & è Solonis sermone & lege ad nos tanquam Iudices adductos, nostræ ciuitatis efficiam ciues: quippe quos priscos Athenienses, nobis verò incognitos, indicauit sacrarum literarum fama. Reliquum verò sermonem ad illius Reipublicæ constitutionem conformationemque iuuat impendere.

Benius.

CRI. Animaduerte Socrates qua dispositione mutuas tibi orationis epulas præbere cogitemus. Nam omnino faciendum iudicauimus, vt Timæus, quippe qui astrorum scientia nobis admodum antecellit, atque in Vniuersitatis natura contemplanda egregiè uersatus est, edisserat priore loco: idque ea ratione, vt a Mundi ortu ducat exordium: atque humanæ naturæ tractatione disputationem concludat. Tum uerò hos ipse homines excipiam, quorum ortum exposuerit Timæus, tu autem excellenter aliquos institueris: atque ita exceptos, secundùm Solonis sermonem Legemque ad vos, ueluti ad iudices adducam, quò ciues efficiantur huius ciuitatis, non secus atque illi ipsi Athenienses essent, quos dum in summa obscuritate versarentur, sacrarum literarum fama commonstrauit: sicque in posterum de ijs habebitur sermo, perinde ac si ciues sint, ijque Athenienses.

Comm. xx.

Hesterna die, vt iam sæpe diximus; Socratis socij quædam receperant tractanda, quæ deinde cum a Socrate discessissent, præstari posse censuerant argumento ex Solonis historia sumpto. Et idcirco hodie cum Socrate congressi, ei summatim narrãt historiam illam, quam deinde communi consensu indicant ac decernunt rei institutæ omnino esse accommodatam. Verùm aliud quoque (vt ex hoc loco intelligitur) statuerant: nimirum, vt antequam Critias hominem exprimeret strenuè belli officia tractantem (id enim postulabat Socrates) Timæus hominis naturam dicendo commonstraret: idque vel ab Vniuersitatis ortu ducens exordium. Vbi animaduertendum est diligẽter, hunc locum continere argumentum, œconomiam, nexum denique librorum de Republica, Timæi, Critiæ, & eius dialogi, qui sub Hermocratis persona desideratur. Nam cum Socrates quasi per fabulam (vt ipsemet dicebat) politiam finxißet hoc est voto, & sermone siue etiam inchoata quadam idea potiùs minimèque perfecta, quàm re ipsa; Timæus quasi homines ad illam traducendos suppeditare velit, de hominis ortu disputauit: simúlque vt antequã

deduce-

deducerentur ad eam, commodiùs atque perfectiùs instituerentur, vniuersam illorum naturã ingeniúmque patefecit: idque (vt significauimus antea) a primis Mundi incunabulis, rerúmque procreatione incipiens. Tum verò Critias atque Hermocrates eosdem homines, tum Socratis, tum Solonis institutis formatos, ad Socraticam Rempublicam moliebantur adducere: vt illius ciues efficerentur, non secus ac prisci illi Athenienses eßent, quos Aegyptiorum monumenta ueluti è tenebris in lucem reuocauerãt. Vt quamuis id non perfecerint, quòd Plato dum Critiam scriberet, diem obierit, satis tamen constet hos omnes dialogos pulcherrimo quodam nexu atque ordine esse coniunctos. Videtur autem hunc locum aliqua ex parte imitatus M. Tullius libro II. de Oratore, nam quemadmodum Timæus procreat hic hominem, ac socijs deinde illum tradit instituendum, atque ad Socratis Rempublicam traducendum, idque totum facit mutua omnium consensione; ita Antonius apud M. Tullium dum fingeret instituerétque Oratorem. Quamobrem (*aiebat*) si vos quoque hoc idem existimatis, non erit (vt opinor) iniqua partitio, si cum ego hunc oratorem quem nunc fingo, vt institui, crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Crasso & vestiendum & ornandũ. *Verùm, vt ad Platonẽ redeam, res quod attinet ad Hermocratis partes (atque ita, si quomodo potero, dubitationem illam explicabo, quam tertio libro in hunc locum reieci, dum de Timæi introductione disputans, haud compertum eße dicerem quid Hermocrati præstandum esset) atque adeò ad methodum & ordinem uniuersum, magnam habet dubitationem. Etenim si verba proposita ad Hermocrate pronunciarentur, res fortaße paulò clarior videretur: nam ipse Hermocrates ostenderet quid iam præstandum Timæo foret, quid Critiæ, ac quid sibimet tandem supereßet agendum, vt omnem Socratis cupiditatem expleret. Verùm græca exemplaria quotquot vidi (vidi autem Basiliense, Aldinum, & Serranianum, quæ etiam ne audacior uiderer in mea interpretatione secutus sum) Critiam præfixum habent: quod nimirum ipse omnino sit qui proferat hæc verba. Itaque si Critias est qui loquitur, nihil (quantum tamen literæ sententia suadere videtur) habet de Hermocrate: sed narrat solùm quid tradidisset Socrates, quæue deinde tum Timæo, tum sibi ipsi differenda forent. Sed quoniam id maximè ad ordinem atque œconomiam tot dialogorum, tantarúmque rerum pertinet, cui tandẽ verba hæc tribuemus? Profectò ex hac parte permagni intereſt tantam in his codicibus consensionem reperiri: cum præsertim Ficinus qui (vt mox dicam) alteri parti fauet, videatur mendosum codicẽ habuiße: nam licet vbi est* παρὰ τοῦ *legat* παρὰ Κριτίου, *quasi Hermocrates non Critias loquatur; in ipsa tamen verborum fronte Critiæ nomen legit, quasi Critias omnino verba faciat: quæ duo mirificè inter se pugnant. Et ideo Chalcidius inter Latinos, & Erizus cum Græco codice planè consentiunt. Nec repugnare videtur Proclus, nam cum hunc locum explicans diceret.* Διαφερόντως δέ τινές εἰσιν ὑπὸ Σωκράτους παιδευθέντες † ὁ δὴ πᾶσαν παιδεύσει τὴν πόλιν, ἀλλὰ τοὺς φύλακας καὶ ἐπικούρους. *hoc est*, excellenter autem quidam instituti sunt a Socrate: neque enim vniuersam instituit ciuitatem, sed custodes, auxiliariósque

Proposita particula, quoniã attinet ad œconomiã multorũ dialogorum atque introductionẽ tertio libro traditã, explicatur fusè.

An Hermocrati sint tribuẽda proposita uerba, an uerò Critiæ, obscurum.

Quæ suadent Critiæ esse tribuenda & quæ videatur huius loci sẽtentia si a Critia proferantur.

† οὐ γὰρ, reponendum puto pro ὁ δὴ, vel ὃ δὴ οὐ.

que milites : *ac paulò poſt ſubderet* , εἰσάγονται δὲ ὑπὸ τοῦ Κριτίου , κατὰ Σόλωνος νόμον τε, καὶ λόγον . *hoc eſt*, introducuntur autem a Critia ſecundùm Solonis legem atque ſermonem . *his verbis apertè docebat Critiam loqui non Hermoc ratem: nam in prioribus verbis ſine dubio declarat eam verborum partem* παρὰ σοῦ δὲ πεπαιδευμένους αὐτῆς τινάς, *éaque de Socrate vult enũciari non de Critia: in poſteribus verò ſignificat ea verba* . Ego verò ſecundùm Solonis ſermonem legémque in iudicium veſtrum adducam, *proferri ab ipſo Critia,non ab Hermocrate. Pro altera uerò parte illud primùm facit,quòd in hoc verborum contextu, quemadmodum in Ficini codice animaduertere eſt ; fit mentio Socratis, Timæi, & Critiæ, ac propterea Hermocrates vnus eſſe poteſt qui loquatur. Deinde idem Proclus Ficino videtur fauere : nam in eâdem commentariorum parte (contextus enim verba non deſcripſit) hæc inter cætera diſſerebat de ordine horum dialogorũ.*

Quæ ſuadeāt eſſe tribuēda Hermocrati , & quæ poſſit eſſe ſententia ſi illi tribuantur.

Βούλεται ἡ τάξις αὕτη, τὸν μὲν Τίμαιον ἄκρον ἅμα καὶ μέσον ποιεῖν . καὶ γὰρ μετὰ Σωκράτην λέγει καὶ Κριτίαν, καὶ πρὸ Κριτίου, καὶ πρὸ Ἑρμοκράτους. καὶ οὕτωσι μὲν μέσον . ἄλλως δὲ ἄκρον, κατά τε τὴν ἐπιστήμην, καὶ ὅτι γεννᾷ τοῖς ἀνθρώποις, οὓς τρέφει μὲν ὁ Σωκράτης, ὁπλίζει δὲ ὁ Κριτίας. *hoc eſt* . Poſtulat ipſe ordo Timæum & principem & medium obtinere locum in diſputando:etenim tum poſt Socratem dicit & Critiam: tum ante Critiã (*id verò euenit quia Critias bis diſputauit*) & Hermocratem:atque ita efficitur in dicẽdo medius;primus verò eſt alia ratione : propter ſcientiam nimirum, ac præterea etiã quòd hominibus ortũ tribuit,quos nutrit Socrates, armat Critias . *Vbi ſi ex hoc ipſo verborum contextu ordinem diſputationum colligit , & conſtare ex eo contendit Timæo non ſolùm ante Critiam , verùm etiam ante Hermocratem dicendum eſſe; id ſanè (ſi rectè locum expendas) nullo modo ex his verbis concludi poteſt,niſi Hermocratem loqui fateamur. Huc accedit quòd Socrates paſſim tres illos omnes ſe excepiſſe dicit : ab omnibus repoſcit mutuum diſputationis conuiuiũ : omnes ſignificat mutuas diſputationes fuiſse pollicitos ; ac demum Hermocratem non ſecus atque alios duos ſapientiæ laude commendat.quin ille Solonis ſermo Hermocrati etiam veluti rerum dicendarum ſeminarium proponitur: vt propterea dum omnium nomine dicitur hoc in loco.* Vide o Socrates,an mutuum tibi conuiuium diſpoſuerimus: *ſtatimque horum dialogorum ordo œconomiáque explicatur,hæc verba Hermocrati omnino ſint tribuenda,cum integer ac germanus iſtorum dialogorum nexus & argumentum colligi atque tot locorum conſenſus retineri poſſe non niſi hac ratione videatur . Et idcirco deinde ſub Atlantici initio,cum perorallet Timæus,Critias verò qui ſtatim dicturus erat,ſibi ignoſci peteret,ſi minùs exactè rei propoſitæ ſatisfaceret,Socrates inferebat.* Nihil obſtat,ò Critias, quominus id quod poſtulas tribuatur.Quin etiam Hermocrati hoc idem a nobis tertio datur: conſtat enim hunc paulò poſt,cum dicturus erit,éadem precaturum. Vt igitur aliter exordiatur, neque éadem cogatur repetere,ſciat ſibi ueniam eſſe tributam: & quaſi id conſtet,ad dicendũ protinus accingatur. *Quamobrem,ſi tãtum audeamus vt præfixam dicentis notam* Κρι. *in* Ερμ.

conuer-

conuertamus, ac dinde, vbi aliqui libri legunt παρὰ σοί, *cũ Ficino legamus* παρὰ Κριτίᾳ, *res fortaße magna cum methodi œconomiæque perſpicuitate, omniúmque locorum conſenſione componetur. Quod ſi contendas id licentiùs fieri (id enim nullo modo dubito) ſaltem ex allatis locis concedas neceſſe eſt Hermocratem debuiße poſtremo loco, nouáque ac ſeparata diſputatione diſſerere: nam idcirco etiam ſub* Atlantici *initio dicebat Critias.* O amice Hermocrates, quia poſtera tibi dies aſsignata eſt, dicentémque alium es ſecuturus, ideo confidis. *Et quoniam (vt iam ſæpe vidimus) ex eâdem Solonis hiſtoria tanquam ex rerum dicendarum ſeminario & argumento, tum Critiæ, tum Hermocratis manare debebat diſputatio, idque ut Socratis ſatisfieret poſtulatis, fatendum eſt etiam hunc quoque dialogum cum cæteris certo quodam ordine debuiſſe inſtitui, licet quid tandem foret in eo præſtandũ hactenus minimè conſtet. Nam dum ſcribit* Proclus συλλήπτωρ ἐστὶ ὁ Ἑρμοκράτης Κριτίᾳ τῶν λόγων, Critiæ adiutor eſt Hermocrates in ſermonibus, *dúmque ſeipſum explicans, ſubdit* ὁ μὲν Τίμαιος γεννᾷ τοὺς ἄνδρας, ὁ δὲ Σωκράτης παιδεύει, ὁ δὲ Κριτίας εἰς πράξεις προάγει, ὁ δὲ Ἑρμοκράτης εἰς λόγους, Generat homines Timæus, inſtituit Socrates, Critias ad res gerendas, Hermocrates ad res dicẽdas traducit, *id verò nec huius contextus verbis conſentit, nec aliunde (vt opinor) colligi poteſt. Etenim affirmabat quidem Socrates optare ſeſe aliquem audire, qui oſtenderet quomodo ſui illi ciues belli officia tam agendo quàm dicendo, hoc eſt, vt alibi expoſuimus, tum in ponendis caſtris, in prouocandis aut ſuſtinendis hoſtibus, in pugna denique ipſa, quàm in legationibus, pactis, cohortationibus, tuerentur: ſed cum haec ex nullo, ſiue Timæi, ſiue* Atlantici *loco, vel leuiter coijcere poſſimus diſtinctis diſputationibus fuiße peragenda, tantámque inter ſe coniunctionẽ habeant, vt vix videantur ſeparatis narrationibus exprimi poße, ridicula videtur huius muneris partitio. Cum præſertim vbi in Atlãtico aſſerebat Hermocrates.* Sermonẽ aggredere o Critias forti animo, atque antiquos ciues, excellentes viros, notos effice, ac laudibus illuſtrare: *id ſine dubio aßereret quòd vellet eũ dicendo patefacere ſummas virtutes, quas illi tam agendo quàm dicendo in eo bello demonſtrarant. Sed de Procli ſententia hac in re alia quaedam attingemus infra. Nunc enim difficilior ſeſe offert dubitatio. Nam quicquid ſit (inquies) de Hermocratis partibus, diſperſus nimis ac vagus videtur vniuerſus hic* Platonis *ordo, & ocioſi hominis ne dicam imprudentis. Nam quid cauſæ eße potuit, vt perfectam rerum gerendarum normam in politicis exprimere haud poſſet, niſi de hominis natura tam fusè ac ſubtiliter, & (vt dicam breui) phyſici more diſputaret; & (quod prodigioſum quodammodo eſt) a Mundi origine ordiretur, totámque huius naturam rationémque explicaret ac traderet? Proclus atque alij nonnulli qui omnem Critiæ ſermonem, qui tum in Timæo tum in Atlantico habetur, ad allegorias traducunt; facilè ſe ſe expedirent. Exiſtimarunt enim iſti (vt alias fusè expoſui) Critiæ ſermonem eorum referre ſpeciem quæ fiunt in hac Vniuerſitate: ſic vt Plato ſtudiosè his quaſi imaginibus ea omnia ſubindicarit, quæ deinde in dialogi progreſſu perſecutus*

Vnum interim ſtatuitur dum propoſita pendet cõtrouerſia.

Alterum quo quere felli tur quod in ea videbatur decerni poſſe ex Proclo.

Iã quicquid definiẽdũ ſit in dubitatione propoſita, quod definietur opportuniùs infra, dubitatur aduerſus Platonis methodũ & œconomiã in propoſitis dialogis.

Reſpõdetur ex Proclo & alijs quibuſdam qui etiã refelluntur.

est clariùs. Et hoc nomine aſſerebat Proclus Mundum tum in imaginibus, tum in exemplaribus conſiderari: ubi etiam ne exiſtimaremus ipſum de vnis Mundi, rerúmque naturalium Ideis loquutum eſſe, paſſim Atticam terram, Atlantis inſulam, Athenienſium Atlantinorúmque bellum, & huiuſmodi alia fecit Vniuerſitatis imagines. Quare ij facilè contenderent hæc inter ſe optimè cohærere: cùm Plato (ſiue hiſtoriæ locum habere ea uelit, ſiue nolit) omnem hanc Critiæ narrationem hoc conſilio cum Phyſiologia coniunxerit. Sed quanquam hæc Platonicorum iſtorum commenta multis uijs explodi poſſint, non tamen cunctabor in præſentia, quòd alibi oſtenderim meras nugas eſſe & ſomnia: ac Platonem nihil minùs quàm de ijs allegorijs cogitaſſe. Serranus itaque ea ratione viſus eſt hanc dubitationem tollere voluiſſe, quòd cum in Timæo de Mundi ortu, in Atlantico autem de antiquiſſimo rerum ſtatu rebùsque geſtis agatur, commodè nectantur atque cohæreant hæc omnia. In quam ſententiam longè antea diſceſſerat Marſilius, qui in Atlantici argumento, Non iniuria (*inquit*) poſt Timæum de Mũdi generatione legi vult Critiam de antiquitate Mundi. *Quod ſi vrgeas, quia eâdem, quam Timæo ſtatim ſuccedere voluit, Atlantinorum hiſtoria, Timæum iam anteuerterat, id (inquit) Serranus, factum eſt vt opportunior mollióque ad Naturæ tractationem aditus ſterneretur: ſic iſte. Qui ſanè, etſi ex vno eodémque fonte frigidam haurit & calidam, meliùs tamen quàm Græci. Quanquam an nodos planè ſoluerit, non ſatis uideo: nam præclarè fortaſſe oſtendit iſte commodè cecidiſſe, vt Plato res à priſcis illis viris geſtas aggrederetur, vbi tandem hominis Mundique explicaſſet ortum: præclarè etiam (vt cum eo liberaliter agam) docuit eundem ſermonem appoſitè (id quod Heſper cùm Solem aſſectatur præſtat egregiè) tum ſubſequi Timæum, tum anteuertere: ſed quàm prudenter atque ex diſciplinarum methodo orationem conuerterit ad Mũdi ortum phyſiologiámque omnem tam ſubtiliter ac fusè tradendam, dum politicos uiros inſtitueret (id enim præcipuè œconomiam turbat) non oſtenditur. Apud me itaque (vt aperiam quod ſentio) certum eſt Critiæ ſermones huc inuectos atque intruſos eſſe ad querelas compeſcendas in Socratis politiam excitatas: atque ad inſtituta illa, ſi quo modo fieri poſſet, a criminibus purganda. Hinc factum eſt, vt cum in Timæi exordio ſimulaſſet heſterna die politiam fuiſſe iteratam, ſtatimque etiam eiuſdem feciſſet epilogum, ex hoc rerum dicendarum duxerit argumentum, ſimúlque hunc Critiæ ſermonem quo vno notas illas delere contendit, in medium adduxerit: priſcos interim Athenienſes illos tanquam ab inferis excitans, qui conſimilibus atque ijſdem fermè inſtitutis ficti, virtutis atque rerum geſtarum gloria ſummopere floruiſſent. Atque hinc, quamuis videri vellet aliud agere, vēditabat Socratica inſtituta non monſtroſa eſſe atque* ἀδύνατα, *ſed re ipſa perfici poſſe, atque cum vtilitate ſimul & honeſtate eſſe coniuncta. Quanquam non ita cautè ſe geſſit, quin nouos quaſi ſcopulos offenderit in hac hiſtoria commentanda. Etiſcirco de his quoque anxius, cum alia quædam interponebat, quibus interim hiſtoriam illam redderet tolerabiliorem, tum ſe profitebatur hiſto-*

Authoris ſententia.

riam

riam illam deinde clariorem effecturũ, ac narraturum distinctiùs. Quod & tandem facere aggreßus est in Atlantico tanta verborum atque sententiarum grauitate ac copia, tot támque miris Atheniensium laudibus, tanto denique rerum omnium apparatu atque splendore, vt merito nobilis author Plutarchus hanc disputationem quam Plato inchoatam reliquerat, cum Iouis Olympici templo compararit, quod uel imperfectum omnium oculos caperet pulchritudine, atque admiratione compleret. Hinc etiam (opinor) dum ad querelas illas sedandas de huiusmodi historiæ summa tradenda cogitaret, non parum referre censuit si inter summam ipsam absolutámque eiusdem quam moliebatur narrationem, aliquid interponeret, quo interim erigeret legentis animum, & varietate occurreret satietati: cum præsertim dialogi officia decorúmque hoc pacto custodirentur rectiùs. Ob id igitur Timæum nobilem dialogum (hunc enim per idem tempus lucubrabat, vt ex Atlantici initio satis licet coniectare) delegit quem interponeret: & eiusdem quasi vestibulum esse voluit priorem Critiæ sermonem, hoc est illius historiæ summam: extremam verò illius partem cum posteriore illius sermone, hoc est cum latiore illius historiæ narratione coniunxit: omninóque efficere studuit, vt sicut Critiæ disputatio ex Socratis petitionibus ortum habuerat, sic Timæus ab Critiæ summa occasionem habere videretur: rursúsque Atlantico statim post Timæum opportunus esset locus; indéque Hermocrates clauderet ac terminaret Chorum illum pulcherrimum. Neque leuem omnino causam atque prætextum huic facto habere potuit: quòd nimirum plurimum referret eius ingenium atque adeò naturam vniuersam perspectam habere, quem ita informandum atque instituendum suscipiebat, vt omni virtutũ genere ornatũ eße cuperet, beatámque vitam tũ sibi, tum Reipublicæ comparare. Id autem nulla alia ratione videbatur cumulatè poße præstari, nisi ab ipsius hominis origine atque ortu duceretur contemplatio: sic ut cum ex Platonis sententia ortus procreationísque finem cum Mundo communem habeat, ab eâdem effectrici causa fluxerit, iisdémque fermè initiis constet, eiusdem membrum sit ac pars, éaque planè admirabilis atque illustris, immo Vniuersitatis epitome sit & veluti epilogus quidam; non temerè sed artificiosè ac scitè ab ipsius Mundi ortu videri possit incœpisse. Quamobrem dum scribit Plutarchus Atlanticum ingentibus vestibulis, septis, atque atriis fuiße à Platone circumuallatum, qualia nec scriptum vllum habuit, nec fabula nec Poëma, id verò temerè (quod tamen non contendit Plutarchus, qui tantùm vt desertam Solonis aream excoleret, id ei contigisse affirmat) factum esse concederem, si Timæus septi aut etiam vestibuli locum haberet solùm: sicque etiam affirmarem amplum Timæi atrium, quo inter alia nonnulla politicus epilogus, Atlanticæque historiæ summa continetur, immoderatum esse, si merum atrium esset: eodémque demum nomine Platonem in Timæo non modò altiùs, atque ab aliena re, verùm etiam monstrosè (si id quoque obiicias) exorsum esse admitterem, si iis omnibus quibus munitur aditus ad disputationem de Vniuersitate, nihil planè aliud efficere voluisset. Sed cum res omnino aliter se habeat, atque hæc omnia & præparationis,

rationis, & narrationis, reíque subiectæ locum sibi vendicent (id verò contingere iam antea, non vno in loco† ostendimus) nihil profectò est cur in ea aut Platonis consilium improbemus, aut eius iudicium atque prudentiam requiramus.

vide lib. 5. dec. 1.

Noua adhuc dubitatio proponitur contra Platonis methodũ & diluitur.

Sed rursus vrgeat fortasse quispiam quòd etsi rem hanc tam longè repeti potuisse obtineam, haud efficiatur tamen quominus Plato præpostero ordine vsus sit: primùm etenim de hominis ac (si ipsum rem ordiri iuuabat altiùs) de Mundi etiã ortu differere debuißet. Deinde verò de varia ipsius institutione: tum de certaminibus, rebúsque præclarè ab eo gestis, denique de beata vita per hæc comparata. Hæc, inquam, obijciat aliquis. Et profectò si authori nostro, statim atque ad politiam scribendam appulit animum, hoc consilium fuißet, vt horum dialogorum argumenta ex vno veluti fonte duceret, simúlque iungeret, nunquam (si me audias) hunc ordinem atque œconomiam seruaßet. Sed quoniam (vt dicebam) tragœdiæ illæ excitatæ sunt, cum iam politiam aliqua saltem ex parte vulgauerat, ipse dum de politia tuenda cogitat, consiliúmque proinde init de eius epilogo iterando, & inde qua exposuimus ratione, occasionem arripit, obiecta diluendi crimina, disciplinæ ordinem nonnihil permiscet ac turbat. Quanquam, vbi id occasio tulit, prætexere etiam potuit politicam horum virorum institutionem priùs fuiße a Socrate describendam, vt illis Respublica veluti regia ante ortum ipsum instrueretur: tum verò cum Timæi disputatione in lucem prodijßent, a Critia in priscos illos Athenienses ex Solonis sermone conuersi ad Socraticam Rempublicam deducerentur. Nam hoc esse videtur quod in proposita particula ait Critias. Animaduerte Socrates qua dispositione mutuas tibi orationis epulas præbere cogitemus. Etenim omnino faciendum esse iudicauimus, vt Timæus, quippe qui astrorum scientia nobis admodum antecellit, atque in Vniuersitatis natura contemplanda egregiè versatus est, disserat priore loco: idque ea ratione, vt a Mundi ortu ducat exordium: humanaéque naturæ tractatione disputationem concludat. Tum verò hos ipsos homines excipiam, quorum ortum exposuerit Timæus: tu autem excellẽter aliquos institueris: atque ita exceptos secundum Solonis sermonem legémque ad vos, veluti ad iudices adducam, quò ciues efficiantur huius ciuitatis: non secus atque illi ipsi Athenienses essent, quos dum in summa obscuritate versarentur, sacrarum literarum fama commonstrauit: sicque in posterum de ijs habebitur sermo perinde ac si ciues sint, ijque Athenienses. *Hæc noster Plato: qui fortasse ne quid ampliùs ex eo requireretur in horum dialogorum œconomia his extremis verbis.* In posterum autem *siue* in reliquis (*id enim & græca vox ferre potest, & nobis accideret commodiùs*) perinde ac si ciues sint, ijque Athenienses, habebitur sermo, *Hermocratis munus designauit, de quo fusè iam disseruimus antea: nimirum Hermocratem, postquam ea perfecisset Critias, exprimere debuisse quo pacto foret vt ij ciues pro institutionis* dignitate

Resumitur intermissa dubitatio quæ oriebatur circa argumentum Critiæ & Hermocratis tractandũ, & explicatur.

dignitate tam dicendo quàm agendo se gererent, dum aduersus aliquos suscepißent bellum: nam hoc flagitauit ab illis Socrates, statim atque epilogum expleuit politiæ: qui idcirco etiam paulò post vnum Hermocratem ac socios esse affirmabat qui appositè ad bellum possent instruere ciuitatem, sic ut quæ eam deceant, consequeretur omnia. Critias autem nihil aliud videtur contendisse historiæ illius narratione, nisi vt aditum aperiret his rebus: & ideo dicebat Hermocrates. Eam historiam Critias Socrati narres velim, vt dijudicet nunquid ad ea conducat quæ nobis imposuit. *Quamobrem Critias cum mox summatim narrasset eam, aiebat posse* ὥσπερ λόγον πρέποντα τοῖς βουλήμασιν ὑποθέσθαι, veluti accommodatum sermonem instituto subijci: *addebátque se socijs quoque illam narrasse, quò ipsis etiam suppeteret dicendi argumentum. Tandémque concludebat se paratum esse sigillatim ac distinctè narrare eam, simúlque priscos illos ciues in medium adducere.* Quocirca etiam rem (*aiebat*) communiter partientes, pro virili parte conabimur, vt quæ nobis imposuisti, pro dignitate constituantur. *Quamobrem Critias in Atlantico ad exitum minimè perducit id quod illi præstandum receperant, sed rem aggreditur, eóque etiam adducit, vt Hermocrates deinde illius vestigijs insistens, cumulatißimè posit eam complere. Et hoc est quod sibi voluit Plato in ipso Atlantico, vbi cum dixisset Hermocrates.* Sermonem aggredere ô Critias forti animo: atque antiquos ciues excellentes viros, claros effice ac notos, & illustrare laudibus. *Critias statim respondit,* O amice Hermocrates, quia postera tibi dies assignata est, dicentémque alium es secuturus, ideo confidis. *Vbi ad institutum munus explendum monet Hermocrati fuisse tributum dicendi locum ac tempus post Critiam: atque ad propositi contextus verba videtur spectare; sic vt verbis illis.* In reliquis perinde ac si ciues sint, ijque Athenienses habebitur sermo, *Hermocratis partes designentur. Quamobrem omnino est retinenda græca lectio, quam etiam secuti sumus cum caeteris omnibus, vno Marsilio aliqua ex parte excepto. Atque ex his omnibus tum exponi ac dilui possunt ea omnia quae attulimus pro lectione altera: tum facilè est intelligere falsam esse sententiam quam hoc in loco de horum dialogorum argumento atque œconomia habuit Proclus. Exposuit autem illam his verbis.* Ἀπορήσειε δ' ἄν τις τί ποτε τῷ Ἑρμοκράτει καὶ ὑπολείποιτο ἂν ἔργον, τοῦ μὲν Τιμαίου τὴν φύσιν τῶν ἀνδρῶν, τοῦ δὲ Σωκράτους τὴν τροφὴν, τοῦ δὲ Κριτίου τὰς πράξεις παραδεδωκότος. οὐδὲν γάρ ἐστι τούτοις ἐφεξῆς. ἢ συλλήπτωρ ἐστὶν ὁ Ἑρμοκράτης τῷ Κριτίᾳ τῶν λόγων. ἡ γὰρ τῆς ἱστορίας ἀφήγησις, τῶν τε πράξεων, ἦν καὶ τῶν λόγων. καὶ ὁ μὲν Κριτίας αὐτὸς, τῶν πράξεων ὑπέσχετο ποιήσεσθαι διέξοδον. παρεκάλεσε δὲ καὶ τὸν Ἑρμοκράτην πρὸς τὸ συνευπορεῖν ἐν τοῖς λόγοις. χαλεπὴ γὰρ ἡ τούτων μίμησις, ὡς εἴρηται πρότερον. διὸ καὶ ἐν τῷ Ἀτλαντικῷ τοὺς θεοὺς συναγαγὼν ὡς βουλευσόμενος περὶ τῆς τῶν Ἀτλαντίνων δίκης, ἔλεξε φησὶν ὁ Ζεὺς, ὧδε καὶ συνεπέρασεν τὴν συνουσίαν, ὡς τῷ Ἑρμοκράτει παραδιδοὺς τὴν μίμησιν τῶν λόγων. εἰ δὲ μηδὲ τοῖς λοιποῖς τῶν ἔργων ἐπεξῆλθεν, οὐδὲν ἄτοπον.

Tolluntur argumenta a principio allata contra lectionẽ græci codicis quam sequimur: & refellitur latiùs Proclus circa Platonis œconomiam.

κὸς. ὅλως γὰρ θεοὺς συναγαγὼν ἐπὶ τῷ σωφρονίσαι τὴν τῶν Ατλαντίνων ὕβριν, ἔχει καὶ τὰ ἑξῆς πάντα περιεχόμενα ἐν τούτῳ τὴν παρασκευὴν τῶν Αθηναίων, τὴν ἔξοδον, τὴν νίκην. διὸ καὶ ὁ μὲν Τίμαιος, γεννᾷ τοὺς ἄνδρας, ὁ δὲ Σωκράτης παιδεύει, ὁ δὲ Κριτίας εἰς πράξεις προάγει, ὁ δὲ Ἑρμοκράτης, εἰς λόγους. ὁ μὲν τὴν πατρικὴν αἰτίαν μιμούμενος, ὁ δὲ, τὴν τῆς μονίμου νοήσεως χορηγὸν, καὶ τῆς εἰς τὰ δεύτερα προόδου, ὁ δὲ τὴν τὰ ἔσχατα διὰ τῆς τῶν λόγων μιμήσεως ἐπιστρέφουσαν εἰς τὰς ἀρχάς. *hoc est.*
Dubitauerit verò quispiam quidnam Hermocrati præstandum superſit: ſi Timæus hominum ortum, Socrates educationem, Critias denique actiones dicendo complectatur. Nihil enim videtur his ſupereſſe. Sed Critiæ adiutor eſt Hermocrates in ſermonibus. Namque hiſtoriæ narratio tum in factis, tum in dictis verſari debet. Quare Critias factorum pollicitus eſt narrationem: cum interim hortaretur Hermocratem vt dictis nauaret operam: difficilis eſt enim horum imitatio, vt antea dictum eſt. Quapropter in Atlantico cùm Deos conuocaſſet veluti de Atlantinorum cauſa deliberaturus, dixit, inquit, Iupiter, sícque etiam concionem concluſit vt pote Hermocrati tradens dictorum imitationem. Quod ſi neque reliqua facta eſt perſecutus, nihil accidit indecens: cum enim Deos omnino conuocaſſet, ut Atlantinorum petulantiam moderaretur atque frœnaret, in hoc futura omnia continentur, instructio atque apparatus Athenienſium, expeditio, victoria Itaque Timæus generat homines: Socrares inſtituit: Critias ad facta traducit: ad dicta verò Hermocrates. primúſque paternā cauſam imitatur: alter ſtabilis intelligentiæ choragum: tertius motionis authorem etiam ad ſecunda progreſſum: poſtremus extrema per ſermonū imitationem ad initia conuertentia. *Hæc* Proclus: *qui plurima ſanè peccat: nam neque Hermocrates (id quod oſtendimus ſupra) eſt Critiæ adiutor in narrandis ſermonibus ad præclaros milites pertinentes: neque ullibi inuenitur Critiam promiſiſſe ſolam factorum narrationem: cum argumētum potiùs dederit, aditúmque aperuerit, unde Socratis ciuitas omnia belli officia tam dicendo quàm agendo exprimere poſſit: neque ullibi hortatus eſt Hermocratem Critias, ut dictis ipſe nauaret operam: nam in illis* Platonis *uerbis* τοῖς δὲ ἔλεγον αὐτὰ ταῦτα, ἵνα διαπορῶσι λόγων μετ᾽ ἐμοῦ, *quæ habentur nō multò ante (ad hæc enim uerba alludebat* Proclus: *& ideo ut commentum probaret ſuum illud* διαπορεῖν λόγον *conuertit* συνδιαπορεῖν τοῖς λόγοις *aliam reddens ſententiam) ſignificauit quidem Critias ſe illa narraſſe omnibus, ídque ut illi etiam haberent dicendi argumentum, mox autem unum Hermocratem hortatus eſt, ut omnem ſuam conferret curam ad ſermonū imitationē. Huc accedit, quòd dū ait hic* Proclus χαλεπὴ ἡ τούτων μίμησις, ὡς εἴρηται πρότερον difficilis eſt horum (*dicta intelligit*) imitatio, ut dictum eſt antea, *intuetur in ea* Platonis *uerba, quæ iandiu explicauimus,* † τὸ δ᾽ ἐκτὸς τῆς τροφῆς ἑκάστοις γιγνόμενον, χαλεπὸν μὲν ἔργοις, ἔτι δὲ χαλεπώτερον λόγοις διαμιμεῖσθαι, ſi quid uerò ab eorum educatione fuerit alienum, difficile eſt quidem re ipſa, difficilius autem uerbis, ut conuenit, imitari;

part. 15. huius lib.

† l. 6. par 32

tari; simúlque in sua quadam explicatione innititur, quam nos illi apertè satis (ni fallor) ostendimus esse falsam. Ac propterea etiam nihil ob Foxium addam. nam dum ait, Hermocratem illorum (ueterum nimirū Atheniensium) dicta & uerba colligere, bona fide Procli sententiam secutus, cum eodem deceptus est. Quanquam dum addit Dialecticam fuisse ab Hermocrate explicandam his dictis, quasi uerò Timæo Naturalis, Critiæ moralis, Hermocrati eius quæ disserendi subtilitate continetur seu rationalis, doctrinæ tradendæ munus obtigisset; id uerò neque ex Platone colligi ullo modo potest, & à Procli etiam sententia abhorret, qui historijs ea censuit cōtineri debere. Reliqua denique quæ hic habet Proclus, sunt planè commentitia: si quidem inter Accademicos satis constat Platonem morte præuentum Atlanticum perficere non potuisse: sed inchoatum reliquisse: & propterea dum in in fine illius partis quam confecit, Iouem in mediū Mundi thronum adduxit, qui iam iam aggreßurus erat concionem, ut de Atlantinis in ipso Deorum concilio deliberaret, non conclusit ibi Critias disputationem suam, ut sermonum fingendi munus Hermocrati traderet, quasi uerò non ipsius esset sermones exprimere, sed hoc mortis iniuria factum est totum. Quocirca etiam paterna illa causa, Choragi illi, & cætera huiusmodi, quæ huc intrudit, næniæ sunt ac nugæ.

Ex ijs quæ de generali propositorū dialogorum scopo & instituto dicta sunt, colliguntur quædā sigillatim de instituto Timæi.

Iam uerò quemadmodum ex propositis Critiæ uerbis uniuersam horum dialogorum materiam œconomiámque agnouimus, sic rursus propriam Timæi materiam & œconomiam quæ instituti nostri præcipuè interest; liceret intueri. Nam dum dicit Timæo sic esse disserendum, ut à Mundi ortu exordiens, usque ad humani generis naturam deueniat, uniuersum non modò Timæi argumentum atque institutum proponit, uerùm etiam ordinem & œconomiam; ita vt Vniuersitas siue Mundus subijciatur eius disputationi: haécque ita tractanda sit, vt à generalibus Mundi causis atque initijs sit incipiendum: indeque per species ac partes progreßus fiat ad indiuiduam vsque illius speciem, quæ est ipse homo. Sed quoniam hunc locum fusè satis examinauimus † cum de Timæi instituto ageremus, idcirco nihil est quamobrem ea repetamus. Atque hac etiam de causa nihil morabor in explicando cur factum sit, vt Timæo Vniuersitatis tractationem non ea solùm de causa tribuerit, quòd in Vniuersitatis natura contemplanda egregiè versatus eßet; verùm etiam quòd Astrorum scientia cæteris omnibus antecelleret. Id enim in eodem quoque loco disputauimus: vbi ipsius Platonis testimonio ostendimus Astronomiam id præcipuè vtilitatis attulisse hominibus, vt ea duce, vniuersum Naturæ ordinem Mundique rationem scrutati sint, atque ipsam Philosophiæ cognitionem sibi denique compararint. Nam cum veteres (vt in Timæi decursu apud Platonem videbimus) Solis, ac reliquorum astrorum progressiones, cœlestium orbium conuersiones atque ambitus, & cætera huiusmodi alia notassent, quorum admiratione tenebantur, Astrologiam primùm pepererunt: tum temporis motus, totiúsque naturæ, atque cœlestium mentium rationem peruestigantes, Philosophiam

† vide l. 4. & 5.

sophiam adepti sunt. Quare hoc in loco Timæum ἀστρονομικώτατον *appellat, affirmátque Vniuersitatis naturam egregiè perspectam habere, vt quæ adsu sceptas partes egregiè implendas requiri posse videbantur, excellenter in eo reperiri intelligamus. Ac propterea præpostere hoc in loco egit Proclus qui huiusmodi explicationem a Platone ipso in Timæo indicatam relinquens noua quædam sensa omnino a Platonis mente aliena protulit his verbis.*
Ἀστρονομικώτατος μὲν οὖν λέγεται νῦν ὁ Τίμαιος οὐχ ὡς τὰ τάχη τῶν κινήσεων ἐπεσκεμμένος, οὐδὲ ὡς μέτρα δρόμων Ἡελίου συναθροίσας, οὐδὲ τοῖς μοιραίοις ἔργοις ἐνδιατρίβων, ἀλλ᾽ ὡς οὐρανοῦ τε ὑπεραστρονομῶν κατὰ τὸν ἐν Θεαιτήτῳ κορυφαῖον καὶ τὰς ἀφανεῖς αἰτίας θεωρῶν, ἃ καὶ κυρίως ἐστὶν ἄστρα. διὸ καὶ ἄνθρωπον, οὐ τὸν φαινόμενον, ἀλλὰ τὸν ἐν λόγῳ καθαρῶς οὐσιωμένον ἀπέφηνεν ὁ Σωκράτης, καὶ ὡς τὸν † ὅλον δημιουργὸν ἀπομιμούμενος ἐν ᾧ καὶ οὐρανός ἐστι, καὶ τὰ ἄστρα πάντα νοερῶς, ὥσπερ φησὶν ὁ θεόλογος. Id est.
Nunc itaque Astronomiæ peritissimus dicitur Timæus, non vt qui motuum celeritates peruestigarit, aut mensuras cursuum Solis col legerit, vel in fatalibus operibus versatus sit, sed veluti cœlum trascendens, Coryphæi illius instar, de quo in Theæteto: obscurásque considerans causas, quæ præcipua quadam ratione sunt astra. Et idcirco Socrates haud aspectabilem hominem proposuit, sed in ratione purè fictum suaque donatum substantia, Vniuersitatis opificem imitatus, in quo & cœlum est, & astra omnia intelligibiliter, vt ait Theologus. *Hæc Proclus: qui vt dicebam, a Platone omnino recedit: nam & infra inducit Timæum qui etsi obiter, de astrorum cursu cœlestibusque conuersionibus agit: & horum cognitionem (quemadmodum significaui) testatur Philosophiæ aditum patefecisse. Vt interim omittam illummet Theæteti locum quem vsurpat hic Proclus, ipsius sententiam redarguere: nam Philosophiæ Choryphæū ac principem de quo loquitur, asserit (quamquam ironicè fortasse)* τά τε γᾶς ὑπένερθε καὶ τὰ ἐπίπεδα γεωμετροῦν, οὐρανοῦ τε ὕπερ ἀστρονομεῖν, *non modò ad cœlestia conscendere, uerùm etiam quæ in terra sunt & sub terra, dimetiri: immo* πᾶσαν πάντῃ φύσιν ἐρευνῶν, *naturam planè vniuersam scrutari. Sed pergamus.*

† ὅλων legendum puto.

Partic. XXI.

Σωκ. Τελέως τε καὶ λαμπρῶς ἔοικα ἀνταπολήψεσθαι τὴν τῶν λόγων ἑστίασιν. σὸν οὖν ἔργον λέγειν ἂν εἴη, ὦ Τίμαιε, τὸ μετὰ τοῦτο, ὡς ἔοικε, καλέσαντα κατὰ νόμον θεούς.

Soc. Copiosam & splendidam disputationis mensam apparauisse mihi videris. Tua ergo interest inuocatis secundum legem Dijs, disputationem iam exoriri. — Ficinus.

Soc. Splendidas planè & cumulatas epulas, quibus nos vicissim à te opiparè excitiamur, mihi quidem uideris instruxisse. Tuum ergo est Timæe, deinceps dicere, inuocatis primum pro legum more & instituto Dijs. — Nou. int.

Soc. Equidem mutuum disputationis conuiuium copiosè ac splendidè instrùctum mihi videor intueri. Quamobrem iam tuum erit Timæe, Dijs, vt decet, de more inuocatis, ad disputationem descendere. — Benius.

Com. XXI.

Piè quidem ac religiosè facit Socrates, qui precibus id quod alibi etiam præstat sæpe, diuinum auxiliū posci iubet, antequam propositum munus attingatur. Impiè ac flagitiose, dum non vnius, sed multorum Deorum mentionem intrudit. Verùm id fecit tritum suæ gentis morem sequutus potiùs ac poëtas, vt dialogi fert vsus, quoquo modo imitatus, quàm ex propria sen-

tentia,

tentia, alibi enim disertißimis verbis singularem statuit Deum. Quanquam illud quoque uerissimè affirmari potest tum de Platone, tum de alijs quibusdam Ethnicis: vnum summum Deum omnium rerum authorem ac principem censuisse: reliquos eo planè loco habuisse, quo nos siue beatas mentes siue illos habemus qui sanctissimè ex hac vita migrarunt. Sed de Socratis, Platonis, huiusmodique aliorum sententia, quod ad singularem Deum, atque eius nomina pertinet, cum multa diximus libro tertio, tum copiosiùs disputabimus in proxima †*decade. Nunc dum iubet Socrates, ut Deos* κατὰ νόμον *inuocet, id, si vim vocis spectemus, non facilè est statuere, siue lata lege fieri apud eos soleret, siue consuetudine quadam: cùm vox significare possit vtrunque. Sed si paulò attentiùs consideremus quæ mox subijciuntur verba, facilè suspicabimur id consuetudine potiùs quàm lege apud eos fuisse sancitum: & propterea ab alijs discedere non dubitaui de more, vertens: cum præsertim illud Pythagorae, quod a Proclo hic citatur,*

† lib. 2. & 3.

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς νόμῳ ὡς διάκειται Τίμα. *hoc est.*

Expertes primùm, ceu lex disponit, honora. Morte Deos,

nullo modo ostendat lege sancitũ fuisse, vt in cuiusque rei exordio Deus inuocaretur atque coleretur, (quod vna Christiana pietate monemur) sed Deũ in primis colendum esse: quod uel Pythagora ipso tacente, certissimum erat, atque omnia penè clamabant. Illud tamen omnino certum est Latinorum poëtarum institutum, quo in operum suorum exordijs diuinum auxilium inuocare solebant, apud Graecos non solùm Poëtis, verùm etiam Oratoribus & scriptoribus quoque alijs plurimis fuisse familiarissimum, vt ex sequenti particula patebit clariùs. Nam Timaeus vt primum haec Socratis monita audiuit, sic respondit.

Par. XXII.

Τίμ. Ἀλλ᾽ ὦ Σώκρατες τοῦτό γε δὴ πάντες ὅσοι καὶ κατὰ βραχὺ σωφροσύνης μετέχουσιν, ἐπὶ πάσῃ ὁρμῇ καὶ σμικροῦ, καὶ μεγάλου πράγματος θεὸν ἀεί που καλοῦσιν ἡμᾶς δὲ τοὺς περὶ παντὸς λόγους ποιεῖσθαί πῃ μέλλοντας, εἰ γέγονεν, ἢ καὶ ἀγενές ἐστιν (εἰ μὴ παντάπασι παραλλάττομεν) ἀνάγκη θεούς τε καὶ θεὰς ἐπικαλουμένους, εὔχεσθαι πάντας κατὰ νοῦν ἐκείνοις μὲν μάλιστα, ἑπομένως δὲ † ὑμῖν εἰπεῖν; καὶ τὰ μὲν περὶ θεῶν ταύτῃ παρακεκλήσθω. τὸ δὲ ἡμέτερον παρακλητέον, ᾗ ῥᾷστ᾽ ἂν ὑμᾶς μὲν μάθητε. ἐγὼ δὲ ᾗ δια-

† ἡμῖν *legũt aliqui: sed utram lectionem sequaris nihil interest.*

Ficinus.

Tim. Probè consulis Socrates. Nam cum omnes qui mentis quoquo modo compotes sunt, in operis cuiuslibet, vel magni uel parui principio inuocare Deum soleant; quanto nos æquius est, de Vniuerso siue genitum sit, siue ingenitum disputaturos (nisi forte desipimus) inuocare diuinam opem? Ergo Deos omnes, Deasque precemur, in primis quidem vt ea dicantur à nobis quæ illis placeant, deinde vt nobis ipsi constemus. Quantum ad Deos attinet, sic à nobis oratum sit. Sed quod ad nos spectat, poscendum est, vt & uos facilè assequamini: & ego secundùm mentis propositum rem ipsam qua de agitur transigam.

Nou. int.

Tim. *Atqui Socrates, omnes ij, qui vel tantillam mentis habent, quum aliquid, siue magnum, siue paruum aggrediuntur, semper solent Deum inuocare: quanto magis decet nos, de Vniuerso ipso, genitumne sit, an ingenitum, verba facturos, Deum inuocare, nisi omnino cæca dementia transuersi abducimur? Necesse est ergo Deos Deasque inuocare, & illos precari: vti ea primùm dicantur a nobis quæ ipsis sint grata: deinde, vt huiusmodi quæ aptis rationibus consentanea nobis etiam probari possint, & in illis certa quadam nobis constet sententia. Atque in hunc qui-*

ἢ διανοοῖμαι μάλιστ' ἂν περὶ τῶν προκειμένων ἐνδειξαίμην.

dem modum de dijs inuocandis cura a nobis geritor: illi vero nobis fauentes, & propitij ita annuant, vti & vos ea quæ a me dicenda sunt, facillime percipiatis. Ego uero sicuti animo, & cogitatione eam complexus sum, ita commodissimè vniuersam exponam atque demonstrem.

Tim. Si quidem Socrates, vel ij qui leuissimè sapiunt, sic se gerunt, vt Deũ, quicquid instituant, siue magnum illud sit, siue paruum, semper inuocent: nobis qui de Vniuersitate orta sit nec ne disputaturi sumus, necesse profectò erit, vt Deos Deasque omnes (nisi tamen desipimus) inuocantes precemur, ut de ea dicamus, quæ ipsis primùm, tum uerò uobis probentur. Atque ita Deos, quod ad ipsos attinet, oratos uelim. Nam quod ad nos pertinere uidetur, precandum est, ut uos facile intelligatis, ego uerò animi mei sensa, præsertim in rebus propositis, explicare ualeam. Benius.

Com. xxii.

Vtitur hoc in loco Timæus argumento a minori ad maius. nam, inquit, si vel ij qui leuissimè sapiunt, sic se gerunt, vt Deum, quicquid aggrediantur, siue paruum illud sit, siue magnum, semper precentur: nobis quibus disputandum est de Mundo ortus sit nec ne, omnino neceße erit, vt Deos Deásque omnes (nisi desipimus) inuocantes, precemur vt ea dicamus quæ ipsis primùm, tum uerò vobis probentur. Atque hunc in modum Deos, concludit, tum quod ad eos pertinet, oratos uelim: tum quod nostra interest, vt vos facilè intelligatis, ego verò animi mei sensa explicare valeam. Cur autem non Deos modò sed & Deas inuocet Timæus, explicat Proclus his verbis.

Πάντα τὰ πληρώματα τῶν θείων διακόσμων, ἡ τοῦ ἄῤῥενος καὶ θήλεος διαίρησις ἐν ἑαυτῇ συνείληφε. τὸ μὲν γὰρ μονίμου δυνάμεως αἴτιον καὶ ταυτότητος, καὶ τοῦ ὄντος χορηγὸν καὶ τῆς ἐπιστροφῆς τοῖς πᾶσι τὴν πρωτίστην ἀρχὴν ἀναδυσάμενον, ἐν τῷ ἄῤῥενι συνείληπται. τὸ δὲ προόδοις παντοίας, καὶ διακρίσεις καὶ ζωῆς μέτρα καὶ γονίμους δυνάμεις ἀφ' ἑαυτοῦ προϊέμενον ἐν τῷ θήλει περιέχεται. διὸ δὲ καὶ ὁ Τίμαιος εἰκότως ἐπὶ πάντας τοὺς θεοὺς ἑαυτὸν ἀναγαγὼν κατὰ τὴν εἰς τὰ γνωστὰ ταῦτα διαίρησιν, τὰς ὅλας αὐτῶν τάξεις περιέλαβεν. ἔστι δὲ καὶ πρὸς τὴν προκειμένην θεωρίαν ἡ τοιαύτη διαίρεσις οἰκειοτάτη. τὸ γὰρ πᾶν τόδε πλῆρές ἐστι τῶν διττῶν τούτων θείων γενῶν. ὅ, τε γὰρ οὐρανὸς πρὸς τὴν γῆν, ἵνα τὰ ἄκρα παραλάβωμεν. ἄῤῥενος ἔχει πρὸς θῆλυ τάξιν. διότι δὴ λόγους μὲν καὶ δυνάμεις ἑκάστοις ἐνδίδωσιν ἡ τοῦ οὐρανοῦ κίνησις. δεχομένη δὲ τὰς ἐκεῖθεν ἀποῤῥοίας ἡ γῆ, λοχεύει καὶ γεννᾷ ζῶα τε καὶ φυτὰ παντοῖα. καὶ τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν, οἱ μὲν κατὰ τὸ ἄῤῥεν, οἱ δὲ κατὰ τὸ θῆλυ διακρίνονται. καὶ δὴ καὶ τὴν γένεσιν ἀγεννήτως ἐπιτροπευόντων, οἱ μὲν τῆς ἑτέρας, οἱ δὲ τῆς λοιπῆς εἰσὶ συστοιχίας. ὅλως δὲ πολὺς μὲν ὁ δημιουργικὸς ἐν τῷ παντὶ χορὸς, πολλοὶ δὲ οἱ ὀχετοὶ τῆς ζωῆς, ὧν οἱ μὲν τοῦ ἄῤῥενος, οἱ δὲ τοῦ θήλεως ἐπιδείκνυνται τὴν μορφήν. τί δεῖ πολλὰ λέγειν; ἀπὸ γὰρ τῶν ἀπολύτων †ἐξάδων, τῆς τε ἀῤῥενωποῦ, καὶ τῆς θηλυπρεποῦς, ποικίλαι διακοσμήσεις καθήκουσιν εἰς τὸ πᾶν. εἰκότως ἄρα ὁ τοῦ παντὸς λόγους ποιεῖσθαι μέλλων, θεοὺς ἐπικαλεῖται καὶ θεάς· ἐφ' ὧν ἑκατέρων, συμπληροῦται τὸ πᾶν κατὰ νοῦν αὐτοῖς διαφερόντως τοῖς θεοῖς λεχθῆναι τὰ μέλλοντα λέγεσθαι.

† ἑνάδων omnino esset legendum.

hoc est. Plenitudines omnes diuinorum ordinum comprehendit in se ipsa maris fœminæque diuisio. siquidem causa firmæ virtutis & identitatis & eius quod est suppeditatrix largitrixque, & primo conuersionis principio induens omnia, in masculino comprehensa est. id verò quod progressus omnifarios & partitiones, & vitæ mensuras & fæcundas virtutes à seipso gignit, in fœmina continetur. Atque idcirco etiam Timæus sese ad Deos omnes per hanc rerum genitarum diuisionem conuertens, vniuersos eorum ordines complexus est.

eſt. ſed & huiuſmodi diuiſio eſt ſubiectæ contemplationi maximè accommodata & propria, quia hæc Vniuerſitas gemino hoc Deorum genere referta eſt. Cœlum enim ad terram, vt extrema accipiamus, eodem quo mas ad fœminam, ordine proportionéque reſpondet. ſiquidem cœli motus ſingulis rebus proprietates impertit ac vires. Contra verò terra cœleſtes defluxus ſuſcipiens, grauida fit, atque omnium generũ animalia plãtáſque gignit. Et ex Dijs qui ſunt in cœlo alij quidem per marem alij per fœminam diſtinguuntur: ac rerum ortus, cum ingeniti ipſi ſint, procreationéſque curantes, hi quidem huius, illi reliqui ordinis ſunt, omnino autem copioſus eſt in Vniuerſitate opificum chorus. multa quoque tanquam etiam canalia vitæ: quorum maris alia, alia fœminæ ſpeciẽ referunt ac formant. Quid multa? ab abſolutis † quæ ſiue maris ſiue fœminæ uim ac formam referunt, varij manant ordines in Vniuerſitatem. Iure itaque is cui de Vniuerſitate eſt diſputandum, Deos Deáſque, a quibus vtriſque completur hoc vniuerſum, inuocat, vt præcipuè ſecundùm eorum mentem ea quæ dicenda ſunt, dicantur. *Hæc commentatur, ac neſcio an alieno magis in loco quàm falsò commentatur, hîc Proclus: a quibus non valde diſſentiunt ea quæ multò poſt habuit dũ Platonicã qu..ndã eorum quæ ſunt partitionẽ explicaret: ſic enim diſſerebat.* Ἀλλὰ μὴν καὶ ἡ διάκρισις τῶν ὄντων καὶ γινομένων, ἀκόλουθός ἐστι τοῖς προειρημένοις. μετὰ γὰρ θεοὺς καὶ θεάς, καὶ τὴν ἄρρητον ἐκείνοις ἰδιότητα τῶν δύο τούτων γενῶν, ἡ τοῦ ὄντος καὶ τῆς γενέσεως χώραν ἔχει διάκρισις. τὸ μὲν γὰρ ὄν, οἰκεῖόν ἐστι πρὸς τὴν κρείττονα τῶν θείων τάξιν, ἀεὶ καὶ κατὰ ταυτὰ ἑστὸς, καὶ νοητὸν ὄν. ἡ δὲ γένεσις, πρὸς τὴν καταδεεστέραν. ἀφ' ἧς ὁ ἄπειρος πρόοδος, καὶ ἡ παντοία μεταβολὴ τὴν ὑπόστασιν κομίζεται. *Hoc eſt.* Atqui eorum etiam quæ ſunt ſiue etiam facta ſunt, diuiſio prædicta conſequitur. Poſt Deos enim & Deas & ineffabilem illorum ob hæc duo genera proprietatem, eius quod eſt & factum eſt diuiſio locum habet: id enim quod eſt, proprium eſt præſtantioris diuinorum ordinis cum ſemper & ſecundum éadem & intelligibile exiſtat. Generatio autem poſterioris, a quo infinitus progreſſus & omnigena permutatio exiſtentiam adducit. *Hæc rurſus iſte ad Deos Deáſque iſtas cum gemina Vniuerſitatis natura coniungenda. Quæ tamen omnia, quæcunque illa ſint, rideret, opinor, Plato, ſi audiret. Quis enim non videt gentis more, vt iam antea monebam, quod poëtis etiam vſitatum fuit, eo inuocationis implorationiſue genere vſum eſſe, et vt rei magnitudinem de qua erat agendum, magis ac magis poneret ante oculos? Quanquam neque idcirco excuſarim Platonem poëticis tam facilè in re grauiſſima vtentem, ac Deas iſtas cõminiſcentẽ: longiúſque illũ probarim quòd non multò poſt in hoc eodẽ libro, cũ noua quædã aggredi inſtitueret ac difficilia, vt attentionẽ ſimul inſtauraret, ac rei magnitudinẽ oſtẽderet, grauiſſima illa inuocatione ac nobili uſus eſt.* Θεὸν δὲ καὶ νῦν ἐπ' ἀρχῇ τῶν λεγομένων σωτῆρα ἐξ ἀτόπου καὶ ἀήθους διηγήσεως πρὸς τὸ τῶν εἰκότων δόγμα διασώζειν ἡμᾶς ἐπικαλεσάμενοι πάλιν ἀρχώμεθα λέγειν. *hoc eſt.* Deũ itaque rerũ dicendarũ ſeruatorẽ nũc etiã inuocemus, vt

† ἐξάδων eſt græcè quod eſt, ſenariorũ, ſed omnino reponendũ ἑνάδων unitatũ

quoniam in admirabili quadam & insueta narratione versamur, ad verisimilium doctrinam traducat incolumes: atque ita demum ad dicendum aggrediamur. *Sed & cur dicat Plato de Vniuersitate orta sit nec ne disputandum esse, cum tamen deinde non modò hanc quæstionem tractarit, uerùm etiam vniuersam Mundi naturam atque rationem tradiderit, explicauimus libro IV. vbi ostendimus id dixisse, quia id, præterquam quod eorum omnium vertex erat ac caput quæ disputari debebant, priore loco occurrebat inuestigandum. Et idcirco paulò post ait.* Vniuersum igitur hoc cœlum, siue Mundum, siue quo alio vocabulo gaudet, cognominemus. De quo primùm consideremus quod in quæstione de Vniuerso ante omnia inuestigari debet. Vtrum ne semper fuerit sine vllo generationis principio: an genitum sit ab aliquo principio sumens exordium. *His apertè seipsum explicat Plato. Poscit autem, vt non solùm sibi liceat commodè animi sententiam aperire, sed cæteris etiam illam percipere, vt intelligeremus rem magnis difficultatibus interclusam esse.* Eodémque *modo in sexto de Republica cum de Boni filio disputaret, qua in re acer requirebatur tum audientium, tum dicentis ingenium,* βουλοίμην *(aiebat)* ἐμέ τε δύνασθαι ἀποδοῦναι καὶ ὑμᾶς κομίσασθαι. Vellem & me rem explicare posse, & vos percipere.

Verùm hîc, dum Plato: Vniuersitatis disputationẽ aggressurus; ad diuinum auxiliũ confugit: atque eos laudat qui quicquid instituunt, precatione adhibita instituunt & aggrediuntur, Eurimachus Epicureus (si Proclo *† credimus) aduersus* Platonem *inuectus est: idque lepidè quidem in specie & acutè, ita vt Platonicos nonnihil torserit; sed tamen, si res attentiùs perpendatur, insulsè omnino & impudenter. Cum enim Deo omnem rerum adimeret curam, precationis vsum improbauit, atque* Platonem *hac ratione irrisit. Nam si in exordio, inquit, cuiusque rei, confugiendum est ad precationem, ac nihil nisi precatione auspice moliendum, precandum itaque erit antequam precationem aggrediamur: atque hoc pacto precatione precatio semper anteuertenda erit; in infinitum itaque precandum erit: atque hunc in modum id cuius gratia ad precationem primò confugimus, nunquam licebit aggredi. Conatus est autem Porphyrius huic dubitationi satisfacere:* Nam Proclus, *cũ Eriximachi dubitationẽ in medium attulisset, his verbis.*

† lib. 2. in Tim.

Ἀλλὰ πῶς φησὶν ὁ Ἐπικούρειος Εὐείμαχος οὐκ εἰς ἄπειρον προϊέμεν, εἰ ἐπὶ παντὸς ὁρμῇ καὶ σμικροῦ πράγματος δ᾽ εὐχῆς δεόμεθα. κἂν γὰρ δ᾽ εὐξώμεθα πάλιν ἄλλης δ᾽ εὐχῆς δεήσει, καὶ οὐδαμοῦ στησόμεθα. *statim subdebat.* λυτέον δὲ τὴν ἀπορίαν ὡς ὁ Πορφύριος, ὅτι οὐκ εἴρηται ἐπὶ παντὶ πράγματι δεῖν εὔχεσθαι, ἀλλ᾽ ἐπὶ παντὸς ὁρμῇ πράγματος. ἐπὶ πράγματι μὲν οὖν ὁρμῶμεν, ἐπὶ δὲ τὰς ὁρμὰς οὐχ ὁρμῶμεν ὥστε οὐκ ἐπ᾽ ἄπειρον ἡ ὁδός. *hoc est.* soluenda est autem dubitatio quemadmodum fecit Porphyrius. neque enim, inquit Porphyrius, dixit Plato oportere in qualibet re precari, sed in cuiusque rei aggressione atque exordio. etenim res ipsas cernimus quidem: aggressiones vero & exordia non cernimus. atque hoc pacto non erit progrediendum in infinitum. *Sic Porphyrius: & insulsè quidem (nisi magnopere fallor) ac perridiculè. cur enim in ijs quæ non cernimus precandum potiùs, quàm in his quæ cernimus?*

Denique cum nondum extent ea quorum causa precandum eße ait Plato (precari enim iubet cum aliquid instituimus & ad peragendum aggredimur) preces etiam (instabit Eriximachus) non cernuntur: & ideo preces adhuc precibus adhibendæ erunt. Sed vidit, opinor, Proclus huius futilitatem leuitatémque responsionis: & idcirco è vestigio subdebat.

Ἢ ἔτι μένει τὸ ἄπορον. καὶ γὰρ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ὁρμῶμεν ὥς τε καὶ ἐπὶ ταύτῃ δεήσει πάλιν ἀρχῆς, καὶ ἐπὶ ταύτης αὖθις ὁρμῇ εἰς ἄπειρον. κάλλιον οὖν λέγειν ὅτι ὁ περὶ ὁτουοῦν τῶν πραγμάτων ἀρχόμενος, ὑπὲρ αὐτοῦ τούτου πρότερον ὁμολογήσει τοῖς θεοῖς, ὅτι δύναμιν ἔλαχε παρ' αὐτῶν τῆς πρὸς αὐτοὺς ἐπιστροφῆς, καὶ ὅτι τοῖς μὲν ἄλλοις πράγμασι τὸ ἀγαθὸν διὰ τὴν ἀρχὴν προσγίγνετ' αὖ, τῇ δὲ ἀρχῇ δι' ἑαυτήν. οὐδὲν οὖν ἄλλης ἀρχῆς δεήσεται ἐν ἑαυτῇ τὸ ἀγαθὸν συλλαβοῦσα, καὶ τὴν πρὸς τὸ θεῖον παρέχουσα κοινονίαν.

hoc est. Vel etiam manet adhuc dubitatio: siquidem cum precem etiam aggrediamur & ordiamur; ad hanc etiam prece aggrediendum erit: ac rursus in huius aggreßione alia precatione opus erit: atque hac ratione in infinitum erit abeundum. pulchriùs itaque si respondeamus eum qui qualibet in re preces fundit, hac eadem in re Dijs priùs confitendum, & se ab illis hanc ipsam facultatem accepisse per quam ad eos precandos conuertitur: & cæteris quidem rebus bonum precatione comparari: precationi verò per precationem ipsam. non itaque alia precatione egebit, cum hæc in se ipsa bonum comprehendat, ac nos cum diuinitate ipsa coniungat. *Sic Proclus. ac verè profectò quod attinet ad precis obsecrationisque uim: verissimè enim dicitur hanc ipsam obsecrandi atque deprecandi facultatem diuina nobis beneficentia tribui. rectè etiam bonum per precationem (quamuis alijs quoque vijs non est quod negemus) comparari. Veruntamen a Proclo rursus sciscitabitur Epicureus iste, cur si in cuiuslibet rei initio ad deprecationem recurrendum sit, non ei quoque hoc sit faciendum qui priùs Deo confiteri instituit se hanc ipsam precandi facultatem a Deo accepiße? An non hoc quoque est rem aliquam eámque grauissimam aggredi? Denique si non neceße est vt ad deprecationem deprecatione præmißa accedamus, quia deprecatio ipsa habet in se bonum, igitur cum pium aliud opus aut æquum aggredimur, nihil erit cur precatione illud anteuertamus: potuit itaque Timæus iustissimè precationem relinquere, qui rem æquam ac bonam, cuiusmodi est veritatis inquisitio, aggrederetur. Denique alia permulta sunt quæ nobis cum Deo communicationem præbent, vt iustitiæ, temperantiæ, pietatis opera: quæ tamen sentit Plato prece auspicanda. non itaque ideo ad precē sine prece accedendum erit, quòd per hanc cum Deo cōmunicemus. Respondeo itaque dictum illud Timæi non ita pensandum esse vt mathematica in eo acribologia sit requirenda: sed potiùs, quoniam in dialogi apparatu versamur, in quo a communi loquendi vsu minimè est recedendum; vulgata atque in medio posita loquendi ratio spectanda atque retinenda est. Quapropter dum eos probat Plato, qui quicquid instituunt & aggrediuntur, prece adhibita instituūt & aggrediuntur, id vsitato ac trito more modóque intelligit: vsitatus autē mos habet vt non ad precationē precatione auspice aggrediamur, sed ad cætera: præsertim ad res serias, quæque non Natura omnino du-*

ce, sed

lib. 2. in Tim.

ce, sed electione geruntur atque consilio. quod si etiam perinde atque orationi procemio aditum aperire solet orator, accommodata aliqua & perbreui precatiuncula, quasi prooemio quodam auspicemur, non est in more positum vt hanc rursus precatione altera anteuertamus & muniamus: quemadmodum nec procemium procemio munit & anteuertit orator. quare nil verendum ne in precibus in infinitum progrediendum sit. Sed ipsam Timæi precationem expendamus, de qua Proclus quidem, πρὶν δὲ *(inquit)* ἅψηται τῆς ὅλης πραγματείας, ἐπὶ θεῶν παρακλήσεις καὶ εὐχὰς τρέπεται, μιμούμενος καὶ ταύτῃ τὸν τοῦ παντὸς ποιητήν, ὃς πρὸ τῆς ὅλης δημιουργίας, εἴς τε τὸ χρηστήριον εἰσιέναι λέγεται τῆς νυκτὸς κἀκεῖθεν πληροῦσθαι τῶν θείων νοήσεων, καὶ τὰς τῆς δημιουργίας ἀρχὰς ὑποδέχεσθαι, καὶ ἀπορίας εἰ θέμις εἰπεῖν ἁπάσας διαλύειν. καὶ δὴ καὶ τὸν πατέρα παρακαλεῖν εἰς τὴν τῆς δημιουργίας σύλληψιν, πρὸς μὲν τὴν νύκτα παρὰ τῷ θεολόγῳ πεποίηται λέγων.

De precatione rursus ex quorundã Platonicorũ sententia, nimirum Procli.

Μαῖα θεῶν ὑπάτη νὺξ ἄμβροτε πῶς τάδε φράζεις.
Πῶς χρή μ' ἀθανάτων ἀρχὴν κρατερόφρονα θέσθαι.

καὶ ἀκούει παρ' αὐτῆς.

Αἰθέρι πάντα πέριξ ἀφάτῳ λαβὲ τῷ δ' ἐνὶ μέσσῳ
Οὐρανόν.

καὶ περὶ πάσης ἑξῆς ἀναδιδάσκεται τῆς κοσμοποιΐας.

hoc est. Priusquam verò rem attingat ad Deos inuocandos ac precandos se conuertit: imitans hac quoque in re Vniuersitatis opificem, qui ante eius molitionem oraculum Noctis dicitur ingredi: ibique repleri diuinis cogitationibus & intelligentijs: & Mundanæ fabricationis suscipere initia, omnésque (si dicere fas est) dubitationes diluere. Ac sanè quidem patrem quoque accire ad mundanæ molitionis comprehensionem: qui ad Noctem ipsam a Theologo inducitur hæc habens verba.

Qui mortem nescis nutrix suprema Deorum
Nox, mihi quà iuuat, edicas primordia, certus
Vt memorem quænam sint immortalibus almis.

Et ab ipsa Nocte responsum accepit.

Aethere cuncta patent immensis vndíque campis
Quæ spectas cœli.

Atque ita deinceps de vniuersa Mundi constitutione docetur. *Quo in loco quoniam Christiani viri est ex Ethnicorum scriptis (id quod sancti viri docent) parsa veritatis semina colligere, reliqua negligere ac repudiare; obseruandum est quàm apertam Proclus atque Orpheus (Orphei namque sunt illa carmina) patris ac filij mentionem faciat: quàm clarè doceat filium Vniuersitatis parentem fuisse vnà cum patre: quàm dilucidè* θείων νοήσεων *diuinis intelligentijs plenum faciat ipsum, &* τὰς τῆς δημιουργίας ἀρχὰς *Mundanæ fabricationis initia, quæ Ideæ sunt, habuisse. Quæ omnia (vt suo loco ostendemus) egregiè cum Christiana veritate consentiunt. Illud tamen ab ea discedit, & repudiandum est, quo affirmat Vniuersitatis parentem ante eius molitionem* εἰς τὸ τῆς Νυκτὸς χρηστήριον *ad Noctis aditum atque adeò oraculum ingressum esse, ibique & accepisse Ideas, & omnem discussisse dubitationem. Nam rerum & Ideas & perfectissimam cognitionem ab omni æter-*

æternitate habet Mundi author. Quanquam id poëticè dicitur, atque humano more: quod ipsemet Proclus satis indicauit: cum enim diceret Mundi parentem in eo oraculo omnem deposuiße dubitationem addidit, εἰ θέμις εἰπεῖν, *si dicere fas est, illud significans humano more dici; cum alioquin ab omni æternitate rerum cognitionem & Idas accepißet filius. Sed respuenda sunt omni ferè ex parte illa quibus statim idem Proclus, partim ex Orpheo, partim ex seipso subdit,* πρὸς δὲ τὸν Κρόνον πάλιν μετὰ τοὺς δεσμοὺς μόνον οὐκ εὐχόμενος φασίν.

Ὄρθου δ' ἡμετέρην γενεὴν ἀρίδεικετε δαῖμον.

καὶ διὰ πάντων τῶν ἐχομένων τὴν τοῦ πατρὸς εὐμένειαν προκαλούμενος, καὶ πῶς γὰρ ἄλλως ἔμελλε θεῶν πάντα πληρώσειν, καὶ τῷ αὐτοζώῳ αὐτομοιώσειν τὸ αἰσθητόν, ἢ πρὸς τὰς ἀφανεῖς αἰτίας τῶν ὅλων ἀνατεινόμενος. ἀφ' ὧν αὐτὸς πεπληρωμένος ἔμελλεν ἀποκραδίης προφέρειν πάλιν θέσκελα ἔργα. *hoc est.* Ad Saturnum quoque rursus se conuertit post vincula (*compages opinor Vniuersitatis intelligit*) sine precibus asserens.

Excita iam nostram sobolem iustissime Dæmon.

Sicque per omnia quæ deinceps sequuntur, Patris gratiam & beneuolentiam inuitat ac prouocat, quomodo enim alia via diuinis numinibus repleturus erat omnia, & ei qui per se est animanti aspectabile animal simile reddere, nisi ad occultas omnium rerum causas intendens mentem, per quæ omnibus cogitationibus ipse repletus, ex suis præcordijs editurus erat denuo in lucem admirabilia & diuina opera? *Hæc, inquam, non omnino probari debent: nam quod ad Dæmonem istum pertinet, & ad diuina illa numina (de astris enim præcipuè loquitur) & ad Mundum præterea, quem, siue sub aspectum cadat, siue Ideis contineatur, vult esse animal, etsi Platoni consentire non dubito, Ethnicorum tamen propria sunt, nec videntur omni ex parte traduci poße ad bona fruges. His itaque docet Proclus Platonem quippe qui de Mundo disputaturus erat, ad preces confugientem, summum Mundi opificem imitatum eße. Atque per hanc precationum occasionem, quas tantopere extollit Plato, Platonici fusissimè ipsi quoque dißerunt de precatione: ac multa sanè præclarè tradunt, quaéque meritò in Ethnicis admirabilia videri possint. Ac propterea nō grauabor horum quoque verba subijcere, eadémque latinè exprimere: statimque etiam ne forte aliquid minus purum hauriamus, si quid tale occurrerit, indicabo. Ergo Proclus ad hanc Platonicorum disputationem de precatione aditum patefecit primùm his verbis.* Δεῖ δὴ οὖν πρὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων περὶ εὐχῆς ἡμᾶς τι γνῶναι σαφὲς τίς τε ἡ οὐσία αὐτῆς καὶ τίς ἡ τελειότης, καὶ πόθεν ἐνδέδοται ταῖς ψυχαῖς, *idest.* Operæpretium itaque est ante omnia nos de precatione aliquid perspicui intelligere: quæ sit nimirum substantia ipsius, quæ perfectio, & vnde animis ingenita sit. *Tum verò Porphyrij sententiam referre cœpit, subdens.* Ὁ μὲν γὰρ Πορφύριος διεξιόμενος, τίνες μὲν τῶν παλαιῶν προσήκαντο τὴν εὐχήν, τίνες δὲ οὔ, περιάγει μὲν ἡμᾶς ἐπ' ἄλλας καὶ ἄλλας δόξας λέγων, ὡς συλλήβδην εἰπεῖν, ὡς οὔτε οἱ τὴν πρώτην ἀθεότητα νοσοῦντες προσποιοῦνται τὴν ἀπὸ τῆς εὐχῆς ὠφέλειαν, οἵ γε μηδὲ εἶναι λέγοντες θεούς, οὔτε οἱ τὴν δευτέραν ὅσοι τὴν πρόνοιαν [illegible] ἀνατρέπουσι θεοὺς

Porphyrij.

μὲν

μὲν διδόντες προνοεῖν δὲ μὴ οἰόμενοι· οὔθ' οἱ καὶ εἶναι μὲν καὶ προνοεῖν αὐτοὺς συγχωροῦντες ἅπαντα δὲ ἀπ' αὐτῶν ἐξ ἀνάγκης γίγνεσθαι. τῶν γὰρ ἐνδεχομένων καὶ ἄλλως γίνεσθαι. ὄντων ἀναιρεῖται τὸ τῆς εὐχῆς ὄφελος. ὅσοι δὲ καὶ εἶναι καὶ προνοεῖν φασὶν αὐτοὺς καὶ πολλὰς τῶν γιγνομένων ἐνδέχεσθαι καὶ ἄλλως ἔχειν, οὗτοι καὶ τὰς εὐχὰς εἰκότως παραδέχονται καὶ τὸν βίον ἡμῶν ἀνορθοῦν ὁμολογοῦσι. *Id est*. Namque Porphyrius differens quinam ex veteribus probarint precationem; quiue exploſerint, nos per alias atque alias opiniones deduxit, his verbis, vt ſummatim dicam. Neque enim ij qui primo impietatis genere laborant, quidpiam commodi ſibi vendicant a precatione, cúm ne Deos quidem eſſe arbitrentur: neque qui in ſecundo genere verſantur, cum prouidentiam funditus euertant; nam etſi fatentur Deos, negant tamen eos rebus conſulere. nec quicunque & Deos eſſe, & Mundo proſpicere exiſtimant: omnia tamen volunt ab ipſis neceſsitate fieri: ex rebus enim quæ contingũt, & aliter fieri poſſunt, capitur precationis vtilitas. Quicunque verò & Deos eſſe dicunt, & prouidere, & multa eorũ quæ fiũt poſſe cõtingere, alitérque ſe habere; hi quidem viri preces approbant: Deósque vitã noſtrã corrigere atque in tuto ſiſtere confitentur. *His præclarè quidẽ* Porphyrius *rem ex ipſius initijs ac fundamentis perueſtigans, docuit quinã vel exploſerint, vel admiſerint precationes. Statim, uerò rationes attulit ob quas vtendũ ſit illis, nã intulit* Proclus Καὶ δὴ προστίθησιν ὅτι τῶν σπουδαίων ἡ εὐχὴ μάλιστα προσήκει. διότι συναφὴ πρὸς τὸ θεῖόν ἐστι. τῷ δὲ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον συνάπτεσθαι φιλεῖ. τοῖς δὲ θεοῖς ὁ σπουδαῖος ὁμοιότατος. καὶ διότι ἐν φρουρᾷ ὄντες οἱ τῆς ἀρετῆς ἀντεχόμενοι, καὶ ὑπὸ τοῦ σώματος ὡς δεσμωτηρίῳ συνειλημμένοι, δεῖσθαι τῶν θεῶν ὀφείλουσι περὶ τῆς ἐντεῦθεν μεταστάσεως. καὶ ὅτι ὡς παῖδας ἀπὸ πατέρων ἀποσπασθέντας, εὔχεσθαι προσήκει περὶ τῆς πρὸς τοὺς ἀληθινοὺς ἡμῶν πατέρας τοὺς θεοὺς ἐπανόδου. καὶ ὅτι ἀπάτορές τινες ἅμα καὶ ἀμήτορες ἐοίκασιν εἶναι, οἱ μὴ ἀξιοῦντες εὔχεσθαι μηδ' ἐπιστρέφειν, εἰς τοὺς κρείττονας. καὶ ὅτι ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν οἱ σοφίᾳ διενεγκόντες περὶ εὐχὰς ἐσπούδασαν, Ἰνδῶν μὲν Βραχμᾶνες, Μάγοι δὲ Περσῶν, Ἑλλήνων δὲ οἱ θεολογικώτατοι, οἳ καὶ τελετὰς κατεστήσαντο καὶ μυστήρια. Χαλδαῖοι δὲ καὶ τὸ ἄλλο θεῖον ἐθεράπευσαν, καὶ αὐτὴν τὴν θεῶν ἀρετὴν † θεῶν εἰπόντες ἐσεβάσθησαν πολλοῦ δέοντες διὰ τὴν ἀρετὴν ὑπερφρονεῖν τῆς ἱερᾶς θρησκείας. καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις, ὅτι μέρος ὄντας τοῦ παντὸς δεῖσθαι προσήκει τοῦ παντός. παντὶ γὰρ ἡ πρὸς τὸ ὅλον ἐπιστροφὴ παρέχεται τὴν σωτηρίαν. εἴτε οὖν ἀρετὴν ἔχεις, παρακλητέον σοι τὸ τὴν ὅλην ἀρετὴν προειληφός. τὸ γὰρ πᾶν ἀγαθὸν αἴτιον ἔσται καὶ σοὶ τοῦ ἀγαθοῦ τοῦ σοὶ προσήκοντος. εἴτε σωματικόν τι ζητεῖς ἀγαθὸν, ἔστιν ἡ παντὸς σώματος ἐν τῷ κόσμῳ συνεκτικὴ δύναμις ἐκεῖθεν οὖν ἐφήκειν ἀνάγκη καὶ τοῖς μέρεσι τὸ τέλειον. ταύτην μὲν ὁ Πορφύριος, ὡς συντόμως εἰπεῖν. *hoc eſt*. Atque his adiungit viris probis ac frugi precationem maximè conuenire, propterea quòd nos cum diuino numine coniungit: ſimile namque ſimili amat copulari: Dijs verò probus vir quamſimillimus eſt. ſed & ob eam quoque cauſam quòd uiri virtutis cõpotes in cuſtodia poſiti, & a corpore veluti carcere quodam concluſi ſunt, Deos precari debent vt hinc migrare ipſis liceat. Huc accedit quod tanquam filij ſumus a gremio parentis auulſi: vt propterea ob id etiã precationibus petere debeamus vt ad Deos veros parentes noſtros reuerti poſsimus. Quid quod ij qui preces ad Deos habendas eſſe negant, animúmque prohibent

† θεῶν hic videtur abundare: vel potius locus obſcurus eſt, aut etiã mẽdoſus.

ad Deos,hoc eſt ad præſtantiores adiungere,eorum inſtar eſſe videẽtur qui parentibus orbati ſunt? Denique omnes gentes quæ ſapientia floruerunt,diuinis precibus operam dederunt: apud Indos Brachmanes,Magi apud Perſas,apud Græcos quoque ij qui Theologiæ ſcientia præſtiterũt:nã idcirco ſacrificia & myſteria inſtituere. Chaldæi quoque cũ reliquam Diuinitatẽ omnem coluerunt, tum ipſam Deorum virtutem venerati ſunt. Deam interim illam facientes:tantum abeſt vt propter virtutem qua ornati erant,ſacrum cultum cõtempſerint. Quanquam neque illud eſt omittendum,quòd cũ pars ſimus huius Vniuerſitatis, conſentaneum eſt vt eadem egeamus: vnicuique enim ad Vniuerſitatem conuerſio ſalutem affert. Siue igitur uirtutem habes,abſte inuocandum eſt numen quod in ſe virtutem vniuerſam priùs eſt complexum: bonum enim vniuerſum, tibi quoque cauſa erit boni quod tibi conuenit. Sique corporeum aliquod bonum quæris, eſt in Mundo uis atque potentia quæ corpus cõtinet vniuerſum. Inde igitur perfectio ad partes quoque pertineat neceſſe eſt. Hæc quidem Porphyrius,vt dicam breui. *Sic Proclus ex Porphyrio. Vbi niſi multorum Deorum mentionem feciſſet iſte, atque ad eorum quoque ſententiam quodammodo alludere viſus eſſet, qui noſtros animos è cœlo in hoc corpus tanquam in carcerem delapſos, Mundúmque præterea diuinum animal eſſe iudicarunt, nihil profectò haberemus quod ſuſpiciendum non eſſet. Quanquam hæc Platoni potiùs accepta ſunt referenda, qui mira quadã fœlicitate de huiuſmodi rebus philoſophatus eſt, quàm Ethnico iſti qui alioquin a uera pietate ſic receſſit, vt Euſebio, Methodio, & Apollinari multa volumina ſcribenda fuerint ad compeſcendam eius audaciam & impietatẽ. Sed ad Iamblichũ ueniamus, qui cũ* Porphyriũ *(quanquã iniuria hac in parte) notaſſet, vt refert Proclus his verbis·* ὁ δέ γε Ἰάμβλιχος ταύτην τὴν ἱστορίαν οὐδὲν ἡγεῖται προσήκειν ἐν τοῖς προκειμένοις. οὐ γὰρ περὶ ἀθέων ἀνθρώπων ὁ λόγος τῷ Πλάτωνι νῦν, ἀλλὰ περὶ σωφρονούντων καὶ θεοῖς προσομιλεῖν δυναμένων. οὐδὲ περὶ ἀμφισβητούντων περὶ τὰ ἔργα τῆς ὁσιότητος, ἀλλὰ περὶ τῶν σώζεσθαι βουλομένων ὑπὸ τῶν τὰ ὅλα σωζόντων † παραδίδωσι τήν τε δύναμιν τῆς εὐχῆς καὶ τὴν τελειότητα θαυμαστήν τινα καὶ ὑπερφυῆ, καὶ πᾶσαν ὑπεραίρουσαν ἐλπίδα. *hoc eſt.* Iamblichus verò huiuſmodi hiſtoriã nihil pertinere exiſtimat ad inſtitutũ: neque enim Plato hoc tẽpore de ijs loquitur, qui Deũ eſſe minimè cẽſent: ſed de prudẽtibus viris, quique cũ Dijs ipſis quodãmodo verſari poſſunt. neque rurſus de his qui dubitãt de operibus pietatis & ſanctitatis: ſed de ijs qui ſe conſeruari volũt ab ijs quorũ eſt omnia conſeruare: ac tradere vim precationis & admirabilẽ quandã perfectionẽ, quæ nõ modò naturam, ſed ſpem omnem atque cogitationem excedit; *ſtatim rem altiùs aggreſſus, praeclara ſanè myſteria protulit, quæque ex intimis ſacræ Theologiae fontibus hauſta potiùs dixeris, quàm vnis Naturae viribus comparata. ſic enim ſtatim intulit Ethnicus iſte.*

Προσήκει δὲ ἡμᾶς ἐπὶ τὸ συνηθέστερον τοῖς ἀκούουσι καὶ γνωριμώτερον τὸν λόγον μετάγοντας, τήν τε ἐκείνου σαφῆ ποιῆσαι διάνοιαν, καὶ τῷ Πλάτωνι συμφώνους ἀποδοῦναι τοὺς περὶ εὐχῆς λόγους. ἀρκτέον οὖν ἐντεῦθεν. πάντα τὰ ὄντα θεῶν ἐστὶν ἔκγονα, καὶ παράγεται

Iamblichus.

† puto legendum παραδιδόασι, vel certè παραδιδόναι

ὑπ' αὐτῶν ἀμέσως πάντα καὶ ἱδρύεται ἐν αὐτοῖς. οὐ γὰρ μόνον ἡ κατὰ συνέχειαν τῶν πραγ-
μάτων ἐπιτελεῖται πρόοδος ἀεὶ τῶν ἑξῆς ἀπὸ τῶν προσεχῶν αἰτίων ὑφισταμένων, ἀλλὰ
καὶ αὐτόθεν ἐστὶ τῶν θεῶν ἐστιν, ὅτι γεννᾶται τὰ πάντα κἂν πορρωτάτω τῶν θεῶν εἶναι λέ-
γηται, κἂν αὐτὴν εἴποις τὴν ὕλην. οὐδενὸς γὰρ ἀφέστηκε τὸ θεῖον, ἀλλὰ πᾶσιν ἐξ ἴσου πάρε-
στιν. διὸ κἂν τὰ ἔσχατα λάβῃς, καὶ τούτοις τὸ θεῖον παρὸν εὑρήσεις, ἔστι γὰρ πανταχοῦ τὸ
ἓν καθ' ὃ τῶν ὄντων ἕκαστον ἐκ θεῶν ὑφέστηκεν. προελθόντα δὲ πάντα ἐκ θεῶν, οὐκ ἐξε-
λήλυθεν ἀπ' αὐτῶν, ἀλλ' ἐνερρίζωται ἐν αὐτοῖς. ποῦ γὰρ ἂν καὶ ἐξέλθῃ πάντα τῶν θεῶν πε-
ριειληφότων, καὶ προκατειληφότων καὶ ἐν αὐτοῖς ἐχόντων. τὸ γὰρ ἐπέκεινα τῶν θεῶν, τὸ
μηδαμῶς ὄν ἐστι. πάντα δὲ τὰ ὄντα κύκλῳ περιείληπται, ὑπὸ τῶν θεῶν καὶ ἐν αὐτοῖς ἐστι.
θαυμαστὸν οὖν τινα τρόπον καὶ προῆλθε πάντα, καὶ οὐ προῆλθεν. οὐ γὰρ ἀπεσπάσθη τῶν θεῶν, οὐδ'
ἂν ἀποσπασθέντα εἶναι δύναται. διότι καὶ πάντα τὰ ἔκγονα τῶν πατέρων ἀποσπώμενα
πρὸς τὴν ἀχάνειαν εὐθὺς ὑποτρέχει τοῦ μὴ ὄντος. ἀλλ' ἵδρυταί πως ἐν αὐτοῖς καὶ ὡς τὸ ὅ-
λον εἰπεῖν, ἑαυτοῖς μὲν προελήλυθε, μένει δὲ τοῖς θεοῖς. ἐπεὶ δὲ προελθόντα καὶ ἐπιστρέ-
φειν ἔδει, μιμούμενα τὴν τῶν θεῶν ἔκβασίν τε, καὶ εἰς τὸ αἴτιον στροφήν, ἵνα κατὰ τὴν τὴν
τελεσιουργὸν τριάδα, καὶ ταῦτα διατεταγμένα, πάλιν ὑπὸ τῶν θεῶν περιέχηται, καὶ τῶν
πρωτίστων ἑνάδων, δευτέραν τινὰ δέχεται παρ' αὐτῶν τελειότητα καθ' ἣν
ἐπιστρέφειν δύναται πρὸς τὴν ἀγαθότητα τῶν θεῶν, ὅπως ἂν ἐρριζωμένα τὴν ἀρχὴν
ἐν θεοῖς διὰ τῆς ἐπιστροφῆς, αὖθις ἐν αὐτοῖς ὑφιδρύηται, κύκλον τινὰ τοῦτον ἀπὸ θεῶν τε
ἀρχόμενον, καὶ εἰς θεοὺς λήγοντα ποιούμενα. πάντ' οὖν καὶ μένει καὶ ἐπιστρέφει πρὸς τοὺς θεοὺς
ταύτην λαβόντα παρ' αὐτῶν τὴν δύναμιν καὶ διττὰ συνθήματα κατ' οὐσίαν ὑποδεξά-
μενα. τὰ μὲν ὅπως ἐκεῖ μένῃ, τὰ δὲ ὅπως ἂν ἐπιστρέφῃ προελθόντα, καὶ ταῦτα οὐκ ἐν ψυ-
χαῖς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἑπομένοις ἀψύχοις πάρεστι θεωρεῖν. τί γὰρ ἄλλο ἐστὶ τὸ καὶ ταύ-
ταις τὴν συμπάθειαν πρὸς ἄλλας καὶ ἄλλας δυνάμεις ἐναπεργαζόμενον, καὶ τὸ σύμβολα
παρὰ τῆς φύσεως εἰληχέναι, τὰ μὲν πρὸς ἄλλην, τὰ δὲ πρὸς ἄλλην οἰκειοῦντα θεῶν
σειράν. ἄνωθεν γὰρ καὶ ἀπ' αὐτῶν ἐξηρτημένη τῶν θεῶν ἡ φύσις, καὶ διανενεμημένη
πρὸς τὰς τῶν θεῶν τάξεις ἐντίθησι καὶ τοῖς σώμασι τῆς πρὸς θεοὺς αὐτῶν οἰκειότητος
συνθήματα. τοῖς μὲν, ἡλιακά, τοῖς δὲ, σεληνιακά, τοῖς δὲ, ἄλλου τινὸς θεῶν. καὶ ἐπιστρέφει
καὶ ταῦτα πρὸς θεούς, τὰ μὲν ὡς πρὸς θεοὺς ἁπλῶς, τὰ δὲ, ὡς πρὸς τούσδε τοὺς θεούς, τελεώ-
σασα τὰ ἑαυτῆς γεννήματα, κατ' ἄλλην καὶ ἄλλην ἰδιότητα θεῶν. ταῦτα οὖν πολλῷ πρό-
τερον καὶ ὁ δημιουργὸς ψυχὰς ἐνήργησε, τοῦ τε μένειν αὐτοῖς καὶ τοῦ ἐπιστρέφειν συνθήμα-
τα δούς. καὶ κατὰ μὲν τὸ ἓν ἱδρύσας αὐτάς, κατὰ δὲ τὸν νοῦν τὴν ἐπιστροφὴν αὐταῖς καταχαρισά-
μενος. *hoc est.* Conuenit autẽ nos traducto sermone ad id quod auditoribus est magis familiare atque domesticũ, & eius sententiã planam facere, & ea de precatione dicere, quæ Platoni maximè consentiant. Hinc igitur ordiendũ est. Quæcunque sunt, a Dijs ortum habent ac sine medio ab ipsis producũtur, in ijsdémque innituntur atque firmantur. neque enim solùm per continuationẽ quandã perficitur progressio rerum quæ semper deinceps a permanentibus caussis existunt & cohærent: sed etiam iam inde est a Dijs vnde omnia gignuntur: quanquam ab illis longissimè dicuntur abesse; idque licet materiam ipsam dixeris. a nulla enim re abest numen diuinũ: sed omnibus rebus æqualiter adest. Quamobrem tametsi vltima accipias, in his quoque diuinum numen inuenies: vbique enim est vnum, quatenus ea quæ sunt, singula a Dijs naturam & cohærentiam accipiunt. Vbi verò omnia sunt a Dijs progressa, ab ipsis Dijs non sunt digressa: sed in ipsis inhærent radicitus, quò nam enim egredi vellent atque recedere, cum omnia Dij complexu suo teneant ac com-

complectantur, & a primordio tenuerint, & in se ipsis habeant? quod enim extra Deorum numen posueris, nullo pacto est. omnia verò quæ sunt circulo quodam comprehensa, tenentur a Dijs, & sunt in ipsis. Admirabiliter itaque ab illis & egressa sunt omnia, & non egressa: neque enim auulsa sunt a Dijs, neque auulsa esse possunt: (quæcunque enim orta sunt, à suis auulsa parentibus, statim recurrunt ad patentem immensitatem eius quod non est) sed firmantur quodammodo in ipsis, & vt omnino dicam, sibi ipsa progressa sunt: in Dijs autẽ consistunt & permanent. Quoniam verò progressa cum sint, conuerti ipsa oportet & regredi & imitari Deorum egressum & conuersionem ad causam suam, vt secundùm Triadem cuncta perficientem, etiam hæc disposita, rursus a Dijs primísque vnitatibus contineantur; secundam quandam ab ipsis perfectionem accipiunt per quam sese conuertere possint ad bonitatem deorum: vt posteaquam sui initij radices in Dijs egerint, per conuersionem denuo in ipsis inhaereant: ac quendam ueluti circulum effigant, qui a Dijs incipiat, & in ijsdem terminetur. Omnia igitur & manent, & ad Deum sese conuertunt: quippe quæ ab ipsis hanc virtutem acceperint: & gemina signa nacta sint secundùm substantiam: hæc quidẽ vt ibi maneant, altera verò vt progressa se conuertant: & hæc non modò in animis, verùm etiam in reliquis quæ animo carent, facilè est contemplari: nam quid aliud est id quod etiam hisce conuenientiam cum alijs virtutibus ingenerauit? quídue symbola notásque a natura sorte accepisse, quarum partim cum hac cathena seriéque Deorum contrahit familiaritatem, partim cum illa? desuper enim ab ipsis quoque Dijs Natura pendens, & Deorum distributa ordinibus, corporibus quoque imprimit notas atque signa familiaritatis, quæ sibi cum Dijs intercedit. his quidem Solis notæ, alijs verò Lunæ, alijs alicuius aliorum Deorum: atque hæc quidem ad sua se conuertunt numina: alia quidem veluti ad Deos simpliciter: alia verò tanquam ad hos singulares Deos, sícque natura suos perficit fœtus secundùm aliam atque aliam proprietatem Deorum. Hæc igitur multò priùs Mundi author impressit in animis ut notas haberent, quibus & in seipsis permanere, rursúsque sese conuertere possent. Ex altera quidem parte tribuens ipsis firmitatem: ex altera (qua scilicet intelligunt) vim largiens conuersionis. *Hæc Iamblichus in vniuersùm de rerum progressione ac conseruatione a Deo, déque earundem ad ipsum reuersione. Vbi valde suspicor ex Dionysio Areopagita (id quod in plurimis fecisse* Proclum *deprehendi) sumpsisse multa: ac præsertim dum a Trinitate quam* τελεσιουργὸν τριάδα *appellat, omnia manasse contendit, & eadẽ non posse nisi* πρὸς τὴν μὴ ὄντος ἀχάνειαν δεῖν ὑποτρέχει *ad patentem nihili (vt ita dicam) immensitatem reuerti, si a Deo auellantur. Vt si in Deorum mentionem (præsertim vbi de Sole astrísque Platonico more loquitur) non incidißet, nihil fortasse offendas*

quod non iure optimo admireris. Sed eundem rursus audiamus, qui vt ad illud conuersionis genus descendat, quod fit per diuinam precationem, priùs disserit de ipsius precationis vi atque vtilitate, idque his verbis. Πρὸς δὲ τὴν ἐπιστροφὴν ταύτην ἡ εὐχὴ μεγίστην παρέχεται συντέλειαν. συμβόλοις ἀῤῥήτοις τῶν ψυχῶν ὁ πατὴρ ἐνέσπειρεν αὐταῖς, τῶν θεῶν τὴν εὐποιΐαν ἕλκουσα εἰς ἑαυτήν, ἑνοῦσα μὲν τοὺς εὐχομένους ἐκείνοις πρὸς οὓς εὔχονται συνάπτουσα δὲ καὶ τὸν τῶν θεῶν νοῦν, πρὸς τοὺς τῶν εὐχομένων λόγους. κινοῦσα δὲ τὴν βούλησιν τῶν τελείως τὰ ἀγαθὰ περιεχόντων, τῶν ἐν ἑαυτοῖς ἐπὶ τὴν ἄφθονον αὐτῶν μετάδοσιν πειθοῦς τε οὖσα τῆς θείας δημιουργὸς, καὶ ὅλα τὰ ἡμέτερα τοῖς θεοῖς ἐνιδρύουσα. *id est.* Atque ad hanc conuersionem precatio magnam affert vtilitatem; nam arcanis illis Deorum notis, quas in animos horum pater disseminauit, ipsorum Deorum conciliat beneficentiam: eos qui precantur cum ijs vnit ad quos preces fundunt: Deorum mentem cum sermonibus copulat deprecantium: voluntatésque mouet eorum qui perfectè continent bona, vt quæ in se ipsis habent, abundè nobis impertiant, & vt persuadeamus, efficit: demúmque quæcunque habemus, Dijs munit ac firmat. *Hæc de vtilitate ac vi precum. Iam verò ea persequitur, quæ ad perfectam precationem pertinere arbitratur, ac quinque veluti gradus proponit quibus cõuertitur animus atque cum Deo vnitur. nã sic ait.* ἡγεῖται δὲ τῆς τελέας, καὶ ὄντως οὔσης εὐχῆς πρῶτον ἡ γνῶσις τῶν θείων τάξεων πασῶν. αἷς πρόσεισιν ὁ εὐχόμενος. οὐ γὰρ ἂν οἰκείως προσέλθοι μὴ τὰς ἰδιότητας αὐτῶν ἐγνωκώς. διὸ καὶ τὸ λόγιον, τὴν πυριθαλπῆ ἔννοιαν πρωτίστην ἔχειν τάξιν ἐν τῇ ἱερᾷ θρησκείᾳ παρεκελεύσατο. δευτέρα δὲ μετὰ ταύτης, ἡ οἰκείωσις κατὰ τὴν πρὸς τὸ θεῖον ὁμοίωσιν ἡμῶν τῆς συμπάσης καθαρότητος, ἁγνείας, παιδείας, τάξεως· δι᾽ ἧς τὰ ἡμέτερα προσάγονται τοῖς θεοῖς, ἕλκοντες τὴν ἀπ᾽ αὐτῶν εὐμένειαν. καὶ τὰς ψυχὰς ἡμῶν ὑποκατακλίνοντες αὐτοῖς. τρίτη δὲ ἡ συναφὴ, καθ᾽ ἣν ἐφαπτόμεθα τῆς θείας οὐσίας τῷ ἀκροτάτῳ τῆς ψυχῆς. καὶ συνδόμεν πρὸς αὐτήν. ἐπὶ δὲ ταύταις ἡ ἐμπέλασις, οὕτω γὰρ αὐτὴν καλεῖ τὸ λόγιον, τῷ πυρὶ γὰρ βροτὸς ἐμπελάσας θεόθεν φάος ἕξει. μείζω τὴν κοινωνίαν ἡμῖν παρεχομένη καὶ τρανεστέραν τὴν μετουσίαν τοῦ τῶν θεῶν φωτός. τελευταία δὲ ἡ ἕνωσις αὐτῷ τῷ ἑνὶ τῶν θεῶν, τὸ ἓν τῆς ψυχῆς ἐνιδρύουσα, καὶ μίαν ἐνέργειαν ἡμῶν τε ποιοῦσα, καὶ τῶν θείων. καθ᾽ ἣν οὐδὲ ἑαυτῶν ἐσμὲν, ἀλλὰ τῶν θεῶν, ἐν τῷ θείῳ φωτὶ μένοντες, καὶ ὑπ᾽ αὐτοῦ κύκλῳ περιεχόμενοι. *hoc est.* Requiritur autem ad perfectam ac veram precationem primùm cognitio omnium diuinorum ordinum ad quos accedit qui precatur. neque enim aptè accedat quispiam, nisi proprietates ipsorum perspexerit: & idcirco etiam oraculum monebat igne calentem notitiam ac mentem primum obtinere ordinem in sacra veneratione: deinde verò requiritur conformatio vitæ nostræ cum diuina: ídque cum omni munditia, castimonia, disciplina, & ordine; Sic enim dum nostra offeruntur Dijs, ij ad beneficentiam prouocantur, nostríque animi subijciuntur illis. Tertiò est necessaria contrectatio quædam, vnde diuinam substantiam sublimiore animi parte attingimus, atque ad illam contrahimur ac vergimus. Sed & adhuc requiritur accessio atque inhæsio (sic enim appellat eam oraculum, dum ait, Inhærens igni mortalis, lumen habebit Diuinum cœlo) vnde maiorem ac clariorem diuinæ lucis partem capimus. Extremo loco succedit vnio, quæ cum ipso vno Deorum fit, animi vnitatem restituens ac firmans, & nostram actionem vnam

cum

cum diuinis efficiens: sicut neque nostri ipsi sumus, sed Deorum, in diuina luce manentes, & ipsa penitus circunfusi. *Hinc transit ad declarandum quis sit finis precationis, quídue tandem præstet si ritè perficiatur: addit qualis quibúsque virtutibus communiti accedere debeamus ad eam: atque alia huiusmodi tradit multa, quorum aliqua vix naturæ lumine videntur attingi potuisse. Sunt autem hæc eius verba.* Καὶ τοῦτο πέρας ἐστὶ τὸ ἄριστον τῆς ἀληθινῆς εὐχῆς, ἵνα συνάψῃ τὴν ἐπιστροφὴν τῇ μονῇ, καὶ πᾶν τὸ προελθὸν ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν ἑνὸς, αὖθις ἐνιδρύσῃ τῷ ἑνί. καὶ τὸ ἐν ἡμῖν φῶς, τῷ τῶν θεῶν φωτὶ περιλάβῃ. οὐκ ἄρα σμικρόν τι μόριόν ἐστι ἡ εὐχὴ τῆς ὅλης ἀνόδου τῶν ψυχῶν, οὐδὲ ὁ ἀρετὴν ἔχων, ἀπροσδεής ἐστι τῶν ἀπὸ τῆς εὐχῆς προσγιγνομένων ἀγαθῶν. ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον ἡ ἄνοδος δι᾽ αὐτῆς ἐπιτελεῖται. καὶ μετὰ ταύτης καὶ τὸ κεφάλαιον τῆς ἀρετῆς, ἡ περὶ θεοὺς ἐστὶν ὁσιότης. ὅλως δὲ ἄλλον εὔχεσθαι οὐ προσήκει, ἢ τὸν ἀγαθὸν διαφερόντως, ὥς φησιν ὁ Ἀθηναῖος ξένος. τοῦτο γὰρ ἀνυσιμώτατον γίγνεται πρὸς τὸν εὐδαίμονα βίον, τὸ προσομιλεῖν θεοῖς. τοῖς κακοῖς τἀναντία τούτων πέφυκεν. μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι, οὐ θεμιτόν. δεῖ δὴ οὖν τὸν γνησίως ἀντιληψόμενοι τῆς εὐχῆς ἵλεώς τε ποιεῖσθαι τοὺς θεοὺς, καὶ ἀνεγείρειν ἐν ἑαυτῷ τὰς περὶ θεῶν ἐννοίας. τὸ γὰρ προσηνὲς τῶν κρειττόνων, προτρεπτικόν ἐστιν ὁρμητήριον τῆς μετουσίας αὐτῶν. καὶ χρὴ ἀδιαλείπτως ἔχεσθαι τῆς περὶ τὸ θεῖον θρησκείας.

Δηθύνοντι γὰρ βροτῷ κραιπνοὶ μάκαρες τελέθουσι.

καὶ τὴν τάξιν τῶν θείων ἔργων φυλάττειν ἀσάλευτον, ἀρετάς τε ἀπὸ τῆς γενέσεως καθαρτικὰς, καὶ ἀναγωγοὺς προβεβλῆσθαι, καὶ πίστιν, καὶ ἀλήθειαν, καὶ ἔρωτα. ταύτην ἐκείνην τὴν τριάδα καὶ ἐλπίδα τῶν ἀγαθῶν, ἄτρεπτόν τε ὑποδοχὴν τοῦ θείου φωτός, καὶ ἔκστασιν ἀπὸ πάντων τῶν ἄλλων ἐπιτηδευμάτων, ἵνα μόνος τις τῷ μόνῳ συνῇ. κἂν μετὰ πλήθους τῷ ἑνὶ συνάπτειν ἑαυτὸν ἐγχειρῇ. πᾶν γὰρ τοὐναντίον ὁ τοιοῦτος δρᾷ καὶ ἀφίστησιν ἑαυτὸν τῶν θεῶν. ὡς γὰρ μὴ θέμις μετὰ τοῦ μὴ ὄντος τῷ ὄντι προσομιλεῖν, οὕτως οὐδὲ μετὰ πλήθους τῷ ἑνὶ συνάπτεσθαι δύναται. ἃ μὲν οὖν περὶ εὐχῆς εἰδέναι δεῖ τὰ πρῶτα, τοιαῦτα ἄττα ἐστὶν, ὅτι οὐσία μὲν αὐτῆς ἡ συναγωγὸς καὶ συνδετικὴ τῶν ψυχῶν πρὸς τοὺς θεούς. μᾶλλον δὲ πάντων τῶν δευτέρων ἑνοποιὸς πρὸς τὰ πρότερα. πάντα γὰρ εὔχεται πλὴν τοῦ πρώτου, φησὶν ὁ μέγας Θεόδωρος. *hoc est*. Et hic est optimus precationis finis, vt animi conuersionem cum permansione coniungat: & quicquid proficiscitur ab vno Deorum, rursus in vno stabiliat: atque lucem quæ est in nobis, Deorum lumine circunfundat. Non leuiter itaque opitulatur precatio nostris animis dum ascendunt in cœlum: neque qui virtute preditus est, bonis idcirco non eget quæ a precatione dimanant, sed è contrario prorsus contingit: nam precatio nostri non modò ascensus, & reuersionis est causa, verumetiam pietatem in Deum, hoc est virtutis caput, sibi habet adiunctam. Nec sanè (vt semel dicam) alius precari debet, nisi qui bonitate excellit: quemadmodum monet hospes Atheniensis: huic enim dum per preces Deorum consuetudine fruitur, expedita ac facilis via paratur ad beatam vitam. Malis verò contra succedit: neque enim fas est ab impuro purum attingi. Oportet igitur eum

qui

qui generosè aggreditur precationem, propitios sibi reddere Deos: atque in se ipso diuinas notiones, & intelligentias excitare: consuetudo enim ac fauor meliorum maximum est incitamentum, vnde sese illi nobis communicent: atque operæ pretium est sine intermissione in Deorum veneratione insistere.

Mortali oranti constanter, adesse Beati
Namque solent celeres.

& stabilem diuinorum operum ordinem custodire: virtutésque ab ortu purgantes, quæque ad superna attolunt, proferre, vnà cum fide, veritate & amore: hanc ipsam triadem & spem bonorum, immutabilémque preceptionem diuinæ lucis, segregationémque ab omnibus alijs studijs: vt quisque solus cum solo Deo consuetudinem habeat: neque cum multitudine vni seipsum iungere aggrediatur, nam is omnino præpostere se gerit: séque disociat a Dijs: vt enim non licet per id quod non est sese aliquem ei qui est copulare: sic neque fieri potest vt cum multitudine sese vni adiungat. Quæ quidem igitur in precatione videri prima oportet, talia quædam sunt: nimirum ipsius substantiam perducere atque associare animos Dijs: atque adeò omnes inferiores cum prioribus coniungere & copulare. Omnia enim precantur præter primum magnus (inquit) Theodorus. *His adhuc addit permulta verè aurea ac digna quæ audiantur. Sunt autem hæc.* Τελειότης δὲ ἀρχομένη μὲν ἀπὸ τῶν † κοιλοτέρων ἀγαθῶν, λήγουσα δὲ εἰς τὴν θείαν ἕνωσιν καὶ κατὰ μικρὸν συνεθίζουσα τὴν ψυχὴν πρὸς τὸ θεῖον φῶς. ἐνέργεια δὲ δραστήριος καὶ τῶν ἀγαθῶν ἀποπληρωτική, καὶ κοινὰ ποιοῦσα τὰ ἡμέτερα τοῖς θεοῖς. αἰτίας δὲ τῆς εὐχῆς ὡς μὲν ποιητικὰς ἀπολογιζόμεθα εἶναι τὰς δραστηρίους τῶν θεῶν δυνάμεις, τὰς ἐπιστρεφούσας καὶ ἀνακαλουμένας εἰς αὐτοὺς τοὺς θεούς. ὡς δὲ τελικὰς, τὰ ἄχραντα ἀγαθὰ τῶν ψυχῶν, ἃ δὴ καρποῦνται ἐνιδρυνθεῖσαι τοῖς θεοῖς. ὡς δὲ παραδειγματικὰς τὰ πρωτουργὰ αἴτια τῶν ὄντων ἃ καὶ προῆλθεν ἐκ τ' ἀγαθοῦ, καὶ ἥνωται πρὸς αὐτὸ κατὰ μίαν ἄρρητον ἕνωσιν. ὡς δὲ εἰδικὰς, τὰ ἀφομοιωτικὰ τῶν ψυχῶν πρὸς τοὺς θεοὺς, καὶ τελεσιουργὰ τῆς ὅλης αὐτῶν ζωῆς. ὡς δὲ ὑλικὰ, τὰ συνθήματα τὰ ἀπὸ τοῦ δημιουργοῦ ταῖς οὐσίαις αὐτῶν ἐνδοθέντα, πρὸς ἀνάμνησιν τῆς ὑποστησάσης αὐτὴν καὶ τὰ ἄλλα θεῶν. καὶ μὴν καὶ τοὺς τρόπους τῶν εὐχῶν ἀφοριζόμεθα πολυειδεῖς ὄντας. τοὺς μὲν κατὰ γένη καὶ εἴδη τῶν θεῶν. δημιουργικὴ γάρ ἐστιν εὐχὴ καὶ καθαρτικὴ, καὶ ζωοποιός. δημιουργικὴ μὲν, οἷον ὑπὲρ ὄμβρων καὶ ἀνέμων. οἱ γὰρ δημιουργοὶ, τῆς τούτων αἴτιοι γενέσεως. καὶ αἱ τῶν ἐτησίων ἀνέμων εὐχαὶ παρ' Ἀθηναίοις, πρὸς τούτους ἐγίνοντο τοὺς θεούς. καθαρτικαὶ δὲ, ἐπὶ ἀποτροπαῖς λοιμικῶν νοσημάτων οἱ παντοίων μολυσμῶν, οἵας δὴ καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς ἔχομεν ἀναγεγραμμένας. ζωοποιοὶ δὲ, ὡς αἱ ὑπὲρ τῆς τῶν καρπῶν γενέσεως θεραπεύσαι τοὺς κρείττονας ἡμῶν τῆς ζωογονίας αἰτίους, καὶ τελεσιουργοί. διότι πρὸς τὰς τάξεις ταύτας ἡμᾶς ἀνατείνουσι τῶν θεῶν. καὶ ὁ ἐναλλάττων τὴν τούτων κρίσιν, ἀποπίπτει τῆς ὀρθότητος τῶν εὐχῶν. τοὺς δὲ κατὰ τὰ πράγματα περὶ ὧν αἱ εὐχαὶ γίνονται, πρώτισται μὲν γάρ εἰσιν αἱ ὑπὲρ τῆς ψυχῆς σωτηρίας. δεύτεραι, αἱ ὑπὲρ τῆς τῶν σωμάτων εὐκρασίας. τρίται δὲ αἱ ὑπὲρ τῶν ἐκτὸς ἐπιμελούμεναι. hoc est.

Theodori, Hieroclis, & aliorum.

† κοινοτέρων lego.

Perfectio verò incipiens a communioribus bonis, desinit in vnitate atque coniunctione diuina: sensimque assuefacit animum diuinæ luci, efficax verò & acer actio tum explet bona, tum nostra cum Dijs facit communia. Precationis vero causas, quatenus effectiuæ

sunt

ſunt, conijcimus eſſe efficaces Deorum virtutes, conuertentes & reuocantes ad ipſos Deos: quà verò perficiunt ac finis obtinent locum eſſe immaculata animorum bona, quibus perceptis fruuntur ipſi animi ſtatim atque in Dijs firmantur: ſed quatenus vim exemplorum habent, primas in rerum molitione obtinere cauſarum partes, quæ ſanè cauſæ profectæ ſunt ex bono, & cum illo copulantur quadam vnione, quæ enarrari non poteſt. Sed vt habent formarum rationem ac locum, ſimiles reddunt animos Dijs: & perficiunt vniuerſam illorum vitam. Denique vt ſubeunt materiæ vices, notæ ſunt & ſigna ipſorum ſubſtantijs ab opifice tributa, vt eorum recordentur quæ ſiue ad ipſos, ſiue ad Deos pertinent. Sed & precationum quoque formas atque rationes varias deſignamus. ídque ſecundum genera ac ſpecies Deorum. Etenim precationum aliæ ſunt effectrices: purgantes aliæ: aliæ denique ad vitam tuendam pertinent: atque effectrices quidem appello, veluti eas, quæ imbrium ventorúmue cauſa funduntur: nam effectores rerum Dij horum quoque ſunt authores: quare ijs ad ventos obtinendos qui ſerenitatem afferant ac tranquillitatem, preces apud Athenienſes haberi ſolent. purgantes verò eas uoco quæ inſtitutæ ſunt ad auertendos morbos, qui a peſte aliiſque huiuſmodi contagionibus oriuntur, quales etiam in templis deſcriptas habemus. Eæ demum ad vitam atque ſalutem pertinent, quibus propter frugum ortum ac maturitatem veneramur præſtantiores. Qua propter preces ad huiuſmodi Deorum ordines nos excitant atque erigunt: & qui aliter de ijs ſentit, longè abeſt a recta precationum ratione. inter res verò ob quas precamur, priorem locum obtinent quæ ad animi ſalutem ſpectant. Secundum eæ rectam corporis conſtitutionem ac valetudinem continent: poſtremum quæ ad res externas conducunt. *Hæc iſti rurſus, vt ea tantùm attingam quæ de prece hoc vno in loco ſcripſere Platonici. Nam ſi quem iuuet vagari latiùs vt Platonicorum de precatione ſententias exploret, is † Plotinum atque alios quoſdam conſulere poterit. mihi enim hoc tempore, quoniam obiter ferè precationis vſum ac vim nobis in memoriam reuocauit Plato, multis quæ de precatione ac voto ex Platonis Platonicorúmque ſententia dici poſſent, ſuperſedendũ exiſtimo: cum præſertim hæc proprium habeant locum in poſteriore Alcibiade. Quanquam quæ apud Hieroclem inſignem Pythagoricum atque Platonicum de votis ac precatione ad Deum beatáſque mentes fuſis tanta cum admiratione lêgi, lubet hoc quoque in loco paucis perſtringere ac veluti delibare. etenim cum hunc lego, videor mihi Areopagitam Dionyſium, ex cuius libris ſine dubio multa hauſit Hierocles, quodammodo legere: ita vt Dijs illis minoribus quos à ſummo Deo procreatos facit, in Angelos conuerſis (in muneribus enim ac natura iſtorum Deorum deſcribenda Angelos ad viuum exprimit: immo verò Angelorum quoque interdum mentionem † facit, ídque noſtro more modóque) vix quicquam habeas quod non probes atque*

† *Enn. 6. l. 7 c. 36. & al.*

† *In Pythag. carmin. in illud* ἐπειδ' ἥρωας ἀγαυς.

adeò

adeò suspicias in Philosopho isto. Ergo Εὐσέβεια † *inquit*, ἡ πασῶν τῶν ἀρε-
τῶν ἡγεμὼν ἐστιν πρὸς τὴν θείαν αἰτίαν τὴν ἀναφορὰν ἔχουσα, παραγγέλλομεν ὡς δέοι
τοὺς ἐγκοσμίους θεοὺς κατὰ τὴν ἐνυπάρχουσαν αὐτοῖς τάξιν, TIMAN, ἣν ὁ δημιουργικὸς
NOMOΣ ἅμα τῇ οὐσίᾳ αὐτῶν συμπροήγαγε, τάξας αὐτῶν τοὺς μὲν ἐπὶ τῆς πρώτης σφαί-
ρας, τοὺς δὲ ἐπὶ τῆς δευτέρας, καὶ ἐπὶ τῆς τρίτης ἄλλους, καὶ οὕτως ἐφεξῆς, μέχρι τῆς πάσης
τῶν οὐρανίων κύκλων συμπληρώσεως. τὸ γὰρ ᾗ ἐτάχθησαν ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ αὐτῶν, καὶ πατρὸς
ταύτῃ αὐτοὺς ἐγνωκέναι τε, καὶ τιμᾶν, τῷ θείῳ NOMΩ κατακολουθούντων ἐστὶ, καὶ τὴν ὄν
τως TIMHN αὐτοῖς ἀποδιδόντων, καὶ μήτε ὑπεραίρειν τὴν ἀξίαν, μήτε ἀπολείπεσθαι
ταύτης ἐν ταῖς περὶ αὐτῶν ἐννοίαις. ἀλλὰ καὶ τοῦτο αὐτοὺς εἶναι πιστεύειν, ὃ γεγόνασι, καὶ ταύτην
ἔχειν τὴν τάξιν, ἣν εἰλήχασιν, ἐπὶ τὸν δημιουργικὸν μόνον αὐτῶν θεὸν ἀναφέρειν τὸ σέβας, ὃν
θεὸν θεῶν κυρίως ἂν εἴποι τις, καὶ θεὸν ὕπατον, καὶ ἄριστον. τὴν δὲ ὄντως ἀξίαν τοῦ κοσμοποιοῦ
καὶ ἀριστοτέχνου θεοῦ μόνως ἂν ἐξεύροιμεν, οἱ καὶ ΘΕΩΝ αἴτιον αὐτὸν, καὶ ἀτρέπτων λογικῶν
οὐσιῶν ποιητὴν θησόμεθα, τούτους γὰρ νῦν ΑΘΑΝΑΘΟΥΣ ΘΕΟΥΣ ὠνόμασεν ὁ λόγος, τοὺς
αἰεὶ, καὶ ὡσαύτως νοοῦντας τὸν δημιουργὸν θεὸν, καὶ αἰεὶ πρὸς τὸ ἐκείνου ἀγαθὸν συντεταγμέ-
νους, καὶ ἀπ' ἐκείνου τὸ εἶναι ἀμερίστως, καὶ ἀτρέπτως λαμβάνοντας, ὡς τῆς δημιουργικῆς αἰ-
τίας αὐτοὺς ὄντας εἰκόνας ἀπαθεῖς, καὶ ἀνεκπτώτους. πρέπει γὰρ τῷ θεῷ, καὶ τοιαύτας
ὑποστῆσαι ἑαυτοῦ εἰκόνας, καὶ μὴ πάσας τρεπτὰς, καὶ ἐμπαθεῖς τῇ εἰς κακίαν ὑποφορᾷ. οἷαί
εἰσιν αἱ ἀνθρώπιναι ψυχαὶ, τῶν λογικῶν φύσεων τὸ ἔσχατον οὖσαι γένος. ὥσπερ αὖ ἀκρό-
τατον ἣν νῦν τὸ τῶν ΑΘΑΝΑΘΩΝ ΘΕΩΝ λεγόμενον γένος. καὶ μήτε πρὸς ἀντιδια-
στολὴν τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν, ΑΘΑΝΑΘΟΙ ΘΕΟΙ οὗτοι ἐκλήθησαν, ὡς μὴ ἀποθνήσκον-
τες τὴν θείαν διαζωὴν, μηδὲ ἐν λήθῃ ποτὲ γιγνόμενοι, μήτε τῆς ἑαυτῶν οὐσίας, μήτε τῆς τοῦ
πατρὸς ἀγαθότητος. τούτοις δὲ ἡ ἀνθρωπίνη ψυχὴ τοῖς πάθεσιν ὑπόκειται, ποτὲ μὲν νοοῦ-
σα τὸν θεὸν, καὶ τὴν ἑαυτῆς ἀξίαν ἀπολαμβάνουσα, ποτὲ δὲ τούτων ἀποπίπτουσα. Διὸ καὶ εἰκότως
ΘΕΟΙ θνητοὶ λέγοιντο ἂν ἀνθρώπιναι ψυχαὶ, ὡς ἀποθνήσκουσαί ποτε τὴν θείαν διαζωὴν
τῇ ἀπὸ θεοῦ φυγῇ, καὶ ἀναβιωσκόμεναι αὖθις πάλιν τῇ πρὸς θεὸν ἐπιστροφῇ. καὶ οὕτω μὲν
ζῶσαι τὸν θεῖον βίον, ἐκείνως δὲ ἀποθνήσκουσαι, ὡς οἷόν τε ἀθανάτῳ οὐσίᾳ θανάτου μοίρας
μεταλαχεῖν, οὐ τῇ εἰς τὸ μὴ εἶναι ἐκβάσει, ἀλλὰ τῇ τοῦ εὖ εἶναι ἀποπτώσει. θάνατος γὰρ λογι-
κῆς οὐσίας, ἀθεΐα καὶ ἀνοία, οἷς ἕπεται καὶ ἡ περὶ τὸν βίον ἄμετρος τῶν παθῶν ἐπανάστασις. ἐν
γὰρ τῇ ἀγνοίᾳ τῶν κρειττόνων ἀνάγκη δουλεύειν τοῖς χείροσι. ὧν ἐλευθερῶσαι ἄλλως οὐχ
οἷόν τε, ἢ τῇ δι' ἀναμνήσεως εἰς νοῦν, καὶ θεὸν ἐπιστροφῇ. *hoc est*. Pietate quæ sané
quoniam ad diuinam præstatissimámque causam refertur, virtu-
tum omnium dux est & Princeps; docemur quo pacto oporteat
Deos qui in Mundo existunt pro ratione illius ordinis atque gra-
dus colere ac venerari quem pro opificis voluntate ac lege suæ ipso-
rum essentiæ insitum habent: sicque insitum, vt aliqui eorum or-
dines primæ quidem sphæræ addicti sint: (*videtur autem hoc in lo-
co Hierocles Dionysii & hierarchias & choros sphæris licentiùs aptare
ac pro sphærarum numero distribuere*) secundæ vero alij: alij ter-
tiæ: & ita deinceps donec vniuersus cœlestium orbium nu-
merus expletus sit: eos siquidem perinde agnoscere ac venerari at-
que ab opifice suo & patre dispositi sunt, diuinæ legi inhærere atque
obtemperare est, verúmque illis honorem impendere: non autem
illorum dignitatem siue nimis extollere siue deprimere, atque hu-
militer de illis sentire. sed pro certo habere illius esse naturæ qua
verè sunt procreati: atque ordinem illum retinere ac statum quem
sortiti sunt. ita vt interim ad suum illi singularem opificem, quem
Deum Deorum propriè quis dixerit; Deúmque summum & opti-
mum, honorem deferunt. Verè autem mundani opificis præstan-
tiam

† *in illud* Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς τίμα.

tiam. Deíque dignitatem hac vna demum ratione ac vi percipiens, si constituerimus illum esse rerum omnium causam, & earum quæ mutationis expertis naturæ sunt effectorem. eos nanque appellauit immortales Deos, qui semper atque vno eodémque modo de opifice cogitant: ac semper ad illius bonum ordinati, id ab eo consequuntur, vt tanquam molitricis causæ imagines eæque perturbationis ac prauitatis expertes nusquam ab eodem diuelli ac separari possint. decet enim Deũ has quoque sui imagines cõstituere & neque oẽs mutationibus & perturbationibus subiectas, quæque ad ui tia delabantur, queẽadmodũ hominũ animis accidit qui ultimũ inter ratione utẽtes naturas tenẽt locũ: sicut è cõtrario ij de quibus loquimur immortales Dij summi appellantur. Neque uerò immortales ideo appellantur ut ab animis humanis distinguantur, quasi nunquam amittant diuinam beatitudinem, neque obliuiscantur unquam siue naturæ suæ siue paternæ bonitatis. Verùm huiuscemodi perturbationibus humanus subijcitur animus, Deum vt interdum quidem cognoscat suámque dignitatem reputet: interdum verò eadem excidat cognitione. Quocirca meritò hominum animi mortales appellantur Dij quòd interdum moriantur: cum scilicet diuinam vitæ probitatem exuentes à Deo recedunt: rursus reuiuiscere dicuntur interdum, cum scilicet ad Deum conuertuntur. Sic sanè viuere dicuntur diuinam vitam aut illam amittere, quatenus immortali natura mortalis sortem sortiuntur, non quod esse desinant, sed quia excidant vitæ præstantia: mors enim naturæ quæ rationis est particeps, est diuinitatis intelligentiæque priuatio, quam consequitur immensa perturbationum conflictatio. In ignoratione enim rerum meliorum necesse est seruire deterioribus. A quibus nulla alia ratione uindicantur quàm cum ad Deum conuertuntur recordationis ac mentis ope. *Hæc Hierocles: qui (vt ad preces veniam) post multa sic scribit.* Τίς δὲ ὁ νόμος; καὶ ἡ τούτῳ ἑπομένη τιμή; πάλιν λέγομεν ὅτι νόμος μὲν ἡ ἄτρεπτος τοῦ θεοῦ, καὶ ἡ δημιουργικὴ ἐνέργεια, ἡ γνῶσα τὰ θεῖα γένη, καὶ τάττουσα ἀϊδίως καὶ ἀμεταβλήτως. ἡ δὲ σύμφωνος τῷ νόμῳ τιμή, ἡ τῆς οὐσίας ὅτι τῶν τιμωμένων γνῶσις, καὶ ἡ πρὸς αὐτὴν κατὰ δύναμιν ἐξομοίωσις. ὃ γὰρ ἀγαπᾷ τις καὶ μιμεῖται ὅσον αὐτῷ οἷόν τε. καὶ τιμὴν ποιεῖται τοῦ ἀνενδεοῦς τὴν τῶν ὑπ' ἐκείνου προτεινομένων ἀγαθῶν ὑποδοχήν. οὐ γὰρ τιμήσεις τὸν θεὸν διδούς τι αὐτῷ, ἀλλ' ἄξιος τοῦ λαβεῖν τὰ παρ' ἐκείνου γινόμενος. ὡς γάρ φασιν οἱ Πυθαγόρειοι, τιμήσεις τὸν θεὸν ἄριστα ἐὰν τῷ Θεῷ τὴν διάνοιαν ὁμοιώσῃς. καὶ ὅστις τιμᾷ τὸν θεὸν ὡς προσδεόμενον, οὗτος λέληθεν οἰόμενος ἑαυτὸν τοῦ θεοῦ εἶναι κρείττονα. καὶ ἡ τῶν προσφερομένων πολυτέλεια τιμὴ εἰς Θεὸν οὐ γίνεται, εἰ μὴ μετὰ τοῦ ἐνθέου φρονήματος προσάγοιτο. δῶρα γὰρ καὶ θυηπολίαι ἀφρόνων, πυρὸς τροφή. καὶ ἀναθήματα, ἱεροσύλοις χορηγία. τὸ δὲ ἔνθεον φρόνημα διαρκῶς ἡδρασμένον, συνάπτει θεῷ. χωρεῖν γὰρ ἀνάγκη τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον. ὅθεν καὶ μόνος ἱερεὺς ὁ σοφὸς λέγεται, μόνος θεοφιλής, μόνος εἰδὼς εὔξασθαι. μόνος γὰρ οἶδε τιμᾶν ὁ τὴν ἀξίαν μὴ συγχέων τῶν τιμωμένων, καὶ ὁ προηγουμένως ἱερεῖον ἑαυτὸν προσάγων, καὶ ἄγαλμα θεῖον τεκταίνων τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν, καὶ ναὸν εἰς ὑποδοχὴν τοῦ θείου φωτὸς τὸν ἑαυτοῦ παρασκευάζων νοῦν. τί γὰρ τοιοῦτον προσοίσεις ἀπὸ τῶν ἐν μέσῳ κειμένων ὑλῶν, ὃ τῷ θεῷ προσφυὲς ἄγαλμα ἐργάσῃ, ἢ δῶρον αὐτῷ ἐνθεῖναι δυνάμενον, ἃ δὴ ἐπὶ τῆς λογικῆς οὐσίας καθαρθείσης συμβαίνειν ἀνάγκη; ὡς γὰρ οἱ αὐτοὶ αὐ-

δρες φασί, ψυχῆς καθαρᾶς τόπον οἰκειότερον ἐπὶ γῆς θεὸς οὐκ ἔχει. οἷς καὶ ὁ Πύθιος συμφέρεται λέγων·

Εὐσεβέσιν δὲ βροτοῖς γάνυμαι τόσον, ὅσσον Ὀλύμπῳ.

εὐσεβὴς δὲ ὁ τὴν θείαν ἐπιστήμην ἔχων, καὶ τὴν ἑαυτοῦ τελείωσιν, ὡς τιμὴν ἀρίστην, προσάγων τοῖς τῶν ἀγαθῶν αἰτίοις, τῇ σπουδῇ τῆς κτίσεως πρὸς τοὺς χορηγεῖν πεφυκότας ἐπιστρεφόμενος, καὶ τῷ λαμβάνειν τὰ ἀγαθὰ δύνασθαι, τιμῶν τοὺς ἀεὶ διδόντας αὐτά. ὁ δὲ ἄλλως τιμᾶν τὸ θεῖον προαιρούμενος, καὶ μὴ δι' ἑαυτοῦ, περὶ ἀνάλωμα τῶν ἔξωθεν δαπανείας ποιεῖται τὴν τιμήν, οὐκ οἰκείαν ἀρετὴν προσφέρων, ἀλλὰ ἀπὸ τῶν ἐκτὸς αὐτοῖς ἀφοσιούμενος. ταῦτα δὲ οὐδὲ σπουδαίῳ ἀνδρὶ λαμβάνειν ἡδύ, μὴ μετὰ τῆς ἀρίστης διαθέσεως διδόμενα. τοιοῦτον δὲ καὶ τὸ τοῦ Πυθίου πάλιν ἀπόφθεγμα. πρὸς γὰρ τὸν ἑκατόμβας θύσαντα μὴ μετ' εὐσεβοῦς γνώμης, καὶ πυνθανόμενον πῶς εἴη προσδεδεγμένος τὰ παρ' αὐτοῦ δῶρα, ἀποκρίνεται.

Ἀλλά μοι εὔαδε χόνδρος ἀγακλυτοῦ Ἑρμιονῆος.

τὸ εὐτελέστατον προκρίνων τῆς τοσαύτης πολυτελείας, ὅτι δὴ θεοσεβείας γνώμῃ κεκόσμηντο. μετ' αὐτῆς γὰρ πάντα θεοφιλῆ. καὶ ἄνευ ταύτης οὐδὲν θεῷ φίλον ἄν ποτε γένοιτο.

hoc est. Quænã uerò est cultus lex? quis honos qui hunc consequitur? rursus itaque dicimus legem quidẽ, esse immutabilẽ Dei uim eámque molitricem, a qua diuina rerum genera promanant: quæ quidem genera sempiterna ac sine mutatione perseuerant. Consentiens uerò legi honos est eorum quæ honorantur naturæ cognitio; & illorum similitudinis, quantum fas est, expressio & imitatio. quod enim quis amat, imitatur etiam pro uirili parte: atque honorat præsertim quòd elargita ab illo accipit bona. Neque enim idcirco Deum honoras quòd illi aliquid offers: sed dum te dignum reddis ut ab eo aliquid accipias. siquidem, ut aiũt Pythagorici, tum Deum optimè honore afficies cum animũ ad eius similitudinem reddere studueris. Sed & qui Deum honorat tanquam re ulla egeat, is, nec sentiens, se Deo reputat præstantiorem. Oblationum quoque profusio non cedit in diuinum honorem nisi animo erga diuinitatem optimè affecto offeratur. Dona enim & hostiæ insipientium, sunt merum ignis pabulum: & donaria impiorum erogationes. contra uerò prudens animus ac diuinis institutis informatus, cum optimis nitatur fundamentis, Deo nos coniungit: simile enim ad simile tendat necesse est. Ita fit ut solus sacerdos sit sapiens, solus sit Deo charus, solus precandi gnarus. is etenim solus nouit honorem impéndere, qui eorum dignitatem quibus impenditur, non confundit, sed rectè æstimat: quíque se in primis hostiam offerens, suúmque animum efficiens diuinum simulacrum, mentem quasi templum Deo præparat ad diuinum lumen suscipiendum. Quid enim ex ijs quæ in medio positæ sunt corporatis rebus, Deo offeras quod & congruum illi simulacrum donúmue efficiatur, & cum illo coniungi & copulari possit, ac denique eam munditiem referat quam in participe rationis natura reperiri oportet? certè, ut ijdem Pythagorici asserunt, locum gratiorem similiorémque nullum inuenit Deus in terra quàm purum animum: quibus Pythius quoque consentit qui cecinit,

Tam pia corda uirum, quàm me delectat Olympus.

Est

Eſt autem pius qui diuina ſcientia imbutus, ſuámque ipſe perfectionem tanquam honorem optimum offerens bonorum authoribus, ad hos, quoniam bona elargiri poſſunt, ſe ſe conuertit hæc adipiſcendi ſtudio: ſimúlque animo ipſo quo bona excipere ab illis poteſt, eos honorat qui illa perpetuò largiuntur. Quiſquis autem alia ratione Deum honorare inſtituit, ac non per ſe ipſum, is non propriam virtutem offert, ſed præpoſteram rerum alienarum effuſionem, atque adeò iacturam facit: externáque tandem oblatione rerum erga illos defungitur. Hæc verò ne bono quidem uiro gratum eſſet excipere, cum non bono animo offerantur. Atque huc etiam pertinet præclarum illud Pythij dictum; qui ſanè cuidam ecatomba (centum inquam bouum ſacrificium) offerenti non pio animo, ac quàm gratum accidiſſet ex eo ſciſcitanti, ſic reſpondit.

Aſt me farra iuuant prænobilis Hermionæi.

nimirum quòd ad muneris tenuitatem mentis pietas tantum afferret dignitatis pondus, vt ingenti effuſioni illi præponderaret. cum pietate enim Deo chara ſunt omnia: ſine pietate, gratum nihil. *Hæc rurſus Hierocles. Quæ ſi commodè interpreteris quæ de ſacerdote profert quem vnum Deo charum, precandique gnarum eſſe affirmat; (videtur enim ſacerdotis nomine illum intelligere qui ſanctè ſacrificij tuetur leges: alioquin infra Hermionem non laudaſſet, ac pios omnes in vniuerſum) nihil habeas quod non demireris in ethnico. ſed & idem author, vt rurſus de precatione ſigillatim præciperet, ad quam, quemadmodum*† *monet Plato, opus aliquod aggreſſuri, confugere debemus, ſic diſſerit.* Ἔστι μὲν ἐφ' ἡμῖν ἡ αἵρεσις τῶν καλῶν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ ἐφ' ἡμῖν θεόθεν ἔχοντες, τῆς παρ' ἐκείνου συνεργείας, καὶ τελειώσεως τῶν αἱρεθέντων πάντως προσχρῄζομεν. ἔοικε γὰρ τὸ μὲν παρ' ἡμῶν σπουδαζόμενον ἐκτεινομένῃ χειρὶ πρὸς λῆψιν τῶν καλῶν. τὸ δὲ παρὰ θεοῦ συντελούμενον χορηγίᾳ εἶναι, καὶ πηγῇ τῆς δόσεως τῶν ἀγαθῶν. καὶ τὸ μὲν ἐξευρίσκειν πεφυκέναι τὰ καλά, τὸ δὲ ἐκφαίνειν τῷ ζητοῦντι ὀρθῶς. ἡ δὲ εὐχὴ μεθόριον εἶναι τῆς τε παρ' ἡμῶν ζητήσεως, καὶ τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ δόσεως, ἐχομένη τῆς αἰτίας ἡμῶν, τῆς εἴς τε τὸ εἶναι παραγούσης ἡμᾶς, καὶ πρὸς τὸ εὖ εἶναι τελειούσης. πῶς δ' ἂν λάβοι τις τὸ εὖ, μὴ διδόντος θεοῦ; πῶς δ' ἂν δοίη τῷ πρὸς τὰς ὁρμὰς αὐτεξουσίῳ μὴ διδόντος θεοῦ; πῶς δ' ἂν δοίη τῷ πρὸς τὰς ὁρμὰς αὐτεξουσίῳ μὴ αἰτοῦντι ὁ διδόναι πεφυκὼς θεός; ἵν' οὖν μήτε λόγῳ μόνῳ τὴν εὐχὴν ποιώμεθα, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ ταύτην κρατύνωμεν, μήτε τῇ ἑαυτῶν ἐνεργείᾳ μόνῃ θαρρῶμεν, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ θεόθεν συνεργείας δεώμεθα, καὶ ὡς εἶδος ἐπὶ ὕλῃ, τῇ εὐχῇ τὴν ἔργῳ συνάπτωμεν· καὶ τὸ ὅλον τοῦτο, ὅπως ἃ ἐργαζόμεθα καὶ εὐχώμεθα, καὶ ἃ εὐχόμεθα ἐνεργῶμεν, συνάψας εἶπεν· ἀλλ' ἔρχευ ἐπ' ἔργον θεοῖσιν ἐπευξάμενος τελέσαι. *id eſt.* Eſt quidē in nobis ſita facultas vnde res honeſtas eligamus, veruntamen quia eiuſmodi facultatē a Deo etiā habemus, eius quoque opera, atque vſu præterea eorum quæ ſenſu percipiūtur, planè egemus. ſiquidē id quod molimur, ſpeciem refert manus quæ ad bona ſuſcipienda porrecta ſit & extēſa. id verò quod a Deo confertur, nō eſt fonti abſimile, vnde fluunt ſuppeditantúrque bona omnia. Ita fit vt precis vſu perquiramus bona. Dei verò ope rectè inueſtiganti bona ipſa commonſtrentur. Sed & precatio media eſt inter noſtram conquiſitionem, diuinámque largitionem,

quæ

† *in illud* Ερχου ἐπ' ἔργον θεοῖσιν ἐπευξάμενος.

quæ ſanè precatio noſtræ inhæreret cauſæ a qua id habemus vt & ſimus, & eò tandem perueniamus vt benè ſimus. Qua autem ratione conſequatur aliquis vt benè ſit niſi Deus largiatur? aut quo pacto ei qui a Deo optare aliquid poſsit & petere, nec tamen petat, Deus, etſi liberaliſsimus, donet? Ne igitur ſolo ſermone precaremur, ſed potiùs opere precationem firmaremus; néue noſtris item viribus præfidentes, diuinum auxilium conſequi contemneremus, útque demum precem operi tanquam formam materiæ adiungentes, cum actione preces, cum precibus actionem coniungeremus, addidit, vt niſi Deos precati ad opus non aggrederemur. *Hæc & alia huiuſmodi eximius iſte author. Quæ ſanè omnia claudi poſſunt aureis illis Procli verbis quæ in hanc ipſam ſententiam habuit.* εἴ τις φωνῆς ὄφελος ἀνθρώποις, εἰς ὕμνους αὐτῇ χρηστέον. Si vlla eſt vocis vtilitas, ea debet ab homine ad Dei laudes referri. *Hæc Ethnici. Sed quanquam tam præclarè multa Platonici de precatione diſputarint, haud dubitandum eſt tamen quin alia multa longè præclariora afferri poſsint: ita enim ſplendidè ac copioſè Chryſoſtomus aliíque multi Chriſtianæ Philoſophiæ patres precationis originem, neceſsitatem, vim denique omnem atque rationem tractarunt: tam miris laudibus diuiníſque præconijs eius dignitatem fructúſque extulerunt: ac (quod caput eſt) diuinæ ipſæ literæ tanta exemplorum varietate, ſententiarúmque grauitate illam commendarunt, vt nullum fortaſſe agrum ſtudioſiùs cultum inuenias: aut in quo poſſis maiore cum admiratione atque iucunditate verſari. ſed ne ſacra cum profanis miſcere videar, nouæque diſputationis anſam non omnino opportunè arripere, (obiter enim, etſi grauiter, precationis neceſſitatem attigit hic Plato) rem omnino prætereundum cenſui. Atque hac ipſa de cauſa (ne inquam intempeſtiuus videar) multa relinquam, quæ ex profanis poëtis etiam ad hanc ſententiam traduci poſſent. Sed iam octauum hunc librum concludentes, ex ampliſſimis hiſce quaſi veſtibulis ad ampliſsimos vberrimóſque phyſiologiæ campos, vnde etiam ad Theologicos patebit aditus, pedem, Deo benè iuuante, inferamus.*

FINIS OCTAVI LIBRI.
DECADIS PRIMAE.

IN PLATONIS TIMAEVM, SIVE IN NATVRALEM OMNEM ATQVE DIVINAM PLATONIS ET ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM

DECADIS PRIMAE LIBER NONVS.

QVAE ex M. Tullij libro de Vniuersitate extant fragmenta, huic planè Timæi parti respondent, quam in hoc libro nono aggredimur explicandam. Quamobrem optarit fortasse quispiam, vt Ciceronis interpretationem omnino sequar in posterum: cæteris interim interpretationibus prætermissis. Ita enim fieret vt ijs qui græcè haud norunt, non magnopere hac inparte Platonis eloquentia desideranda esset, quasi interpretum culpa admirabilem illam suauitatem ac venustatem amisisset. Contra verò qui Græcis quoque literis imbuti sunt, Græcæ atque Romanæ eloquentiæ parentes audirent grauissimè & copiosissimè disputantes. Verùm ne id faciam, prohibent multa. Nam Cicero præterquam quòd augustissima Platonici Timæi vestibula, congressus, personásque ipsas sustulit; pulcherrimúmque consensum illum dissoluit, quo hunc dialogum cum politicis libris & Critia iun-

Confertur Ciceronis liber de Vniuersitate cum Platonis Timæo.

ctum esse ostendimus, quibus in rebus mirum artificium, summa dignitas, varia denique ornamenta cernuntur; summam rerum potiùs visus est sequi interdum, ac suo quasi ingenio subtilißimam difficilimámque Vniuersitatis tractationem persequi, quàm eodem planè verborum ac sententiarum pondere & artificio. Quanquam enim hoc interpretationis genus in Demosthenis atque Aeschinis orationibus magnopere probandum fuit, vbi propter rerum perspicuitatem licuit argumenta, rerúmque ipsarum ordinem, & (vt semel dicam) omnes orationum illarum virtutes, neglectis sæpe verbis; exprimere; attamen in Timæo, in quo subtillissimè disputatur, ac vel ex vnius immutatione vocis, ne dicam sententiæ, quæstiones interdum maximæ oriuntur, optassem sanè, vt tanquam merus interpres, non vt author, rem peregisset, idque verba non appendens modò, (quanquam ne id quidem fecit) verùm etiam dinumerans quodammodo, ac verbum ferè verbo reddens. Neque enim M. Tullio, hoc est summo dicendi architecto, aut latinæ linguæ egestas, aut ἑλληνισμοὶ, aut aliud quidpiam id prohibuisset vnquam. Et quanquam verbum è verbo exprimere, (vt ipsemet † M. Tullius scribit) indiserti interpretis videri poßit, iureque illud ab † Horatio pronunciatum, a B. verò † Hieronymo laudatum puto,

† l. 3. de fin.
† l. de art. poet.
† l. de ratione inter.

> Nec verbum verbo curabit reddere fidus
> Interpres.

Veruntamen videndum est diligenter ne ad laborem in difficilioribus locis subterfugiendum, hæsitantiámque nostram occultandam, hoc interpretandi genus sectemur: atque interim etiam verbis licentiùs neglectis, sententias ipsas peruertamus. Et quamuis Cicero specie potiùs interdum quàm re ipsa, interdúmque leuissimè dißidet à Platone, veruntamen si eius disputatio de Vniuersitate cum græco Timæi libro conferatur, sæpe etiam dubitari potest, quin aut prætermittat aliqua: aut pro arbitratu noua comminiscatur, & a re aliena: aut demum quam ipse loci sententiam esse putabat, expresserit quidem: veram autem ac Timæi germanam, minimè. Neque enim magnum fuit Ciceronem in tam abstrusa disputatione, (talem enim hanc esse ipsemet † profitetur) obscurisque sententijs, etsi græcæ linguæ peritißimum, aberrare aliquando aut hærere: cum in ijsdem græci quoque interpretes, quíque omne tempus in Philosophia consumpserunt, tam sæpe æstuent, & inter se dißideant. Ac quod pertinet tum ad magnificas illas Timæi ingreßiones atque vestibula: tum ad eiusdem dialogi cōiunctionem atque consensum cum politicis libris & Critia, fuisse a M. Tullio quæ asserebam, prætermissa omnia, non est quod dubitari vllo modo poßit: nam vniuersa Socratis sociorúmque disputatio qua politicus epilogus, Solonis historia, rerum dicendarum propositio, atque dialogorum illorum series & dispositio continetur, Cicero ne leuißimè quidem attigit: quod tamen prudenter fecisse non inficior: cum aliò spectet ipse: nec nisi ea persequi instituisset quæ de Natura disseruerat noster Timæus. Eiusdem verò dialogi congressus atque personas fuisse ab eodem M. Tullio sublata, inde constat, quòd cùm Timæum paulò post physiologiæ initium (dumscilicet ad eam Mundi causam aggredi vellet

† l. 2 de fin. non longè ab init.

quæ

quæ finis obtinet locum) paucis quibusdam interpellasset Socrates, hæc Socratis verba in Ciceronis libro prætermittuntur omnia: licet nullo cum rei detrimento prætermittantur: immo ab eo qui non meri interpretis personam susceperit, scitè. Neque tamen contendo Platonis congressus illos ita fuisse a Cicerone reiectos, quòd existimem librum illum de Vniuersitate in dialogi morem conscriptum non esse: nam contrarium coniicere licet ex illis verbis. Quocirca si forte de Deorum natura ortúque Mundi disserentes, minus id quod habemus animo, consequimur, vt tota dilucidè & planè exornata oratio sibi constet, & ex omni parte sibi consentiat, haud sanè erit mirum: contentíque esse debebitis si probabilia dicentur: æquum est enim meminisse & me qui disseram, hominem esse, & vos qui iudicatis: vt si probabilia dicentur, nil vltra requiratis. *Immo verò facilè adducor vt credam Pythagoreum aliquem primas tulisse disputationis partes, atque eum fortasse P. Nigidium illum fuisse, quem in eiusdem libri exordio tanquam Pythagoreum insignem extollit. Sed eo planè consilio hæc dixi, vt constet M. Tullium quippe qui nihil minus quàm interpretis partes tueretur, nouas personas atque congressus induxisse, Platonicis omnino posthabitis. Quod autem interdum summam rerum sequatur, aut suo ingenio philosophetur, aut denique a Platonis sententia, nec fortasse sentiens, discesserit, in cursu ipso dialogi planißimè ostendetur: vbi verba ipsa sententiásque conferemus vtrinque. Ergo Ficini, Serraníque interpretationibus retentis, suísque in locis de more collocatis, nostráque etiam tertio loco subiecta, eâdem planè ratione reliquo opere pergam qua cœpi. Quanquam vbi commodè aliquid ex Tulliana siue delibare siue vsurpare potero, atque ad meam interpretationem referre, haud parcam: cum certum habeam, furta hac in re, nisi opportunitate careant, tum scriptis nostris laudem, tum legentibus vtilitatem esse allatura.*

Rerum dicendarum materia, utilitas, difficultas, & partitio.

I*am verò ad posteriorem Timæi partem propiùs accedamus, in qua noster author aggreditur disputationem de Vniuersitate: eandémque omnibus numeris absoluit. Quocirca vt hæc pars ad ea maximè pertinet, quæ in præsenti dialogo subiectæ materiæ locum obtinere docuimus: superior verò, si ad vnum Timæi institutum referatur, præparationis nomen tantùm meretur: ita quæ aggredimur in præsentia, longo interuallo nobiliora sunt ac pulchriora. Etenim de Mundi ortu atque initiis, déque animi totiúsque Naturæ ratione disseritur, nihil vt cœlo, terra, maríque (vt poëticè cum Cicerone loquar) reperiatur, quod non subtiliter & copiosè tractetur. Sed & hæc difficiliora esse, non est quod dubitemus: nam præterquam quod præclara quæque hoc sibi suo iure vendicãt, quæ (vt optimè ex veteri prouerbio † monuit Plato)* χαλεπά ἐστιν ὅπη ἔχει μαθεῖν, *abditis planè arcanísque rationibus sic interdum disputat, ut nisi omnem intelligentiæ vim neruósque intendamus, plurima nos prætereant necesse sit. cum præsertim arduam magnorum Philosophorum comparationem aggressi simus, atque eorum Physiologiam immo & Theologiam quoque ipsam, cum Christianis decretis, ad quae limanda est & corrigenda, conferre instituerimus. Sed quoniam hanc*

† in Cra. & al.

dispputationem in duas potißimas partes distribui omnibus in promptu esse potest, ac priorem de principijs agere, posteriorem de ijs quæ ex principijs profecta sunt, ad primam aggrediar, quam sic orditur Timæus.

Par. I.

Ἔστιν οὖν δὴ κατ' ἐμὴν δόξαν πρῶτον διαιρετέον τάδε. τί τὸ ὂν μὲν ἀεὶ γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον. καὶ τί τὸ γιγνόμενον μὲν ὂν δὲ οὐδέποτε.

Ficinus. *Principio ita mihi distinguendum esse videtur quid sit quod semper est carens generatione; quid verò quod gignitur quidem, neque est vnquam.*

Non. int. *Principio, mea quidem sentia, hæc ponenda & distinguenda sunt. Quid est quod semper sit, neque ullum habet ortum, & quod gignatur nec vnquam sit.*

Benius. *Primùm itaque explicandnm est mea quidem sententia, ac statuendum, quid sit illud quod semper est, nec ortum habet: quidue id quod gignitur quidem, est uerò nunquam.*

Comm. I.

Quo consilio Timæus instituens disputationem de Vniuersitate utatur hoc initio

Inquirendum nobis & explicandum est primùm quo consilio Timæus vt partes sibi demandatas tueatur, hinc fuerit exorsus: & quid tandem pertineat ad institutum hæc rerum siue distributio siue explicatio. Plurimùm quidem (vt rem aggrediar) ad Timaei institutum impositásque partes implendas pertinet hoc exordij genus. Nam cum Vniuersitatis naturam explicare deberet noster author: causarum verò cognitio ad cuiuslibet rei naturam percipiendam maximè sit necessaria, ipsas sibi Vniuersitatis causas primò conquirendas explanandásque proposuit. Cúmque effectrix apud Platonem & præstantissimum locum teneret, & cæteras causas doctrinæ gratia deberet anteire, ac summatim de Mundo an sit ortus ac proinde num efficientem causam habeat, ante omnia constituendum eßet; (quis enim aut finem propter quem conditus est Mundus, requirat, aut materiam ex qua constat, aut formam quæ illi tributa est, nisi verè effectum eße, antea fuerit constitutum?) Mundi ortum ac causam priùs censuit esse statuendam. Quod vt ex arte facere posset, positiones quasdam, siue sumptiones mauis aut postulata, quod in singulis ferè disciplinis, Mathematicisque in primis factitatum videmus; praemittere voluit, quæ ad rem commodè conficiendam maximè pertinere videbatur. Tres verò sunt huiusmodi positiones: ac primam quidem (vt Ficino interprete vtamur) statuit, seu potiùs statuendam eße monet, dum ait, Explicandum est quid sit quod semper est, nec ortum habet: quid verò quod gignitur quidem, neque est vnquam. *quare statim etiam illam in medium affert, dum subdit.* Illud intelligentia percipitur per rationis indagationem: atque vnum idémque est semper: hoc opinione attingitur per sensum rationis expertem, gignitúrque & interit, ac verè est nunquam. *Alteram verò proponit dum sequitur.* Quicquid autem gignitur, ex aliqua causa necessariò gignitur: sine causa enim oriri nihil potest. *Tertiam demum, quæ ex prima ducta est, continetur his verbis, quæ & ipsa statim consequuntur.* Quando igitur opifex in operis alicuius constructione ad id quod eodem modo se habet semper, aspicit, & huiusmodi quodã vsus exẽplo, ideã vímque in opus educit, pulchrum fieri tunc opus omne necesse est: quando uerò ad id quod factum est, respicit, minimè pulchrum. *Has, inquam, tres sumptiones praemittit noster Plato, vt ad legitimam dispu-*

Tres sumptiones præmittit Mundi initijs inueniendis accommodatas.

disputationem descendere commodiùs possit.

Quanquã nõ me latet Serrano non tres sũptiones tãtùm siue hypotheses (ut ipse appellat) sed septem uisas esse hoc in loco, dũ sic scribit. De Vniuersi & hominis creatione dicturus, septem hypotestheses substernit.

Propositas sũptiones potestate cõtinere alias sumptiones quasdam

I. Aliquid est quod semper est, nec vllum habet orrum: idest τὸ ὂν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, aliquid quod semper fit, neque verè unquam est. *id est*, τὸ γιγνόμενον μὲν ὂν δὲ οὐδέποτε.

II Illud τὸ uerè ὂν intelligentia & ratione comprehenditur. illud τὸ γιγνόμενον, opinione cum sensu quodã rationis experte percipitur.

III Illud uerò ὂν, semper existit, eodem semper modo habet ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὂν, hoc uerò τὸ γιγνόμενον, ut fit, ita perit, nec unquam uerè existit. *idest* ὄντως δὲ οὐδέποτε ὂν.

IIII Quicquid fit necessariò fit ab aliqua causa.

V. Duo sunt παραδείγματα, *id est* exemplaria, ad quæ opifex Vniuersi respexit, dũ res ipsas crearet, vnũ τὸ κατὰ ταὐτὰ ὂν & sẽpiternũ, alterũ γεννητὸς siue γεννητὸ, & generationi nimirũ & alterationi obnoxium.

VI. Opifex ille Vniuersi nõ egit temerè, sed certa animi ἰδέα, quæ in mẽte ab æterno represẽtauit operis illius qđ volebat efficere, παράδειγμα siue εἰκόνα. vnde suo tẽpore res ipsæ natæ sunt & reuera extiterũt.

VII Rerum ipsarum aliæ sunt creatæ ad sempiternum paradigma, aliæ ad γεννητόν. Vniuersum creatum est ad sempiternum exemplar: res singulares ad generabile. *Hæc iste. In quibus tametsi multa præposterè dicta uideri possent; uerè tamen atque apposite affirmantur nonnulla. Etenim dum primo loco significat Platonem cum moneret statuẽdum esse quid sit illud quod semper est, nec ortum habet: quidue id quod gignitur quidem, est uerò nunquam, facilè pugnes Platonem ipsum ad primam sibi sumptionem quam etiam statim substernit, aditum munire quidem, deque ea statuenda cogitare: at hypothesim seu sumptionem proferre nullam. Sed si rectè animaduertas, dum hæc ponit explicanda, accipit tanquam exploratum ac certum duo reperiri, quorum alterum sit semper nec ortum sit: alterum quod semper fit, nec uerè est unquam. quare dum unum explicandum ac statuendum eße decernit; nimirum quid ea sint; alterum etiam assumit: nimirum ea reperiri atque extare. ita etiam dum ait Serranus, Platonem in quinta hypothesi statuere duo reperiri exemplorum genera, sempiternum & mortale; id uerò etsi hoc loco non affirmetur, assumitur tamẽ: nã dũ contẽdit Timæus, opificẽ tunc præclarum reddere opus, cum ad exẽplum respicit, quod eodẽ modo semper se habet: contra uerò pulchrũ haud reddi, si aliud exẽplum sibi proponat; sumit tãquã certũ duo hæc genera exẽplorũ inueniri: ac proinde quintæ hypothesis ansã Serrano dedit. Idque etiã de sexta accidit, ubi dũ opifici alterum ex illis exẽplis intuendũ esse decernit, dũ aliquod efficere molitur opus; sumit sibi temerè ac sine Idea illum non agere. Quemadmodum etiam dum declarat quid sit id quod semper est, & caret ortu, quidue id quod fit semper, & nusquam est, affirmatque id quod semper est, intelligẽtia,*

quod sit semper, opinione percipi; id quoque, Ficini pace, (vt suo loco constabit) nullo modo a Platone ostenditur, sed sumitur potiùs. Vt quamuis Plato, non nisi tres illas quas diximus hypotheses iácere, iidémque tantùm in disputatione progressu ad Vniuersitatis initia statuenda vti videatur; non ineptè tamen Serranus cæteras illas quae latêre videbantur, obseruauerit & explicauerit. Quas etiam eò libentiùs recensere volui, quòd Platonis rationes ad Mundi causas altiùs confirmandas non magnam vim habeant, nisi ad quatuor illas hypotheses quas potestate in tribus illis conclusit, ac quasi in praesidij loco latêre voluit, tandem deueniamus, easdémque confirmemus. Duo tamen sunt quae in praesentia mihi in Serrano non probantur: quorum vnum est, quod habet in quinta hypothesi, videlicet duo fuisse exemplaria, ad quae rerum author Deus in Mundi molitione respexit: alterum τὸ κατὰ ταυτὰ ὄν, & sempiternum: alterum γεγονὸς siue γενητὸν, ortum inquam, ac proinde interitui etiam obnoxium. Plato enim dum diceret, Quando igitur opifex eam speciem intuetur quæ semper est eadem, huiusmodíque aliquo vsus exemplo, ideam ac uim exprimit, opus sanè pulchrum reddat necesse est. Sin autem eam quæ gignitur intueatur & exprimat, minimè; assumit quidem haec duo exemplorum genera. Verùm non de Deo speciatim loquitur: quasi Deus sit qui hoc duplici exemplorum genere vtatur: sed in vniuersùm verba facit de quouis opifice qui opus aliquod efficere moliatur: idque vt cum hoc priùs generatim de quouis artifice ac molitore statuerit, denique de Mundi opifice ac molitore Deo disserens, hunc ex Mundi pulchritudine in sempiternum exemplar inspexisse ostendat. quod vtique facit paulò post. Et idcirco hunc locum in quo Timaeus de opifice ac duplici exemplari agit, M. Tullius vertit. Quocirca si is qui aliquod opus efficere molitur, & quae sequuntur. vbi significauit Platonem de quouis opifice in vniuersùm loquutum esse, non de Deo: quod tamen adeò constanter asseuerat Serranus. Quare non mirum (atque hoc est alterum quod non probabam in illo) si secum ipse dissensit, dum statim in VI. hypothesi affirmat Mundi opificem in Mundi molitione secutum esse Ideam quam ab omni aeternitate in mente gestauerat: hincque res extitisse, quae in hac Vniuersitate continentur. Nam si id verum est (est autem verissimum, atque in varijs Timaei locis constabit) quo pacto duplex illud exemplum secutus est, quorum alterum mortale esset? aut vbi nam erat mortale hoc exemplum, cum Deus ante Mundum (vt est apud Platonem) nihil mortale molitus esset? num in mente cum aeterno illo? an verò in inani? aut cur denique passim docet ac tuetur Plato Mundi exemplar, etsi varia rerum genera contineret, vnum, idque sempiternum, fuisse? Haec itaque mihi in Serrano pugnare videntur: licet ipse deinde, vt non potuit non animaduertere in quas sese coniecerat Syrthes, ex iisdem se rursus expedire conatus est: sed frustra: cum erroris fontem minimè agnouerit: nimirum eo in loco opificis nomine non Deum sigillatim, sed quemcunque opificem generatim significari.

Sed iam tandem ad tres sumptiones illas reuertamur: ac quoniam ex

illis

illis pendet vniuersa disputatio de Mundi causis atque initijs, eas quàm fieri accuratiùs a nobis potest, dilucidemus. Dicamus autem primùm de prima: verborum ac sententiæ vim explorantes, dum quæritur quid sit quod semper est, ac caret ortu: quídue id quod gignitur quidem, sed tamẽ est nunquam. Simúlque videamus vnde manarit hæc partitionis (si tamen partitio censenda est, id enim explicabimus infra) ratio ac forma: ac demum (quod rei caput est) vtrum huiusmodi decretum quo hæc duo genera rerum constitui videntur, consentiat cum veritate. Ac primùm quidem videtur non facilè intelligi posse quid sit illud quod semper est, nec habet ortum: quídue gignitur & nunquam est. Nam si prius membrũ significare contendas quicquid est aeternum & expers dissolutionis: posterius uerò quicquid dissolubile est atque mortale; iam refragabuntur varij rerum gradus qui inter Deum & corpus a Platone constituuntur. humanus nanque animus ortus uidetur ex Timæo, atque ex materia, quæcunque illa sit, coagmentatus: ait enim Timæus. Mundi opificem reliquias quasdam permiscuisse atque illum constituisse: non itaque fuit semper: ac proinde in priore gradu non potest collocari: in posteriore longè minùs; quia quæ in hoc collocantur, monet sub aspectum cadere, sempérque gigni & interire: nec tamen verè vnquam esse: quæ humano animo nullo pacto conueniunt. Dæmones etiam ex altera quidem parte ortos esse tradit cum Mundo: ex altera verò ex sui natura aspectum ac sensum effugere: non igitur ad vllum istorum graduum sunt reuocandi. Quin etiam hoc ipsum de diuinis illis mentibus ostendi posset, quas post summum bonum statuisse dicitur. Cum enim existimauerit ex fœcunditate summi boni esse profectas, fateri cogitur ortas esse: quicunque tandem is fuerit ortus. Immo, si nonnullis credimus, ortum illis apertè ac libentissimè tribuit. Vel igitur non semper fuerunt, quia ortæ sunt, (Mundum enim quòd ortus sit, prohibet æternum censeri) vel certè si æternus sit, illorum ortus adhuc, quoniam ortæ sunt, ad primum membrum non pertinebunt: ad alterum verò multò minùs, cum sola innelligentia percipi possint. Ad haec Peripatetici, immo & Academicorum quoque plurimi qui cœlum sempiternum faciunt, hoc, quâ sub aspectum cadit, a priore gradu secluderẽt: quâ sempiternum est, a posteriore. Quid quod ipsamet mortalia corpora non a priore solùm, verùm etiam a posteriore gradu videntur excludi? nam cum neque sint semper et oriantur, ad priorem nullo modo pertinẽt. cum uerò aliquando genita sint, consistántque certo quodam ac definito tempore (hoc enim omnium fermè consensu atque experientia ipsa satis constare videtur) posteriore coërceri non poterunt. Id quod de prima materia etiam ostendi posset, si quis ad alterum istorum generum reuocare illam contenderet. Hinc Proclus. Τὴν ὕλην *(inquit)* οὔτε ὂν ἀεὶ φάναι δυνατὸν, ἣν τὸ μὴ ὂν εἰώθαμεν καλεῖν, οὔτε γιγνόμενον, ἣν μηδὲ πάσχειν δυνατὸν, ἵνα μὴ παντάπασιν οἴχοιτο ἀπολλυμένη. *Hoc est.* Materia neque ad eorum genus uidetur posse reuocari quæ semper sunt cum ipsam non ens appellare soleamus: neque ad genus eorum quæ fiunt, cnm ne pati quidẽ posit

De prima sũptione, disputatio, in qua quæriturquid sit id quod sẽper est, nec habet ortum: quidue id quod gignitur & nunquã est.

Opponuntur priùs multa propositæ partitioni ac dogmati.

posſit, vt ne omnino tandem corrũpatur atque deficiat. *Quid plura? Deus (ſi aliquibus grauiſſimis Platonicis credimus) potiùs eſt ſuper omnem æternitatem, quàm ſit æternus, atque idcirco ab illo in diuinas mentes integra manat æternitas: in humanos verò animos æternitas miſta cum tempore. Quamobrem ne ipſe quidem Deus ad vllum iſtorum generum atque ordinum redigi poterit. Vel itaque partitio iſta imperfecta erit ac manca: vel certè inanis prorſus & abſurda, cum præſertim diuiſio (vt hoc quoque addam) nequaquam verſari in ijs debeat, quæ nullam inter ſe analogiam ac proportionem habent, & infinito propemodum interſtitio diſſotiantur; cuiuſmodi eſſe videntur ea quæ ſempiterna ſunt, quǽque nunquam verè dicuntur eſſe.*

Explicatur quæſtio propoſita ac Platonis dogma antiquiſsimũ ac nobiliſsimum eſſe oſtenditur.

Sed quanquam hæc ita ſe habere videantur, optemè tamen locutus eſt noſter author, immo verò huiuſmodi rerum appellationes, propoſitáque decreta non ſolùm Platoni apud quem nuſquam ferè non ſe ſe offerunt; verùm etiam alijs authoribus plurimis, ijſque clariſſimis, quos longo ordine producam, fuerunt familiaria, præſertim verò ſapientiſſimis illis diuinorum myſteriorum ac ſpectaculorum contemplatoribus Moyſi ac Paulo, immo verò ipſimet rerum omnium authori Deo. Quamobrem Apoſtolus (vt ab ipſo incipiam) non Ethnicorum philoſophiam ſecutus, ſed cœleſti ſpiritu afflatus atque edoctus, breuiter atque diuinè eandem rerum partitionem perſtrinxit, dum † *diceret,* τὰ βλεπόμενα πρόσκαιρα. τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια. Quæ videntur, temporaria ſunt: quæ non videntur, æterna. *Vbi (ne hoc prætermittam, quod rem mirificè illuſtrat) non ſolùm partitionem iſtam agnouit, verùm etiam teſtatus eſt (id quod* ἀεὶ τῶ ἀεὶ ὄντος *affirmat Plato) res ſempiternas ſola intelligentia percipi poſſe: nam idcirco etiam ſubdidit ſtatim* Μὴ σκοπούντων ἡμῶν τὰ βλεπόμενα, ἀλλὰ τὰ μὴ βλεπόμενα, non contẽplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. *Ac proinde minimè mirum videri debet Sanctos patres, ac præſertim græcos, huiuſmodi appellationes ac partitionem rerum, vel ipſis Platonis verbis retentis vſurpaſſe, eadémque mirificè extuliſſe ac celebraſſe. Quamobrem B.* † *Auguſtinus cum id ipſum in Platone obſeruaſſet;* Vehementer *(inquit)* hoc Plato tenuit & diligentiſsimè commendauit: & neſcio vtrum hoc vſpiã reperiatur in libris eorum qui ante Platonem fuerunt: niſi vbi dictum eſt, Ego ſum qui ſum, & dices eis, qui eſt miſit me ad vos. † *Hieronymus quoque,* Sola Dei natura *(inquit)* verè eſt. Id enim quod ſubſiſtit, non habet aliunde, ſed ſuum eſt: cætera quæ creata ſunt, etiam ſi videntur eſſe, non ſunt, quia aliquando non fuerunt: & poteſt rurſus non eſſe quod non fuit. Quare Deus ſolus qui æternus eſt, eſſentiæ nomen verè tenet. *Sed & præclarè Origenes in eandem ſententiam.* Si aliud quidpiam † *(inquit)* in creaturis entis nomine, uel hac ſignificatione appellari poſſet, nunquam diceret dominus hoc ſibi eſſe nomen. ſciebat enim ſe ſolum eſſe: creaturas verò a ſe accepiſſe ut eſſent. Nam & umbra ad comparationem corporis non eſt: & fumus ad comparationem ignis non eſt. *Hinc Nazianzenus*

† *epiſt. 2. ad Cor. ca. 4.*

† *l. 7. de ciu. Dei c. 11.*

† *ep. quadam ad Damaſ. quæ incipit, Quoniam uetuſto, & habetur. to. 2.*

† *ho. vnica in lib. Reg. incāt. Anna.*

zenus magnus ille Theologus in oratione de funere patris, & epistola prima ad Celdonium, & clariùs in sermone de pauperum amore, & altero de die natali Domini docet, ea quae sub aspectum cadunt, inanem speciem habere, atque adeò vera essentia carere. Contra verò illa quæ mente cernuntur, esse æterna, & essentiam sola habere. Sic etiam disertissimis verbis Epiphanius contra Marcionem vbi τὸ ὂν *opponit* τῷ μὴ ποτ᾽ ὄντι, *atque illud, primam omnium rerum causam Deum, hoc creata omnia continere docet. Idem planè sensit disertissimus* Philo: *qui in eo libro cui titulus, De eo quod malum bono insidiatur, fusè docuit creaturas non essentialiter sed opinione duntaxat subsistere: Deum verò. Idem fusiùs videre est apud B. Iustinum in adhortatorio ad gentes, & apud Eusebium Cæsariensem libro* XI. *de præparatione capite* VI. *qui etiã Platonem hanc ipsam rerum partitionem ex diuinis voluminibus in hunc locum transtulisse pugnant. Quanquam (vt ingenuè fatear) si ex ipsius Mosis scriptis potiùs, quàm aut ex Trismegisto, aut alio quopiam Moysis sectatore haec accepisse velint, assentire illis haud possum: nam Plato huiusmodi decretum ex Mercurio Trismegisto integrum hausit, qui V.* Poëmandri *capite ad initium sic habet.* πᾶν τὸ φαινόμενον γεννητόν. τὸ δὲ ἀφανὲς ἀεὶ ἐστι. Quodcũque sese offert aspectui, genitum est: quod verò latet, sempiternum. *Quo in loco statim etiam subdit.* φαντασία μόνων τῶν γεννητῶν ἐστίν. οὐδὲν γάρ ἐστιν ἡ φαντασία, ἡ γένεσις. ὁ δὲ εἷς ἀγέννητος δῆλον ὅτι καὶ ἀφαντασίαστος. Phantasia solùm circa ea quæ genita sunt versatur, quæ præter generationem nihil existit. At vnicus is ingenitus (*Deum intelligit*) a phantasia (vt constat) percipi nequit. *Quod etiam hoc ipso in loco docet Plato, dum res quæ generantur, sensu tradit & opinione attingi: quae verò ingenita sunt, non sensu percipi, sed intelligentia. Consimilique loquendi ratione vsus est idem Mercurius in capite* VIII. XI. *& tribus sequentibus ad res tum sempiternas, tum mortales designandas. Quid plura? Plato non solùm has appellationes ac partitionem accepit ex Mercurio, verùm etiam integras sententias, atque adeò has ipsas positiones omnes quas hic præmittit. Quin totam fermè argumentationem qua vsus est ad Mundi opificem statuendum, ad Timæum transtulit, vt infra, ne saepius repetere eadem cogamur, ostendam vtriusque sententijs ac verbis ipsis collatis. Denique (vt ad rem redeam, ac multa praetermittam ex † Dionysio Areopagita, † Chrysostomo, † Cyrillo, † Damasceno, † Nazianzeno rursus, † Augustino & alijs nonnullis, qui docere videntur per abusionem res creatas appellari entia) Moysis Deique ipsius vocibus vsurpatam inuenies hanc partitionem. Nam Exodi capite* III. *cum Moses de eius nomine sciscitaretur, a quo ad Israëliticum populum mittebatur, respondit ille.* Ego sum qui sum: sic dices filijs Israël. Qui est misit me ad vos uos. *Vbi sanè si quis accuratè animaduertat, non obscurè proposita entis partitio significatur. Nam cur quaeso existentis nomen sibi vendicat Deus, hócque sibi nomen esse respondet ac profitetur (de nomine enim sciscitabatur Moses) nisi quòd res conditæ, praesertim mortales, haud ita verè existunt: sed potiùs fluunt, ac (si cum Deo conferantur qui solus, vt est † in sacris*

† Dio. 2. & 5. c. de diu. no.
† Chry. ho. 14. in Ioh.
† Cyr. l. 5. in Io. c. 23.
† Dam. l. 1. c. 12.
† Naz. or. 4. de The. & or. 2. de pasc.
† Aug. l. 5 de gen. ad lit. c. 16. & l. 7. de tri. c. 5.
† Epist. 1. ad Tim. c. 6.

cris literis, habet immortalitatem) vmbra quædam illius sunt, ac veri entis vestigium? Atque hoc inde etiam clariùs intelligi potest, quòd ab ipsa voce אהיה *Ehieh, idest* sum, *qua hic panditur Dei nomen, manauit* τετραγράμματον *illud ac maximè intimum Dei nomen* יהוה *quod diuinæ literæ* פלאי Peli, & נפלאת Niphlat, absconditum & mirabile, *alij verò* ineffabile, *ac propterea etiam græci* ἄῤῥητον καὶ ἀνεκφώνητον *esse dixerunt. Nam ab illius vocis radice quæ sine dubio est* היה *cum additione literae* י *(Iod enim solet esse formatiua, quam vocant, litera propriorum nominum, praesertim cum praeponitur) & commutato* י*, Iod, in* ו *Vau, (id enim passim inuenias in Hebraeis literis: cum duae illae literae sint affines, atque inuicem commutabiles) factum est* יהוה Iehouàh, *id est,* existens, *quòd nimirum id soli Deo, vel ipsius met testimonio conueniat. Vt proinde cum caetera quae nos appellamus entia, cum vero praesertim ente comparata, sint potiùs (vt dicebam) entis vestigium, atque adeò vmbra quaedam, in his verbis partitio illa egregiè designetur. Qua de causa (vt id refellam quod hac in re in nostram sententiam vrgere quis posset, ac simul alia quaedam afferam quae illam confirmant altiùs) vbi sunt literae illae* יהוה *bona cum Hebraeorum venia omnino legendum esset* Iehouàh, *si vim literarum spectemus, non autem* Adonai. N*eque id contendo, quod euinci res possit ex nonnullis rythmis Hebraeorum, in quibus nisi legamus* Iehouàh, *rythmi illi dissoluuntur, vt verbi causa Psalmo xxx. in illis verbis:* אֲבָרְכָה אֶת יְהוָה *vbi illud* ה *in voce* אֲבָרְכָה *additum videtur non ornatus causa tantũ, sed vt verbum quoque illud ipsi* יהוה *respondeat, atque rythmus quem Hebraei* ראוי *vocant, hoc est con spicuum, consletur. Id quod accidit etiam paulò post in* יהוה & נרוממה *clariùs autem in cantico Mosis; Hæc, inquam, & huiusmodi loca non vsurpabo in praesentia: nam cum Poëtica Prophetarum ars ignoretur hoc tempore, concedes fortasse quosdam interdum rythmos exaudiri: sed qui ad sententiam nostram confirmandam non magnum momentum habeant. Verùm ad rationes confugiam, quae sanè in promptu sunt: nam literae illae* יהוה *non possunt ex se ferre ipsius Adonai puncta. Quare Hebræi veteres (veteres in præsentia appello, qui fuerunt ante punctorum inuentionem) vbi incidissent in eas literas, easdem sanè non quod* Iehouàh *conficere ac sonare illas non intelligerent, sed cultus atque obseruantiæ causa, (quod scilicet* פלאי Peli, & נפלאת Niphlat *absc̄ditum & admirabile in diuinis oraculis dici animaduerterent) Adonai nomine efferebant. Quin etiam summus Sacerdos in Sanctuerio (ut Rabbi Moses fatetur) ipsum Iehouàh verè proferebat, eodémque nomine populo in die sanctificationis siue expiationis benedicebat. Ac propterea fiebat, vt* Iehouàh, *Sanctuarij ,* Adonai, *populi diceretur nomen. Atque hinc posteriores Hebrei qui puncta inuenerunt, vt veterum pronunciation̄e in his literis* יְהוָה *efferendis tuerentur, ipsius Adonai puncta (quae alioquin literae illae ferre non possunt) aptarunt illi, si tamen aptarunt: & ideo*

Confirmatur prædicta breui quadam digressione de nomine Dei, quo ipse vnus existens appellatur.

factum

†Pſ.71.73. 75. & 40. Eze.c. 21. Abac. in f.

factum eſt, ut ubi inciderent in illas uoces אדני יהוה Adonai Iehouáh, ut Geneſis decimoquinto, Deuteronomij tertio, Abdiæ initio, & alibi, ne abſurdi uiderentur, Adonai Adonai in tam uarijs literis legentes, nouo ritu, atque eo coacto quidem & alieno, legerint Adonai Elohim: cum tamen יהוה multò minùs recipere poſſit puncta ipſius Elohìm. Atque hunc in modum uaria loca mirificè confudentes, huiuſmodi יהוה modò יֱהוִה modò יְהוָה fecerint. Haud itaque Adonai legendum eſt, ſed Iehouah: quod (ut dicebam) eſſentiam ſignificat, & eſt proprium Dei nomen, ipſúmque infinito interſtitio ſegregat a cæteris rebus, quæ uera entia, præſertim cum illo comparatae, haud ſunt. Quod mirificè, ut monebam, cum allata Platonis partitione conſentit ac congruit. Atque huc etiam pertinet, quòd uetuſtiores quidam Hebræorum codices, (ut ex B. Hieronymo† intelligitur יהיה haberent non יהוה, ' Iod retinentes potiùs, quam in ו Vau commutantes. & hinc etiam, ut idem teſtatur, fiebat ut Græci quidam hæbetiores ubi offendiſſent nomen יהוה non Iehouàh, ſed ΠιΠι (ſunt† Hieronymi verba) legerent. Quod nimirum dum Hebraicum ה quandam Græci. Π. referret ſpeciem, Græci illi qui per inſitiam vtrunque ι Iod patrio more in vocalium loco habebant, Græco quoque more inter legendum à ſiniſtra tendentes ad dextram pro יהיה Iehouah, Pipi proferrent: non ſecus fermè atque Hebræis illis accidit, qui Chriſti domini titulum Cruci affixerunt: nam vt erant Græcæ ac Latinæ linguæ imperiti, Græcè ac Latinè dum exararent, Hebræorum more (quod ego Romæ apud Sanctæ Crucis Baſilicam, vbi magna illius tituli pars aſſeruatur, non ſemel perſpexi) a dextera ad ſiniſtram pergentes exararunt. Iam itaque facilè intelligitur illud יהוה manaſſe ab היה acceſſione ι Iod formatiui vt appellant. Atque idcirco etiam ſatis intelligitur יהוה dum à recentioribus iſtis nunc Elohim, nunc Adonâi punctis (vt dicebam) notatur, nec Adonai punctis, nec Elohim, eſſe pronunciandum, ſed punctis illis reiectis, Iehouah omnino retinẽdum eſſe, quo docemur Deum vnũ verè eſſe, atque exiſtentis nomen mereri. Atque huc etiam res tandem reuoluitur, ſi quis nũnullos ſecutus affirmet יהוה non ex היה (id quod nos aſſeueramus) formari ac deriuari, ſed ab eâdem voce qua ibi Dominus vſus eſt cum diceret, אהיה, ſeu potiùs a tertia eiuſdem temporis יהיה (poſteriore nimirum ' Iod, in ו Vau conuerſo) quæ vox tametſi ſignificet erit, verè tamẽ pro omnibus temporibus in diuinis literis vſurpatur, ita enim Deus dũ diceret אהיה אשר אהיה ſignificaſſet, Ego ſum qui fuit, eſt, & erit, ac ſimiliter dum ſubderet אהיה mittit me ad vos, ſignificaret, qui fuit, eſt, & erit, mittit me ad vos: atque hoc pacto profiterur ſe ab omni æternitate eundem fuiſſe ſemper & futurum. Cætera verò (quoniam hoc illi proprium atque intimum erat nomen, & ab alijs rebus eiuſdem diſiungere notionem debebat) nunquam verè exiſtere. Et hoc eſt ſine dubio quod ſignificare voluit dominus Apocalypſis capite. I. dum diceret. Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος

† in ep. 136

†Hie. in ep. ad Marcell. to. 3.

μένος ὁ παντοκράτωρ. Ego sum A. & Ω, principiũ & finis: qui est, qui erat, qui uenturus est. *Nam (vt omittam vocem illam* παντοκράτωρ, *quæ vnius Dei est propria, idcirco ipsi Deo conuenire, quòd omnia in se conti net, atque adeò ipse vnus uerè est omnia) ob temporũ quæ sibi uendicat, di scrimina, ad celeberrimum illum Exodi locum, de quo paulò ante diceba- mus, omnino alludit. Huc etiam pertinet quòd nomen illud* יָה *quod Deum significat, sit ex* יהוה *decurtatum, sicut* אֵל *for- tasse ex* אלואים, *ut proinde sicut* יָה *proprijs pun- ctis & per Iah, sic* יהוה *per Iehoua non per Adonai sit efferendum. Huc illud quoque addi potest, quod Elementarij, quos uocant, diuinarum littera- rum explanatores, numerum qui apud ipsos conficitur ex litteris* יהוה *(Hebræi enim quos deinde Græci secuti sunt, litteris pro numeris ute- bantur) continere uolunt omnium entium plenitudinem, quemadmodum inter cæteros Philo Iudæus, author sanè nobilis, disserit in expositione Hexameron, & Decalogi. Huc præterea pertinere quædam uidentur, quæ idem Philo, Iosephus, Clemens Alexandrinus, & B. Hieronymus de secretiore Mosaici Tabernaculi parte disserentes, quam Sanctam San ctorum appellant, tradidere. Docent enim summo sacerdoti in Sancta San ctorum ingredi non licuisse nisi ineffabile illud nomen* יהוה *gestaret in fronte: quòd nimirum & nomen & locus eum designaret, qui vnus ab omni æternitate fuit & erit. His etiam eorum suspicio, quæ sanè (quorun dam pace) mihi maximè arridet, non parùm fauet, qui Iouis nomen, quo Ethnici summum Deum significabant, fluxisse volunt a Iehouah, atque sanctissimum huiusmodi nomen leuissima commutatione, quod sexcentis alijs in rebus fecisse Ethnicos deprehendimus, fuisse temerè vsurpatum. Quamobrem si rursus vrgeas, Lxx. interpretes, quorum authoritas ma- gna semper fuit in Ecclesia, miro concensu* יהוה *per* Κύριον *reddidisse semper, quæ vox uni Adonâi respondet: & Apostolus (id quod rei ca- put est) ac Christum dominum cum ex veteri fœdere proferunt senten- tias in quibus* Κύριν *contineatur, Iehouàh nunquam, sed* Κύριον, *seu, quod illi respondet, Adonai dixisse semper, non difficile est etiam hunc nodum soluere. Nam primò Lxx. cum* יהוה *coniunctum reperitur cum Adonai, per* θεὸν *expresserunt passim, non per* Κύριον. *Deinde (ne eò confugias, vt ea loca spectari velis in quibus ab Adonai disiunctum legitur* יהוה*) illud Samuelis libro* I. *capite* II. *ad initium, vbi hebraicè habetur* רָמָה קַרְנִי כיהוה *exaltatum est cornu meum in Iehouàh verterunt* ὑψώθη κέρας μου θεῷ μου. *vbi Iehouàh per* θεὸν *non per* Κύριον *reddidere. & Isaiæ † XXVI. vbi in illis verbis* כִּי בְּיָהּ יהוה צור *bis habetur Iehouàh (tametsi semel decurtatum) ver terunt* ὁ θεὸς ὁ μέγας ὁ αἰώνιος, *Iehouàh per* θεὸν *non per* Κύριον *expri- mentes. Apostolus etiam in epistola ad † Hebræos vsurpans siue expli- cans illud † Genesis, Sacrificium obtulit Abel* יהוה θυσίαν *(inquit, quan tum ex græco interprete percipere licet)* Ἄβελ προσένεγκε τῷ θεῷ. *vbi pro* יהוה *non* Κύριον, *qui respondet Adonâi, sed* θεὸν *vsurpauit. sic ad † Ro- manos: nam cum dixisset † Moses.* Quoniam Iehouah Deus vester ipse

† *paulò post init.*
† *ad Heb. c. 12. u. 4.*
† *Gen. c. 4. u. 4.*
† *Ep. ad Ro. c. 2. u. 11.*
† *Deu. c. 10 u. 16.*

est

est Deus Deorum, & dominus dominantium, Deus magnus & potens & terribilis, *ac subdidisset statim*, Qui personam non accipit, *Apostolus hoc* Iehouàh personam non accipit, *expressit his verbis*, οὐ γάρ ἐστι προσωποληψία παρὰ τῷ θεῷ, *id quod fecit S.* Petrus *etiam in actibus* † *Apostolorum. vt interim omittam diuinos scriptores non ita religiosè, fuisse verbis addictos vt vnam eandémque vocem vno eodémque modo de Hebræis semper conuerterint. Nam B. Paulus* (*vt res vno aut altero exēplo declaretur, allatum* † *Deuteronomij locum, Iehouàh personam non accipit, cum ad* † *Ephesios scriberet, per* Κύριον *expressit: cum tamen, vt vidimus, cum Romanis* Θεὸν *vsurparit. Sic illud Christi Domini in cruce,* Deus meus Deus meus, quare me dereliquisti, *alijs vocibus refertur a* † *Matthæo, alijs a* † *Marco: ita vt ille hebraicè & ijsdem planè verbis cum* † *psalmo, hic Syriacè, verbis nimirum paulò commutatis, loquentem fecerit liberatorem nostrum. Sed esto fuerit non modò ab Hebræis pronunciatum per Adonâi, verùm etiam a Lxx. reliquísque omnibus per* Κύριον *expressum semper; at hoc factum est, quia Hebræi, vt monui, religione ducti, non audebant efferre illud Iehouàh: & ideo recurrebant ad finitiuum nomen Adonâi, huius punctis illud onerantes. Et ideo cum id iam veteri consuetudine receptum esset apud illos, vt per Adonâi efferretur, Lxx. etiam per* Κύριον *quod Adonâi respondet, exprimendum censuerunt. Christus dominus etiam inter loquendū tritum Hebræorum sermonem retinebat. quare siue Syriacè dißereret, quod opinor faciebat paßim, siue Hebraicè aliquid pronunciaret, quod in attestandis scripturæ locis illi accidit aliquando, cæterorum more (neque enim à pietate abhorrebat hic mos, sibíque propter gentem illam amplectendus erat omnino) efferebat vocem illam* יהוה *Idem fermè Euangelistæ. Nam quemadmodum Christus Syriacè, vel certè Hebraicè citauit loca, in quibus esset* יהוה *& tamen illi (Matthæo vno excepto) Christi dicta expresserunt græcè, ita etiam loca quæ Hebraicè fuerant a Christo allata, græcis vocibus quæ Hebraicis responderent, perinde atque Lxx attestari voluerunt. Consimilémque ob causam* Κύριον *habent Apostoli, vbi Hebraica loca proferunt in quibus est* יהוה *Hinc igitur minimè efficitur quominùs aduentitijs alienísque punctis Pronunciaretur* יהוה. *Et ideo si proprijs germanísque efferatur, optimè significabit diuinam naturam. Et hoc est, quod sibi voluerunt Hebræi dum dicerent cætera Dei nomina esse cum mixtura quadam, hoc autem esse syncerum, licet esset,* שֵׁם הַמְּפֹרָשׁ *sem hamphoras, id est nomen expositū. significabant enim hoc vnum ab omni æternitate intimū fuiße illi, & non quæsitū extrinsecùs, licet exponeretur & efferretur nomine alieno. Cætera nomina extrinsecùs eße aßumpta, partim similitudine quadā, partim ex operibus: eßéque illi magna ex parte cōmunia cū homine aut rebus creatis, vt* צַדִּיק שַׁדַּי אֲדֹנָי *iustus, dominus, omnipotēs, & similia. Vt propterea hac etiam via partitio illa rerū, qua sanè totius Physiologiæ fundamenta iacet noster Plato, etiā atque etiam confirmetur.*

Sed dixerit fortasse quispiam. Constat quidem ex dictis vnde fluxerit Platonica ista partitio: constat etiam ipsam cum veritate non posse non consentire, cum eadem sanctißimis viris fuerit familiaris, & in sacris volumi-

†c.10.u.11

†c.5.u.9.

†Mat.c.27 u.46.

†Mar.c.15 u.34.

†ps.21.u.1.

luminibus reperiatur. Verùm duo sunt quæ desiderantur adhuc. Nam videndum esset primùm quae sit in hac partitione singulorum membrorum vis, quidque tandem sub vnoquoque contineatur: id enim præterquam quod a principio fuerat propositum, rei caput censendum erit, si ad rerum initia inuestiganda pertinet, quemadmodum vult Plato: tum verò diluenda essent quæ obijciebantur illi: nam maximam sine dubio faciunt dubitationem. Et quoniam haud ita dilucidè constat ex dictis an quae sancti illi viri, ac diuinae inprimis literae reuocant ad duo illa capita, ea prorsus sint quae Plato sub illis voluit contineri, videndum esset an veritatem hac quoque in re attigerit noster author.

Reuocatur disputatio ad propositam sumptionem: pro qua explicantur adhuc quædam.

Ergo vt primùm declaremus; obseruandum, ac tanquam firmissimum fundamentum statuendum est, verè non distingui ac secerni a Platone hoc in loco ens in id quod semper est, & in id quod generatur & nunquam est; sed potiùs assumi quandam entis (quaecunque illa sit) distributionem: ait enim explicandum esse quid sit quod semper est carens ortu, quid verò quod gignitur quidem neque est vnquam: quod etiam statim praestat, vtrunque explicans atque definiens. Et idcirco vox illa διαιρετέον *hic non* distinguen dum *significat, vt Ficinus atqua alij nonnulli interpretati sunt, sed explicandum, seu differentijs notatis* statuendum; *hoc enim sensu non rarò apud Platonem aliósque bonos authores inuenias hanc vocem vsurpatam, vt obseruauit Budaeus: quare nihil planè partitus est hoc in loco Plato: sed potiùs (vt monebam) assumens quandam entis partitionem, eius vim ac naturam discriminibus positis declarauit, Et idcirco dum Proclus tam minutè atque adeò religiosè quaerit, quaenam tandem diuisio sit hæc de qua loquitur Plato, asserens* † Τίς οὖν ἡ διαίρεσις αὕτη, καὶ τίνα τρόπον γέγονε; πότερον ὡς ὅλον τινὸς εἰς μέρη πεποίηται τὴν τομήν, ἢ ὡς γένους εἰς εἴδη διεῖλεν, ἢ ὡς εἰς πλείους σημαινόμενα μίαν τινὰ φωνήν, ἢ ὡς οὐσίαν εἰς συμβεβηκότα, ἢ ἀνάπαλιν ὡς συμβεβηκὸς εἰς οὐσίας; ταῦτα γάρ εἰσιν ἃ θρυλλεῖν εἰώθασί τινες εἴδη τῆς διαιρέσεως. *hoc est,* quænam itaque est hæc diuisio, & qua ratione facta est? Vtrum ne totum aliquid diuidit in suas partes uel genus in species: vel vnam aliquam vocem in significationes varias: vel substanriam in accidentia, vel contra accidens in substantias? hæ namque sunt quas nonnulli celebrare atque vsurpare solent diuisionis species, *dúmque tam fusè statim disputat ut nullam harum diuisionum hic fieri ostendat, ac tandem concludit.* τί οὖν ἐροῦμεν; ἢ διαίρεσιν μὲν οὐδεμίαν πεποιῆσθαι τὸν Πλάτωνα νῦν, διάκρισιν δὲ ἀφορίζειν τοῦ τε ἀεὶ ὄντος, καὶ τοῦ γιγνομένου; τί ποτε ἐστὶν ἑκάτερον αὐτῶν; τὸ γὰρ διαιρετέον τῷ διακριντέον, ταὐτόν μοι δοκεῖ σημαίνειν. *hoc est.* Quid igitur dicemus? an diuisionem quidem nullam fecisse Platonem in præsentia, sed existentem eius quod semper est; & eius quod fit, discretionem agnouisse ac diiudicasse? & quid igitur horum duorum statuemus? mihi quidem illud διαιρετέον diiudicandum, siue discernēdum significare videtur. *dum, inquam, tam religiosè rem perscrutatur Proclus, ueritatem (ut rem intuenti constare facilè potest) attigit quidē: sed cur in re non usque adeò obscura tantos excitaret scrupulos, támque longè exaggeratam illam de diuisione ista huc reuocaret, atque adeò intru-*

Nullam partitionem fieri a Platone in hac sumptione, sed assumi potiùs quandam entis distributionem.

† li. 2. in Ti.

† cōmodiùs πεποίηκεν.

truderet disputationem, immo uerò Platonis de diuisione instituta cum Peripateticis, Stoicisque conferret, non habuit.

Iam uerò huiusmodi partitionis quam hîc arripit Timæus, quæ uis sit atque potestas, non constat inter Platonicos: qui sanè in uarias opiniones contentionésque hac de causa deuenerunt, quemadmodum testatur Proclus his uerbis. οἱ μὲν πάντα τὰ ὄντα ὁπωσοῦν, εἴτε παραδειγματικῶς, εἴτε εἰκονικῶς ἔφαντο διὰ ταύτης περιλαμβάνεσθαι τῆς διακρίσεως. οἱ δὲ οὐ πάντα. καὶ τὴν ἐξήγησιν ἀντιλογίαι πρὸς ἀλλήλοις οὐκ ὀλίγαι περὶ τούτου γεγόνασιν. *idest.* Alij quidem omnia entia quæcunque tandem sint, siue exempli, siue simulachri locum habeant, affirmarunt hac partitione contineri: alij verò negarunt: quocirca variæ hac de re interpretum extiterunt controuersiæ.

De vi ac potestate sumptionis dictæ præsertim ex Platonicis: deque eorundē opinionibus iudicium.

Atque inter hos quidem idem Proclus suam sententiam his exponit. † Αὐτὸ δὲ τὸ ὂν ἀεί, πότερον τὸν νοητὸν πάντα σημαίνει κόσμον, ἢ τὸν δημιουργόν, ἢ τὸ παράδειγμα τοῦ παντός, ἄλλοι γὰρ ἄλλως ὑπέλαβον. καὶ οἱ μὲν τὸ νοητόν, πόθεν τε ἄρχεται, καὶ ποῦ πέρας ἔχει τὸ νοητὸν πλάτος; εἰ δὲ τὸ παράδειγμα, πῶς ὁ δημιουργὸς οὐκ ἔστιν ἀεὶ ὄν; εἴπερ ἄλλο τὸ παράδειγμα, καὶ ὁ δημιουργός. εἰ δὲ ὁ δημιουργός, πῶς τὸ παράδειγμα οὐ τοιοῦτον; ὅτι μὲν οὖν τὸ παραδειγματικὸν αἴτιον ἐν τῷ ἀεὶ ὄντι τακτέον, ἐναργῶς ὁ Πλάτων φησίν, πρὸς πότερον τῶν παραδειγμάτων, ὁ τεκταινόμενος αὐτὸν ἀπειργάζετο, πρὸς τὸ κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχον, ἢ πρὸς τὸ γεγονός. καὶ ἐπέκρινεν αὐτός. εἰ μὲν δὴ καλός ἐστιν ὁ κόσμος, ὅτε δημιουργὸς ἀγαθός, δῆλον ὡς πρὸς τὸ ἀΐδιον ἔβλεπεν, εἰ δέ, ὃ μὴ θέμις εἰπεῖν, πρὸς τὸ γεγονός. εἰ οὖν τοῦτο μὴ θέμις εἰπεῖν, ἀεὶ ὄν ἐστι τὸ παράδειγμα τοῦ παντός. ὅτι δὲ καὶ ὁ δημιουργὸς τῶν αὐτῆς ἐστι μοίρας ταύτης, δῆλον ἐκεῖθεν, τὴν ψυχὴν ἣν ὁ δημιουργὸς ὑφίστησι, πρώτην αὐτὸς διαρρήδην ἀποκαλεῖ τῶν γενομένων, καὶ γένεσιν αὐτῆς παραδίδωσιν. ὁ γὰρ δημιουργός, πρὸ τῆς ψυχῆς ἐστιν, ὥς τε τῶν ἀεὶ ὄντων ἐστίν. διὸ καὶ ἐρεῖ περὶ αὐτοῦ, οὕτως οὖν ὄντος ἀεὶ λογισμὸς θεοῦ, καὶ πῶς γὰρ ἔμελλε νοῦς ὢν θεῖος μὴ ταύτης εἶναι τῆς μοίρας; ἆρ᾽ οὖν πᾶς ὁ νοητὸς κόσμος ἀεὶ ὄν ἐστι; *idest.* Iā verò id quod sēper est, vtrūne Mundū significat vniuersū qui intelligentia cōprehenditur, an verò opificē, an potiùs Vniuersitatis exēplum? alij nāque aliter atque aliter arbitrati sunt. & si quidem Mundum significat qui animo cernitur, vndenam incipit, & quousque tandem se extendit? Si autem exemplum, quomodo Mundi opifex semper non est? aliud enim est exemplum, aliud opifex. Si verò opificem, quo pacto exemplum non est eiusdem rationis? Quod quidem igitur ea causa quæ exempli rationem habet, sit in eo genere collocanda quod semper est, perspicuè satis declarauit Plato. dum enim quæreret cuinam exemplorum Mundi opifex similem effecisset Mundum, an ei quod secundum éadem eodem semper modo se habet, an verò illi quod factum est, statim constare decreuit Mundi artificem, siquidem ipse Mundus pulcher est, atque eius artifex bonus; in æternum exemplum inspexisse. Si verò, quod ne affirmare quidem fas est, minimè pulcher sit, Mundum habuisse ortum exemplum. Si itaque nefas est id affirmare, ex his quæ semper existunt, est Mundi exemplum. Quod autem Mundi quoque opifex eiusdem sit sortis, hinc intelligitur: nam animum quem constituit, Mundi opifex disertissimis verbis appellat primū eorum quæ facta sunt; & ortum ipsius tradit. quamobrem cum opifex sit ante animum, ex ijs erit quæ semper sunt. Atque idcirco dicet

† li. 2. in Ti.

Proclus.

cet

cet de illo. Itane verè semper est ars ac ratio Dei, atque fieri poterit ni cum diuina sit Mens, non eiusdem quoque sit sortis atque rationes? Non ne igitur Mundus vniuersus qui mente percipitur semper est? *His Ploclus aperuit suam opinionem: quam etiam deinde cum aduersus Iamblichum in eandem sententiam digressus esset, confirmauit clariùs, explicans quibus tandem finibus arbitraretur circumscribi eius quod semper est, vim ac potestatem, ídque his verbis.* εἰ οὖν ἐμὲ χρὴ τὸ φαινόμενον λέγειν προηγουμένως, πᾶν τὸ αἰωνίως ὂν νῦν ὁ Πλάτων παρείληφε, ἀρχόμενον μὲν ἀπὸ τῆς αὐτοζώου φύσεως, (τοῦτο γάρ ἐστι τὸ πρώτως αἰώνιον) λῆγον δὲ ἄχρι τῶν μερικῶν νόων. *hoc est.* Si igitur mihi efferẽdum sit quid præcipuè hac de re sentiã, Plato id omne hoc in loco comprehendit quod est sempiternũ: incipiens ab ea natura quæ per se ipsam viuit (hæc enim prima est inter æternas naturas) desinénsque in singularibus intelligentijs ac mentibus. *Hæc iterum Proclus; qui sanè dum Mundi huius opificem, eiusdémque Mundi Ideam sub isto genere collocat, rectè quidem mihi videtur philosophari, veréque Platonis mentem aperire, qui hoc apertis verbis in Timæo asseruit: ac præsertim de Mundi Idea; quemadmodum optimè etiam hunc ipsum quem modo explicamus Platonis locum attingens M. Tullius monuit, vt paulò post videbimus. At dum Mundum qui solo animo attingitur, ac Mundi qui sub aspectum cadit, Ideam tanto interuallo disiungit Proclus, grauiter (vt opinor) lapsus est: nam Plato in Timæo Mundum ipsum qui cernitur animo, passim facit Mundi huius aspectabilis Ideam. Quanquam fortaße excusari posset Proclus hoc in loco quòd per* νοητὸν κόσμον *non intelligibilem Mundum significare velit, quem Plato Mundi huius qui sub aspectum cadit, Ideam vocat: sed vniuersam intelligibilem naturam, quæ, quicquid tandem contineat, non idem planè sit cum Idea Mundi. Sed & illud dubitari posset aliqua ex parte, dum eodem planè interuallo opificem & Vniuersitatis exemplum disiungit, ac longè alium facit, si enim in Deo ipso sit Idea illa, atque eiusdem prorsus naturæ sit (id quod Academici multi sentiunt) vana esset distinctio. Denique dum ait. Eius quod semper est nomine a Platone comprehendi omne quod æternum est, ídque ea ratione, vt primùm intelligatur id quod per seipsum viuit, ac deinde mentes singulæ; respondendum eßet tum argumentis quibus ostendimus æternas omnes substantias sub eo genere haud collocari posse, tum verò declarandum esset quas tandem ex ijs quæ sub intelligentiam cadunt, naturas æternas esse velit. Vt omittam animum apud Platonem* αὐτοζῶον *dici posse, cum sit (vt scribit in Phædro) seipsum mouens: (id enim cum de metaphorico animi motu quo scilicet ipse animus intelligit, dici velint Platonici, ob hanc intelligentis vitae vim seipso viuere animum affirmare coguntur) & tamen longo interuallo abesse a principe illo rerum loco atque gradu in quo princeps rerum sempiternarum natura collocatur. Sed & longè aliter sentit Iamblichus: id enim quod semper est, negat siue Ideas, siue Mundum qui intelligentia sola percipitur, siue denique ipsum Mundi opificem continere: contenditque ijs omnibus esse superius, atque ad Vnitatem quam summo loco statuit, proximè*

Iamblichus.

mè accedere. Iamblichi ſententia ex his verbis intelligitur. † Ἀλλ' ὁ Ἰάμβλιχος ἐμβριθῶς διαμάχεται τῷ λόγῳ, τὸ ἀεὶ ὄν, κρεῖττον καὶ τῶν γενῶν τοῦ ὄντος καὶ τῶν εἰδῶν ἀποφαινόμενος, καὶ ἐπ' ἄκρῳ τῆς νοητῆς οὐσίας ἱδρύων αὐτὸ πρώτως μετέχον τοῦ ἑνός. *hoc eſt.* At Iamblichus conſtanter pugnat rationeque oſtendit, id quod ſemper eſt, ſuperius eſſe atque præſtantius illis quoque ſpeciebus entis & Ideis: atque in ſummo intelligibilis ſubſtantiæ ipsũ collocat ac firmat, ſicvt per ſe primò ſit particeps vnitatis. *Ita Iamblichus, qui & ipſe ſuam opinionem ex Platone confirmare conatur his verbis.* τούτοις γὰρ μαρτυρεῖ καὶ τὰ ἐν Παρμενίδῃ γεγραμμένα περὶ τοῦ ἑνὸς ὄντος, καὶ τὰ ἐν Σοφιστῇ. καὶ γὰρ ἐκεῖ πρὸ τοῦ ὅλου τάττει τὸ ἓν ὄν, καὶ πρὸ τοῦ παντὸς τοῦ νοητοῦ. *id eſt.* Quæ ex ijs etiam cõfirmari poſſunt quæ in Parmenide tradita ſunt de Vnitate exiſtente, & quæ habentur in Sophiſta. Ibi enim quod eſt vnum, ponit ante totum: & ante Vniuerſitatem intelligibilem. *Ita Iamblichus, qui ſanè ſi id quod ipſe ſumit tanquam exploratum ac certum, conſentiret Platoni, oſtendiſſet ſine dubio Mundum qui animo percipitur, non comprehendi eius quod ſemper eſt, nomine: cum id quod ſemper exiſtit, Mundum ipſum anteuertat, quem exemplarem appellant. Idque etiã de Ideis oſtendiſſet, quæ ſi non idem ſunt cum intelligibili Mundo, at certè in eodem intelligibilium ſubſtantiarum ordine verſari deberent. Verùm cũ Plato non ſemel, idque perſpicuis verbis contendat in Timæo, aſpectabilis Mundi Ideam, ſeu Mundum qui ſub aſpectum non cadit (id quod Iamblichum nõ animaduertiſſe mirum eſt) ſemper exiſtere, cúmque reuera Plato in Parmenide dum dicitur* τὸ ἓν ὄν *ſupra intelligibem Mundum conſtituiſſe, non id vniuerſim intelligere videatur, ſed partem quandam eius quod ſemper eſt, eámque præcipuè id obtinere, Iãblicho aſſentiri nullo modo poſſum. Apuleius verò in libro de dogmate Platonis ad priorem gradum reuocandum eſſe tradit Deum, Mentem, Ideas, & animam. Sub poſteriore verò contineri ea omnia quae ſub ſenſum cadunt, & mutationi ſunt obnoxia. Nam cum dixiſſet duas* οὐσίας *ſiue eſſentias fuiſſe a Platone conſtitutas, alteram quæ ſolo animo cernatur, aſpectabilem alteram,* Et primæ (*inquit*) ſubſtantiæ Deum eſſe voluit & Mentem, formáſque rerum, & animam. Secundæ ſubſtantiæ omnia quæ informantur, quaéque gignuntur, & quæ ab ſubſtantiæ ſuperioris exemplo originem ducunt: quæ mutari & conuerti poſſunt, & labentia. *M. Tullius autem in prima Tuſculana hunc locum viſus eſt vel de vnis Ideis, vel de his maximè interpretari dum ſic habet.* Nihil enim putat eſſe Plato quod oriatur & intereat: ídque ſolùm eſſe quod ſemper tale ſit, qualem Ideam appellat ille, ſpeciem nos. *Quam ſententiam clariùs adhuc expreſſit in Oratore ad Brutũ* † *vbi ad hunc Platonis locũ non minùs dilucidè quàm elegãter alludens, Has* (*inquit*) rerum formas appellat Ideas ille nõ intelligendi ſolùm, ſed etiam dicendi grauiſsimus author atque magiſter, Plato: eáſque gigni negat, & ait ſemper eſſe: ac ratione & intelligentia contineri: cæteras naſci, occidere, fluere, labi, nec diutiùs eſſe vno & eodem ſtatu. *In qua ſententia Porphyrius etiam fuiſſe videtur, ſi* † *Simplicio credimus,*

Apuleius.

M. Tullius.

† *poſt init.*

Sim. l. 1. phy. com. 27.

Porphyrius.

S. Augustinus Iustinus, Eusebius & Epiphanius.

mus, nam censuit a Platone id quod semper est, dici Ideam. Sed & B. Augustinus, Iustinus Martyr, Eusebius Cæsariensis, Epiphanius locis antea allatis id totum uni Deo uidentur accommodare; ita facientes, opinor, uel quòd Deo primaria, immo uerò singulari quadam ratione conueniret, uel quòd diuinas illas Platonicorum mentes, ac si quid huiusmodi extra Deũ statueretur a Platone, non agnoscerent: ac propterea scoriam ab auro secernere uellent. Idem fermè Theodoretus in libro de principijs, sed clariùs Cyrillus libro 1. contra Iulianum, & elegantissimè omnium Gregorius Nazianzenus, qui in oratione de Christi natiuitate totum illum Timæi qui cũ hoc mirificè congruit locum, Ταῦτα δὲ πάντα μέρος χρόνου, καὶ τό τ' ἦν, καὶ τό τ' ἔσται χρόνου γεγονότος εἴδη φέροντες λανθάνομεν ἐπὶ τὴν ἀΐδιον οὐσίαν, οὐκ ὀρθῶς. λέγομεν γὰρ δὴ ὡς ἦν, ἔστι τε καὶ ἔσται. τῇ δὲ τὸ ἔστι μόνον κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον προσήκει. τὸ δὲ ἦν, τό τ' ἔσται περὶ τὴν ἐν χρόνῳ γένεσιν ἰοῦσαν πρέπει λέγεσθαι. κινήσεις γάρ ἐστον. τὸ δὲ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον ἀκινήτως οὔτε πρεσβύτερον, οὔτε νεώτερον προσήκει γίγνεσθαί ποτε οὔτε γεγονέναι νῦν, οὐδ' εἰς αὖθις ἔσεσθαι. τὸ παράπαν τε οὐδὲν ὅσα γένεσις τοῖς ἐν αἰσθήσει, φερομένοις προσῆψεν, ἀλλὰ χρόνου ταῦτα, αἰῶνά τε μιμουμένου, καὶ κατ' ἀριθμὸν κυκλουμένου γέγονεν εἴδη. *hoc est.* Hæc omnia temporis sunt partes. Atqui erat & erit quæ nati temporis sunt species, non rectè æternæ substantiæ assignamus. Dicimus enim de illa, est, erat, & erit, sed illi re vera solùm esse competit. fuisse verò & fore deinceps ad generationẽ tempore procedente referre debemus. Motus enim quidam duo illa sunt, æterna verò substantia cum eadem semper & immobilis perseueret, neque senior se ipsa fit unquam, neque iunior: neque fuit hactenus, neque erit in posterum: neque recipit eorum quicquam, quibus res corporeæ mobilésque ex ipsa generationis conditione subijciuntur. Nempe hæc omnia temporis imitantis æuum, séque numero reuoluentis, species sunt, *egregiè sanè, ut Nicetas quoque obseruauit, in suam sententiam transtulit, posterioremque gradum, fluxæ naturæ, priorem Deo (quanquam an aliud quidpiam sub hoc contineretur, non definiuit) congruere uoluit his uerbis.* Θεὸς ἦν μὲν ἀεὶ, καὶ ἔστι, καὶ ἔσται. μᾶλλον δὲ ἔστιν ἀεί. τὸ γὰρ ἦν καὶ ἔσται τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου τμήματα. καὶ τῆς ῥευστῆς φύσεως. ὁ δὲ ὢν ἀεὶ καὶ τοῦτο αὐτὸς ἑαυτὸν ὀνόματι τῷ Μωυσεῖ χρηματίζων. *Id est.* Deus fuit semper, & est, & erit, seu potiùs est semper: nam fuit & erit partes sunt nostri huiusce temporis fluxæque naturæ. Ille vero existit semper: & hoc se nomine appellat Moysi interroganti. *Hæc Nazianzenus strictim Platonicũ decretũ Mosayco aptans. Idẽ planè fuit sensus Georgij Acanthij (ut aliquem ex recentioribus afferã) libro* III. *de Philosophia Platonica, ubi hunc ipsum Platonis locum differens, primum entis membrum uni Deo accommodat, quod* τὸ ὂν *siue* τὸ ἀεὶ ὄν, *idem planè significet Platoni, quod Mosi* אהיה אשר אהיה Ego sum qui sũ *Vt propterea cũ hæc Mosi nihil aliud quàm unum Deum significet, illud quoque eundem solum Deum Platoni significarit. Quanquam si rem æqui bonique expendamus, atque horum sententiam potiùs quàm rationis uim spectemus qua illa confirmant, haud sanè uidentur rem ita subtiliter persequi uoluisse, ut si Platoni aliquid aliud etiam præter Deum*

Theodoretus & Cyrillus.

Gregorius Nazianzenus.

Georgius Acãthius.

ſignificarit τὸ ὄν, illud excludere uoluerint; ſed potiùs conſenſum inter Moyſem & Platonem oſtendere, Deúmque ſignificare eâdem ratione exprimi ab vtroque. Quare non rarò etiam Nazianzenus, & qui coryphæus videri poteſt huius ſententiæ, Euebius per τὸ ὄν, æternum rerum genus ſignificari indicant, per τὸ ὂν οὐδέποτε, id quod tempori ac mutationibus eſt ſubiectum. Vbi tametſi affirmaret vnum Deum fuiſſe ab omni æternitate, veruntamen cenſere potuit Platoni, quicquid tandem ſempiternum putaret, id totum ſignificare. Vt interim omittam deſignari etiam potuiſſe ab Euſebio Ideas, Mundíque exemplum, immo verò animum quoque ipſum. atque illa quidem quoniam a nobis in Deo ponuntur: hunc quia licet non ſit æternus, interibit tamen nunquam. Ficinus verò in † Timæi argumento, in quo de entium varietate multa ex Platone diſputat, viſus eſt hunc locum ſic exponere, vt id quod ſemper eſt, ſimpliciſſimæ, æternæque naturæ conueniat: atque huius etiam nomine prius membrum ſic intelligit, vt inter hoc & ea quæ in Mundo fiunt (his verò ſignificat poſterius membrum) alios gradus ex his permixtos, ſiue iiſdem finitimos, collocarit. Immo verò hos duos gradus a Platone poſitos, non ſolùm alios intermedios habere voluit, ſed & ſingulos in alios ſubinde gradus, eóſque inter ſe longo interuallo diſtinctos, ſecari ac diuidi. Nam id quod a Platone fieri dicitur & nunquam eſſe, ipſe diuidit in id quod ſemper fiat, & nunquam ſit; & in id quod aliquando tantùm fiat; ac ſit nunquam: quorum illud conuenire vult Mundo in vniuerſum: hoc rebus ſingulis quæ intereunt. Id verò quod a Platone nunquam gigni, & ſemper eſſe dicitur, & in id ſecetur quod eſt ſupra æternitatem, & in id quod eſt in æternitate ipſa: atque hoc quia ingenerabilitas (eius verbis vtor) perpetuaque conſiſtentia etiam in diuinis mentibus reperiatur: cum tamen a ſumma independentique ſimplicitate pendeat: quæ ſine dubio ſuperior illis ſit exiſtimanda. Vt ſi ex iis quæ a Platone ſemper ingenita & exiſtentia dicuntur, non facilè concedas aliquid ſupra æternitatem poſitum eſſe, fateri certè debeas in æternum dependens, & in æternum non dependes diſtribui. Hæc ſummatim Marſilius. Qui ſanè licet mihi videri ſoleat longè ingenioſiùs hac in re philoſophari atque diſtinctiùs quàm cæteri Platonici, ueruntamen quoniam in re adeò nobili ac perdifficili verſamur, quæque ad Vniuerſitatis initia inueſtiganda ac ſtatuenda vſurpantur a Platone, optaſſem vt ipſiuſmet Platonis, cui hanc ſententiam tribuit, locis, ac dictis propoſita dogmata confirmaſſet. Præclarum eſt enim appoſitè multa atque acutè proferre, ſed ea rationum vi ac pondere confirmare, præclarius.

† cap. 7.

Ficinus.

Quanquam hæc diſputatio (vt ingenuè fatear) cum eſt admodum laborioſa, multiſque ac magnis difficultatibus intercluſa, tum præſertim hoc tempore minimè eſt neceſſaria. Laborioſa eſt ac perdifficilis, nam in in ſubſtantiarum quæ ſolo animo percipiuntur, ſerie ordinéque texendo, ſi ad Platonicos te conuertas, vix, ac ne vix quidem certi quicquam ſtatuere poſſis: quemadmodum facilè intelligi poteſt, tum propter ea quæ hic ex Iamblicho, Proclo, aliiſque multis retulimus; tum ex his quæ in eandem fermè ſententiam ſcribunt Plotinus Enneade v. præſertim libro I. capite IV. & quinque

Authoris ſententia.

sequentibus, libro 11. *capite* x. *ac deinceps alijs septem, & ibidem Ficinus. B. Dionysius libro de diuinis nominibus: nam de vnitate, essentia, Ideis, bonóque Platonicè, etsi aliò spectaret, disserit multa: Iam blicho rursus de mysterijs Aegyptiorum, præsertim ad initium, vbi inter bonum humanósque animos, heroës, Dæmones, aliósque quosdam Deos statuit: Proclo de anima & Dæmone, qui præter Heroas quatuos Deorum ordines affert: Alcinoo in libro de doctrina* Platonis *passim, & (vt* Apuleium, *Diacetium & alios multos prætercam, apud quos multa reperies in hanc sententiam) ex Patritio dialogo primo de Rhetorica, Serrano hoc in loco, & alijs. si verò ad Platonem ipsum te conuertas, facilè suspiceris aut in varias sententias (id quod isti faciunt) trahi posse, aut certè nisi Parmenidis ac Timæi decreta, quibus maximè quæstio nostra continetur, perspecta fuerint, nihil posse decerni. Tamesi (id quod alibi disputabimus) videtur* Plato *Trismegisti sententiam sequi qui, vt ex* Pimandro † *passim intelligitur; Deum solet in primis, tum verò ea omnia quæ a materia segregata sunt, ad priorem gradum, reliqua ad posteriorem reuocare. Quamuis* Plato, *vt sæpe Idearum mentionem facit: atque has corporatis formis ac speciebus opponit sigillatim, Ideas etiam idque frequenter, eius quod semper est nomine designare solet & comprehendere. Non est autem necessaria, quia dum asserit Plato, videndum esse quid est quod semper caret ortu, quid verò id quod gignitur quidem, neque est vnquam, non magnopere curat (si paulò attentiùs animaduertas) quidnam tandem ad duo illa genera sit reuocandum: quæue sit eorum quæ semper sunt, ordo ac series. Sed tantùm assumit inter entia aliquid reperiri quod semper est: aliquid quod gignitur & nunquam existit: haud curans hoc tempore siue alia reperiantur mixti generis, & media, siue aliquid sit collocandum supra id quod est sempiternum, aut eiusmodi alia. Nam ad Mundi opificem statuendum (huc enim spectat duorum illorum entium mentio) satis est illi reperiri aliquid quod caret ortu, & semper existit; & aliquid quod gignitur quidem, sit verò nunquam, vt suo loco patebit.*

† *vide cap.* 5

Quod si ita est, ruunt dubitationes omnes quas a principio attulimus: neque enim profitetur author hoc loco, se perfectam ac veram entium partitionem afferre: sed tantùm sumit aliqua reperiri quae hoc vel illo modo se habeant. Atque hinc satis constat inopportunum esse hoc tempore duo illa peruestigare quae quaerebatur: nimirum quibus finibus contineatur, quæue comprehendat ex Platone id quod semper esse dicitur: & an sicut cum Christiana veritate conuenit in appellationibus, ita in rebus consentiat quae sub ijs contineri censuit. Potiore itaque iure hoc in loco dubitari posset, num verè reperiatur aliquid, quòd semper sit, atque ortu careat (id enim ex Physico ostendendum esset potiùs, quàm assumendum) & vndenam constare illi possit: ac (quod præcipuum est) reperiatur ne aliquid quod gignatur quidem, sed nunquam sit; nam corpora & res mortales (vt à principio huius quæstionis monebamus) procul & ipse abesse ab hoc videntur: cum sensu atque experientia satis constet, ipsas extare, ac certo aliquo temporis interuallo extare.

Iam quoniã sumit Plato reperiri aliquid quod sẽper sit, & ortu careat; ac rursus aliquid quod gignatur, sed sit nunquam, disputatur de vtroque.

extare. Nam ſi primam materiam huc ſaltem referri velis, ac Porphyrium ſequaris, qui teſte Simplicio libro I. *Phyſicorum commento* XXVII. *eius, quod nunquam eſt ſempérque fit, nomine, intelligit materiam primam, falſa erit deſcriptio quam ſtatim hac de re tradit, dum ait, id gigni ſenſúque ipſo attingi: id enim de prima materia affirmari nullo modo poteſt, atque a Platone ipſo negatur diſertis verbis. Quin potius* παράδοξον, *atque adeò abſurdum videtur, ut aliquid ſit quod generetur, nec tamen ſit vnquam, aut perpetuò intereat, cum interim oriri dicatur. Vidit autẽ* Proclus *(id quod alij quoque antea fecerant) priorẽ hanc dubitationem, eámque propoſuit his uerbis.* Ἀπορίαν μὲν ἐμποιεῖ τοιαύτην ἣν καὶ τοῖς πρὸ ἡμῶν. τί δή ποτε μὴ περὶ τοῦ ὅτι ἐστίν, ὅτι ἐστὶ παραδέδωκε. πόθεν γὰρ δῆλον, ὅτι ἐστὶ τὸ ἀεὶ ὄν; τοῦτο δὲ ὁ τῶν ἀποδεικτικῶν βούλεται νόμος, τί ἐστιν ὁ Πλάτων ἐν οἷς τὸ εἰ ἔστι περὶ τοῦ, τὸ τί ἐστιν αὐτὸ τοῦτο σκοπεῖν. *hoc eſt.* Eam verò locus habet dubitationem quæ torſit etiam alios ante nos; cur nimirum factum ſit, vt antequam explicaret quid ſit, verè eſſe non oſtenderit. Vnde enim conſtat exiſtere id quod ſemper eſt? Etenim demonſtrationum lex poſtulat o Plato, vt tunc demum quid aliquid ſit requiramus, cum fuerit compertum exiſtere. *Cui etiam dubitationi ſatisfacere conatur tribus uijs: nam reſpondet primùm.* Ῥητέον οὖν ὅτι τάχα μὲν οὐκ ᾠήθη τοῦτο δεῖσθαι τῆς παρ' αὐτοῦ κατασκευῆς ὁ Τίμαιος. εἶχε γὰρ αὐτὸ τῇ προτεραίᾳ παρὰ τοῦ Σωκράτους ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς λόγοις παρὰ μύθοις ἠξιωμένον, ἐν οἷς ἀπεδείκνυ τὴν ψυχὴν ἀγένητον οὖσαν καὶ ἄφθαρτον, καὶ διὰ τὴν πρὸς τὰ ὄντα συγγένειαν ὡς ἐφάπτεται φιλοσοφοῦσαν. καὶ ἐν οἷς, ἄλλο μὲν ἐδείκνυ τὸ παντελὲς ὂν καὶ ὄντως ἐπιστητόν, καὶ ἄλλο τὸ πῇ μὲν ὄν, πῇ δὲ μὴ ὄν, καὶ διὰ τοῦτο δοξαστὸν ὑπάρχον, ἄλλο δὲ τὸ μηδαμῶς ὄν, καὶ ἄγνωστον παντελῶς. καὶ οἷς τὴν γραμμὴν εἰς τέτταρα διῄρει, νοητόν, διανοητόν, αἰσθητόν, εἰκαστόν. ἐν οἷς καὶ περὶ τἀγαθοῦ διαλεγόμενος ἔλεγεν αὐτὸ βασιλεύειν ἐν τῷ νοητῷ τόπῳ καθάπερ ἐν τῷ ὁρατῷ τὸν ἥλιον. *hoc eſt.* Dicencum itaque eſt fortaſſe Timæum non exiſtimaſſe id in ipſo dialogi quaſi ingreſſu & apparatu fuiſſe neceſſarium: nam id quidem iam poſitum fuerat atque confirmatum ex fabulis in ſuperiore diſputatione, dũ Socrates de animo ageret: ibi enim oſtendit animum ortu atque interitu carere: & propter affinitatem quam habet cum his quæ ſunt, quæque tractat, philoſophari. Sic vt in his rebus oſtenderet aliud reperiri quod omnino eſſet, & verè intelligeretur: aliud quod partim eſſet, partim non eſſet, ac propterea opinionem gigneret: aliud denique quod nequaquam exiſteret, ac planè eſſe incognitumatque in his calculum ad quatuor aſcendere, intelligibile, cogitabile, ſenſibile, dubitabile; in quibus etiam cum de bono diſſereret, aſſerebat ipſum dominari in intelligibili loco, quemadmodum in aſpectibili Sol. *Sed hæc ratio multa peccat: ac primùm quoniam ſumit interim Socratem in Politica repetitione quam habuit cum Timæo ac ſocijs, ea quoque percenſuiſſe quæ de animo diſputauerat in* Piræo: *quod nos falſum eſſe oſtendimus libro* V. † *ibi enim demonſtrauimus* Platonem *uideri uoluiſſe Politica tantùm inſtituta fuiſſe a Socrate repetita: cætera omnia, inter quæ eſt digreßio de animi immortalitate, fuiſſe prætermiſſa: ac propterea non potuit Timæus ex politica diſputatione ſeu potius repetitione (huic*

enim

De priore ſũptionis parte nimirum de eo quod ſemper eſt, & caret ortu.

Proclus.

Refellitur.

† *vide com. 9. et l. 6. cõ. 1*

enim tantùm interfuisse dicitur) id quod semper est, tanquam certum excipere cum de anima diserens, in sermone de eo quod semper est incidisset. Deinde disciplinarum œconomia concedit quidem, ut quæ dubitationem facere poßunt, atque demonstratione egent, tanquam certa sumantur, dum ab alia disciplina, (ac subalternante præsertim quam uocant) dilucidè & explicatè declarata atque ostensa sunt. Sed si a disciplina petantur, quæ præterquam quod non sit subalternans, & obiter illa attigerit, & fabulas rationum loco ad ea comprobanda usurpauerit (quæ omnia hac in re contingerunt) id uerò ex methodo contigiße non satis uideo. Denique Proclus *non usque adeò sibi constat : nam supra statim atque explicare cœpisset primam hanc Timæi sumptionem dicebat.* Πυθαγόρειος ὁ Τίμαιος καὶ σώζων τὸν τύπον τῶν Πυθαγορείων λόγων, δῆλος ἐκ προοιμίων ἐπιδείκνυται. Σωκράτης μὲν γὰρ οὐ τὰς ἑαυτοῦ δόξας ἀποφαντικῶς εἰς τοὺς ἄλλους ἐξέφερεν, ἀλλὰ τὰς ἐκείνων ἐννοίας† ἀνακαθαιρομένας διαλεκτικῶς τὴν ἀλήθειαν ἐξέφαινεν ὅσγε καὶ μηδὲν εἰδέναι πρὸς αὐτοὺς ἔλεγε πλὴν τοῦ διδόναι λόγον καὶ λαμβάνειν. Τίμαιος ἅτε δὴ καὶ πρὸς ἄνδρας τοὺς λόγους ποιούμενος, τὰ ἑαυτοῦ δόγματα φησὶν ἐκφέρειν, οὐδὲν τὰς ἀλλοτρίας γνώμας πολυπραγμονῶν, ἀλλὰ μίαν τὴν τῆς ἐπιστήμης ἀτραπὸν μεταχειριζόμενος. *hoc est,* Pythagoricus Timæus vel a primis statim procœmij verbis Pythagorici instituti atque œconomiæ apparet conseruator & custos. Socrates enim suas ille quidem opiniones alijs haud enunciando communicabat: sed eorum sententias perpurgans, Dialecticorũ more dilucidabat veritatem; ipse quippe se nihil nosse dicere illis solebat, nisi ponere quæstionẽ atque accipere. Timæus verò quippe qui ad viros graues verba faciebat, sua se dogmata profitetur efferre: nihil aliorum sententias curiosè inuestigans, sed vnam scientiæ viam ingrediens. *hæc Proclus. Quamobrem si Timæus uel ab ipso statim suæ disputationis initio apertum eße uult sua se dogmata efferre, nihilque de aliorum sententijs eo tempore solicitum esse; cur eodem tempore secum ipse tantopere dißidens, rem adeò magnam, atque ad uniuersam* Philosophiam *pernecessariam, in aliorum dogmatibus firmat, atque ex Socraticis seu potiùs poëticis decretis usurpat? præsertim uerò si ea de causa (id quod subdit* Proclus *) idem Timæus hoc in loco dixit* κατά γε ἐμὴν δόξαν, vt mea fert sententia, *ut adhuc significaret, se non aliena tcadere. Quanquam ne id quidem uerum esse puto: nam communi quodam loquendi usu, modestiaéque causa, ne scilicet tanquam de tripode uerba facere uideretur, ea uerba vsurpasse existimarim. Affert verò secundam rationem* Proclus *his uerbis.*

Proclus rursus: qui & rursus refellitur.

Εἶτα δὲ καὶ τὸ προλαβεῖν περὶ εὐχῆς, ἀπόδειξίς ἐστι τοῦ εἶναι τὸ ἀεὶ ὄν. εἰ γάρ εἰσι θεοί, ἀναγκαῖον εἶναι καὶ τὸ ὄντως ὄν. τοῦτο γάρ ἐστι τοῖς θεοῖς ἡνωμένον. ἀλλ' οὐχὶ τὸ γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν. *id est.* Deinde verò precationis anticipatio declarat reperiri id quod semper est: si enim sunt Dij, necesse quoque est id extare quod verè est, hoc enim cum Dijs coniunctũ est: non autem factum esse, atque interire ac verè nunquã existere. *Verùm si statim atque Deos precabatur aliquis, constabat extare aliquam substantiam atque naturam quæ semper sit, atque ortu careat, tum athei omnes coargui facilè poterant, atque vt Deum faterentur adduci: tum alijs præ*

terea

† ἀνακαθαιρομένως forte.

terea innumeris, qui non modò Solem, sed muta animantia colerent, ijsdémue preces funderet, eorūdem æternitas fuißet persuasa: tum nobis denique qui beatis hominum animis precationes ritè impendimus, eosdem semper fuisse fatendum esset: namque solis precibus (si Proclo credimus) hæc omnia fuissent explicata atque ostensa. Neque verò id contendo, quòd pugnem, generalem animi conceptionem quam a Natura quodāmodo hausimus desupremi numinis existentia, quámque precibus (si atheos paucos sustuleris, ac prouidentiam negantes, necessitatémque in omnibus introducentes) implorant atque appellant, omnes, eò nos (si quis rectè deinde reputet) deducere, vt concedendum sit, numen illud eße æternum, atque corpore, corporisque affectionibus expers; Platonem tamen ita philosophatum eße, vt id vnius Timæi precibus explicatū esse voluerit, atque idcirco ab entis quod semper esse dicitur, natura demonstranda abstinuiße, omnino inficior. Addit postremum tertiam rationē Proclus atque ait. Μᾶλλον δὲ καὶ πρὸ τούτων ἐν ταῖς κοιναῖς ὑμῶν † ἐννοίαις ἀπόκειται τὸ εἶναι τι ἀεὶ ὄν. πόθεν γὰρ τὸ γιγνόμενον γίγνεται, ἢ ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ὄντος; εἰ γὰρ καὶ ἐκεῖνο γένοιτο, ὑπ' ἄλλου τινὸς ὄντος γενήσεται, καὶ ἤτοι ἀεὶ ὄντος, ἢ γιγνομένου καὶ αὐτοῦ, ὥστε ἢ ἐπ' ἄπειρον χωρήσωμεν, ἢ κύκλῳ ἡ γένεσις, ἢ ἔστι τὸ ἀεὶ ὄν. ἀλλ' οὔτε δὲ ἐπ' ἄπειρον προϊέναι θέμις (ἐκ γὰρ ἑνὸς πάντα καὶ μιᾶς ἀρχῆς) οὔτε κύκλῳ ἡ γένεσις, ἵνα μὴ τὰ αὐτὰ κρείττω καὶ χείρω γίγνηται, καὶ αἴτια καὶ ἀποτελέσματα. λείπεται ἄρα ἀεὶ εἶναι τὸ ὄν. *id est.* Sed illud in primis refert communem esse conceptionē, aliquid reperiri quod semper est. Vnde enim ortum habet id quod fit, nisi ab eo quod semper est? nam si hoc quoque fiat, ab alio fiat necesse est: atque ita vel hoc semper fuit, vel factum est ipsum quoque, quare vel in infinitum progrediendum erit, vel in circulum recurret mutua generatio: vel concedendū erit esse aliquid quod semper est At progressus in infinitū non est concedendus (ab vno enim eodémque principio sunt omnia) nec mutua illa in circulúmque recurrens generatio ne éadem superiora & inferiora fiāt, causáque & effectus: superest itaque vt detur aliquid quod semper sit. *Atque hic disputandi modus sine dubio maiorem vim habet, éstque philosophico ingenio dignus. Quanquam ratio ipsa suis salebris non caret; nam primùm dū quærit* πόθεν τὸ γιγνόμενον γίγνεται, *vnde id quod fit ab alio factum sit, atque ita ad primum ascendit, vel* γιγνομένου *nomine intelligit Mundum (& ita sumit factum esse, quod apud Physicum demonstratione non sumptione eget, quòd ipsemet interea argumentatione ostendere & concludere nitebatur) vel res singulas quas fieri uidemus ac gigni: atque has quidē concedet quispiam nos ad causam aliquam deducere sempiternam: veruntamen hanc eße corpoream, puta cœlum, cuius contrarium assumit Plato, qui statim eā attingi monet non sensu, sed intelligentia. Quocirca demonstrandum erat adhuc hanc causam esse à materia abstractam, vt fecit Aristoteles, dum primā causam quæ motum cieret, inuestigaret. Deinde non dari progreßum in infinitū in ortu ac procreatione rerum singularum, quæ non requirunt infinitas subordinatas causas eodem tempore existentes, sed definitas ac certas, omnino negabitur à Peripatecis, qui ponunt æternam generationem & corruptionē. Nam quod obijcit hunc progreßum admitti nullo modo poße, cum ab vna*

Affertur & tertia Procli ratio: quæ perinde ac duę superiores reijcitur.

† ἐννοίας *videtur omnino reponēdū*

eadémque causa sint omnia, id uerò præterquam quod petit principium, non ducit nos nisi ad causam corpoream, cuiusmodi est uerbi causa cœlū.

Authoris sententia.

Duo itaque mea sententia, dicenda sunt: primum est, in priore illo dicto, in quo Plato affirmat inuestigandum esse quid sit id quod semper est, & ortu caret; sumere dari aliquid quod semper fuerit omni carens ortu, idque paulò post accipere tanquam a materia separatum, cum solo animo cerni uelit ac percipi: ac quicquid sub sensum cadit, & corporatum est, neget semper esse. Et quidem esse aliquid quod & semper fuerit, nullúmque ortum habuerit, & sit a materia separatum, licet non ita perspicuum sit, ex simplici terminorum apprehensione, quemadmodum constat omne totum esse maius sua parte, aut huiusmodi aliquid; immo nec rationibus omnino exploratis ac certis demonstrari a nobis possit, vt triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, si quis tamen reputet diligenter, ratione saltem ualde probabili colligitur. Etenim Mundū hunc quem cernimus, uel sine ortu fuisse fatendum est & æternum: vel certè esse ortum, ac prodijsse ab aliqua causa, quæ aut sit æterna, aut (ne uno eodémque tempore, & in eiusdem rei molitione concedatur progressus infitus in causis) ab æterna causa profecta sit. (tametsi enim progressus infitus, siue in circulum velis, siue in rectum a nemine mea quidem sentētia fuit rationibus planè exploratis atque perspectis explosus, præsertim si cū pugnaci Physico agas; explosus tamen fuit à multis, ac præsertim ab Aristotele† ac B. †Thoma rationibus nō infirmis, quaéque æquo bonóque iudici probentur mirificè.) Quod si Mundus vel fuit sempiternus, vel a causa profectus est sempiterna, sequitur reperiri aliquid quod & semper & a materia abstractum fuerit; id quod assumit Plato. Nam si Mūdus est ortus, igitur ex aliqua causa est ortus: quod si ita est; rursus (ne in infinitum sit abeundum) ad primam causam perueniemus quæ fuerit ante Mundi ortum, ac propterea expers esset materiæ. Nam si materiam æternam ponas, atque in hac Mūdi authorem demergas, iam eodem modo vrgebo, quo si Mundum statueres sempiternum, id quod mox refellam. Etenim si Mundus siue materia fuit ab omni æternitate, necesse est, vt eius motor fuerit liber atque secretus ab omni corpore: quia quicquid mouetur, mouetur ab alio; (nam præterquam quod id inductione constat in ijs quæ siue loci commutatione, siue alia quacunque ratione mouentur; idem respectu eiusdem, vt loquuntur Peripatetici, esset in actu & in potentia.) Quare ne progrediendum sit in infinitum in causis mouentibus, necesse est motorem fuisse immobilem: quod si immobilis, erit quoque a corpore seiugatus; alioquin esset uel corporatus, uel uirtus in corpore: quæ sunt per se absurda satis, ac præsertim quòd ipse motor pateretur in agendo: ac proinde nō esset sempiternus: cuius contrarium sumebat ratiocinatio. Ob hanc, inquam, rationem ualde probabile uideri potest aliquid esse quod semper fuerit, atque a materia separatum, quódque ortum habuerit nullum. Vt interim omittam ea quibus fusè tractant hoc argumentum Aristoteles & Peripatetici uarijs in locis: S. Thomas tum in prima summæ Theologicæ

† *Ar. 8. phy. & 2. meta.*
† S. *Tho. pp. q. 2. a.* 3. & *l.* 1. *contra gent.*

parte

† Dion. c. 2. de cœl. hier. & lib. de diu. nom.
† Philo lib. etiam quod Deus sit im mat. & lib. de Sacrif.
† Iust. in qq. de incor.
† Epiph. hæ. 14. & al.
† Athan. con. Idola et de decr.
† Hier. de ijs quæ in scrip. Deo trib. & ps. 93.
† Aug. ep. 35. & 85. et lib. de essen. trin.
† est oratio 45.
† In illud ex celsior cœlis factus. c. 10. & 11.
† cap. 20. & sequentibus.

parte, tum contra gentes & alibi passim, & ante eum Dionysius † Areopagita non vno in loco: Philo Hebræus in libro de confusione linguarum & alibi † sæpè, Iustinus, † Epiphanius, † Athanasius, † Hieronymus † & Augustinus † frequenter. Irenæus libro II. capite XVI. XXIV. & XLIIX. Origines libro I. periarchon capite I. & libro VII. contra Celsum. Basilius homilia X. in Hexameron, Gregorius Nazianzenus libro de Diuinitate ad † Euagrium, & oratione II. de Theologia, Gregorius Nysenus in disputatione de anima & resurrectione. Theodoretus in Epithome diuinorum decretorum libro V. capite I. Chrysostomus homilia V. in epistolã ad Colossenses. Damascenus lib. I. capite IV. XII. & XIV. Gregor. X. & XXXII. † Moraliũ. Hilarius libro II. de Trinitate & psalmo CXXIX. † Anselmus in Monologio: Iosephus libro de confusione linguarum, & cum Magistro sententiarum Scholastici plurimi qui omnes non obscurè ostendunt Deum ab omni corpore atque materia secretum esse, idque ab omni æternitate.

Alterum, quod dicendum existimarim, est, æquum bonũmque censendum esse in disciplinis tradendis vt aliquid interdum (ne scilicet omnẽ lapidem mouere semper cogamur, aut per alienos campos uagari) sine demonstratione excipiatur: dummodo aut passim receptum sit, aut per seipsum sit ualde plausibile, ac ratione euinci possit apud æquum rei æstimatorem: aut denique (quod est potissimum) in superiore, aut etiam finitima scientia & facultate id fuerit comprobatum. Id quod hoc in loco con tingit. Nam tum paßim vulgatum est, & apud omnes penè receptum reperiri aliquid quod semper fuerit, ortu carens, & a materia separatum: tũ per seipsum est valde plausibile, atque vt vidimus ratione concludi potest satis firma: tũ a naturali Philosopho, cuius partes tuetur Timæus noster, tanquã in superiori scientia probatum sumi potest: cum id diuinæ Philosophiæ ex instituto sit statuere ac demonstrare, quemadmodum fecit Plato in Parmenide. Et idcirco (vt diluamus quod obijciebamus à principio) negatur a Physico id eße ostendendum potiùs quàm assumendum. Nam licet fortasse verißimum sit primum Philosophum propter humani ingenij imbecillitatem, dum sempiternum aliquid ortúque carens & a materia abstractum statuere molitur, cogi; si tamen expeditiores ac valentiores huic rei machinas admouere velit; Physici adminiculis aliqua saltẽ ex parte vti, quemadmodũ fecit Aristoteles XII. suæ diuinæ Philosophiæ (quas enim Metaphysicus siue ex fine desumit rationes, siue ex amplitudine entis, siue ex vnitate ad quã sunt reuocanda omnia, siue ex ente per communicationem quod debet reuocari ad ens per se: aut etiam Moralis ducit tum aliunde, tum præsertim ex fine vel præmio hominis quæ nequeant esse in hac vita, aut ex damnis quæ humanae societati imminerẽt perpetuò si talis natura nõ præesset mortalibus, hæc sanè non vsque adeò expeditè ad sempiternam abstractámque substantiam nos traducunt sicut Physicæ: tamesi inter Physicas etiam non omnes eandem habent firmitatem) Physicus tamen si huiusmodi entis existentiam assumat, id iure suo facit, quod scientiæ hoc intersit quæ in rerum diuinarum contemplatione versatur. Hæc de priore illius sumptionis parte.

Examinatur posterior sũptionis pars: an nimirum quæ oriuntur & occidunt, ſint, vt pugnant Peripatetici, an verò non ſint, vt affirmant Platonici.

Sed iam progrediamur ad alteram : in qua dubitatur iurene in hoc poſteriore ſumptionis membro affirmarit Plato reperiri aliquid quod gignatur quidem, Sed nunquam ſit. id enim (vt oſtendimus) παράδοξον, *atque adeò falſum videtur. vidit autem* Proclus *hanc dubitationem , cámque attigit his verbis.* Ἀλλὰ πῶς οὐδέποτε ὂν τὸ γιγνόμενον, περὶ οὗ διαῤῥήδην εἶπεν ἐν Σοφιστῇ οὐχ ὅτι τὸ μὲν ὂν ἐστὶ ἀλλ᾽ ὅτι ὄντως οὐδέποτε ὄν. qua obſecro ratione id quod fit, nunquam eſt ; cum in Sophiſta perſpicuus verbis affirmauerit non quidem eſſe ſed verè atque ſyncere nunquam eſſe. ſed & eidem dubitationi ſtatim ſatisfecit, ſi tamen verè ſatisfecit, his verbis. Νῦν δὲ εἴρηται οὐδέποτε ὄν, ὅτι τὸ ὂν ἐπὶ τῆς αἰωνίας προτέτακτο φύσεως. τὸ δὲ γιγνόμενον οὐδέποτε ἐστὶ τὸ ἀεὶ ὄν. εἴπερ οὖν τὸ εἶναι ἢ ὄν, ἄδεκτον τοῦ μὴ εἶναι δῆλον ὅτι τὸ γιγνόμενον συμπεπλεγμένον ἔχον τῷ μὴ ὄντι τὸ ὁποσοῦν ἐν αὐτῷ ὄν, οὐδέποτέ ἐστιν ὄν. οὕτως ὡς εἰλικρινῶς ὄν, καὶ καθ᾽ ἑαυτὸ ὄν, ὃ προσήκει μόνῳ εἶναι· ἀλλὰ μὴ μετὰ τοῦ εἶναί πως, ὁ μὲν ὂν καὶ οὐκ ὄν, Nunc verò ideo dixit nunquam eſſe quia id quod eſt, præordinatum erat atque præfixum in æterna natura. at uerò id quod fit, nunquam eſt ſemper exiſtens. quo fit , vt ſi, eſſe, quatenus eſt ens, non ſuſcipit non eſſe; ita è contrariò id quod fit , quoniam implicitum eſt cum non ente, (quod enim fit in eo quodammodo eſt quod non eſt) nunquam ſit exiſtens. ſic id quod verè ac ſyncere eſt & per ſeipſum eſt, id eſt vti conuenit eſſe: non autẽ conuenit cũ eſſe nõ eſſe: ita vt ſimul ſit & non ſit. *Hæc eſt ſpinoſiſſima* Procli *ratio, quæ ni magnopere aberro, in eo eſt poſita quòd quemadmodum* τὸ ὂν *quoniam non recipit non eſſe, habet inſitum vt ſemper ſit: ita* τὸ γιγνόμενον, *quoniam habet admiſtum non eſſe, habeat inſitum vt nunquam ſit. Sed profectò videtur mihi id interim docere de quo non dubitatur, atque inexplicatum relinquere id de quo dubitatur. ego enim non negarim id quod eſt, quatenus eſt, non recipere nõ eſſe: & è contrariò id quod fit, quatenus fit, non eſſe. neque Ariſtoteles & Peripatetici qui extremũ hoc* Platonis *decretũ (id quod iã uidebimus) damnant, affirmant vnquam id quod fit, quatenus fit, eſſe, ſed quærit quid ſit id quod fit & nunquam eſt: nã quod fit, perfici volunt & abſolui, ita vt aliquando verè dicatur eſſe; ac proinde non quidem quatenus fit, ſed quatenus factum eſt & conſiſtit, dicatur eſſe. in qua dubitatione puerile eſt affirmare id quod fit, quatenus fit, non eſſe: hoc enim eſt dubitationem declinare, non explicare . nam omnino oſtendendum eſſet id quod fit reuera nunquam eſſe: idque non quatenus fit tantùm, ſed ſimpliciter & in vniuerſum; & quia reuera nunquam exiſtat. Et ſanè ſi Aphrodiſeum Alexandrum audias (atque ita Ariſtotelem etiam cum* Platone *in hoc dogmate comparabimus) mirificè cũ Ariſtotelis doctrina, atque adeò cum veritate ipſa pugnat hac in re* Plato, *ſic enim clamat ille.* † Qui ea quæ gignuntur & intereunt propterea dicunt non eſſe, quoniam aliquando quidem ſunt, aliquando verò non ſunt, ſolam autem æternam ſubſtantiam eſſe, quia nullo modo participat eo quod non eſt; primùm ex ipſa euidentia vsúque loquendi redarguendi ſunt. Omnibus enim quæ talia ſunt, videntur eſſe, & ita ſentiunt & dicunt. Deinde quod gignitur ex non ente, fit ens, & acquirit eſſe, alioquin non gigneretur : ſimiliter quod interit,

Alexander pro Peripateticis.

Ex Simpl. l. 1. phy. ſuper tex. 15. 1. com. ſuo 14. ante finem.

rit, ex esse mutatur in non esse, ammittens esse quod habebat antea, alioquin non interiret: quare hac ipsa re quod aliquid gignitur & interit, necessariò habet esse, & in ijs quæ sunt numerari debet. non enim corruptibilis substantia, si non est similiter atque æterna, perpetua, non est. nam si ideo non est quia interit: ergo quando non interit, & quatenus non interit, eo ipso tunc quoque fuerit. *Hæc Alexander. Quem Simplicius sic conatur refellere vt Platonem tueatur.* Quemadmodum album (*inquit*) id propriè dicitur quod est purè & syncerè album, omni permixtione nigroris vacans: quod autem ita est album, ut plus nigredinis admixtũ habeat quàm ipsum est, nemo sapiens dixerit simpliciter album, sed tantummodo secundùm quid, & potius appellauerit non album: ac quemadmodum etiam aqua vnum habens gradum caloris, septem autem frigoris, non appellatur calida: sic etiam res corruptibiles potiùs dici debent non esse, quàm esse, quandoquidem plus habent de non esse quàm de ipso esse.

> Simplicius pro Platone.

Verùm id ipsum; dicet Alexander, quod affirmas Simplici, res nimirum mortales habere plus de non esse, quàm de esse, est quod eget probatione: tantum abest ut constet septem habere gradus non esse, vnum de esse, aut etiam plus de non esse quàm de esse, vt tua exempla assumunt, si seruetur proportio. At ostenditur, subdit Simplicius. Nam ante generationem (inquit) infinito tempore non sunt: similiter quoque post interitum. Sed infirma probatio, nam infinitum illud tempus, quo aut non fuit, aut non erit, non est intrinsecum ipsi rei, quemadmodum est frigus aquæ, nigrities alicui corpori. quare vt efficeret quod quæris, deberet ostendere & intrinsecè constituere res mortales vel inesse rebus mortalibus quibus esse concedis secundum quid: quemmadmodum aquæ & rei albæ inest nigror & frigiditas. Quare hactenus frigida Simplicij responsio.

> Refellitur Simplicius quòd non rectè satisfaciat Alexãdro.

Hinc alij quidam conciliare istos conati sunt: idque hac ratione. Nam si res quæ oriuntur & occidunt (inquiunt isti) considerentur non per se & absolutè, sed cum Deo collatæ, qui est æternus immortalisque naturæ, profectò κατὰ τὴν ἐξοχὴν *ac propter excellentiã Deus esse dicitur: illæ minimè. atque in hunc sensum locutus est Plato de rebus mortalibus. quod si spectentur per se ipsæ & absolutè, nemo inficietur eas esse: nam alioquin nec affici, nec commutari aut interire possent res mortales. atque huc spectant Aristoteles & Peripatetici, vt propterea verbis tantùm non re dissentiant. Hæc isti. Qui vt id illustrent, proferunt etiam egregias illas B.* † *Augustini voces, qui dum res cum Deo conferret, sic aiebat.* Inspexi cætera infra te, & vidi nec omnino esse, nec omnino non esse. esse quidem, quoniam abs te sunt: non esse autem, quoniam id quod es, non sunt, id enim verè est, quod incommunicabiliter manet. *Sic Augustinus.*

> Alij conãtur eos cõciliare.

> † lib. 7. conf. c. 11.

Ac præclarè quidem: nam diuinæ quoque literæ non vno in loco res creatas quasi nihilum esse volunt si cum Deo conferantur. Atque idcirco † *Isaias (vt hunc saltem locum attingam)* Omnes gentes (*inquit*) quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei. *Verùmtamen altiùs dissentiunt hac in re Plato & Aristoteles, quàm vt hac vna ratione, quod isti faciunt; conciliari possint: nam Plato non solùm contendit*

> † cap. 40.

> Reijcitur cõciliatio proposita: & ostẽditur re ipsa dissidere Platonem & Aristotelem.

res mortales non esse, quia si cum Deo conferātur, uerè ac profectè non sunt (neque enim id inficiatur, sed & fatetur & prædicat passim) verùm etiam quia ipsæ per se tales sunt verè & intrinsecè: negat enim verè esse, quia perpetuò fluunt, alterantur, oriuntur & intereunt. Neque idcirco ab hac sententia discedit, quòd agant & afficiant, aut etiam afficiantur, quin potiùs hoc ipso in sententia confirmatur magis ac magis, nam hæc pereuntis sunt, siue orientis simul & occidentis. Et idcirco acutè Aristoteles, qui vt res verè esse ostenderet, nitebatur easdem a perpetua huiusmodi alteratione ac fluxu vindicare, ac Platonis fundamentum prosternere. Quare aiebat. †Manifestum est non esse necessarium semper aliquid abire. quia diuiditur ipsa diminutio in infinita: sed totum aliquando abire. Similiter autem & in alteratione qualibet. non enim si partibile est in infinitum id quod alteratur, ob id & alteratio: sed simul vniuersa fit sæpè vt congelatio. *Aliter itaque respondendum est. Et sanè si rem paulò accuratiùs intimiúsque spectemus, comperiemus Alexandri aliorúmque multorum pace optimè philosophari Platonem: quod quoniam cum Peripateticis agimus, hac ratiocinatione demonstratur. Reperitur aliquid compositum ex contrarijs, verbi causa corpus mixtum ex elementis: reperitur itaque aliquid etiam quod gignitur, neque est vnquam. Prior argumenti pars aperta est, & a nemine vocatur in controuersiam. demonstratur posterior. Omne compositum ex contrarijs versatur in perpetuo dissidio & alteratione: sed quod versatur in perpetua alteratione, gignitur & non est vnquam: omne itaque compositum ex contrarijs gignitur & non est vnquam. Maior, quam vocant, siue propositio, est perspicua, quia contraria inuicem semper agunt, patiuntur & alterantur: nam cum agant naturaliter, non possunt non agere: nec afferri potest ratio cur aliquando agant, aliquando non agant. præsertim si corpus mistum ad pondus, quod inquam habeat calorem, & reliquas primas qualitates in eodē planè gradu, verè non reperiatur, vt omnino existimo: sed alterā altera qualitas vincat: sic enim cū qualitates agāt naturaliter, actio esset perpetua. Minor propositio siue assumptio probatur contra Alexandrum primò, tum verò vniuersè.* Contra Alexandrum, *quia cum ipse † censeat primas qualitates esse formas elementorum, primæ verò qualitates sint in perpetua alteratione ac pugna vt demonstrauimus, formæ perpetuò alterentur ac transmutentur necesse est. Vniuersè hoc pacto. Formae mortales emanant & conflantur ex qualitatibus & temperatione primarum qualitatum: & hac etiam de causa eiusmodi formae proprias habent qualitates, quibus in materia positis ponuntur, sublatis tolluntur: sed hæ qualitates versantur in perpetua alteratione, quia non possunt non agere; ergo & ipsæ formæ. Atque hinc etiam fit, vt eiusmodi formae quoniam sunt totae immersae in materia, non varientur ac transmutentur sine transmutatione totius, ac proinde propter continuam alterationem partes semper fluunt & in varietate versantur. Quamobrem ijs minimè assentior, qui quoniam animaduertunt mixta quaedam corpora, praesertim imperfecta facilè interire: quaedam verò, vt sunt lapides ac metalla, difficillimè, in illis tum dissidium concedunt & pugnam, tum intendi ac remitti* for-

Marginalia: † l. 8. phys. a t. 23. vsque ad 27. — Platonis opinio comprobatur. — Ex Auer. 8. met. com. 5.

formas, in ijs verò minimè: sed potiùs formas & qualitates citra omnem alterationem mutuúmque dissidium temperatas eſse volunt: ita vt nisi extrinsecùs accesserit contrarium aliquid, nequeant haec labefactari & corrumpi. Non (inquam) ijs assentiri vllo modo possum: nam vt omittam temperationem istam dissidio carentem esse commentitiam, & cum initijs & qualitatibus vnde manat, minimè congruentem; quî obsecro fieri potest, vt eiusmodi metalla non sint corruptibilia, cum sint ex contrarijs conflata? quod si ita est, (hoc enim ne aduersarij quidem inficiantur) debent igitur intrinsecè esse talia non per accidens, et ratione extrinsecùs agentis. nam alioquin lapis semota omni extrinseca contrarietate, esset incorruptibilis. Et sanè quemadmodum inter corpora cœlestia quædam breuiſsimo, alia immenso propè temporis spatio reuoluuntur, cum tamen vtraque moueantur, sic inter inferiora corpora quaedam mira celeritate, quaedam mira tarditate (nam idcirco etiam terrestria cœlestibus respondent) alterantur ac transmutantur. Quid plura? quemadmodum inter res sempiternas, cuiusmodi nos Ideas facimus, Peripatetici Intelligentias; earundémque mensuram, cernitur mira proportio; ita vt æuum sit totum simul ac sempiternum, naturæ illae totae simul ac sempiternae: ita etiam res quae sub sensum cadunt & mortales, debent cum sua mensura, cum tempore inquam consentire. cum igitur tempus intrinsecè fluxum sit, & in perpetua quadam mutatione versetur, res quoque caducæ debent in perpetua mutatione versari. Quamobrem est quidem cur Naturæ vim & artificium obseruemus, quae tam leue remiſsúmque dissidium ijs ingenerauit quæ diuturna esse vellent; at cur illud negemus, refractis præsertim non corruptis qualitatibus & formis, non habemus. At enim, dicet quispiam, alterantur quidem perpetuò: sed non idcirco fit vera generatio aut corruptio, idque tum quia temperatio elementorum & qualitatum ex quibus emanat forma, habet latitudinem, ac propterea huiusmodi forma licet intendatur & remittatur, perseuerat eadem: tum quia etsi partes materiales alterentur perpetuò, & aliquo pacto verè semper fluerent; per identitatem tamen formæ optimè conseruatur identitas compositi, quemadmodum per identitatem aluei identitas fluuij, tametsi aqua semper fluat; cum quia vera generatio est compositi, & non solius materiae. & ideo non est dicendum propter solam alterationem aliquid generari aut corrumpi. Sed hæc responsio nihil planè efficit: nam vt mittam in præsentia fortaſse hoc vnum satis Platoni eſse poſse: nimirum alterationem esse perennem: cum hinc generationem si non compositi, saltem qualitatum (quod enim est generatio composito, id est alteratio qualitatibus) colligere liceat: ac proinde hinc ortus quidam & interitus appareat quo satis supérque a sempiterno ente quod ἀεὶ κατὰ ταυτὰ καὶ ὡσαυτῶς, ſemper ac ſecundùm éadem *idem planè esse dicitur, distinguantur mortalia, profectò in rebus mortalibus in quibus forma est immersa in materia, non possumus intelligere materiam elementarem fluere quin fluat & forma: quemadmodum si fluuius perenniter fluat, non poſsumus percipere quin simul imago scopuli in eius aqua perpetuò (suo tamen modo) intereat & restituatur tota.*

tota. Quare cum fluuij alueus sit forma extrinseca, nec in materia ipsa immersus sit, vt formis accidit de quibus disputamus, scopulus potiùs quàm alueus est ad rem explicandam accommodatus. Atque hoc est) vt optimè animaduertit Plato in Cratylo) quod docebat Heraclitus, dum fluere omnia, nihilque permanere asserebat: rerúmque progressum cum annis fluxu comparabat. Hoc etiam Homerus & Hesiodus sibi voluerunt dum cecinere Thetym quam scaturientem interpretantur, & Oceanum qui fluit ac refluit perpetuò, esse initia rerum. Idem Orpheus qui Oceanum pulchrifluum contendit coniugium inchoasse primùm: dum se cum Thety germana commisceret. Idem rursus is de quo paulò ante sermonē inieceram, Heraclitus, qui Quemadmodum (*inquit*) nemo potest bis in eundem descendere fluiuum: sic neque caducam hanc fluxámque substantiam bis in eodem statu pertingere, cum mutationum celeritate dissipetur. *Hæc enim qnemadmodum tradit*† Plato *in idem recidunt omnia. Quin etiam voces illæ idipsum clamare videntur, αἰὼν & χρόνος. nam illud ἀπὸ τοῦ αἰεὶ ὄν significat* Semper existens. *hoc ἀπὸ τοῦ ῥέειν significat* fluere. *ea nimirum de causa quòd fixa sint quidē quæ mensurantur æuo & semper éadem: at quæ tempore, semper fluant, ac nunquam éadem perseuerent. Atque hanc maximè ob causam luna quippe quæ ne momento quidem temporis vno eodémque tenore procederet, Mundis Symbolum*† *erat Aegyptijs. Et huc sanè spectabat* Parmenides *cum assereret nihil ex ijs quæ videntur, esse in Vniuerso: quasi diceret esse in Ideis, quemadmodum postea ad rerum scientiam retinendam declarauit Plato. Hinc etiam Nausiphanes non ignobilis Philosophus*† *aiebat ex his quæ nobis vidētur esse, nihil magis esse quàm nō eße, intelligebat enim perpetuò fluere quæ gignutur, atque in medio ortus interitúsque versari. Ob id denique Locrus, cuius vnius testimonio Pythagoricorum omnium sensus atque opinio testata esse potest, res quæ oriuntur, Ideis siue exemplaribus opposuit: & τὰ γινομένα ἐν μεταβολᾷ, παράδειγμα δὲ ἀγένατόν τε καὶ ἀκίνατον καὶ μένον τε, καὶ νοατὸν res quæ oriuntur in perpetua quadam mutatione, Ideam verò ingenitam, immobilem, fixámque, & solo animo comprehensam esse voluit, Ac Plato ipse (id quod constabit infra) οὐσίαν siue essentiam, cuius nomine intelligit res æternas, opponit generationi. Atque hanc obcausam* Plutarchus *magnus author edisserens illud Delphici Oraculi* Εἶ, Nos Deo (*inquit*) εἶ idest Es dicimus: veram, certam, solámque soli conuenientem ei appellationem, qua esse dicitur, tribuentes. Re uera enim essentiæ nos nequaquam sumus participes, sed vniuersa mortalis natura in medio ortus & interitus posita, speciem, opinionémque obscuram & instabilem sui præbet. Quod si animum intendas, vt eam intelligentia comprehendere posis, ecce tibi aberrat ac vacillat ratio, nihil vt apprehendere posis quod permaneat, reueraque sit. nam quemadmodum aquam si complectaris arctius, fit vt compressa dilabatur ac pereat, sic res mutationibus obnoxias dum sectatur humana mens, opinione decipitur,

Confirmatur eadē opinio ex Heraclito. Homero. Hesiodo. Orpheo.

Ex Hetaclito rursus.

Ex vocibus. αἰὼν & χρόνος.

Ex Muudi Symbolo. Ex Parmenide. Nausiphane.

Locro & Pythagoricis.

Plutarcho.

† *In The. & Craty.*

† *Rhod. l. 20. c. 7.*

† *vide Sene. episto, 89.*

pitur, ac vel ad interitum eius, vel ad ortum aberrat. Atque hanc ob causam quod fit, eò numquam perducitur, vt verè dici posit esse: ortu nimirum nusquam desinente, vel insistente. *Hæc Plutarchus. Quibus si addas res creatas(vt ait † Philo) non essentialiter, sed opinione duntaxat subsistere:(quod vbi de vera subsistentia agitur est germanissimum Platonis dogma) atque(vt ait † Origens) esse instar vmbræ & fumi, quorum prior cum corpore, posterior cum igne collata non sunt: ac denique ea omnia huc reuoces, quibus in priore huius sumptionis membro ostendimus, solum Deum verè eße, cætera potiùs fluere ac deperire quam subsistere, non immeritò Platonis decretum laudes, qui quicquid tempore mensuratur, gigni quidem sed tamen nunquam verè esse affirmat. Cum præsertim diuinæ quoque literæ de Deo clament* † Nihil est præter te. † Deus enim solus est. *& de Mundo*, Præterit † figura huius Mundi, † omnes tanquam aqua dilabimur, *quæ sanè similitudo est sententiæ nostræ aptissima: ac denique, vt alia quædam loca prætercam, de Mundo ac Deo simul aßerit Sapiens* † Ex ijs quæ videntur bona, poterunt intelligere eum qui est *Quare (vt Alexandro & Peripateticis satisfaciam) quæ hoc genere continentur, etsi generantur, addo etiam afficiunt & afficiuntur, mouent & mouentur, agunt & patiuntur, non tamen veram vllam habent consistentiam, aut uerè sunt: cum isthæc sint fluentium, atque eodẽ fluxu orientium simul & occidentium. Neque enim repugnat totam eorum naturam in fieri esse positam, vt de motu, & tempore, & si quid tale, fatentur ipsi: (id quod optimè labentis aquæ vmbra intelligitur) ac proinde ab ijsdem similia quædam promanare. Atque hoc etiam Simplicius (ne vbi rectè sensit debita laude fraudetur) attigit tandem, dum verbis iam antea allatis adderet.* Sed & quo tempore res mortales videntur esse, perpetuò commutantur; tendentes ad non esse. *Atque idcirco etiam non negarim. Platonem (vt paulò ante dicebam) tales appellaße mortales res omnes, atque ad genus eorum quæ gignũtur neque sunt vnquam, reuocaſſe illas, quò ... uerè esse non videantur si cum Deo conferantur, qui vnus omnis mutationis est expers. quin Plato non vno in loco disputat id propria germanáque significatione dici ens, quod in se immutabiliter continet omnes rerum atque entis gradus: perfectionémque omnem, quod vni Deo propter eius infinitatem infinitámque perfectionem conuenit. Et idcirco etiam pasim, ac præsertim in Timæo a rebus mortalibus hoc titulo excludit entis nomen: vt meritò B. Augustinus obseruet Platonem qui Deum ens, quæ oriuntur & occidunt non ens appellat, cum illo Exodi,* Ego sum qui sum, *& cum altero.* Qui est misit me ad vos, *mirificè consentire. In qua sententia Stoici quoque fueruut: idque ad summum ac potissimum fundamentum rem reuocantes, quod scilicet res procreatæ omnes sint ex nihilo. Quocirca Seneca,* Quæcunque exrra Deum sunt *(inquit)* manent non quia æterna sunt, sed quia defenduntur cura regentis: futura protinus nihil, si manum ille tolleret. *Hæc, inquam, omnia non modò non inficior, sed sequor ac probo: veruntamen omnino addi velim Platoni mortalia inseipsis etiam, & intrinse-*

cè

† l. quod bonum malo insidiatur.
† in Cantic. Annæ.
† l. 1. Reg. in Cant. Annæ
† Iob. c. 23.
† 1. Cor. c. 7.
† l. 2. Re. c.
† Sap. c. 13. 14.

Philone.
Origene.

Ad Argumenta Alexandri & aduersariorum.

cè esse talia, ac seclusa quoque ea qua cum Deo conferebatur ratione, non esse verè entia, & carere consistentia, cum fluant perpetuò. Vt propterea non verbis sed reipsa dissideat ab Aristotele. Nisi tamen in controuersiam reuoces (id quod facit † Carpentarius) an verè Plato perpetuam istam rerum alterationem ac commutationem probarit: nam in Cratylo videtur Socrates Heraclitum irridere quòd eiusmodi rerum mutationem fluxionémque statueret. Sed profectò noster Plato in Timæo, (quocunque tandem consilio Heraclito haud videretur assentiri in Cratylo: neque enim persequi omnia possumus hoc tempore) cum Locro Heracliti partes sequitur disertis verbis: quamuis non in vniuersum, (id quod dissidium vtrunque tollit) sed in certo ac definito rerum genere. Et idcirco Aristoteles qui libro IIX. *Physicorum hanc sententiam reprehendit, &* III. *de † Cœlo, nominatim eam tribuit Heraclito,* XIII. *† Metaphysices Platonem ac Socratem Heracliti opinionibus imbutos facit: idque vel maximè quòd fluxam hanc rerum permutationem hauserint ex eo. Quo etiam in loco fatetur propter huiusmodi rerum inconstantiam Platonem statuiße Ideas: atque scientiam, quam in rebus mortalibus non agnosceret, in Ideis ipsis collocaße. Quod sane passim, ac præsertim in Timæo perspicuè obseruare licet. Atque hæc ad controuersiam explicandam, & pro comparatione Aristotelis & Platonis in proposito dogmate. Nam quod attinet ad duo illa rerum genera a Platone proposita, vnum adhuc addere cogor: licet iam me tantæ pigeat prolixitatis. Etenim dum hoc in loco statuendum proponit Timæus quid sit id quod semper est, quídue generetur neque sit vnquam, si Eusebium, Proclum, Ficinum, alióſque complures audias, ac præterea authoris consilium progreßúmque disputationis æquus bonúsque spectes potiùs quàm rem summo iure, & ex vi verborum illorum decernas, omnia videtur ad hæc duo capita voluisse reuocare. Nam primùm descriptiones quibus vtrunque membrum statim declarat, videntur generales: cùm per sensibile & intelligibile, quæ differentiæ per omnia entia permeant, eorum naturam describat atque explicet. Deinde Trismegistus, a quo obseruauimus Platonem huiusmodi sumpsisse decretum, generatim & ipse videtur locutus: nam in quinto Pœmandri capite (hunc enim locum in primis citabamus) quamuis de vno Deo loqui cœpisset, deinde tamen verbis illis* πᾶν γὰρ τὸ φαινόμενον γεννητόν, τὸ δὲ ἀφανὲς ἀεί ἐστι Quodcunque sese offert aspectui genitū est: quod verò latet sēper est. *sub his duobus generibus videtur complecti voluiße omnia. Denique multis alijs in locis ad hæc duo membra affirmes naturas omnes fuisse a Platone reuocatas, vt in* Parmenide *& Sophista, vbi etiā* περὶ τοῦ ὄντος *disserit, in politicis libro* v. *ad extremum, in* VI. *ad initium, et in Timæo rursus (qui locus pro omnibus eße potest) vbi (vt antea etiam vidimus) scribit in hunc modum.*

Ταῦτα δὲ πάντα μέρος χρόνου, καὶ τό τ' ἦν, καὶ τό τ' ἔσται, χρόνου γεγονότα εἴδη φέροντες, λανθάνομεν ἐπὶ τὴν ἀΐδιον οὐσίαν, οὐκ ὀρθῶς. λέγομεν γὰρ δὴ ὡς ἦν, ἔστι τε καὶ ἔσται· τῇ δὲ τὸ ἔστι μόνον κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον, προσήκει. τὸ δὲ ἦν, τό, τ' ἔσται περὶ τὴν ἐν χρόνῳ γένεσιν ἰοῦσαν πρέπει λέγεσθαι. κινήσεις γὰρ ἐστόν. τὸ δὲ ἀεὶ κατὰ ταῦτα. ἔχον ἀκινήτως, οὔτε πρεσβύτερον, οὔτε νεώτερον προσήκει γίγνεσθαί ποτε, οὔτε γεγονέναι νῦν οὐδ' εἰς αὖθις ἔσεσθαι.

Explicata cōtrouersia, & Platonis decreto confirmato, iam ostēditur quid de sumptione illa vniuersa sentiēdum sit ex Proclo & multorum aliorum sententia.

† in Alc. nō vno in loco.

† Cont. 3.

† Sum. 2. c. 8

τὸ παράπαν τε οὐδὲν ὅσα γένεσις τοῖς ἐν αἰσθήσει φερομένοις προσῆψεν, ἀλλὰ χρόνου ταῦτα, αἰῶνά τε μιμουμένου, καὶ κατ' ἀριθμὸν κυκλουμένου γέγονεν εἴδη. *hoc est*. Hæc omnia temporis ſunt partes. Atqui erat,& erit quæ nati temporis ſunt ſpecies, non rectè æternæ ſubſtantiæ aſsignamus. Dicimus enim de illa,eſt,erat,& erit,ſed illi reuera ſolum eſſe competit: fuiſſe verò & fore deinceps ad generationem tẽpore procedente referre debemus. Motus enim quidam duo illa ſunt: æterna verò ſubſtantia cum eadem ſemper & immobilis perſeueret,neque ſenior ſeipſa fit vnquam,neque iunior: neque fuit hactenus, neque erit in poſterum: neque recipit eorum quicquam, quibus res corporeæ mobiléſque ex ipſa generationis conditione. Nempe hæc omnia temporis imitantis æuum,séque numero reuoluentis ſpecies ſunt. *quibus verbis dum ſempiternam eſſentiam atque omni motu expertem, opponit ijs quæ in tempore fiunt,motioníque ſunt obnoxia,videtur omnia ad hæc duo genera reuócare. Quod ſi ita eſt, videndum eſſet quomodo ſatisfaciamus ijs,quæ iandiu attulimus,ad hæc duo rerum membra falſitatis coarguenda.*

Poſita iſtorũ ſententia, quæriturquo pacto dilui poſsint argumenta ab initio allata cõtra huiuſmodi ſumptionem. Atque idcirco duo ponútur fundamenta.

Duo itaque in primis rata eſſe debent,primum eſt ortum ſeu generationem,licet interdum latè patêre ſoleat apud Platonem, qui pro eorum etiam conſtitutione quæ corpore carent, vſurpauit illam, vt verbi cauſa in Mundi anima contigit,ad quam γένεσιν *tranſtulit; hîc tamen preſſè accipi,pro generatione ſcilicet,quæ corporatam materiam habet ſubiectã: nam præterquam quod eorum propriam eſſe voluit quæ ſub ſenſum cadunt, eandem generationem vna cum hac Vniuerſitate docuit inſtitutã eſſe: ideo enim dicebat*. Dicamus igitur quam ob cauſam ille rerum author generationem & hoc Vniuerſum inſtituit; *de quo tamen Vniuerſo ſiue Mundo addidit*. Hic cernitur,tangitur,& corpus habet: omnia autem huiuſmodi conſtat gigni & genita eſſe. *Et propterea cum doceret nullam eiuſmodi rem genitam poſſe eſſe æternam, veluti exploratum reliquit ſempiternis conuenire non poſſe. Alterum quod debet eſſe certum, eſt id quod ſemper caret ortu,latè admodum patêre apud Platonem: nam præter id quod eſt omnino ſimpliciſſimum & independens, continet etiam multa alia,quæ licet vera generatione careant, a primo tamen ente pendent a quo etiam profecta ſunt. Ex quibus illud conſequitur vt Ideæ,diuinæque illæ mentes(quæ verò ſint ex Platone uidebimus alibi) et quicquid denique cum illo fingas Mundum hunc qui ſub aſpectum cadit anteceſſiſſe,materiáque carere ad primum illum gradum, alijs licet atque alijs interuallis,ſit redigendũ. Nam ſiue dependêre hæc dixeris,ſiue emanaſſe,ſiue facta eſſe & conſtituta,ſiue orta,ſatis eſt non fuiſſe ex ſenſibili materia,& cum hac Vniuerſitate conſtituta: & proinde carere generatione: cùm generatio non niſi cum aſpectabili hoc Mũdo incœperit.*

Ad argumẽta ab initio allata.

Quæ cum ita ſint,iam,tot,tantarúmque dubitationũ nodus explicari poterit. Nam quæ ante corporeum hunc Mundum extare voluit Plato,

cum uera generatione materiáque carere sentiat, nullam amplius dubitationem habebunt, erunt enim omnino ad primum gradum reuocanda. Quocirca corporata hæc Vniuersitas, atque ea demum quæ post eam gigni dicuntur, negocium facere possunt. Sed & ex his ea quæ omnino sunt corporata, siue carent uita, siue illa sint prædita, carebunt controuersia: cum enim ex contrarijs naturis conflata sint, ac proinde alterationi semper ac mutationi sint obnoxia, ad secundum gradum redigenda erunt. Supersũt itaque humani animi, anima quoque Mundi, Dæmones præterea, reliquique illi cœlestes Dij, quos ad rerum mortalium constitutiones incumbere voluit: hæc enim sunt quæ affirmare uidetur Timæus cum hac Vniuersitate fuisse condita: cum tamen ex contrarijs haud constet esse coagmentata. Et sanè quod ad Dæmones attinet, nihil est quod laboremus: nam Saturnum, Iouem, & huiusmodi Dæmones (sic enim illos uocat) recenset: idque tum Poëtarum vulgíque opinionẽ, atque adeò fabulam, tum Atheniensium religionem, seu potiùs superstitionem secutus: per quam illos apertè repudiare, atque a cœlestium mentium numero arcere minimè audebat. Quãquam ut explicauimus libro primo, satis ibi significauit fictitios esse illos ac uanos, cum affirmaret nulla ratione niti vulgatam illam de huiusmodi Dæmonibus opinionem. Reliqui uerò cœlestes Dij, qui cum hac Vniuersitate dicuntur conditi, sunt astra ipsa, ut ibidem explicat Plato: quæ tametsi cõmentitia illa diuinate donata, corporata sunt tamen, atque sub aspectum cadunt, immo ex contrarijs coagmẽtata corporibus, & suapte natura, eodem Platone teste, dissolubilia sunt, ac propterea sine vlla dubitatione ad secundum rerum ordinem sunt reuocanda. Atque idem fermè de Dijs illis Deorum asserendũ est, ut alibi fusè disputauimus. Anima uerò Mũdi ex Platone antiquior est quàm hæc Vniuersitas: ideo enim dicebat, Sed animam (*loquebatur autem de ipsa Mundi anima*) haud ita vt modò dicere cœpimus, tum denique cum corpus ei effecisset, procreauit: neque enim qui hæc cõiunxit parere iuniori antiquius permisisset. Sed nos multa vt pote fortunæ participes, inconsideratè & temerè loquimur. Ille uerò tam generatione quàm virtute priorem antiquiorémque animam corpore constituit, vt pote quæ obedienti corpori esset imperatura. *Hæc Plato. Quamobrem generatione quam cum hac Vniuersitate institutam esse diximus, uetustior est: ac proinde diuersæ naturæ: ut propterea etiam nihil sit ei cum secũdo gradu commune. Id quod de humanis quoque animis fortasse dicendum esset: nam (ut omittam a Deo a quo nihil nisi immortale profectũ esse iudicauit, fuisse constitutos, idque antequam aut per astra sparsi sati que essent, aut denique ex astris ad corpora, deturbarentur) ij sanè sub sensum nõ cadunt, quod tamẽ illis conuenit quæ ad secundum gradum reuocantur: ac quod rem maximè continet, animos eiusdem naturæ esse vult cum anima Mundi, ex eiusdẽ enim reliquijs in eodem cratere tradit esse conflatos. Nam si medium potiùs locum (id quod nos alibi disputauimus) animo tribuendum esse censeas, cum affirmet Timæus, tum ex substantia quæ semper est eadem, tum*

ex ea

ex ea quæ diuiditur circa corpora, constitutum fuisse, ac τῆς ταὐτοῦ φύσεως καὶ τοῦ ἑτέρου *constare, quæ duo simul conciliata sint & copulata, iam quoniã duo illa rerum genera, ex quibus constituitur animus, per se optimè consistunt singula, atque duos illos gradus efficiunt de quibus disserimus, optimè componi controuersia poterit. si constituentium partium ratio habeatur, mediúmque interim hunc gradum non necessariò hoc in loco introduci asseramus. Nunc in proposito uerborum contextu progrediamur, atque consequentia illa uerba aggrediamur. Nam vnum quod adhuc mihi superarat aperiendum, quo tum Platonis artificium explorandum intimiùs in hac prima sumptione, tum ea penè omnia limanda essent quæ dicta sunt de ijs, quæ solo animo percipi uoluit, ad huius quoque loci usum subijciam infra non inopportunè.*

† *vide comment. par. 7. lib. 1. dec. 2.*

Part. 11.

Τὸ μὲν δὴ νοήσει μετὰ λόγου περιληπτὸν, ἀεὶ κατὰ ταυτὰ ὄν. τὸ δ' αὖ δόξῃ μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου, δοξαστὸν, γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν.

Illud intellectu per rationis indaginem percipi potest, cum semper sit idem, hoc opinione per irrationalem sensum attingi cum gignatur & intereat, neque verè vnquam sit. — Ficinus.

Quorum alterum intelligentia & ratione comprehenditur & vnum semper atque idem est, alterum uerò opinione, cũ sensu quodam rationis experte, opinabile, & gignitur & interit, nec vnquam esse uerè potest. — Nou. iz.

Illud sanè intelligentia per rationis indagationem percipitur, atque vnum semper & idem est: hoc autem opinione per sensum rationis expertem attingitur, gigniturque & interit, ac uerè nunquam existit. — Benius.

Com. 11.

Explicat definitione quadam, seu potiùs descriptione, vtrunque membrum propositum; atque alterum quidem, quod semper est & caret ortu, intelligentia contendit percipi per rationis indagationem: cum semper secundum eadem existat. alterum uerò, id nimirum quod gignitur neque est vnquam, opinione attingi per sensum rationis expertem; cum semper oriatur & intereat, & uerè nunquam sit. Continetur autem prioris mẽbri explicatio hoc syllogismo, si ad ratiocinationem (quemadmodum faciendum uidetur ex Marsilij sensu, de quo postea) reuocetur. Quod vnum semper atque idem est, intelligentia percipitur: quod semper est ortúque caret, vnum & idem semper est: quod itaque semper est & ortu caret, intelligentia percipitur. Posterioris autem membri explicatio hæc est. Quod fit & interit, & uerè nunquam est, opinione attingitur per sensum rationis expertem: quod fit & nunquam est, fit & interit & uerè nunquam est: quod igitur fit & nunquam est, opinione per sensum rationis expertem attingitur.

Docet quid sit id quod sẽper est, & caret ortu: quidue id quod gignitur neque est vnquam.

Sed profectò vt spinosæ videntur descriptiones istæ ac salebrosæ, ita sunt dubitationum plenissimæ. Quare dubitatur primùm quodnam sit harum definitionum siue descriptionum genus, dum explicans Timæus quid sit id quod est semper, ortúque caret, quídue illud quod semper gignitur, ac nunquam est; hoc (inquit) opinione attingitur per sensum rationis expertẽ: illud uerò intelligẽtia percipitur rationis indagatione. Deinde quæ tandem aut quales sunt propositæ differentiæ? hæc namque

Multa & varia posse afferri ad improbandas definitiones propositas. Quare dubitatur primo loco.

Secundo.

que ne adunbratam quidem duorum illorum membrorum formam atque naturam attingunt: cum omnino extrinsecùs, ex nostra uidelicet cognitione, sumantur; quæ cognitio si accesserit, ne punctum quidẽ ad eorũnatu ras constituendas, si abscesserit, nihil planè ad easdem dissoluendas, facit.

Tertio.

Præterea ut ostendat quod semper est & ortu caret, intelligentia percipi, illud affert quod semper sit idem: ubi sanè rationis loco hoc ipsum usur pare uidetur quod ratione firmandum est. Id quod animaduertere quoque licet in ratiocinatiane alterius membri: in qua vt colligat id quod gignitur & nunquam est, opinione per sensum attingi, id suadet, quia gignitur & interit, & uerè nunquam est, quæ sanè idem planè uidentur.

Quarto.

Sed quid est præterea intelligẽtia per rationem cõprehendi, idque seiunctis omnibus sensuum adminiculis? nã hoc nomine prius membrũ a posteriore disterminat: cum tamen Aristoteles experientiáque ipsa doceat nihil esse in intelligentia quin priùs aliquo pacto fuerit in externis sensibus: phantasmatáque ipsa, seu species à sensibus haustas, esse necessarias intelligenti.

Quinto.

Verùm illud quoque obijci potest quod in Phædone *tradit, non posse a nobis in hac uita percipi quod unum & idem est: sed post huius uitæ cursum hãc nos manere cognitionem pulcherrimam. quibus itaque oculis, aut qua ex specula tam distinctè inspexit ipse, quo tandem pacto comprehenderentur? aut qui potest mortalis hæc tam constanter sine temeritate affirmare?*

Sexto.

Iam uerò quid est opinione attingi aut percipi, idque per sensum rationis expertem, quasi uerò aliquis sensus sit, qui rationis sit particeps? aut quo pacto si nunquam est (ut iactat) id in quo uersatur opinio, attingitur atque percipitur?

Septimo.

Denique (ut rem complectar breui) nihil uidetur afferri ad duo illa perobscura membra explicãda, quod non longè obscurius sit atque spinosius: & (quod in re tam ardua turpe est) de tripode quodammodo atque adeò temerè prolatum. Hæc, inquam, obijci possent utriusque illius membri descriptionibus. Quibus tamen, quantum in me erit, conabor ut satisfaciam: tametsi rem aliorum quoque iudicio integram relictam uelim.

Diluitur prima dubitatio

Vidit autem (ut ad quæstionum initium reuertar) primam dubitationẽ Proclus; cui etiam satisfecit his uerbis, si tamen satisfecit. Ποῖον γένος ἐπὶ τοῦ ὄντος ἔχει χώραν, ὃ πᾶσαν περιλαμβάνῃ τὴν νοητὴν οὐσίαν; εἰ γὰρ μηδὲν ἡ οὐσία γένος ἔχει πρὸ ἑαυτῆς, μηδὲ ὁρισμὸν, οὖσα γενικώτατον, τί ἂν περὶ αὐτοῦ τοῦ γ' ὄντος εἴποις, ὃ πάσης μὲν οὐσίας, πασῶν δὲ δυνάμεων, πασῶν δὲ ἐνεργειῶν περιληπτικόν. οὔτε οὖν τὸ ὂν γένος ἐστὶ τοῦ ἀεὶ ὄντος. *hoc est.* Quod genus reperiri potest in regione entis, quod omnem comprehendat intelligibilem substantiam? si enim essentia nullum genus habet ante se, neque definitionem habebit: cum essentia vniuersa sit generalissimum genus (quicquid tãdẽ de hoc ente enũciaueris) quod virtutes omnes atque actiones coërcet & cõplectitur. Nõ igitur genus extat eius quod semper est. *Hæc Proclus. Qui acutè fortasse quædã, sed quàm appositè nõ satis uideo. Nã primò respõsio nõ pertinet ad secũdã dubitationis partẽ, in qua nõ sẽ piternæ, sed mortalis substãtiæ genus quærebatur, hoc enim erat in prõ-*

ptu.

ptu. Deinde non desunt ex Platonicis qui velint ens vniuocè de substãtia & accidẽti prædicari, perinde ac numerus de omnibus numeris vniuocè prædicatur, tametsi alius prior, alius posterior, hic perfectior, ille imperfectior sit. Atque hinc substantiam, deinde in mortalem & immortalem, siue corporatam & incorporatam dissecant: vnúmque Aristotelem fuisse volunt qui genere spoliarit partes entis, atque nomine tenus in genere entis res omnes conuenire voluerit. Et quanquam dum Plato ea quæ sola intelligentia cernuntur, longè magis quàm Aristoteles dissociat ab his quae cadunt sub sensum (id enim facit dum caduca negat eße vera entia & consistere) propositam sententiam minimè probes; veruntamen haud ita facilè ex Peripateticorum decretis rem decernere debuisset Proclus, cum praesertim † Alexander, † Themistius, ac plerique † Peripateticorum substantiam saltem commune genus faciant abstractis substantijs, cum mortalibus & corporatis: quod propositis descriptionibus genus suppeditaret. Denique potuisset Plato accipere ens generaliter sumptum atque confusum, quatenus de immortali & mortali natura, tametsi analogicè, vt vult Aristoteles, enunciaretur; aut potiùs substantiam: nam haec præterquam quod non latissimè patet vt ens, vtrique naturae illi communis est, quamuis disiunctissimis interuallis. Atque hoc pacto, quoniam descriptione vtebatur, ens, seu potiùs substantia, generis locum obtinuisset. Et sanè ens confusum atque ambiguum, vel certè substantiam in generis loco excipere non est quod graueris. nam dum quaerit author quid sit id quod dixerat vnum atque idem esse semper, respondétque illud intelligentia percipi per rationis indagationem, explicata responsionis sententia erit, esse illud ens, vel certè substantiam quæ sola intelligentia percipitur. Immo verò omnino debemus tale genus intelligere: nam non potest descriptio vlla afferri, qua vel ens, vel huiusmodi aliquid (cuiusmodi tandem sit illud) potestate saltem non contineatur: nec vlla differentia præscribi quæ aliquid generis loco non assumat. Ad secundam verò respondet Proclus his verbis. Πῶς δὲ οὐ προσῆκόν ἐστι τῇ θεωρίᾳ καὶ τοῖς προκειμένοις διορισμοῖς, ὁ ἀπὸ τῶν γνώσεων ἀφορισμός; εἰ γὰρ, ὥσπερ εἴπομεν πρότερον, ἀξιώμασι τούτοις ἐθέλει χρήσασθαι, καὶ ὑποθέσεσι τῶν ῥηθησομένων ἀποδείξεων, δεῖ γνωρίμους εἶναι τὰς ὑποθέσεις ταύτας καὶ ἐναργεῖς ἡμῖν. ἀλλ᾽ εἰ μὲν αὐτὴν ἐφ᾽ ἑαυτῆς τὴν τῶν πραγμάτων φύσιν ἡμῖν παρεκελεύσατο θηρᾶν, ἔλαθεν ἂν ἀσαφείας ἐμπλήσας τὴν σύμπασαν διδασκαλίαν· ἐπειδὴ δὲ γνώριμον ποιῆσαι βούλεται διὰ τῶν ὅρων, τό, τε ὄν, καὶ τὸ γιγνόμενον, ἵνα ἀπὸ γνωρίμων τὰς ἀποδείξεις προσάγῃ, καὶ τοῖς ἀκούουσιν ἐναργῶς τὴν ἰδιότητα παρίστησιν αὐτῶν. *hoc est.* Quid verò obstat quo minùs præsenti contemplationi, ac propositis definitionibus explicatio cõueniat ab his desumpta quæ sunt nota nobis? si enim (quemadmodum dicebamus paulò ante) axiomata hæc positionésque vsurpat, vt rerum dicendarum conficiat demonstrationes, operæpretium sanè fuit cognitas esse nobis ac manifestas huiusmodi rei rationes. Quod si ipsam rerum naturã secundùm seipsam iussisset peruestigari, obscurus fuisset, tenebris complens vniuersam doctrinam. Quoniam uerò apertum facere uult certis definitionibus id quod existit, & quod fit, vt ab his quæ perspecta sunt, demonstrationes ducat, audientibus etiam dilucidè

ponit

† Al. ex Simp. in prædic. substan.
† Th. l. 3. phy. in.
† Simpl. in Antepræ. ad f. s. Th. .. p. q. 50. a. 2. ad. 1 & aliis.

Secunda

ponit ante oculus proprietates ipsorum. *Ita Proclus. Qui sanè si ostendisset hanc descriptionem, tametsi remotissima ac maximè extrinseca videatur ab eius quod quæritur natura, nobis tamen eße notiorem: commodiúsque nos ad eius quod semper esse dicitur, cognitionem ducere, omnem sine dubio sustulißet dubitationem. Sed quoniam id sibi assumit potius quàm demonstret, res de integro explicanda est. Ergo reuocandum est ad memoriam priores has positiones idcirco afferri a Timæo, vt ex illis doceat Mundum & fuiße conditum, & ad exemplar conditum, hócque præterea esse pulcherrimum ac sempiternum. Quare (vt non multò post videbimus) ex eius quod hic semper eße contendit descriptione, Mundi exemplum collegit fuiße sempiternum: idque ea ratione, quòd cum Mundus pulcherrimus sit, non nisi ex pulcherrimo sempiternóque exemplo exprimi potuerit. Et idcirco potuisset quidem* Plato *eius quod asserit vnum atque idem esse semper, naturam ac vim paulò intimiùs explicare, vt alibi accuratè fecit, ac præsertim in Parmenide: veruntamen cum ex multis quae de eo dici potuißent, nihil hoc in loco vsui eßet, nisi idipsum quod extrincecùs aßumpsit, videlicet illud intelligentia per rationis indaginem percipi, sapienter caeteris omnibus prætermissis, hoc vnum ad illud describendum commemorauit. Quod autem id vnum illi vsui esset ad sempiternum Mundi exemplum statuendum (id enim rei caput est) res ipsa declarat, si Platonis ratiocinatio ac progressus spectetur: nam subsumit statim eum qui aliquod opus molitur, tum demum necessariò opus efficere pulcrum, cum hanc speciem quae éadem est semper, intuetur, ac sibi proponit exemplum. Ex quibus omnibus colligit Mundi molitorem non nisi speciem hanc quæ vna eádémque est semper, imitatione expressisse: cum neque Mundo quicquam sit pulchrius, neque eius ædificatore præstantius. Atque ita praeclarè exempli naturam decernit. Venio ad tertiam: quae cum difficilior est atque spinosior, tum sine duce vllo est nobis tractanda.*

Tertia.

Ergo (vt hinc incipiam) totum hunc locum τὸ μὲν δὴ νοήσει μετὰ λόγου περιληπτὸν, ἀεὶ κατὰ ταυτὰ ὄν. τὸ δ᾽ αὖ δόξῃ μετ᾽ αἰσθήσεως ἀλόγου, δοξαστὸν, γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν, *Chalcidius & Serranus sic vertunt vt facilè credas hæc accepisse non secus ac simplici meráque enunciatione, non ratiocinatione contineantur. Quasi dicat* Plato. *Quod semper est ortúque caret, est intelligentia perceptibile, & semper est idem: contra verò quod gignitur & non est vnquam, est opinione per sensum perceptibile, interítque & nunquam consistit: & ita dubitatio hac in parte nullum haberet locum, quia non eßent hæc (vt feci) ad syllogismum reuocanda, sed simplici enunciatione explicanda. At Marsilius, vt vidimus, quem secutus est Erizus, sic interpretatus est, vt omnino velit ea omnia ratiocinationem syllogismúmue conficere: quod scilicet contendat* Plato, *id quod semper est eße intelligentia perceptibile, quia semper est idem: contra verò quod gignitur & nunquam est, per sensum rationis expertem attingi, quòd gignatur, intereat, & uerè sit nunquam. Quæ controuersia, quod pertinet ad primum membrum posita est in illis verbis* ἀεὶ κατὰ ταυτὰ ὄν. *quod vero attinet ad secundum, in illis* γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν. *Vbi sanè cùm verba*

vtranque interpretationem ferant, ab inferis excitandus eßet Plato, vt suam ipse sententiam exponeret. Quanquam si vrgeas vt nihilominus aperiã vtram interpretationem magis probem, mihi sanè (vt ingenuè fatear) longè magis arridet prior: existimo enim mera enunciatione non argumentatione concludendam esse illius loci sententiam: idque tum quia si syllogismum esse negemus, nullum locum habebunt ea, quibus argumentationem illam nõ bonã, immo puerilẽ esse arguebamus. Tum quia si ex M. Tullij versione loci vim explores, poterit quidem & mera enunciatione proferri sententia, & ad syllogismum rursus reuocari: (eâdem enim fermè ambiguitate continetur) sed tamen longè planior erit si mera enunciatio censeatur: quemadmodum græcè etiam (ni valde quidem fallor) planior est si enuntiatione proferatur: tum quia simplici enunciatione id ipsum fermè proposuerat Locrus. ait enim, καὶ τὸ μὲν εἶμεν ἀγένατόν τε καὶ ἀκίνατον, καὶ μένον τε, καὶ τᾶς ταυτῶ φύσιος νοατόν τε καὶ παράδειγμα τῶν γινομένων. hoc est. Atque id quidem est ingenitum & immobile, constans eiusdémque naturæ semper, intelligentia perceptibile, ac rerum genitarum quæ semper fluunt exemplum. *Tum quia cæteræ omnes positiones quibus sibi ad disputationem sternit aditum, mera enunciatione proponuntur: epichiremate ac syllogismo nullæ: tum denique (id quod rem maximè continet) quia hanc sumptionem statuit Plato vt dein de colligat exemplũ, quod imitatus est Mundi opifex in eius molitione, fuisse ex eorum genere quæ semper sunt, atque ortu carent: at dum id colligit, eãdẽ sumptione veluti mera enũtiatione potiùs, quàm syllogismo vtitur: ait enim.* Rursus considerandum est vtrum Mundi faber sit imitatus exẽplar, ídne quod idem semper & simile est: an id quod genitum fuerit. Atqui si pulcher est hic Mundus, & opifex Mundi bonus; sempiternum certè exemplum maluit imitari. sin secus, quod ne dictu quidem fas est, generatũ exemplum est pro æterno secutus. cum verò & Mundus omnium genitorum pulcherrimus sit, & eius author causarum omnium optimus, dubium non est quin sempiternum sit secutus exemplum. *Quamobrem cum hic tantùm contendat sempiternum fuiße illud exemplum, & ex eorum genere quod idem semper & simile est, syllogismi autem quem facit Marsilius, nullum vestigium, nullus vsus cernatur, simplici enunciatione locum illum contineri dicendum est: ac proinde vana omnino erit dubitatio. Quod uerò ex Peripateticis obijciebatur falsum esse comprehendi aliquid intelligentia sine sesuum adminiculis, cum neceße sit quicquid consedit animo, id totum haustum fuerit priùs à sensibus; profectò nihil tandem efficit contra Platonem: nam quot habet exceptiones ea Aristotelis sententia, † Nihil est in intellectu quod priùs non fuerit in sensibus; tot habet confirmationes haec Platonis sumptio. Quod semper est, intelligentia comprehenditur. Nam (vt omittam Deum ac substantias quae sunt à corpore seiugatae, nihil intelligere ope sensuum) multa intelligit homo, quae nullo unquam sensu attingi poßunt: cuiusmodi est Deus, & caetera omnia quae materiae sunt omnino expertia. quia multa percipiuntur, multa quoque fabricantur ab animo*

Quarta.

† l. 3. de an. t. 30. 31. & 39.

mo, quæ sunt cum rebus mortalibus & corporatis coniuncta: nec tamen cadunt sub vllum sensum: vt odium, inimicitia, rerum definitiones, & alia huiusmodi innumera. Quod si hæc omnia tunc demum subeunt animum, cũ à rebus externis species aliquæ per sensus haustae fuerint, vnde mens ea vel percipit, vel exprimit ac molitur; hoc si non apud Peripateticos, apud alios sanè multos non caret dubitatione. neque enim desunt viri grauissimi, qui velint posse hominem interdum intelligere aliqua sine sensuum auxilio. quin ab ijs impediri sæpè, tantum abest vt iuuetur. A qua etiam sententia videãt Peripatetici quo pacto expediant Aristotelem qui fatetur† Vates, Sybillas, Bacchides, atque eos omnes qui siue fanatici atque instinti, siue Numine afflati dicerentur, (hos ipse ἐνθουσιάζοντας atque ἐνθέοις appellat) futura præuidiße, oracula, vaticinationésque fudiße. quique simul† concedit in Boristene vel secus Herculeas columnas fuisse aliquos qui eodem pacto multa praesentirent. Nam quancunque tandem huius rei causam attulerit, hos sanè non sensuum adminiculis, sed à sensibus abalienatos, & (vt ipse etiam loquitur) † ἐκστατικῶς longè posita, futuráque præuidisse. Sed esto in præsentia nihil intelligat humanus animus in hac vita, nisi intermedijs sensibus: (quod tamen alibi considerabimus) at huiusmodi cognitio quod pertinet ad res quae nunquam oriuntur ac semper sunt, est imperfecta & obscura, & longè abest à perspicua cognitione, tum rerum immortalium, quae Peripatetici docentibus sunt nobis maximè ignotæ: tum Idearum, quas vel vnas vel maximè intelligit hic Plato, dum vult id quod semper est sola intelligentia comprehendi. Immo verò in hac eâdem imperfecta cognitione exiguam partem habet sensus: ac valde remota causa est, cum aliquid tantùm ministret animo, vnde quibusdam veluti gradibus sese attollat, ac tandem aliquo pacto illas attingat. Quocirca cum Timæus eo signo ac nota distinguat Ideas ac res sempiternas ab rebus caducis ac fluxis, quòd illæ animo percipiantur, hæ sensibus; ex perfecta, adæquata ac germana cognitione (vti decebat) eiusmodi signum desumpsit ac notam: cum præsertim per accidens iuuetur homo sensibus in cognitione rerum immortalium: cum illæ suopte natura sint proprium obiectum intelligentiæ ac mentis: ac quò magis intelligentia est à sensibus seiugata, eò perfectiùs attingat ea. Quanquam (vt fatear id quod est) hoc decretum quo non hîc solùm, sed alibi paßim docet esse quaedam quæ sine vllis sensuum adminiculis, vniúsque rationis indagatione ab humana intelligentia comprehenduntur: ex triplici quasi fonte manauit, atque ex tribus veluti decretis illius cognitio pendet. Ac primum quidem est, reperiri species quasdam & formas rerum abstractas ac separatas ab his quæ sub sensum cadunt: eásque solas immutabiles eße & perennes, scientiámque veram vna intelligentia perceptas gignere. Quam rem cum alibi fusiùs, tum præsertim in hoc ipso dialogo paulò ante finem differit: ídque ea potissimùm de causa, quòd in ipso disputationis cursu huiusmodi species ueluti de illis constaret, usurpaßet Timæus: ac proinde ne eas suo iure statuiße uideretur, ad extremùm censuit esse comprobandas. Alterum uerò est, humanum animum esse antiquiorem quàm corpus: immo corpora hæc

mor-

† proble. 1. sect. 30.

† l. de di. per som. c. 1.

† l. cit. c. 2.

mortalia eſſe ueluti carceres in quos detrudantur animi, ob flagitia quædam è ſuis ſedibus deturbati. Et hoc eſt quod in Axiocho (ſiue enim Platonis ſit dialogus, vt † Clemens Alexandrinus ac Stobæus volunt, ſiue Xenocratis eiuſdem Platonis diſcipuli ac nepotis, quemadmodum † alij quidam ſuſpicantur, ſiue denique † AEſchinis Socratici, vt Harpocratio & Laërtio viſum eſt, parum refert) immo & in Phædro vbi de animorum vita, contemplatione & lapſu in corpora, & huiuſmodi alijs verba facit, diſertiſſimis verbis tradit. Venditat enim nos eſſe ψυχὴν, ζῶον τε ἀθάνατον ἐν θνητῷ καθειργμένον φρουρίῳ, animum, inquam, animálque immortale mortali incluſum cuſtodia. ac propterea animum facto concreti interitu, ſi iuſtè vixerit, in ſuam ſedem ac regionem reuolare. hinc parem aſtris animorum numerum conditum, iiſdémque aſtris veluti vehiculis impoſitum fuiſſe: deinde verò neceſſitate quadam his corporibus fuiſſe inſertos: vnde, ſi iuſtè curriculum vitae confecerit, ad attributum aſtrum reuertatur. Hoc ſecundum. Quanquam quo tandem pacto accipienda ſint ea quibus venditare videtur hominem eſſe ſolum animum, humanúmque corpus eſſe animi veluti carcerem, exponam † alibi: ſiquidem in Timaeo, vbi dedita opera hæc tractat, licet a cæleſtibus iſtis vehiculis in quibus ſeminati ac ſparſi ſint animi, atque a regreſſu animorũ ad cæleſtes ſedes, vbi facta ſit concreti ſolutio, non abhorret; hominem tamen omnino conſtat ex anima, & mortali hoc corpore: hócque nomine illum appellat animal. Poſtremum decretum, quod ex ſecundo oritur; eſt huiuſmodi: animos, quippe qui intelligentia prædití eſſent, antequam in hunc carcerem detruderentur, non potuiſſe non habere propriam operationem atque cognitionem, ídque ſpecies illas (de qua paulò ante dicebam) contemplantes. tametſi dum mortali hoc corpore coërcentur, & corporatis, fluxiſque imaginibus per ſenſus hauſtis pulſantur, nullam illarum memoriam atque notitiam habeant. Et hoc ſanè cum alibi ſæpè, tum in Phædro ac Timæo tradit diſertiſſimis verbis. Quæ cum ita ſint, iam omnis tollitur dubitatio: nam laborabit quidem Ariſtoteles fortaſſe, qui cum ſtatuiſſet noſtram omnem cognitionem neceſſariò ex phantaſmatibus pendêre, fœlicitatem nobis quandam adinuenit in hac vita, atque eam in ea contemplatione † poſitam, quæ etſi aſſidua, non laborioſa tamen ſit & difficilis, ſed omni cura & negocio vacua: omni voluptate & iucunditate referta; ac (quod admirabilius videri poſſet) non niſi poſt diuturnum tempus ac perfectam vitæ longitudinem contingat homini. ac denique † ἐκστατικοὺς, à ſe ipſis inquam alienatos animo, futura prænoſcere. at Plato qui negat perfectam germanámque animi cognitionem ex corporatis rerum phantaſmatibus dependêre, quin potiùs hæc impedimento illi eſſe, optimè potuit affirmare, id quod ſemper vnum & idem eſt (hoc eſt ſempiternas illas ſpecies) intelligentia per rationis indagationem (vt nimirum cognitio per ſenſus excludatur, quam opinionem appellat) percipi ac teneri. Atque hinc cæteræ omnes propoſitæ dubitationes tolluntur. Quamuis enim exiſtimauit huiuſmodi ſpecies non poſſe attingi in hac vita (quanquam Dei munere id aliquibus poſſe contingere qui perpurgati animo eſſent, non grauatè conceſſit in Timæo) iis

† Clem. 6. ſtr. non longè ab initio Stob. paſſim.
† Ficinus, ac forte etiam Laer. nam in Xenoc. librũ de morte citat.
† Laer. in Aeſchine.
† vide par. vlt. l. 1. Dec. 11.
† li. 10. Eth. c. 7.
† lib. de diu. per ſom. c. 2.

tamen positis de quibus nuper agebamus, citra omnem temeritatem affirmare potuit, species illas sola intelligentia attingi & percipi. Sic etiam è contrariò, cùm mortalia omnia perpetuò fluere velit, ac propterea veram scientiam haud gignere, sed opinionem (id quod satis supérque disputatum ac confirmatum est supra) iure optimo statuere potuit, id quod gignitur & nunquam est, sola opinione attingi, ídque per sensum rationis expertē: cuius non temerè mentionem facit: sed vt discrimen ponat inter hunc ac cœlestē illum & penè diuinum animi sensum, quo vtitur dum extra corpus hoc degit: atque adeò huiusmodi sen sum rationis expertem à quocunque animi sensu siue intelligenti vi & facultate seiungat: & (vt semel dicam) vt quemadmodum sempiternas illas species dixerat percipi νοήσει μετὰ λόγου, *sic has caducas* μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου *per sensum qui ratione caret. Vt omittā id quoque affirmare potuisse quòd non satis compertum esset num in humano sensu sit ratio. Neque enim desunt ex Peripateticis, (vt alios philosophos taceam) qui in homine ipsum sentiendi actum non sine rationis concursu fieri affirment, atque in sensu versari rationem. Ex his itaque omnibus proposita sententia quæ alioquin obscura videbatur & salebrosa, tum vera, & constans, tum perspicua esse potest ac plana. Nam id quod fit,* ἀπολλύμενον *eße,* ὄντως τε οὐδέποτε ὄν. *gigni inquam & interire, verò tamen eße nunquam, explicatum est supra. De opinione autem quam cum sensu tam intimè coniungit Plato, atque à Mente, quasi hac non egeat ipsa opinio; toto cœlo seiungere videtur, déque opinione ipsa & intelligentia in vniuersùm, quæ abstruso quodam modo duo efficit humanæ cognitionis genera & formas, dicemus postea. † quemadmodum infra etiam de sensu disputabimus, quem significat nihil supra opinionem ministrare homini: cum tamen experientia ipsa satis docere videatur Mentem ope sensuum certissimas demonstrationes ac pronunciata colligere: vt ignem esse calidum: quodlibet esse maius sua parte: corpus graue tendere ad centrum, & huius generis penè infinita. Atque ijsdem in locis videbimus an propositæ descriptiones, & abstrusa pronunciata omnia, quæ in huiusmodi discriptionibus obseruauimus, cohæreant (id quod de effatis docuimus superioris particulæ) cum Christianæ Philosophiæ decretis, ac doctorum nostrorum sensu. Nam vt patent quam latißimè, atque diuina & immortalia omnia, scientia; terrena & caduca, opinione, concludunt, nostra plurimùm refert eiusmodi cognitio. Interim tamen, quod attinet ad tria illa decreta quorum præsidijs explicauimus propositas descriptiones, non idem planè debet esse noster qui est Platonicorum sensus ac iudicium. Nam species illas ac formas de quibus in primo decreto; extare, atque ab Theologorum nostrorum scholis magna cum Platonis laude retineri, tum fateor, tum suo loco demonstrabo: secundum verò ac tertium non item. Nam dum in secundo statuit humanum animum esse antiquiorem quàm corpus: nos contra corpus vtpotè imperfectius, quódque animo ipso vita & sensu donatur, priùs fingi profitemur; ac prinde ipsum, non animum esse antiquius. Pari ratione humanum corpus (id quod in eodem decreto sumit) esse animi ueluti carcerem,*

Aliæ quædā dubitationes attinguntur, & in aliū locum reijciuntur.

† vide Dec. II. libro. I. part. II.

Iudicium & cautio quæ huius Particulæ decretis ac fundamētis sunt adhibenda.

rem, atque in hunc è cœlo delapsum esse ac deturbatum propter flagitia quædam, & ideo nihil esse aliud quàm animal utens corpore, uel animum mortali inclusum custodia, non admittimus. id quod de tertio etiam accidit: ut enim humanus est animus corpore posterior, ita nullam aut operationem aut cognitionem habere potuit antequam cum hoc corpore copularetur. Tametsi hæc (vt opportuniore loco uidebimus) possunt magna ex parte ad meliorem sensum etiam reuocari: iuxta quam sancti quoque Patres cœlum, hominis patriam, Mundum hunc, exilium, humanum denique corpus, carcerem esse, sæpissimè monuerunt, ac magna cum diuinarum litterarum consensione monuerunt. Cúm præsertim nec humanos animos, hoc est immortales, caducum corpus decere uideretur Platoni, vt sæpe disserit: nec mortale, aut etiã perturbationibus obnoxium, sed immortale, atque ad miraculum vsque perfectum corpus fuisset primis hominibus à Deo attributum. Vt non mirum sit hæc de humano animo atque homine ipso effata inter sapientes promanasse.

Part. III. Πᾶν δὲ αὐτὸ γιγνόμενον ὑπ' αἰτίου τινὸς ἐξ ἀνάγκης γίγνεσθαι. παντὶ γὰρ ἀδύνατον χωρὶς αἰτίου γένεσιν σχεῖν.

Quicquid autem gignitur ex aliqua causa necessario gignitur. sine causa uerò oriri quicquam, impossibile est. — Ficinus.

Quicquid autẽ gignitur ex aliqua causa gigni necesse est, fieri enim nullo modo potest vt quicquam sine causa gignatur, aut fiat. — Nou. int.

Omne autem quod gignitur, ex aliqua causa gigni necesse est, neque enim fieri ullo modo potest, ut sine causa aliquid procreetur. — Benius.

Com. III

Ponit secundam sumptionem ad inuenienda initia Vniuersitatis

Iacit secundum fundamentum ac positionem: in qua contendit omnino esse neceßarium, vt quicquid fit ab aliqua causa fiat. Hæc uerò sumptio atque positio (quemadmodũ patebit infra) pertinet ad ostendendum Mundum habuisse causam efficientẽ perinde ac prima. & eodem spectat id quod statim subditur; nimirum fieri nullo modo posse vt sine causa aliquid oriatur. quae sententia uel est ratio prioris: uel certè, si non tam loquendi modus, quàm res ipsa spectetur, est expolitio: pertinet enim ad illustriorem eius explicationẽ: etsi enim aliud quoquo modo dicere uidetur, re tamen ipsa in eodem loco manet. nam id quod fit, necessariò à causa proficisci; & fieri non posse ut sine causa aliquid oriatur, in idem tandem recidunt. Quanquã non me latet Proclum uelle has eße duas κοινὰς ἐννοίας, *communes animi conceptiones, eásque diuersas: nam posterior, inquit,* ἐναργέστερόν ἐστι, τὸ δὲ ἕτερον ἧττον γνώριμον, καὶ σαφές. *clarior est: prior minùs perspicua. sed errat: nam, si rectè reputemus, præterquam quod non videtur fingi posse aut concipi quomodo prior sententia obscurior sit aut diuersa, immo omnino uidetur cum posteriore conuerti, ipsemet Plato in conclusione deinde, qua statuit Mũdum pendêre ab effectrici causa, vnicam tantùm ex his sententijs recolit ac citat, dum dicit;* quicquid autem gignitur ab aliqua causa nececessariò gigni asseruimus: *alterius autem ne uerbum quidem: cùm tamen cæteras (quas attulimus) sumptiones, suis locis omnes usurpet ac recolat ad conclusiones quas meditabatur, colligendas. Quare Serranus etiam (vt uidimus supra) dum proponeret hypotheses illas, vnicam hypothesim ex his duabus sententijs constituit. Quod si tamen uelit aliquis priorem illam sententiam eße conclusionem: posteriorem*

uerò conclusionis rationem, ut dicere cœperam, & probationem, habebit sanè quem sequatur. siquidem Proclus cum dixisset τὸ μὲν ἕτερον τῶν νῦν ῥηθέντων τούτων ἐναργέστερόν ἐστι. τὸ δ᾽ ἕτερον ἧττον γνώριμον καὶ σαφές. horum quidem dictorum clarius est alterum : alterum minus clarum atque perspicuum, é vestigio subdebat. Τὸ μὲν ὡς μέσον. τὸ δὲ ὡς συμπέρασμα τίθησι. τὸ μὲν γὰρ πᾶν τὸ γιγνόμενον ὑπ᾽ αἰτίου γίγνεσθαί τινος ἐξ ἀνάγκης, συμπέρασμά ἐστι. τὸ δὲ, παντὶ γὰρ ἀδύνατον χωρὶς αἰτίου γένεσιν σχεῖν μέσον, ἵν᾽ ὁ συλλογισμὸς ᾖ κατηγορικὸς ἐν πρώτῳ σχήματι τοιοῦτος. τὸ γιγνόμενον ἀδύνατον χωρὶς αἰτίου γίγνεσθαι. τοῦτο δὲ ὑπ᾽ αἰτίου τινὸς ἀνάγκη γίγνεσθαι. πᾶν ἄρα τὸ γιγνόμενον ὑπ᾽ αἰτίου τινὸς ἐξ ἀνάγκης γίγνεται. κάλλιον γὰρ ὄντως συνάγειν ὅπερ καὶ ὁ Ἰάμβλιχος ὑπέκρινεν, ἢ ὥσπερ ἄλλοι τινὲς ὑποθετικὸν ποιεῖν συλλογισμόν. *Hoc est.* Et illud quidem vt medium : hoc verò tanquam conclusionem posuit. etenim illud omne quod gignitur, a causa aliqua gignatur necesse est, conclusio est. hoc verò; fieri nullo modo potest vt aliquid sine causa procreetur; medium est ac ratio conclusionis. vt propterea syllogismus sit in prima figura & Categoricus hoc pacto. quod gignitur non potest non a causa aliqua gigni, sed è contrariò à causa aliqua uecessariò gignitur. Omne igitur quod fit ab aliqua causa necessario fit. pulchrius enim est sic concludere, quemadmodum censuit concludendum Iamblichus: quàm hypotheticum facere syllogismum cum alijs. *sic, inquam, Proclus: & ante illum fortasse Iamblichus. Tametsi (ut dicebam) Plato dum deinde conclusionem ex hac sumptione colligeret, neque hanc in argumenti loco habuit : neque nisi expolitionis ornatúsque causa se duo illa consociasse significauit. denique quo pacto posterius dictum sit magis perspicuum, non uideo. Quam rem ne ipse quidem Proclus omnino dissimulare potuit: nam idcirco statim subdebat.* Ἀλλὰ πῶς ὁ μέσος τοῦ συμπεράσματος γνωριμώτερος; τὸ γὰρ ἀδύνατον μὴ εἶναι, δῆλον ὡς ἀναγκαῖον εἶναι. καὶ τὸ ἀναγκαῖον εἶναι, ἀδύνατον μὴ εἶναι ἢ ταὐτὸν μὲν πῶς ἑκάτερον; sed qua obsecro ratione medius terminus est notior quàm conclusio? idem enim valet; fieri non potest vt non sit; & necesse est vt sit: & contra: necesse est vt sit; & impossibile est vt non sit: an non idem tandem valet vtrunque? *Vbi pergens*, πολλάκις, *inquit*, τὸ μὲν ἀναγκαῖον εἶναι οὐ γνώριμον, τὸ δὲ ἀδύνατον μὴ εἶναι γνώριμον. sæpè necessariũ est, non est notum: at impossibile non esse, est notum. *quam rem exẽplis etiam illustrare conabatur: a quibus recensendis, ne sim longior, supersedeo: rem cuique integram relinquens.* Nam *si obijcias in priore sententia qua asseritur, quicquid gignitur, ex aliqua causa necessariò gignitur, causam uerè vt necessarium principium proponi : in posteriore verò dum dicitur sine causa oriri nihil potest, causam ueluti conditionem sine qua non (vt Peripatetici loquuntur) proferri tantùm, ac propterea sententias non nihil differre, id verò hoc in loco in quo causæ fit mentio, temerè obijcitur. nam si diceret, sine tempore, vel sine motu, aut sine actione & passione gigni nihil potest, tunc tempus uel motus, aut etiam actio & passio obtinerent quidem locum conditionis sine qua non : sed cum dicitur sine causa oriri nihil potest, causa non potest in conditionem conuerti. Quod si adhuc pugnaciter vrgeas, si non vt conditio, at certè ut causa, sine qua non, proponitur in posteriore sententia,*

quaſi verò non excludatur diſpoſitionum (quas vocant) atque huiuſmodi aliorũ, ſi quæ ſunt, neceſſitas ad alicuius rei ortum, id ipſum de priore cauillabor ego. nam dum dicit, quicquid gignitur ex aliqua cauſa gignitur, non excludit ipſe diſpoſitiones. Vt propterea velit nolit Proclus hæ duæ ſententiæ vel apud perpugnacem Peripateticum, ne dum apud iuſtum rerum æſtimatorem, in idem recidant neceſſe ſit: cùm præſertim non veluti rigidus Philoſophus atque adeò cauillator diſſerere ſoleat noſter Plato, ſed tanquam æquus diſputator ac grauis. At verò quicquid gignitur, à cauſa gigni, nihilque aut fieri poſſe ſine cauſa, ſatis per ſe videri poſſet apertũ & exploratum. Nam ſi quæ gignuntur, efficiuntur; effecta quoque erunt: quodſi effecta, cauſam neceſſariò habebunt, cum ſint relata: neque alterum ſine altero reperiri poſſit. Huc accedit quòd generatio eſt mutatio quædã: ac propterea neceſſe eſt ut ſuas et ipſa cauſas habeat, quemadmodũ cæteras mutationes omnes habere cõſtat. Et ſanè ſi ea quæ arte fiunt, quæue caſu aut fortuna fieri dicuntur, cauſas in ſuo genere habere cernimus, in rebus quæ gignuntur ac naturaliter fiunt, ſtultum eſſet cauſam non admittere. Denique in rebus ipſis naturalibus inductione oſtendi poteſt, quicquid fit, cauſam exiſtendi habere. Quamobrem dum Ariſtoteles libro VII. Metaphyſices † docet, quæcunque fiunt, ab aliquo, & ex aliquo fieri, additque, ſi nihil præexiſtat (id autem quia cauſa eſſe debet) fieri nullo modo poſſe, vt aliquid fiat, ac I. Phyſiologiæ libro, ex nihilo nihil fieri aſſerit, contra verò quicquid fit ex cauſa fieri, omnéſque mutationes habere ſuas cauſas, id ſanè quod attinet ad cauſã efficientem (nam de materiali planè diſſentimus) libentiſſimè illius ſententiam ſequimur. Debet autem effectrix hæc cauſa intelligi diſtincta ab eo quod fit: nam nihil poteſt ſibi ipſi eſſe cauſa vt ſit: ſi enim eſt, quomodo ſe efficit ac gignit? ac propterea debet efficiens cauſa præexiſtere vel tempore, vel natura. Quanquam cuiuſmodi ſit in aliquibus hæc diſtinctio, dum cauſa effectrix motus apud Peripateticos non vſque adeò apparet diſtincta ab eo quod mouetur in locali motu, non eſt huius loci. etenim in præſentia vnam effectricem generationis cauſam quærit Plato, quæ cauſa huiuſmodi dubitationem non habet. niſi tamen velis aut id effici quod eſt & dum eſt: ac rurſus idem vno eodémque tempore, ac reſpectu ſui ipſius & in ſe ipſo agere & pati: eodémque modo idem eſſe in actu & in potentia: & (vt dicam breui) eſſe, agere & pati antequam ſit aut fiat.

† cap. 7.

Part. IV.

Ὅτου μὲν οὖν ἂν ὁ δη-
μιουργὸς πρὸς τὸ κατὰ ταυ-
τὰ ἔχον βλέπων ἀεί, τοι-
ούτῳ τινὶ προσχρώμε-
νος παραδείγματι, τὴν
ἰδέαν καὶ δύναμιν ἀπερ-
γάζηται, καλὸν ἐξ ἀνά-
γκης οὕτως ἀποτελεῖσθαι
πᾶν. οὗ δ' ἂν εἰς τὸ γεγο-
νὸς γεννητῷ παραδείγμα-
τι προσχρώμενος, οὐ
καλόν.

Ficinus.

Quando igitur opifex in operis alicuius constructione ad id quod eodem modo se habet semper aspicit: & huiusmodi quodam usus exemplo ideam uimque in opus educit, pulchrum tunc fieri opus omne necessarium est. Quando uerò ad id quod factum respicit, minimè pulchrum.

Nou. Int.

Quocirca ſi is qui aliquod opus efficere molitur, eam ſpeciem quæ ſemper eſt eadem, intuetur, atque eam ſibi propoſuit exemplar, & quidem illam, cogitationiſque ſuæ vim in opus educit: ita omnino neceſſe eſt rem totam præclarè abſolui. Sin autem in illam quæ gignitur inſpiciet, genitum exemplum ſibi proponens, non præclarum opus certè perficiet.

Cum itaque is qui aliquid efficere molitur, eam speciem quæ semper est eadem, intuetur: huiusmodique aliquo vsus exemplo, Ideam ac uim exprimit; vniuersum sane opus efficiat pulchrum necesse est. sin autem aspexerit eam quæ gignitur, atque exprimat ortum exemplum, pulchritudinem opus non consequetur. Benius.

Com. IV.

Statuitur tertia sumptio ad inuenienda Mūdi initia.

Statuit hoc loco tertiam positionem, qua (ut uidebimus infra) utetur ad ostendendū Mundi exemplar non fuisse caducū, atque ex his quæ oriuntur, & intereunt, sed stabile & sempiternū. Positio uerò, quod attinet ad sententiā authoris, est perspicua: docet enim opificem, si in alicuius operis molitione æternū exemplum aspexerit, præclarum reddere opus. contra uerò accidere si sectetur alterum exempli genus. sed quod pertinet ad veritatē non videtur usque adeò firma et explorata, etenim multa sunt quæ adhuc essent explicanda: multa etiā quæ illam uidētur labefactare atque adeò euertere. Nam sumit primò opificem aliquid molientem, necessariò exemplum sibi proponere (quodcunque tandem illud sit) siue caducū, siue sempiternum. At hoc non usque adeò perspicuum est quin oppugnari possit. Quis est enim qui non uideat multa opera moliri atque efficere homines per imprudentiam ac temerè? multa unius Naturæ impulsu ac ductu? multa etiam atque illa interdum præclara, omnino præter id quod aut sibi extrinsecùs ad imitandum proponunt, aut animo concipiunt, & conantur præstare? Quin Anaxagoras, (ut ad opificem potißimum ueniam) Mentem introducit huius Vniuersitatis fabricatricem: & tamen (vt idemmet Plato scribit in Phædone) temerè molientem illam facit, ac sine exemplo. Id quod Aristoteles etiam fecisse uisus est: nam nisi nomine tenus potiùs quàm uerè & ex animo Deum censuit Vniuersitatis authorem atque opificem, & à primo ente voluit omnia duxisse ortū: cum tamen rerum Ideis atque exemplaribus penitùs è sua Philosophia explosis, Mundi opificem nullo proposito exemplo fecerit omnia molientem. Atque id ipsum in dies accidere uoluit in rerum naturalium ortu, in quo liberalissimus hic Philosophus priuatione quæ naturales quasdam appetitiones ad formam suscitaret in materia, initij locum ac nomen dedit: exēplum interim nullum agnoscens in earum procreatione. Deinde esto in omnibus speciebus sequatur exemplum opifex, at dicam id ita demum fieri, ut hoc exemplum non necessariò consistens sit potiùs, siue etiam fluens, quam solo animo conceptum & comprehensum. Vt cum pictor sibi aliquid animo fingit priùs ac concipit: deinde conceptam hanc speciem & formam coloribus exprimit. Sed & illud quæri poßet, an generatim Dimiurgi nomen usurpet, ita ut id quod hoc loco docet ac tradit de eo, de quocunque opifice intelligi uelit: an de Mundi opifice tantùm. Nam si prius statuit, iam reclamabit ratio. cum sapientis artificis sit quemadmodum ex rudi materia, ita ex rudi exemplo pulcherrimum interdum opus efficere. si posterius, ac de uno Mundi opifice loquitur, quod quæso reperiebatur caducum exemplum quo uti possèt ante ipsius Mundi ortum? quod si non reperiebatur, temerè itaque as sumitur Dimiurgo uel sempiternum

Afferūtur variæ dubitationes aduersus sumptionem propositam.

I.

II.

III.

uel

vel caducum exemplum inspiciendum fuiße vt vnum aut alterum imitaretur. Huc accedit quod Mundum ortum facit, eundémque pulcherrimum eße vult, dum docet ad æternum exemplum conditum eße. Quamobrem si Mundus pulcherrimus est, & tamen ortus, corporatus, & sub aspectum cadens, corporata quoque species erit pulchra: & proinde id quod ad eius exemplum efficitur, non necessariò carebit pulchritudine: vt sumit dum dicit. Si autem id aspexerit quod est ortum, pulchritudinem opus non consequetur. Hæc, inquam, videntur obijci aut quæri posse: sed tamen explicabuntur etiam. Quamobrem ad primam dubitationem respondeo Platonem in hac positione nihil laborare, tametsi temerè interdum siue frustrato consilio, vnóue demum Naturæ ductu, ac quodam veluti impetu geruntur multa. Haud enim sumit opificem, quisquis ille sit, necessariò sibi quicquid agat, exemplum proponere ad imitandum: sed tantùm eum opificem qui non fortuitò agat & temerè. Ait enim opificem, dum aliquod molitur opus, atque eam speciem quæ semper est eadem intuetur, sibique ad imitandum proponit, eiusdémque denique vim & Ideam opere ipso exprimit (quæ omnia non temerè agentis sunt ac vi Naturæ, sed consilio, electione, atque animi meditatione & prouisione) præclarum opus reddere; contra verò si ortam ac fluxam speciem aspiciat & imitetur (in quo etiam prouisio & consilium assumitur) minus pulchrum. Sed vrgebis. Hac itaque ratione positio illa vim haud obtineret suam: nam si non curat Plato an aliqua temerè fiant nec ne, neque sumit opificem, quicunque ille sit, alteram semper ex his duabus speciebus intueri; sed tantùm si hanc aut illam intuetur & exprimit, necessariò aut pulcherrimum aut minus pulchrum reddere opus, in Theoremate deinde, dum exemplum pulcherrimum ac sempiternū fuisse ex hac positione colligit, non poterit colligere Mundum necessariò habuiße æternum exemplum, nisi necessariò etiam statuerit in positione ipsa opificem necessariò aut sempiternum aut caducum exemplum imitari atque exprimere. nam dicam potuisse Mundi authorem nullo exemplo proposito Mundum efficere, id quod Anaxagoras, vt dicebamus, & Aristoteles, si aliquibus Peripateticis credimus, affirmarent; sed hoc videbimus deinde in † Theoremate ipso. Quo etiam in loco diluemus quartam dubitationem, cum ibi pulcherrimum faciat Mundum tametsi ortum. Hic tamen monebo pulcherrimum fecisse Mundum non absolutè & in vniuersum, sed inter ea omnia quæ genita sunt: ac propterea ortus eße potuit, cum tamen & minimè pulcher esset cum ijs quæ ortu carent collatus, & pulcherrimus rursus, si cum cæteris, quæ orta sunt, conferatur. Atque hoc pacto etiam ruit tertia dubitatio: verè enim, quod Serrani pace dixerim, qui in positionibus hanc ad vnum Vniuersitatis opificem Deum refert, & de opifice loquitur generatim Timæus, non de Deo tantùm. atque hinc deinde in Theoremate à Thesi ad hypotesim traducens orationem, descendit ad opificem Mundi: & de opifice item loquitur qui non aliud quàm vim & Ideam exprimat, quam sibi proposuit imitandam. Vt propterea si rudem Ideam imitetur, rude opus, si pulchrum pulchram, efficiat Quamuis enim ex rudi impolitáque materia

pul-

IV.

Diluuntur allatæ dubitationes.

Ad I.

† vide par. 4 lib. 1. Dec. 2. in resp. ad 1.

Ad IV.

Ad III.

pulchrũ opus efficere possit, sapiẽtissimus artifex: ex rudi tamẽ exẽplo, si
hoc vnũ imitetur effingátque, pulchrũ opus exprimet nunquam. alioquin
XIII. exemplum ac simulachrum essent inter se dissimilia. Difficilior est secun-
da dubitatio: nam re vera assumit æternum exemplum debere secluso
etiam mentis conceptu, siue imitantis opificis cogitatione, per se extare.
sed hoc etiam ex quæstione de Ideis pendet, quas vult non vna animi co-
gitatione, sed hac etiam seclusa extare. Quod totum deinde, ne iure arbi-
tratúue suo id videretur arripere, dum præsertim tot tantáque hac una
positione molitur; persequitur atque ratione confirmat. Quamobrem
ibi cum Platone res considerabitur opportuniùs.

Part. v. O δὴ πᾶς ὀυρανὸς, ἢ κόσμος ἢ καὶ ἄλλο ὅτι ποτε ὀνομαζόμενος μάλις' ἂν δέχοιτο, τοῦθ' ὑμῖν ὀνομάσθω.

Vniuersum igitur hoc, Cœlum siue Mundum, siue quo alio vocabulo gaudet cognominemus. — Ficinus.

Omne igitur Cœlum, siue Mundus, siue quo alio vocabulo gaudet, hoc à nobis nuncupetur. — Nou. int.

Vniuersum itaque, cœlum siue Mundus, siue quo alio nomine gaudeat, nominetur a nobis. — Benius.

Com. v. Ijs constitutis quæ inseruire debebant ad statuendam tum effectricem
causam Vniuersitatis, tum eiusdem exemplum; iam ut nihil desiderari pos
sit quod ad communiendum disputationis aditum pertinere uideatur, ma-
teriæ subiectæ appellationes partim proponit, & quasi ratas haberi postu
lat: partim ex ipsiusmet Mundi natura, si fortè alijs nominibus gauderet,
monet esse desumendas. Et iure quidem. Nam cum disputationis argumẽ
tum proponens, dixisset Timæo περὶ φύσεως τοῦ παντός, de natura Vniuer-
sitatis esse differendum, iam cum in disputatione nomine Vniuersitatis
nunc cœlum, nunc Mundum, nunc alia quædam huiusmodi nomina usurpa
turus esset, (sic enim erat apud Philosophos in more positum, ut apud Lo
crum & Trismegistum uidere est quem morem Aristoteles etiam, præce
ptorem nimirum sequutus, † amplexus est) integrum sibi esse voluit, tum
propositis uti cœli Mundíue nominibus, quæ iam peruulgata erant ac tri-
ta; tum alijs, si ad eius naturam explicandam ita aliquando postularet oc-
casio. Et sanè ut multiplici rerum uarietate distincta est hæc Vniuersitas,
uarijsque ueluti notionibus sese offert contemplantibus, ita uarias, mul-
tiplicésque appellationes ac nomina non potuit non inuenire. Quamobrẽ
non defuerunt qui μηχανὴν, machinam inquam, antonomasticè illam ap-
pellarint: idque, quantum assequi coniectura possum, quòd dum tanta re-
rum constat uarietate, excellentis machinæ instar sit, quæ non nisi multi-
plicibus instrumentis, Vitruuio ipso teste, conflatur. Quocirca nunquam
Epicureum Velleium audio apud M. Tullium Platoni insultantem uerbis
illis. † Quibus oculis animi intueri potuit uester Plato fabricam il-
lam tanti operis, qua construi à Deo atque ædificari Mundum fa-
cit? quæ molitio, quæ ferramenta, quæ vectes, quæ machinæ, qui Mi-
nistri tanti operis fuerunt? quin hic Mundus ueluti admirabilis quæ-
dam Machina reliquarum omniũ præstantissima mihi ante oculos obuer-
setur.

Materiæ subiectæ appellationes ratas haberi postulat.

De Mundi siue Vniuersitatis appellationibus varia.

† 1. cœl. t. 96 & lib. de Mun. ad Alex.

† lib. 1. de Na. D.

ſetur. Neque ſententiæ refragatur noſtræ quòd μηχανὴ *(vt in Cratylo docet Plato) id ſignificet quod ad multa pertingit & aſcendit, (ex* μήκους *enim &* ἀνύειν, *hoc eſt longè multúmue aſcendere & penetrare, duci voluit nomen) nam cum hac etiam ratione Mundus ſuo ambitu omnia (id quod in Timæo explicatur fusè) pertingat atque coërceat: in idem vtrunque fermè recidit. Vt proinde Mundi fabricator Deus, Machinator quoque iure optimo appelletur: ſicut etiam eodem fermè nomine (quod ſcilicet artificis nomen excellenter Deo conueniat, operis verò, Mundo) a multis, præſertim verò à Triſmegiſtro & Platone, Deus* Δημιουργὸς, δημιούργημα *Mundus, appellatur. Sed &* Κόσμος *præterea dictus eſt ab ornatu; qui ſanè tum in rebus ſingulis, tum in partium ordine, proportione, pulchritudine, varietatéque ac muneribus cernitur. Quod appoſitè quidem ac penè diuinè explicauit Triſmegiſtus Pœmandri ſermone IX. aureis illis verbis,* Πατὴρ μὲν οὖν ὁ Θεὸς τοῦ κόσμου. ὁ δὲ κόσμος τῶν ἐν τῷ κόσμῳ. καὶ ὁ μὲν κόσμος, υἱὸς τοῦ θεοῦ. τὰ δὲ ἐν τῷ κόσμῳ ὑπὸ τοῦ κόσμου. καὶ εἰκότως κόσμος κέκληται. κοσμεῖ γὰρ τὰ πάντα τῇ ποικιλίᾳ τῆς γενέσεως, καὶ τῷ ἀδιαλείπτῳ τῆς ζωῆς, καὶ ἀκοπιάστῳ τῆς ἐνεργείας, καὶ τῷ τάχει τῆς ἀνάγκης, καὶ τῇ συγκράσει τῶν στοιχείων, καὶ τῇ τάξει τῶν γινομένων. *hoc eſt.* Deus igitur Coſmi pater. Coſmus autem eorum quæ in Coſmo, & Coſmus quidem Dei filius. Quæ verò in Coſmo, ſub Coſmi ditione conſiſtunt. Ac iure Coſmus appellatus eſt. Omnia ſi quidem κοσμεῖ ideſt ornat, varietate generationis, perennitate vitæ, perpetua operatione & efficacitate, neceſsitatis celeritate, miſtione elementorum, ordine denique rerum quæ generantur. *Qua in re audiendus eſt etiam noſter Plato, qui in Timæo dum introducit Deum perficientem & exornantem Mundum, ſic loquitur.* Quot igitur & quales animalium formas Mens in ſpeciem rerum intuens, poterat cernere, totidem & tales in hoc Mundo ſecum cogitauit effingere. Erant autem animantium genera quatuor: quorum vnum diuinum atque cæleſte, alterum pennigerum & aëreum, tertium terreſtre, quartum diuinæ animationis. Maximè ſpeciem faciebat ex igne, ita vt ſplendidiſsimus eſſet, & aſpectus pulcherrimus. Quúmque ſimilem Vniuerſitatis naturæ efficere vellet, ad volubilitatem rotundauit, comitéque eum ſapientia quam optimæ mentis effecit, circúmque cœlum æqualiter diſtribuit, vt verus illi ex hac varietate ornatus accederet. *Ac propterea ſi non malè affirmauit M. † Tullius, Vniuerſitatem hanc quam tanta varietate diſtinctam cernimus, benè à Græcis* Κόσμον, *à Latinis lucentem Mundum fuiſſe appellatam, præclarè omnino † Plinius, qui,* Quem Græci (*inquit*) Κόσμον ab ornamento appellarunt, meritò à noſtris Mundus, à perfecta nimirum abſolutáque elegantia, nuncupatur. *Sed elegantiſsimè omnium ac ſcitè Plato rurſus in Gorgia, qui* φασὶ οἱ σοφοὶ *(inquit)* καὶ οὐρανὸν, καὶ γῆν, καὶ θεοὺς, καὶ ἀνθρώπους τὴν κοινωνίαν συνέχειν. καὶ φιλίαν, καὶ κοσμιότητα, καὶ σωφροσύνην, καὶ δικαιότητα. καὶ τὸ ὅλον τοῦτο, διὰ ταῦτα Κόσμον καλοῦσιν, οὐκ ἀκοσμίαν οὐδὲ ἀκολασίαν. *hoc eſt.* Tradunt ſapientes cœlum ac terram Deós que & homines ſocieta te quadam & amicitia, modeſto

† Tul. in lib. de Vniu.

† Plin. lib. 2. c. 1. & 4.

quoque ornatu, temperantia, iustitiáque contineri. atque id Vniuersum hac de causa Κόσμον appellant, non confusam congeriem & intemperantiam. *Hæc Plato, quicum deinde Aristoteles si non ijsdem planè verbis, sententia certè planè consensit. Concordia († inquit) est salus Mundi, rerum omnium parentis, ac longè omnibus præstantis pulchritudine. Nam quæ tandem natura præstabilior ipso? Quancunque enim dixeris, eius vtique ipsius Mundi pars est. Nam quicquid pulchritudine præditum est, id quasi gentile habet cum eo societatem: quo fit vt rectè atque ordinè constitutum esse, nomen ipsum quod a consentanea partium compositione pulchritudinéque ductum est, declaret. Hinc Vniuersum (subdit paulò post) commodiùs* κόσμον *nominaueris, idest compagem rerum concinno ordine digestam, quàm* ἀκοσμίαν *idest congeriem confusam & inconditam. facilè autem (vt ego quidem censeo) à diuinis litteris ad Græcos fluxit, vt ab ornatu nomen retulerit Mundus. Nam quemadmodum conditus perhibetur informis primùm, omníque ornamento vacuus, sic etiam eundem mirificè deinde à summo opificè distinctum fuisse atque ornatum docemur.* Nam *Trismegistus (vt Orpheum aliósque multos prætercam hoc tempore) qui adeò luculenter huius appellationis rationem explicat, de informi Mundi procreatione, distinctione, ornatúque sic disserit, vt alter quasi Moses videatur. Sed &* τὸ πᾶν & τὸ ὅλον *hîc passim in Timæo, & ab Aristotele, in libris præsertim de cœlo dictus est. Nam cum* τὸ πᾶν *eam vim habeat vt totum aliquid significet respectu habito ad species, optimè hæc appellatio conuenit Mundo qui ex varijs speciebus conflatus est. pari ratione cum* τὸ ὅλον *significare possit, et totum aliquid quod eundem respectum habeat ad species, vt* τὸ πᾶν, *& totũ aliquid habito respectu ad partes, quod integrum dixeris, id quoque Mundo mirificè quadrat, qui non modò est totum quoddam ratione specierum, verùm etiam (vt ait* Plato) ἓν ὅλον ἐξ ἁπάντων. Vnum opus totum ex omnibus totis. *Et hoc est, si mea udias, quod sibi voluit* Pythagoras *dum Mundum † denarij numeri symbolo designaret: neque enim (quod Cœlij pace dixerim) eò spectabat vt ostendere vellet decem corporibus constare Mundum: sed quia quemadmodum denarius omnibus numeris refertus est, ita Mundus absolutus sit omnium rerum generibus, sítque* πᾶν & ὅλον, *immo (vt Platonis verbis vtar)* ἐκ τῶν ἁπάντων ἓν ὅλον. *Et idcirco cum notiones harum duarum vocum* παντὸς *inquam &* ὅλου, *cum de Mundo fit sermo, in idem recidant, haud mirum videri debet si M. Tullius promiscuè vsurpare illas visus est: Tullio enim Platonis* τὸ πᾶν, *modò Naturam vniuersam, mòdò totum, modò omnia, sæpe Mundum, frequentiùs Vniuersitatem significat: vt ex libro de Vniuersitate, si hunc cum Platonis Timæo conferas, haurire passim exempla poteris.* Οὐρανὸς *etiam interdum pro Mundo vsurpatur: nam licet apud Græcos pro ipsa cœlesti regione frequentiùs accipi solet, interdúmque etiam Hebræorum more pro aëre, vt ex Hippocrate libro* I. τῶν ἐπιδημικῶν *commentario* II. *monuit Galenus; non raro tamen, siue à præstantiori parte, siue à continente sumpto nomine, pro ipsa rerum Vniuersitate accipitur, idque † Aristotele ipso teste. Denique magnum animal aspectabile,*

† in libro de Mund. ad Alex.

† Ex Cœl. l. 22. c. 14.

† libro. 1. de Cœl. t. 96. & 97.

bile, ac Dei imaginem, alijsque huiusmodi appellationibus, descriptionibúsue nuncupat Mundum Plato, ut uidebimus in progressu. Atque idcirco etiam, ne tot, tâmque varias appellationes huc congerat, addit, ἢ καὶ ἄλλο ὅτι ποτὲ ὀνομαζόμενος, μάλιστ' ἂν δέχοιτο. vel quocunque alio nomine gaudeat appellari.

De vi nominum, & quã mirificè cum diuinis litteris cõsentiat Plato.

Quo in loco (ut ab humilioribus istis paulò assurgamus) nõ est illud prætereundum quod subindicare visus est Plato, dum de Mundo quem intelligentem facit, asserit ἢ καὶ ἄλλο ὅτι ποτὲ ὀνομαζόμενος μάλιστ' ἂν δέχοιτο. siue quocunque tandem nomine gaudeat appellari, *ea enim fuit Platonis sententia, ut crediderit rerum nomina non ex hominum arbitrio & constitutione, sed à natura ipsa esse profecta. Quare in Cratylo dum Hermocrates negaret à natura ulli rei nomen inesse, uel étque rectam nominũ rationem ex hominum consensione atque impositione pendêre; ipse contra singulis rebus rectam nominum rationem à natura insitam esse affirmauit: quæ apud omnes tum Græcos tum Barbaros éadem semper existeret. Id autem ea potissimùm ratione ostendere nitebatur, quod rerum essentiæ, quamuis per imaginationem nostram sursum deo súmque sæpissimè distrahi uideantur, natura tamen firmæ sunt & stabiles. Quamobrem operationes quippe huæ sequuntur rerum naturas, definitæ esse debent ac certæ. Ergo cum, dicere, sit operatio quædam quæ circa res uersatur, is tandem rectè dicet, qui non essentias illas pro arbitrio, sed ut rei ratio ac natura postulat appellarit. Itaque cum nominare sit dicẽdi pars quædam & actio circa res, singula erunt nominanda quemadmodum requirit natura, non pro voluntate. Nisi tamen quispiam, si secandum aliquid ac texendũ sit, rem omnino speret rectè confici posse, tametsi non ueluti rei natura postulat, sed temerè ac pro arbitratu id efficere moliatur. His itaque & huiusmodi alijs concludit nomen à Natura, non ab hominum arbitrio esse: & idcirco* Nomen (*inquit*) est rerum substantias docendi atque discernendi instrumentum. *Hinc docet nomen institutorem sapientissimum esse debere, quippe qui optimè interrogare sciat & respondere; & proinde rerum essentijs nomina accommodare. Hinc etiam factum esse dicit, ut primi authores nominum acutissimi fuerint sublimium rerum inuestigatores. Neque uerò huius decreti inuentionem sibi arrogat Plato, sed & Poëtis fatetur fuisse cognitum, & à Prodicho Chio tractatum. Nã Homerus, inquit Plato, in hoc ipsum decretum intuens cum de Troiano fluuio loqueretur, cecinit.*

Ον Ξάνθον κάλεσιν οἱ θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον.

Quem Xantum Diui appellant, hominésque Scamandrum.

& de uolucre quadam rursus,

Χάλκιδα κικλήσκουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Κύμινδιν

Chalcidem eam Diui appellant: hominésque Cymindin,

sic Batthiea ab alijs Myrine, Astynacta item Scamandrius, dicebantur. hæc ille. Et sanè, quicquid tandẽ his in locis somniarit Homerus, certũ est huiusmodi decretum cum diuinis litteris mirificè consentire, in quibus

passim inuenias nominibus ipsis uel rerum notiones intimas atque natu-
ras contineri ac designari, uel eorũ munera, uim, operationes, cæteráque
huius generis indicari. Quamobrem cum summus rerũ author Deus † ad-
duxisset ad Adam vniuersa animantia vt uideret quo ea vccaret nomi
ne, sapientissimus ille Protoplasta suis illa nominibus, hoc est cum illorũ
essentia atque natura mirificè cõsentientibus, appellauit. sic ut omne quod
vocauit Adam (ut est in sacris monumentis) ipsum omnino esset nomen
eorum. Quapropter Pythagoras (id quod penè diuinitùs factum uidetur)
dicere solebat, sapientissimum reputandum esse illum, qui prima rebus
nomina imposuisset. Quod Plato etiam egregiè probauit, confirmauitque
in Cratylo, & M. Tullius memoriæ cõmendauit in Thusculanis † disputa-
tionibus. Sed & mirificè id ipsum expressit diuinus Psaltes † cum caneret
מונה מספר לכוכבים לכלם שמות יקרא † Qui nu-
merat mul
tudinem stellarum: & omnibus eis nomina vocat. Vbi sanè Dei
sapientiam, (nam idcirco statim clamat sapientiæ eius non est nume-
rus) ex eo celebrat quòd stellis omnibus nomina vocet, ac proinde sin-
gularum naturam perspectam habeat. Quod etiam fecit † Isaias cum di-
ceret. Educit in numero militiã eorum, & omnes ex nomine
vocat. Hinc (ut illud taceam quod in nouo fœdere ad hoc ipsum con-
firmandum de Simone legimus, cui Dei filius ac sapientia cùm Ecclesiæ
firmamentum esse deberet ille, nomen in † Cephas siue Petrum cõuertit)
אברם Abram iussit † Deus appellari אברהם Abraham, quod pater fu
turus esset multitudinis, siue multarũ gentiũ (id enim significat אברהם
Abraham) sic יצחק † Izchác, quod nos Isaác, à risu matris nomen inue
nit: ita יעקב Iaacób, quem nos Iacob, sic primum quod supplantasset
fratrem, est † appellatus: tum verò ישראל Israèl, quòd cum Deo præ-
ualuisset, ab Angelo appellari † iussus est. Sic denique (ne in re aperta
longior sim) innumera propè nomina huius generis inuenies in diuinis
litteris. Quanquam id quod ad Raphaëlem pertinet, quoniam mirificè rẽ
nostram illustrat, præteriri nullo modo debet: cũ præsertim à nemine ha-
ctenus (quod sciam) explicatum sit. ergo רפאל Raphaël Dei medicinã
significare notum est: sed quàm egregiè atque adeò diuinè veri medici
partes exprimantur in eo, hoc est declarandum. Is itaque sic se gessit, ut
nulla medicinæ pars, nullum munus reperiatur, quod nõ exercuerit atque
tractarit. Medici est eos curare qui aduersa valetudine vtuntur: eos præ
seruare qui rectè valent. atque ecce tibi Raphaël qui vtrunque præstat
egregiè: namque ut Medicus Tobiam senem luminibus captum, & allo-
quitur primùm, † In proximo est vt cureris, & paulò post etiam curat,
piscis cuiusdam adhibitis intestinis, Tobiæ uerò adolescenti, eiusdémque
vxori Annæ extremũ uitæ discrimen subeũtibus præsto est, consimilibus
quibusdã medicamẽtis. Quare etiam dum de Tobia filio loquitur, † Ego
ducam & reducam eum sanum, aiebat ille: quod & opere ipso perfe-
cit. Medici quoque est cum præsentes tum proximas morborum causas
explo-

† Gen. c. 2.
† 2. Thus. post med.
† ps. 146. u. 4.
† Is. c. 40. u. 26.
† Ioh. c. 1.
† Gen. c. 17.
† Gen. c. 21.
† Gen. c. 25
† Gen. c. 35
† Tob. c. 5
† cap. cit.

explorare, prognostica facere, abditas rerum vires exploratas habere, ex iisque interim remedia tum ad conseruandum, tum ad curandum conficere ac parare. Sed ecce tibi Raphaël prauidet mortiferum adolescentis periculum; de abditis piscis illius virtutibus in corde, iecore, ac felle sitis, disserit interrogatus: atque ex ijsdem medicamenta parat, quibus deinde illum (vt dicebam) in aperto illo vitæ periculo tuetur, de quo ex multorum morte constabat. Quid plura? Pharmacia, anathome, & Chyrurgia vel tractanda illi sunt, vel eorum opera, qui harum rerum periti sunt & gnari, vtendum apposite. At Raphaël optimi instar anathomici Tobiam iuuenem de ratione primùm docet, qua ingentem illum piscem incidere & exenterare debeat: Tum verò qua condire illum, atque medicamenta ex certis illius partibus conflare, quod (nisi de nominibus disputare velimus) pharmaciæ opus est: denique periti Chyrurgi instar ostendit quo pacto cartilago ac membrana illa ex senis oculis euellatur, lenitiuis primùm adhibitis, tum incisione. Nam si ἀλειπτικὴν, vnctoriam artem inquam, de qua Pythagoras, Locrus, ac Plato meminerunt, Medicinæ partem facias, ac scientiam, præterea, docendique vim, qua, eodem Platone teste, debet Medicus posse Medicos efficere alios (gymnastica enim, quam gladiatoria exercitatio potiùs quàm ipsa Medicinæ ars peperit & natura, lõgè a germanis Medicinæ partibus distat) hæc verò ex dictis satis supérque cernuntur. Vt propterea apud Hebræos incredibilis quædã ac penè diuina uis in nominibus sita cernatur ad rerum naturas (id quod docuit† Plato) atque essentias patefaciendas. Quæ sanè res luculẽter adhuc cõfirmari posset si quis siue illud Iobi† Qui stellas claudit sub signaculo. siue illud Oseæ† Absque misericordia aut alterũ Nõ populus meus siue alia quædã quæ in re nõ admodũ dissimili habet† Origenes, diligenter perpenderet. sed quæ diximus satis esse possunt. Quanquam ne profanos authores hac in re non libenter audisse videamur, lubet sanè locum vniuersũ quo rẽ hanc tractat Proclus, describere: vt intelligatur quàm siue ingeniosè, siue estaticè, siue etiam superstitiosè hac in re philosophentur. Sic itaque disputat. Δεῖ δὲ εἰδέναι καὶ τῆς μενούσης αὐτῆς δυνάμεως ὄνομα θεῖον, τοῦ συνθήματος ὂν τοῦ δημιουργοῦ σύμβολον. καθὸ καὶ ἀνεκφοίτητός ἐστι τοῦ ὄντος. ἄρρητον ἂν καὶ ἄφθεγκτον καὶ αὐτοῖς γνώριμον τοῖς θεοῖς, οἰκεῖα γάρ ἐστιν ὀνόματα πάσῃ τάξει τῶν πραγμάτων. θεῖα μὲν τοῖς θείοις, διανοητὰ δὲ τοῖς διανοητοῖς, δοξαστὰ δὲ τοῖς δοξαστοῖς. καὶ τοῦτο καὶ αὐτὸς ἐν τῷ Κρατύλῳ φησὶ τὸν Ὅμηρον ἀποδεχόμενος. ἄλλα μὲν ἐν θεοῖς ὀνόματα τῶν αὐτῶν, ἄλλα δὲ ἐν ἀνθρώπων δόξαις τιθέμενον, ὃν Ξάνθον τελοῦσι θεοί, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον. καὶ Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἄνδρες δὲ Κίμινδιν. καὶ ἐπὶ πολλῶν ὁμοίως. ὡς γὰρ ἄλλαι μὲν αἱ θεῶν γνώσεις, ἄλλαι δὲ αἱ τῶν μερικῶν ψυχῶν, οὕτω καὶ ὀνόματα. ἀλλὰ μὲν τὰ θεῖα τὴν ὅλην οὐσίαν ἐκφαίνοντα τῶν ὀνομαστῶν, ἀλλὰ δὲ τῶν ἀνθρώπων μερικῶς αὐτῶν ἐφαπτόμενα. τοῦτο τοίνυν ἐστὶ τοῦ κόσμου προϋπάρχον εἰδὼς, ἄλλο τὸ θεῖον ὄνομα παρὰ τὸ φαινόμενον καὶ ἄρρητον ἀφῆκεν αὐτὸ, καὶ μετὰ πλείστης εὐλαβείας αὐτὸ προσιώπησεν, ὡς σύμβολον τοῦ ἐν αὐτῷ θείου συνθήματος. τὸ γὰρ ὅτι ποτὲ καὶ τὸ δέχοιτο λανθάνων, ὕμνος ἐστὶ τοῦ κοσμικοῦ ὀνόματος, ὡς ἄφθεγκτον καὶ θείαν οὐσίαν εἰληχότος. ἵνα καὶ σύστοιχον ᾖ τὸ παρ' αὐτοῦ σημαινόμενον. διὸ καὶ τοῖς θεουργοῖς ὀνόματα θεῖα παραδέδοται κοσμικά. τὰ μὲν ἄρρητα καλούμενα, τὰ δὲ ῥητὰ παρ' αὐτοῖς. τὰ μὲν, τῶν ἀφανῶν ἐν αὐτῷ δυνάμεων ὄντα. τὰ δὲ τῶν ἐμφανῶν στοιχείων ἐξ ὧν συμπεπλήρωται. διὰ τὸ παράδειγμα, καὶ τὸ ὄνομα, τό, τε ἐμφανὲς, καὶ τὸ ἀφανές. τὸ μὲν δυαδικὸν, τὸ δὲ μοναδικόν. τὸ γὰρ ὅτι ποτὲ, τῆς ἑνότητός ἐστι σημαντικόν. καὶ ἔχοις ἂν τὸ μὲν ἄρρητον ὄνομα τοῦ παντὸς ἐν τῷ

†in Cratylo.
†Cap. 9.
†Cap. 1.
†con. Cel. l. 1. post. in.

πατρὶ μονῆς. τὸ δὲ κόσμος, τῆς προόδου, τὸ δὲ οὐρανὸς, τῆς ἐπιστροφῆς διὰ δὲ τῶν τριῶν, τὴν τελικὴν αἰτίαν δι' ἣν τοῦ ἀγαθοῦ πληρές ἐστι, μένον μὲν ἀῤῥήτως. πρόϊον δὲ τελείως, ἐπιστρέφον δὲ, ὡς περιέχει τὸ ἀγαθόν· *hoc est.* Nosse autē oportet diuinū stabilis virtutis atque naturæ nomē, quod est opificis notæ symbolū (quatenus nimirū ab eo quod est, non egreditur) & quasi tessara: atque arcanū ineffabileque signum: ipsis tamen Dijs perspectum ac notum. propria quippe insunt nomina singulis rerum ordinibus: diuina quidem diuinis: intelligibilia intelligibilibus. opinabilia opinabilibus. Id quod Plato ipse in Cratylo affirmat, assentiens Homero: qui sanè tradit ijsdem rebus alia a Dijs nomina, alia ab hominibus, vtpote opinionem sectantibus, imponi: vt dum Xanthum inquit, dixere illum Dij: Scamandrum homines: & rursus, Chalcida dij vocant; homines verò Cymindin. Vt enim aliæ quidem sunt Deorum notiones, aliæ partialium animarum: sic & nomina: nam alia quidem, diuina scilicet, vniuersam essentiam atque naturam exprimunt eorum quæ nominantur: alia, nimirum humana, partialiter isthæc attingunt atque declarant. Hæc igitur cum intelligeret Plato, nossétque Mundo præter vulgare ac notum nomen aliud inesse diuinum arcanúmque, hoc apertè exprimere recusans, multa cum cautione obtulit & indicauit, tanquam symbolum insitæ in eo diuinæ notæ: siquidem illud [quodcunque tandem excipiat nomen] clā hymnus est mūdani nominis: quod ineffabilē diuinámque substantiam sortitur & comprehendit. vt eiusdem sit ordinis atque rationis cū eo quod designat. Et idcirco a Theurgis quique res sacras operantur & curant, diuina nomina tradita sunt de Mundo: quarum alia ineffabilia, alia effabilia ab eis dicuntur: & illa quidem pertinent ad insitas latentésque in Mundo virtutes: alia ad exposita elementa ex quibus constat. His itaque tanquam sumptionibus traditur & forma Mundi, & efficiens causa, & exemplum, & nomen tum notum tum abditum: atque illud quidem geminum (*id autem ait Proclus propter duo illa quæ Plato proposuit nomina, Cœlum ac Mundū*) hoc autem vnicum & singulare: nam id significat illud, *quocunque*, quod est vnitatis nota. atque hac ratione habes ineffabile nomen tum Vniuersitatis, quod in patre permanet: tum Mundi quod est progresionis: tum cœli quod est conuersionis. Et per hæc tria & finalem habes causam vnde Mundus repletus bono, manet ineffabiliter, progreditur verò perfectè, cōuertíque sese ad expetendum bonum. *Hæc Proclus: quæ quicquid contineant siue ingeniosè dictum, (vt significare cœperam) siue præposterè & superstitiosè, ex ijs quæ iam antea hac ipsa de re disputauimus, facile erit diiudicare. Nunc redeo ad Platonē: qui dum Mundi appellationes proponit, atque hunc intelligendi vi præditum facit, meritò dicere potuit,* ὁ δὴ πᾶς οὐρανὸς, ἢ κόσμος, ἢ καὶ ἄλλο ὅτι ποτε ὀνομαζόμενος μάλιστ' ἂν δέχοιτο, τοῦθ' ἡμῖν ὀνομάσθω. *Quo etiam in loco obseruandum est mendosè (vt ego quidem existimo) legi* ὁ δὴ πᾶς οὐρανὸς, *legendúm-*

que

quē eſſe, τὸ δὴ πᾶν, *& ſtatim interpunctione adhibita* οὐρανὸς, *ita vt non* ὁ πᾶς *ſed* τὸ πᾶν, *ac propterea nec cum* οὐρανὸς *iunctum, ſed per ſe legatur: & ſit ſententia; non quam expreſſere Chalcidius & M. Tullius,* Omne itaque cælum Mundus nuncupatus ſit, *ſed quam Ficinus amplexus videtur, atque eum ſecutus Foxius,* Vniuerſitas autem hæc, Cælum, vel Mundus, vel quocunque alio nomine gaudeat, nominetur. *Nam vt omittam durum eſſe illud* πᾶς οὐρανὸς, *longè illuſtrior eſſet praemunitio, explicatiúſque poſtulatum, ſi quemadmodum deinde* πᾶν *frequentiſſimè vſurpat, tum verò* οὐρανὸν *&* κόσμον, *ita hic diceret. Haec igitur Vniuerſitas, Caelum vel Mundus nominetur. Deinde paulò ante, non* ὁ πᾶς οὐρανὸς, *omne cœlum, ſed* τὸ πᾶν *Vniuerſitas inquam, fuerat propoſita ac ſtatuta materiæ loco, dū diceret Timæo diſputandum eſſe* περὶ φύσεως τοῦ παντὸς, *de natura Vniuerſitatis. Iam itaque ſi dicatur* τὸ πᾶν, *hoc eſt, Vniuerſitas propoſita, cœlū uel Mundus appelletur, appoſitè quidem & conſentienter dicetur: ſed ſi dicatur* ὁ πᾶς οὐρανὸς, *omne hoc cœlum (cum nihil tale propoſuiſſet antea, immo ne nominaſſet quidem) Mundus uocetur, id uerò omnino ab re pronunciabitur. Et idcirco etiam in reliqua diſputatione non* πᾶς οὐρανὸς, *ſed* οὐρανὸς, *nec* πᾶς *adiectiuè (ut ita dicam) & tanquam additamentum, ſed* τὸ πᾶν *more eorum quæ per ſe conſiſtunt, tritum atque vſurpatum inuenies. Sed his omiſſis, iam animaduertere licet, falſum eſſe quod* Platoni *tribuit Proclus in his nominibus proponendis, nimirum eo conſilio uoluiſſe illum hæc de ſubiecta materia proponere nomina, quòd apud ueteres* ἀμφιβολίαν *haberent.* Potiùs *enim ne diſputationem inuolueret ac turbaret ab ambiguis huiuſmodi nominibus, ſi ambigua eſſe ſentiebat, debuiſſet abſtinere: aut eorum uim, notionémque eodem tempore explicare, uel etiam deligere illuſtriora, quàm tot támque uaria nomina, quot paſſim refert, ſine vllo diſcrimine vſurpare. Quo circa Ariſtoteles hac ipſa de cauſa cœli † nomen longa diſputatione uſurpaturus, uarias prius explicat illius ſignificationes: id quod Plinius † ſeruauit etiam & ante* Plinium *author libri de Mundo † ad Alexandrum. Ac propterea Proclus, qui fatetur hæc nomina eſſe ambigua, & tamen eadē proponit* ἵνα μὴ τὴν διδασκαλίαν ἐπιταράττῃ, ἄλλοτε ἄλλοις ὀνόμασι χρώμενος, *ne methodum atque doctrinam turbaret, non idem ſemper uſurpans nomen; ſuam ipſe ſententiam euertit. reliqua uerba quibus propoſitam ſentētiam aperit, hæc ſunt.* Καὶ γὰρ καὶ αὐτὸ τοῦτο ἰστέον, ὅτι τὰ ὀνόματα ταῦτα πολλὴν ἔχει παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἀμφιβολίαν, τῶν μὲν, τὸ ὑπὸ σελήνην μόνον κόσμον καλούντων. τὸ δὲ ὑπὲρ αὐτὴν, οὐρανόν. τῶν δὲ, τὸν οὐρανὸν μέρος τοῦ κόσμου λεγόντων. καὶ τῶν μὲν ἄχρι σελήνης αὐτὸν ὁριζόντων· τῶν δὲ καὶ τὰ ἄκρα τῆς γενέσεως οὐρανὸν προσειπόντων.

Ζεὺς δ᾽ ἔλαχ᾽ οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι.

διόπερ ὁ Πλάτων εἰκότως ἀφορίζεται περὶ τῆς ὅλης θεωρίας, ὑπὲρ τοῦ γε τοῦ ὀνόματος. τὸ πᾶν οὐρανὸν καὶ κόσμον προσαγορεύων καὶ λέγων, ὡς ὁ πᾶς οὐρανὸς, ἵνα μὴ μόνον οἰηθῇς αὐτὸ τὸ θεῖον σῶμα λέγειν, ὀνομάσθω ἡμῖν ὁ κόσμος, ἢ ἄλλ᾽ ὅτι ποτὲ ὀνομαζόμενος χαίροι.
hoc eſt. Atque illud etiam ſciendum nomina hæc multam habere amphibologiam ambiguitatémue apud antiquos: cum hi quidem

† cont. 96. & 97.
† l. 2. c. 1. & 4.
† cap. 2.

id vnum appellent Mundum quod eſt infra Lunam: cœlum verò quod eſt ſupra: alij verò cœlum faciant Mundi partem: ex quibus etiam alij ad Lunam vſque ipſam finiunt cœlum: alij ſuperiores generationis partes quoque volunt continere.

Iupiter eſt cœlum ſortitus in æthere latum,
Ac celſas inter nubes.

Quamobrem iure optimo ante vniuerſam contemplationem definit Plato quæ ad hæc omnia pertinent, Vniuerſitatẽ cœlum & Mundũ appellans aſſeréńſque: ídque ut vniuerſum cœlum, (ne ſcilicet eius nomine putares diuinum tantùm corpus intelligere) appelletur nobis Mundus, vel quocunque tandem nomine gaudeat nuncupari. *Quanquam cùm Plato iam antea materiam Timæo ſubiectam* τῆ παντὸς φύσιν Vniuerſitatis naturam feciſſet; *atque idcirco, vt de ipſius Vniuerſitatis vi atque nomine conſtaret clariùs, addi iſſet à Mundi ortu ad humanam vſque naturam (vt ſcilicet Phyſiologiam omnem tractaret) agendum eſſe, ſi Proclus hoc in loco lectionem noſtram amplectatur, nec legat* [nunc itaque cœlum] ſed [Vniuerſitas itaque hæc] cæli Mundiue, *nomine nuncupetur, optimè retineri poterit eius ſententia. Nam hoc pacto voluiſſet Plato vt Mundi cæliue nomina, tametſi alioquin varijs vſurpationibus distracta atque ambigua, eâdem planè ratione acciperemus, qua ſignificauerat accipiendum eſſe* τὸ πᾶν. *quaſi diceret* τὸ πᾶν, *cuius uim atque notionem ſatis ſupérque triuimus ſupra, in poſterum & cœlum & Mundum, & alijs huiuſmodi nominibus appellaturi ſumus: atque idcirco hæc nomina, ne propter amphibologiam dubitationem creent, eâdem planè notione ac ſignificatione ſumantur qua* παντὸς, *Vniuerſitatis, inquam, nomen accepimus ac triuimus. Et quidem licet Proclus lectionem hanc noſtram ſuaéque in primis ſententiæ tuendæ rationem videatur reſpuiſſe, quòd & in verborum contextu legat* ὁ πᾶς οὐρανὸς. *& in commentarijs éadem planè verba repetat; veruntamen vt veritas interdum, ne cogitantibus quidem nobis, ſe ipſam prodit, videtur, nec ſentiens, eiuſdem lectionis neceſſitatem agnouiſſe, dum diceret.* Διόπερ ὁ Πλάτων εἰκότως ἀφορίζεται πρὸς τ' ὅλης θεωρίας ὑπὲρ τῶν ὀνομάτων· τὸ πᾶν, οὐρανὸν καὶ κόσμον προσαγορεύων, καὶ λέγων ὡς ὁ πᾶς οὐρανὸς. Iure itaque Plato deſignat ac ſtatuit ante diſputationem vniuerſam quæ interſunt nominum; Vniuerſitatem ipſam, cœlum & Mundum nuncupans, cum dicat, vniuerſum cœlum. *Quo in loco tametſi mirificè confundit voces illas* ὁ πᾶς οὐρανὸς, & τὸ πᾶν οὐρανὸν ὀνομάζεσθω, *ſatis tamen indicat Platonis ſententiam (id quod in verbis quoque facit, quæ mox rurſus recitabimus ex illo) eam eſſe quam nos expreſſimus. Sed & omnino vana eſt (vt opinor) eiuſdem Procli ſuſpicio, quam deinde expreſſit his verbis.* Καὶ ἔοικεν οὐρανὸν μὲν αὐτὸ καλεῖν ὡς πᾶσι δοκοῦν· κόσμον δὲ ὡς αὐτῷ· λέγει γὰρ ὁ οὐρανὸς ἡμῖν ὀνομαζέσθω καὶ κόσμος. *hoc eſt.* Videtur autem Plato cæli appellationem ex vulgari tritáque ſententia arripere: Mundi verò nomen ex propria. Idcirco enim dicit cælum nobis nominetur & Mundus. *Vana inquam: nam præterquam quod illud* ἡμῖν *ex trita loquendi ratione*

fluxit potiùs, quàm quòd propriam authoris sententiam significet, si germana lectio recipiatur, quam etiam hoc ipso in loco expressit ipse Proclus, illud ἡμῖν ὀνομάσθω, non minùs propter cælum quàm propter Mundum pronunciatur. Et ideo promiscuè deinde Plato vsurpat vtrunque. Vt propterea rectè idem Proclus, qui, quasi ne ipse quidem suam suspicionem probaret, subiecit statim, εἰ καὶ ἄμφω δυνατὸν αὐτὸν καλεῖν. Tametsi vtriusque nominis gratia fieri potest vt dixerit ἡμῖν ὀνομάσθω. Hæc sunt quæ Timæus ad initium statuit suæ disputationis: idque tum vt sint præcipua quædam fundamenta vniuersæ scientiæ naturalis, tum maximè vt sibi inseruiāt ad inueniēda, cōstituēdáque initia & causas Vniuersitatis. Quæ sanè fundamenta, siue sumptiones sint omnia queādmodū ea nos appellauimus passim, siue potiùs alia sint definitiones, alia axiomata quas & cōmunes notiones appellamus ac pronunciata; alia sumptiones propriè & λήμματα quæ græci vocant, non magnopere disceptandum censui, ne vno eodémque tempore de nominibus quoque disputarem. Hanc tamen rem, nec vno in loco, prosequutus est Proclus: qui cum ad eorum explicationum aggrediens, monuisset instituisse Platonem † διὰ τῶν δοθέντων ὅρων per datos terminos, seu finitiones mauis, progredi ad res explicandas, ac rursus non multò post asseruisset † ἐκ τῶν ὑποθέσεων ex suppositionibus inquam, progredi; cum suppositiones præmittendæ sint demonstrationibus, ad extremùm rem totam copiosè his verbis complexus est.

†l. 2. pag. 69 m.

†l. 2. p. 70. m.

†l. 2. p. 72. post m.

† Ἔοικεν ὁ Πλάτων ὥσπερ οἱ Γεωμέτραι, πρὸ τῆς ἀποδείξεως ὅρους προλαμβάνειν καὶ ὑποθέσεις, δι' ὧν ποιήσεται τὰς ἀποδείξεις, καὶ τὰς ἀρχὰς προκαταλάβηται τῆς ὅλης φυσιολογίας. ὡς γὰρ καὶ ἄλλαι μουσικῆς ἀρχαί, καὶ ἄλλαι ἰατρικῆς, ὁμοίως δὲ καὶ ἀριθμητικῆς ἄλλαι καὶ μηχανικῆς, οὕτω δὴ καὶ φυσιολογίας ἀρχαί τινες τῆς ὅλης, ἃς νῦν ὁ Πλάτων παραδίδωσιν. ὄντως ὄν ἐστι, τὸ νοήσει μετὰ λόγου περιληπτόν. γενητόν ἐστι, τὸ δόξῃ μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου δοξαστόν. πᾶν τὸ γενητὸν ἀπ' αἰτίας γίνεται. τὸ μὴ ἀπ' αἰτίας ὑφεστὸς, οὐκ ἔστι γενητόν. οὗ τὸ παράδειγμα τὸ ἀεὶ ὄν ἐστι, τοῦτο καλόν ἐστιν ἐξ ἀνάγκης. οὗ τὸ παράδειγμα γενητόν, τοῦτο οὐ καλόν ἐστι. τὸ πᾶν οὐρανὸς καλείσθω ἢ κόσμος. ἀπὸ γὰρ τούτων τῶν ἀρχῶν πάντα περαίνει τὰ ἐφεξῆς. hoc est. Videtur Plato Geometrarū instar ante demōstrationes sumere definitiones & suppositiones per quas facturus est ipsas demōstrationes: atque præaccipere vniuersæ physiologiæ principia. Etenim alia sunt principia Musices, alia Medicinæ, alia Arithmeticæ & Mecanicæ, sic & Physiologiæ vniuersæ sua sunt principia, quæ nunc affert Plato. sunt autem hæc.

I. Id quod verè est, intelligentia per rationem comprehenditur.
II. Quod generatur, opinione cum sensu rationis experte attingitur.
III. Omne genitum a causa gignitur.
IV. Quod a causa non subsistit non est genitum.
V. Cuius exemplum semper est, id neceßariò est pulchrum.
VI. Cuius exemplum est genitum, hoc pulchrum non est.
VII. Vniuersum, Cælum vocetur vel Mundus.

Atque ab his principijs quæ sequuntur deducit omnia. Hæc Proclus. Quibus, ne longum faciam, illud tantùm addam; videri mihi Platonem primo loco duas proponere definitiones: tum verò vn cum axioma & pronunciatum, non duo vt facit Proclus: denique tres sumptiones. Quæ omnia gene

vali ὑποθέσεων siue suppositionū nomine concluduntur. Atque his quidē præsidijs Plato in sequenti particula statim aggredietur ad effectricē causā: tū ad reliquas, quemadmodū, Deo benè iuuante, videbimus in libro primo sequentis decadis. Nam in decimo, quem mox aggrediar, primæ huius decadis libro, lubet non nihil digredi: & , vt fidem liberem meam, de authoribus disputare quos in Mundi ortu & constitutione explicanda sequutus est noster Plato. Quæ enim Platonem cum Aristotele comparanti dicenda essent, vt constet quibus initijs & quasi armis ad Physiologiæ principia siue causas Vniuersitatis vterque aggressus sit, ac summatim vter aptiorem methodum ac rationem in eiusmodi conquisitione seruarit (nam vt Plato sumptiones istas præmisit quibus inuestigaret principia vniuersitatis: ita Aristoteles quodam veluti proœmio vsus est quo nos doceret de artificio ac ratione sibi in eâdem disputatione seruanda) tunc explicabo, cum de principijs ad quæ ea retulerunt, disputabo.

FINIS LIBRI NONI.
DECADIS PRIMAE.

IN PLATONIS TIMAEUM, SIVE IN NATURALEM OMNEM ATQUE DIVINAM PLATONIS ET ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM

DECADIS PRIMAE LIBER DECIMUS.

DE AUTHORIBUS QUOS SECUTUS EST PLATO.

ARDUUM sanè (fateor) sed tamen pulcherrimum, atque inprimis cum Christiana philosophia coniunctum sese nobis offert argumentum, quod in hoc decimo libro tractemus: ac primæ huic Decadi tanquam Colophonem imponamus. Disputandum est enim de authoribus & quasi Magistris, quorum instituta atque decreta in naturali diuináque philosophia secutus est noster Plato. Nam quod semel atque iterum dubitari cœptum est in superiore libro, dum obseruant quidam Platonem varia Mosis decreta atque sententias in Timæum transtulisse; id sanè in sequenti Decade multis in locis nouam nobis afferet dubitationem. siquidem multa rursus in disputatione reliqua occurrent, in quibus viri eruditi & graues istud ipsum a Platone factitatum esse disputant. Quamobrem operæ pretium me facturum existimo, si locum hunc pulcherrimum & per difficilem, quíque Græcos patres excitauit fermè omnes, explanauero. Sic

enim authorum, quos ſecutus eſt Plato, dogmatis pro ut licuerit exploratis, tum faciliùs animaduertere licebit quae nam ex puriſſimis Moyſis fontibus, quaéue ex Triſmegiſto, Pythagora, aliorúmue riuulis fluxerint in Timæum: tum de vniuerſo Platonis conſilio ac doctrina paſsim deliberare atque ſtatuere. Etenim quemadmodum bellica Imperatoris diſciplina tunc cōmodiùs agnoſci ac diiudicari poteſt, cum eorum virtus, reique militatis ſcientia fuerit perſpecta, ſub quibus ille meruerit: quóſue gloriæ ſtudio fuerit aemulatus; ita etiam nos, cum in aliqua Timaei parte haeſitabimus, ad eorum doctrinae genus confugientes, quorum ſtudia iam didicerimus Platoni fuiſſe in rerum naturalium ac diuinarum conquiſitione probata; eorundémque decreta, vbi fieri poſſit, cum Platonicis conferentes, faciliùs Platonicæ phyſiologiæ ac Theologiæ penetrales inſpiciemus.

Academicorum ſententia: qua Pythagoricus ſit Plato.

Conſentiunt autem (vt rem aggrediar) Academici fermè omnes Platonem cum alibi ſaepe, tum praeſertim in hoc dialogo Pythagorae doctrinam fuiſſe ſequutum. Atque pro eorum opinione illud in primis facere videtur, quod Timaeus Locrus & Pythagorae auditor, & Pythagoreæ doctrinae in eo quem περὶ ψυχᾶς κόσμῳ καὶ φύσιος *edidit commentariū, ſectator fuiße perhibetur. quare cum de Vniuerſitate diſputātem Timaeum faciat Plato, rationi conſentaneum videtur, vt hinc ſe Pythagoricum fore ſignificauerit: quemadmodum etiam in Parmenide, dum de rebus diuinis loquitur atque vno omnium principio, Parmenidem & Zenonem Pythagoreos qui de ijsdem ſcripſerant, introducens, Pythagorae inprimis addictus eſt. Atque ob id Proclus in Timaei procemio* Καὶ αὐτὸ *(inquit)* τὸ τοῦ Πυθαγορικοῦ Τιμαίου σύγγραμμα περὶ φύσεως, τὸν Πυθαγορικὸν τρόπον διατέθειται. ἔνθεν ἀφορμηθεὶς ὁ Πλάτων, Τίμαιον γράφειν ἐπιχειρεῖ κατὰ τὸν † σιλλογράφον. ipſum Pythagorici Timæi monumentum de Natuta Pythagoreo more inſtituitur. atque inde excitatus Plato Timæum ſuum inſcribere aggreditur ad Locri exemplum. *& Hierocles Pythagoricus philoſophus ac Platonicus ſimul* Πλάτωνος Τίμαιος *(inquit)* † τῶν Πυθαγορείων δογμάτων ὁ ἀκριβὴς διδάσκαλος ἐστί. Platonis Timæus Pythagoreorum decretorum accuratus atque perfectus magiſter eſt. *Rurſúsque Proclus in ſua Theologia, cum nos admoneret Platonem in Timæo* περὶ τῶν ὑπὸ σελήνην θεῶν, καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς τάξεως ἀναδιδάσκειν, *de Dijs agere qui ſunt infra lunam: déque illorum ordine & collocatione; ſimul etiam teſtabatur hæc fermè a Pythagoreis excepiſſe: ſigillatimque Philolaum Pythagoreum in multis ſecutum eſſe. Nam* πολλὰ *(inquit)* † ἡμῖν περὶ τούτων καὶ Φιλόλαος ὁ Πυθαγόρειος ἀνέγραψε νοήματα, καὶ θαυμαστὰ multa de ijs præcepta, éaque admirabilia nobis ſcripta reliquit Pythagoreus Philolaus. *Sed & illud videtur ad id confirmandum accommodatum, quòd Plato in Timæo numeris, figuris, atque (vt vno verbo dicam) Mathematicis vtitur: quod philoſophandi genus Pythagoræ maximè proprium fuiſſe varijs antiquorum teſtimonijs comprobari poſſet, ac præſertim ex Ariſtotele qui quoties Pythagoreos exagitat, id ferè ſemper ea ratione præſtat, vt in numeris ac figuris illorum ſententias ſitas fuiſſe velit. Quamobrem Cicero in prima Thuſculana refert Platonem, vt Pythagoreos*

† omnino reponendum τὸν συγγραφέα. quid. n. ſibi vult ſillorum ſcriptor hoc in loco?

† in cōment. carmin. Pythag. ferè ad init.

† lib. 1. cap. 3. non longè a ſi.

cogno-

cognosceret in Italiam venisse: atque cum alios multos, tum verò Architam Timaeúmque cognouiße, ac Pythagorea omnia ex illis dediciße; qui tamen rationem ferè nullam suæ sententiæ reddere solerent, nisi quod esset numeris, aut descriptionibus explicandum. Vt minimè mirum videri debeat maximarum quæstionum explicationem, eiúsque præcipuè, quæ mundanæ animae interest, ad figuras & numeros fuisse reuocatam. Quem etiam philosophandi modum tanquam ingenuo viro dignum in delitijs propè sibi extitisse, non ea solùm inscriptione declarauit, quam Academiae *vestibulo affixit ad Geometriae ignaros arcendos: verùm etiam quia in Timaeo de elementorum ortu ac dispositione dißerere, húncque ad Mathematicas figuras reuocare instituens, asserebat.* Nunc iam dispositionem ortúmque ipsorum sigillatim demonstrare conuenit, nouo quidem & inusitato demonstrationis genere: sed vobis, qui omnes eruditionis ingenuæ vias peragrastis; plano atque perspicuo. *His, inquam, quo pacto erga Pythagoreorum disciplinam affectus esset, indicare voluit. Etenim cum nouum & inusitatum demonstrationis genus polliceatur Timaeus, idque, (vt ex ipsamet demõstratione patet, qua protinus vsũ esse inuenimus) Mathematicis figuris constet, quod Pythagoreis familiarissimum fuiße certum est: cúmque hoc ipsum demonstrationis genus suis auditoribus haud obscurum fore contendat, quòd ij vniuersas ingenuae eruditionis vias peragrauerint; (hic autem Pythagoricum quoque docendi institutum designat) Pythagoreorum etiam fontibus amplissimum suae Physiologiae campum irrigasse haud ambigendum videtur. Sed quid longiore oratione ad rem hanc confirmandam opus est, cum ea quaedc effectrici Vniuersitatis mente, de Ideis, de Mundi anima, de Dijs, de necessitate, de prima materia, de Cœli coagmentatione, ac de ijs penè omnibus, quae hoc dialogo continentur; ex Timaei Locri Pythagorici monumento, quod nostris quoque temporibus extat; expreßa ferè sint omnia, atque ea ratione expressa, vt quae apud Locrum preßè ac perobscurè conscripta sunt, Plato dilataße potiùs atque dilucidasse quàm nouum opus scripsiße videatur? Vt Timon dentatus quidem ac mordax, sed verax tamen alicui videri poßit, dum multos in Sillis carpens; Platonem ideo perstringit, quòd ingenti pretio libellum quendam Pythagoricum coëmit, vnde Timaeum nobilem dialogum (sic enim loquitur* † *Gellius) scripserit. Quamobrem sic Timon.*

† Gel. lib. 3. c. 17.

Καὶ σὺ Πλάτων καὶ γάρ σε μαθητίης ὁ πόθος ἔχεν,
Πολλῶν δ' ἀργυρέων ὀλίγην ἤλλαξας βίβλον,
Ὅθεν ἀπαρχόμενος γράφειν ἐδιδάχθης.

Altera sententia: qua ex Græcorum, Latinorum, ac denique Hebræorum sententia fit sectator Mosis. Sunt autẽ ex Græcis, Eusebius.

Neque verò defuerunt, qui vel suspicati sint, vel etiam crediderint sacram Moysis historiam legisse Platonem, eidémque in tractatione de Vniuerso fuisse addictum. Inter quos Eusebius Cæsariensis principem sibi facilè vendicat locum, vt videre est in commentarijs, quos de præparatione Euangelica confecit, præsertim verò libro vndecimo, & alijs duobus qui proximè consequuntur. Ibi enim immensam propè argumentorũ vim ac syluam congessit, vt Platonis doctrinam sacris Hebræorum literis

Moy-

Moysisque præcipuè oraculis consentire, ijsdémque Platonem ipsum totũ ferè hærere ostenderet: ita vt, quæ de Deo, de eiusdem prouidentia, de Verbo, de Ideis, de animi immortalitate, de resurrectione, de iudicio, de cœlesti terra, de fide, de Reipublicæ institutionibus, de Androgeno, de Poro, simúlque de poëticis multis, déque primo hominum statu, ac denique (quod instituti nostri maximè interest) de Vniuersitatis ortu & constitutione conscripsit, ex Prophetarum fontibus, Mosisque præsertim omnia ferè eum hausisse voluerit. Neque omnino leues ad id probandum rationes habuit: quas sanè omnes, ne longior sim, recensere mihi non est consilium: ac præsertim quoniam, etsi in ijs omnibus propositum erat Eusebio, Platonem Moysi addictum ostendere; nos tamen, dum quærimus quos potissimùm authores imitandos, sectandósue in Timæo sibi delegerit Plato, in ijs præcipuè rationibus insistere debemus; quæ ad Timæi dogmata faciunt. Primùm igitur (vt has tantùm breuitérque recenseam) id ex Eusebio proqatur, quoniam cum† in illud incidisset Moysis dicentis ex Dei persona. † Ego sum qui sum: sic dices filijs Israel. Qui est, misit me ad vos. *Cúmque similiter perlegißet illud Salomonis dicentis* † Factum est quod fuit: & faciendum quod factum est, neque nouum aliquid sub Sole; *duplex rerum agnouit genus, alterum quidem æternum, & sola intelligentia comprehensum; aliud verò tempori, & continuis mutationibus subiectum. Atque hanc ipsam rerum partitionem ex Moyse, & Salomone non sententijs solùm, sed ipsis planè verbis fuisse a Platone vsurpatam: & cum apud illos pressius haberetur, paulò latiùs expressam affirmauit. Ac primum sanè partitionis membrum, ac rerum genus tunc a Timæo expressum voluit, cum sub disputationis initio diceret.* Distinguendum videtur quid est id, quod semper est, ortum non habens: quidue illud quod semper fit, est autem nunquam. Illud certè mente & ratione percipitur, eodem semper existens modo: hoc verò sensu rationis experti comprehenditur & ortum occidit, veréque & stabiliter nunquam est. *Alterum verò ex Salomone in Timæum relatum fuisse cẽsuit, dum de temporis ortu loqueretur Timæus dicens.* Hæc enim omnia, erat scilicet, & erit, temporis partes sunt, quæ non recte ad æternam substantiam transferimus, cui, est, solummodo verè accommodatur; erat autem & erit fluentibus solùm verè aptatur: species enim istæ sub tempore sunt, quòd circulari & ordinato motu æternitatem imitari videntur. *Hoc est alterum rerum genus: in quo, ne quis suspicaretur eum non recte Platonis verba intelligere; diuisionem hanc ex Numenio Pythagoreo confirmauit: qui in secundo libro de bono, eandem afferens, hæc ipsa Platonis loca ita videtur interpretari, vt primum partitionis membrum substantijs materia carentibus & sempiternis, alterũ corporeis & caducis cũ Eusebio sentiat referendum. Huc etiam secundo loco multa spectãt ex ijs quæ attulit† Eusebius dũ assereret Platonẽ, quippe qui in Timæo Deũ vnũ, ac cœlũ vnũ esse voluit asserẽs.* Vtrũ igitur rectè vnũ cœlũ esse dicimus, & Deũ vnũ, an multos innumerabilésque dicere rectius erit? vnũ profectò: si

qui-

†*l.11. de pr. c.6.*
†*Exodi 3.*
†*Eccles.1.*
†*l.11.c.8*

† Deut.c.6. quidem ad exemplar creatum est, *illud Moysis expressisse ex Dei persona dicentis.* † Audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est. *Huc quoque* † l.11.c.15. *spectant ea omnia, quæ in eodem libro † leguntur: etenim cum vidisset Eusebius Platonem inuestigandum proposuisse in Timæo an Mundus ortus esset, atque ab aliquo temporis incœpisset exordio, & tandem probasse ortum habere, definitóque temporis principio incœpisse, ita vt dixerit, nefas esse arbitrari Mundum Dei prouidentia non esse constitutum, voluit hîc illud Moysis* † Gen. c.1. *expressisse dicentis,* † In principio creauit Deus cœlum & terram. *Vbi* † l.11.c.18. *Vniuersum a Deo procreatum ipse quoque prædicauerat. Id quod paulò post eo nomine † comprobauit, quoniam Moyses Solem, Lunam, & cætera sidera a Deo condita his verbis ostenderat.* Et dixit Deus fiant luminaria in firmamento cœli, & sint in signa & in tempora. Et fecit Deus stellas, & duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento cœli. *Id quod Plato vsurpauit (inquit ille) dum a Verbo & Mente Solem & Lunam, & quinque stellas quæ errantes dici solent, ad temporis ortum fabricatas, & in* † l.11.c.16. *circulis collocatas fuisse pronunciauit.* Atque hoc ipsum ea ratione † *confirmat, quòd Moses tum pro singularum rerum creatione affirmauit vidisse Deum illas esse bonas: tum summatim de omnibus valde bonas fuisse enunciauit. Quod etiam Plato (vt ait Eusebius) manifestauit dicens.* Si bonus † l.13.c.7. est Mundus, & Creator bonus, rursúsque si Mundus optimus effectuum, ille optima causarum. *His † addit Platonem, cum in Vniuersitatis molitione Deum loquutum esse significaret, diuinum illud Moysis dogma voluisse expressum, quo passim Dei vocem rerum procreationi adhibitam fuisse docet. Hæc fermè sunt quibus Eusebius nititur comprobare Platonem Moysis doctrinam in Timæo sequutum esse, atque eandem etiam expressisse. Quæ* † in l. de cur. græc. aff. & alibi. *quantum virium habeant suo loco videbimus. Nunc ad reliquos pergamus qui in eandem sententiam iuerunt. Ac profectò nõ postremus inter hos fuit †* Theodoretus. *Theodoretus: etsi enim dum varias* Platonis *opiniones cum diuinis Ecclesiæ oraculis confert interdum, illum & his sæpe consentientem probare, & ab iisdem nonnunquam dissentientem arguere solet; illuc tamen progreditur vt huiusmodi consensum ipsi tandem Platoni ascribat in furti loco. Quapropter cum Moysen Theologiæ Oceanum appellasset, ex hoc Græcorum sapientiam tanquam fluuios manasse, ac Platonem præ cæteris philosophis quædam veritatis lumina, atque initia accepisse affirmauit. Quid plura? Eusebij ac Numenij (de hoc autem dicam postea) authoritate, testimonio, rationibus deni-* † in l. de pri. *que ita commotus est, vt horum † sese opinioni ad extremùm sine vlla dubitatione subscripserit. Neque verò Clemẽs Alexandrinus abhorruit ab hac sen-* Clemens Alexandrinus. *tentia, cum ex Græcis multos multa didicisse voluerit ex Hebræis: ac* Plato*nem ipsum non modò philosophum ex Hebræis appellauerit, sed plurima de Deo, de spe futuræ vitæ, de legibus, déque alijs non paucis, in primis verò de Mundo ex Moyse vsurpata conscripsisse, ac pro suis venditasse existimauerit. Nec sanè contemnendas ad id suadendum rationes habuit: quas in Stromatis passim disseminatas, quòd conquisitionis nostræ interest; colligam vt poterò breuissimè.* Primùm itaque *insigne illud dogma, quod de Deo Platonicus*

Timæus

Timæus proposuit, dum nec inueniri nec efferri posse diceret, eo argumento ostendebat ex diuinis Hebræorum literis † fuisse desumptum, quòd cùm Moyses ad montis fastigia, hoc est, (vt ipse Clemens interpretatur) ad Dei contemplationem ascenderet; tum populum ad huiusmodi fastigia accedere prohibebat (quòd scilicet Deus a paucis admodum posset deprehendi) tum denique non nisi in caligine (quòd nimirum indicari atque efferri non posset) eum inuenit. Ideas quoque a Platone ex Moyse voluit esse desumptas, tum quia in libro, quem de fortuna scripsit Pythagoreus Eurytus, amplissimis verbis testatus est; Deum ad sui ipsius exemplum condidisse hominem, (id quod maximo inditio esse videtur Platonis exemplaria non solùm Pythagorica, sed etiam Mosaica fuisse) tum praeterea quia Plato quippe qui Ideas etiam cognitu difficiles esse dixit, atque Idearum χώραν*, hoc est locum siue campum ac receptaculum, constituit, illud † Geneseos expresserit, in in quo Abraham die tertia secundùm Dei sermonem illuc venisse dicitur, vbi suspiciens, locũ seu regionem eminus imspexerit: tum denique quoniam dum Plato in Mundo qui sola intelligentia percipitur, animalium ac cæterarum rerum aspectabilium Ideas affirmauit reperiri, hæ sanè ex Genesis historia fluxerint, in qua cœlum non aspectabile, terra sancta & oculorum intuitum effugiens, ac lux, quæ solo cernatur animo, proponitur sub creationis initio. Sed & hoc ipsum tum de humano corpore, tum de animo accidiße vult: nã humanum quidem animum in terrenum tabernaculum a Platone introductum, Mosaicum illud exprimere arbitratur, quo ipsum corpus ex terra formatum, atque animum in faciem, (quia scilicet in hac princeps eius facultas sit collocanda) infusum atque inspiratum voluit. Postremò ex Vniuersitatis materia argumentum etiam desumpsit, quòd Plato dum materiam qualitatum atque figurae expertem facit, Mosaycum illud sequutus sit, in quo dicitur,* Terra autem erat inaspectabilis & incomposita. *Hæc sunt quæ pro hac sententia habuit Clemens: nam illam quidem rationem quam ex diuina voce desumpsit; iam in superioribus retulimus ex Eusebio. Id ipsum de Iustino Martyre & Philosopho existimandum est: qui sanè aureo sermone illo, quo Græcos cohortatur ad verum Dei cultum; multis ac subtiliter quidem disseruit, vt quæ Plato de Deo, de Ideis, déque hominis, terræ, cœli, ac temporis origine & procreatione in Timæo præcepisset; ex Moyse desumpta esse ostenderet. Ac primùm (vt ea strictim percurram) Platonem quippe qui in Aegypto versatus fuerat; Mosaicis scripturis adiutum, potiores de Dijs sententias, ac prioribus contrarias introduxisse; immò verò Deum singularem statuisse voluit: licet Socratis exemplo permotus, atque Areopagitas veritus, non nisi occultis rationibus ac dissimulanter significauerit sententiam suam. Atque ob id factum putat, ut Mosem sequutus, non illud solùm quod est sempiternum* τὸ ὄν *nuncupauerit: quemadmodum de Deo latè ex Eusebio ostendimus; sed etiam ipsum Deum, vt qui moliendi facultatem è materia non desumpserit,* ποιητὴν *id est factorem (vt ita dicam) non autem* δημιουργὸν *hoc est opificem appellauerit. Quin etiam etsi statuißet (inquit Iustinus) quicquid generatur; natura eße dissolubile, ob cicutæ tamen*

† Exo. c. 24.

† Gen. c. 22.

† Gen. c. 1.

B. Iustinus.

metum negauit Deos quos ortos fecit; eſſe vnquam diſſoluendos. Atque idcirco etiam accidiſſe contendit, vt cum diceret Plato *Deum* κατὰ πάλαιον λόγον, *hoc eſt ſecundùm antiquum verbum, principium, mediū, finèmque omnium rerum obtinere;* παλαιοῦ λόγου *Moſaycæ legis ergò mentionem fecerit: ſimilitérque in Timæo, dum aſſereret.* Superiora principia Deus nouit, & quotquot hominum illi chari ſunt, *Moyſem & Prophetas intellexerit. Ideas quoque ſiue ſpecies ex diuinis literis a* Platone *voluit vſurpatas, dum de tabernaculo Deum his verbis loquentem audiret.* † Et facies mihi tabernaculum per omnia ſimile exemplari, quod in monte præſcriptum oſtendi tibi. *Et rurſus.* Sic facies iuxta formam quam in monte oſtendi tibi. *Et hinc eſt (inquit B. Iuſtinus) vt cum* Plato *ſeparatum Tabernaculi exemplum ſtatuendum animaduertiſſet, in eum errorem inciderit, vt rerum omnium, quas ſenſu attingimus; ſeparatas Ideas inueniri exiſtimarit: atque ex rerum creatione quæ in Geneſi enarratur, hominis quoque, cæli, terræque exemplum referre, contenderit: terrae quidem, quoniam cum eam creatam primùm, ſtatim verò inaſpectabilem fuiſſe legeret, hoc poſtremum de antiquiore terra, quæ ſcilicet exemplum eſſet; illud ſuperius de terra, quæ ſenſui eſt expoſita, ac ſimulachrum cenſetur, dictum putauit: cæli autem, quia cùm firmamentum conditum perlegiſſet, hoc non niſi corporeum cælum, illud verò, de quo ſanctiſſimus vates cecinit,* † Cælum cæli domino, terram autem dedit filijs hominum, *corporei & aſpectabilis exemplum eſſe crederet: hominis denique, quia cum de eo mentionem feciſſet Moſes, ac multis poſtea interiectis de limo terrae conditū eſſe affirmaret, hunc terrenum ac ſenſibus expoſitum, illum antiquiorem, atque inſtar exempli* Platoni *voluit extitiſſe. Ad hæc tempus vnà cum cælo ortum dixiſſe Platonem exiſtimauit Iuſtinus, quòd apud Moyſem poſt cælum conditum primam diem, quae & ipſa tempus eſt, fluxiſſe animaduertiſſet. Denique Platonis illud (inquit B. Iuſtinus) in Timaeo de Dei filio naturali ratione dictum* Ἐχίασεν αὐτὸν ἐν τῷ παντὶ poſuit illū in Mundo, *a Moyſe accepit Plato. nam quae æneæ crucis figura a Moyſe deſignata fuerant, ſubdit Iuſtinus, etſi* Plato *non omnino intelligeret: nec ſatis crucis myſterium inde agnoſceret; vſurpauit tamen. atque idcirco in eodem Timaei loco cum* δυνάμιν *vim (inquam) & naturam illam quae primo Deo proxima eſt, in modum X literae porrexiſſet atque adeò decuſſaſſet, ſtatim tertium locum Spiritui dedit, quem apud eundem Moſem ſuper aquas ferri legerat, & ideo addidit* τὰ δὲ τρίτα περὶ τὸν τρίτον. *Tertia verò circa tertium. ſic tum de crucis myſterio tū de Trinitate Iuſtinus. Quē Athenagoras totidem fere verbis ſecutus* † *eſt. Hæc ex Graecis. Tametſi enim alij quidam patres videntur adhuc apud Graecos fuiſſe in hac ſententia, veruntamen quoniam quae ipſi attingunt, partim haud pertinent ad Timaeum, partim conueniunt cum ijs quae vel hactenus expoſuimus, vel etiam mox exponemus ex alijs. veniam iam ad Latinos.*

Athenagoras

Ex Latinis. B. Auguſtinus

Ergo B. Auguſtinus † *etiam cum Euſebio ſentire viſus eſt. Etenim cū Plato in Aegypto (vt præter multos author eſt Laërtius) peregrinatus*

Marginal notes: † *Exo. c. 25.* — † *Gen. c. 1.* — † *Pſal. 113.* — *Gen. c. 2.* — † *in or. pro Chriſ.* — † *li. 8. de ciuit. Dei. c. 11.*

eſſet,omnia ibi illum didiciſſe,quæ magna haberentur,credidit ac pronun
ciauit:ita vt ſacram de Vniuerſitatis procreatione hiſtoriam, quacunque
apud Aegyptios ratione aſſeruaretur, deguſtaſſe Platonem, eâdémque
aliqua ex parte vſum eſſe,ex B. Auguſtino omnino ſit veriſimile. Ac
quamuis temporum ratione habita negauerit Platoni aut cognitum fuiſſe
vnquam Ieremiam,ſicut alicubi † B.Ambroſium ſequutus ſcripſerat:aut
† de doctr. Chriſt. c.28
Prophetarum oracula in græcam linguam, atque eam Punicam Ptole-
mæo Aegypti Rege per ſeptuaginta interpretes procurante tranſlatam
legiſſe vnquam;veruntamen hæc omnia ſaltem per interpretem cogno-
uiße ſuſpicatus eſt. Atque hinc etiam factum eſſe voluit, vt cum Plato
animaduertiſſet Moyſem ſub Geneſis initio dicentem.In principio crea-
uit Deus Cœlum & Terram.ipſe quoque in Timæo Deum primò terrã
ignémque(igni verò cœli locum hîc Platonem tribuere voluit) iunxiſſe
promulgauerit : ob ídque etiam accidiſſe, vt cum Moyſes dixerit.†
† Gen. 1.
Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas : ſpiritum pro aëre accipiens
Plato,affirmauerit inter ignem & terram fuiſſe aquam & aërem conſti-
tuta:atque ita extrema illa elementa inter ſe eſſe copulata. Hæc ſunt ea
quibus adductus Auguſtinus ſuſpicatus eſt Platonem in Timæo addictũ
fuiſſe Moyſi;nam illud quidem argumentum quod ex inſigni illo deſum-
pſit Exodi loco,in quo legitur,† Ego ſum qui ſum, cum ab Euſebio præ-
† Ex. 3.
occupatum fuerit,ſilentio diſſimulandum eſt.Eiuſdem verò ſententiæ fuit
Hieronymus Vyelmus.
† Hieronymus Vyelmus Ammiæ Epiſcopus,qui Timæum,Platonem, at-
† de ſex diebus cond.or. lec. 2.
que omnes qui de Mundi molitione aliqua ratione conſcripſerunt, Moſis
lectione edoctos ſe haud quaquam dubitare affirmauit. Quod ratione etiã
confirmare nititur.Siquidem cum Moyſis verba exponeret dicentis.
Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas: atque huius ſpiritus nomine
ſpiritum ſanctum intelligeret,de hoc amoris ergò mentionem factam eſſe
uelles,id in Platonis Timæo expreſſum exiſtimauit, dum Deum bonitate
ductum,ex rudi indigeſtáque elementorum mole omnia conſtituiſſe dici-
Ficinus.
tur.Idem ſentire viſus eſt Marſilius Ficinus:cùm enim † multa ex Pla-
† l. 8. ep. 45.
tone collegiſſet,quæ cum ſacra Moyſis hiſtoria omnino conſentire viderẽ
tur;Numenij opinionem comprobare, ac Platonis ſtudioſum Moſaycae
quoque legis ſtudioſum efficere contendebat.Qua in re non inde ſolùm ra
tiones deſumpſit,quòd Timæus oſtendit Mundum a Deo bonitatis ſuæ gra-
tia fuiße conditũ,Deúmque ab initio cœlũ terrámque creauiſſe, ac deinde
aëreum ſpiritum (vt ipſe ait) ſuper aquas circumfudiſſe, ſed etiam quia
hæc tandiu permanſura contendit, quandiu diuinæ placuerit uoluntati.
Quin etiam quòd maximè obſeruandum eſt;addit Deum feciße hominem
ſibi adeò ſimilem, ut unius ipſius Dei cultor, terrenorúmque dominus in
terris fuerit collocatus. Atque hæc duo poſtrema apud Moyſem perſpicua
eſſe dicit.Hæc Ficinus. Cætera enim quæ pro ſua opinione firmanda diſ-
ſeruit, cum Timæi non omnino propria ſint, nihil eſt quod in præſentia
perſequamur. Atque in hanc quidem opinionem facilè ueniſſe ſuſpiceris

Augustinum Steuchum Eugubinum, summæ eruditionis uirum, atque Hebraicæ inprimis & Græcæ linguæ peritum: hic etenim doctissimis de perenni philosophia commentarijs ueterum insistens uestigijs, multa tum ex Moyse, tum ex Platone collegit, quibus efficere conatur Platonem Moysis historiam fuisse sequutum. Quæ sanè relaturus non ualde est quod memorem in præsentia hunc † obseruasse in Politico a Platone dictũ esse παρὰ μὲν τοῦ συνθέντος πάντα καλά. *idest.* Ab eo qui composuit omnia bona, seu pulchra, *Id quod Moyses sub creationis exordio passim inculcauit cum diceret.* Vidit Deus quod esset bonum. *Præteribo etiam in Epinomide, dum inquireret, quænam ars faciat homines sapientes, per omnes artes uagatum, atque ad agriculturam denique progressum; dixisse, neque hac nos fieri sapientes, quia non arte aliqua sapienti, sed Natura & secundùm Deum, idest impulsu Dei, qui nos ad id instigauit, agriculturam exercemus: quod (ut idem † annotauit) a Moyse significatum est, dum diceret hominem a Deo in terram missum esse ut eam coleret, & in sudore uultus sui vesceretur. Denique silentio illud etiam inuoluam, quod obseruauit alibi, Moysem scilicet, cœli, terræ, syderum, animantium, plantarum denique, ac totius Naturæ eum fecisse creatorem: quod Plato expressit decimo de Republica, dum eum* φυτουργὸν *hoc est plantarum cõsitorẽ appellat, Naturámque condidisse, & (ut uno uerbo dicam) Vniuersitatem molitum esse testatur. Hæc, inquam, omnia missa faciam: quòd licet cum ijs maximè coniuncta sint, quæ de Vniuersitate præcepit noster Timæus: proindéque suspicari possis hinc etiam ex Steucho luculenter ostendi* Platonem *non abfuisse ab sectatoribus Mosis, in Timæo tamen Moyse usum esse (quod maximè quærimus) euincere nullo modo possunt. Iis igitur utar, quibus ex Steucho in Timæo consentire uisus est. Ac primò occurrit quod habet † libro quinto, ubi cum sibi ostendendum proposuisset Deum tum singularem, tum omnium authorem ex* Platone *statuendum esse asserens,* Incipiam igitur ex Timæo, quo in libro mirabili consensu ex Theologia Mosis & Aegyptiorum creatorem omnium rerum inscrutabilem, ineffabilémque Deum non visibilium solùm, sed etiam ipsorum animorum, ac Deorum, maximè verò animæ Mundi, idest eius, qua cœlum animatum putarunt, confitetur; *id ea ratione ostendebat, quoniam cùm de Mundi origine differens Moses, nihil de eius causa præcipere ausus esset, quòd intelligeret (ut ipse Steuchus scribit) difficile esse eum cognoscere, in uulgus autem efferre nefas, Platonicus Timæus Moysem in rerum creatione describenda imitatus dixerit,* τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. *Hoc est (ut M. Tullio interprete utamur)* Atque illũ quidem quasi parenrem hnius Vniuersitatis inuenire difficile, & cum iam inueneris, indicare in vulgus nefas. *Idque ipsum secundo loco confirmat, quoniam uterque parentem Vniuersitatis Deum fecerit: Moyses dum ait eum creasse Cœlum & terram,* Plato, *dum creatorem, & quasi*

Augustinus Eugubinus.

† li.6. c. 11.

† l.6.c.5.

† lib. 2.c.5.

† lib.5.c. 1.

parentem Vniuersitatis appellat eum: ita vt de quo scripsit Moyses, In principio creauit Deus Cœlum & terram, *hunc Plato dicat fuisse creatorem & quasi parentem Vniuersitatis, idest cœli & terræ. Hoc tertio quoque loco Eusebij vestigia fermè persequens; ex eo comprobare conatur, quòd vterque Solem a Deo conditum fuisse protuit. Quare quemadmodum Moses (inquit iste) aßerit Deum creaße lucem, & quarta die Solem & Lunam, sic ijsdem penè uerbis idipsum statuit Plato, cum scribat.* Atque vt esset mensura quædam euidens, quæ in istis octo cursibus celeritates, tarditatésque declararet, Deus ipse Solem quasi lumen accendit, vt quammaximè cœlum colluceret. *Asserit præterea † vtrunque affirmasse temporis partes, tempúsque ipsum ac circuitus cœli fuiße à Deo vnà cum Mundo constituta, insuperque dixiße Platonem, post Mundi constitutionem Deum mortalium animantium procreationem exorsum, animam humanam ex substantia diuiniore, quam ταυτὸ, hoc est insecabilem, indiuiduam, eandémque semper appellat, creatam, tradidisse alteri naturæ quæ corpus est. Id quod (subdit ipse) docuerat Moses dum diceret, Deum in Adæ corpus quod formauerat, spiritum inseruisse. Addit † ad extremùm, Moysem docuisse supremũ Deum fuisse cœli, hominúmque inuentorẽ, præcipuéque Lunæ, ad quã modò maiorẽ, modò minorẽ, modò apparẽtẽ, modò sese occultãtẽ, fierent tempora, dies, & anni: hócque ipsum testatum esse Platonẽ a Deo factum, cum Lunam a Deo conditam esse promulgauit, vt ex eius varietate vsque ad quindecim dies numeraremus. Ista fermè sunt, ob quæ posset quispiam existimare Steuchum cum Eusebio penitus consentire. Atque haec in praesentia ex Latinis, Quamuis enim Tertullianus, Hieronymus, atque alij non pauci visi sint aliquando eandem sententiam amplecti, vix tamen, quod rei nostrae interest, aliquid offendas apud eos, quod hactenus ex allatis authoribus, praesertim graecis, non fuerit expositum.*

† cap. 4.

† cap. 5.

Ex Hebræis Aristobulus.

Venio itaque ad Hebræos. Inter quos Aristobulus ijs sanè omnibus quos in hanc sententiam recitaui, antiquior, libro primo ad Philometum, Platonem Moysis historiam non legisse solum, sed etiam sequutum fuiße voluit. Sequutus est autem (*inquit iste*) nostras quoque leges Plato: & satis apertè ostendit se eorum quæ in eis dicuntur fuisse admodum studiosum. Ante Demetrium autem priusquam rerum potirentur Alexander & Persæ, versa fuerunt, & quæ ab Hebræis nostris gesta erant in exitu ex Aegypto, & quæcunque eis insignia. *Haec Aristobulus: quemadmodum Clemens Alexandrinus, & Eusebius Cæsariensis retulerunt. Atque haec ferè omnia ad Ptolomaeum Regem scribens, his verbis confirmauit Aristobulus.* Apertissimum quidem est leges & disciplinam nostram diligenter fuisse Platonem sequutum: non enim latet, si quis attentiùs eum legat; perlectam ab eo, & quidem diligenter, scripturam fuisse. Scimus etiam omnes ante Demetrij Phalarei tempora, immo verò ante Alexandrum &

Per-

Persarum imperium quinque Moysis libros in græcam linguam, quamuis non commodè, fuisse traductos. Tota verò scriptura nostra Demetrij Phalarei opera, & Philadelfi Regis iussu aptissimè translata est. *Haec rursus* Hebraeus *iste. Quae sanè omnia ob Timaeum praecipuè, quippequi ex eius opinione cum Mosis Genesi consentiret; ipsum protulisse vel ex eo intelligi potest, quoniam cum rationem, quam ad suam opinionem confirmandam ex Dei voce desumpsit Eusebius, Aristobuli fuisse apud Beatum* † *Iustinum, atque ipsummet* † *Eusebium etiam legimus. Atque huc etiam multa spectare videntur tum ex Leone Hebræo dialogo tertio, tum ex Philone paßim, maximè verò in libro de opificio. Etenim ille vt Platonem in primis probauit inter profanos authores, non dubitauit Platonica quædam decreta pro Mosaycis agnoscere. hic verò incredibile est quàm multa ex eiusdem dialogis, ac praesertim ex Timaeo naturalique* Phhilosophia *ad Mosem reuocarit. Vt propterea si Philonem sequaris, cum iure optimo tritum illud vsurpare poßis,* ἢ Φίλων Πλατωνίζει, ἢ Πλάτων Φιλωνίζει, *tum iustissimè (id quod Gelenius quidam scribit) affirmare possis* Platonem φιλωνίζειν, *seu potiùs Moysem aemulari ac sequi. Sed pro ijs omnibus, quicunque tandem fuerint, sit* Pythagoreus *Numenius, cuius tanti fecit Origenes, vt non* Pythagoreis *solùm, sed Philosophis penè omnibus eum anteponere non dubitarit. Ergo existimauit clarißimus iste Philosophus talem Moysis ac* Platonis *decretis inesse consensum, vt affirmare non dubitarit se Mosem in* Platone *agnouisse,* Platonémque *non nisi Attica lingua loquentem Mosem esse iudicandum.*

† Iust. orat. hort. ad gent. s.

† Euse. l. 13. de præp. c. 7.

Leo.

Philo.

vide Theod. l. de princ. & Eus. l. 11. de præp. c. 6.

Numenius.

At verò quamuis hæc opinio multorum authorum consensu, coniecturísque ac rationibus uarijs firmata sit: non tamen desunt, qui Mercurio Trismegisto Platonem *in Timaeo addictum fuisse tueantur. Quorum coryphæus est, is cuius mentionem feci paulò ante, Steuchus Eugubinus, qui Mercurium non solum græcæ philosophiæ fontem appellat: omnémque* Platonis *philosophiam ex Mercurio fluxiße, dogmataque ac dictiones ipsas ex eo* Platonem *usurpasse contendit: uerùm etiã (quod ad rẽ hãc maximè facit) procreatricem Mentem, atque ea denique omnia quæ apud* Platonem *de Mundi ortu edisserentem admiramur, Trismegisti esse, sexcentis in locis testatus est: ita ut quemadmodum Numenius Atticum* Mosem Platonem *dicere solebat, sic nos Steuchi opinionem sectantes, Atticum* Mercurium *eundem meritò possimus appellare. Verùm ne quas potissimùm in re hac grauissima rationes habuit, desideret quisquam, recensebo ex illis potiores: cum præsertim eodem Steucho assentiente, id quod explicauimus, uideatur ostensum Platonem Moysis Genesi fuisse addictum. de qua tamen re quid sentiam dicam paulò post. Hic igitur in tertio de perenni Philosophia libro ex Beato Iustino refert Mercurium dixiße* θεὸν νοῆσαι μὲν ἐστι χαλεπὸν, φράσαι δὲ ἀδυνατον. *Hoc est.* Deum intelligere est difficile : eloqui verò impossibile. *Id quod* Plato *ijsdem penè uerbis in Timaeũ confirmauit, cum diceret.* Opificem qui-

Postrema opinio in qua est Eugubinus.

lib. 3. de per. phil. c. 5.

quidem, & patrem Mundi inuenire difficile, & cum iam inueneris prædicare, eloqui vulgo impossibile. *Addit † bonitatem, quam Plato in Timæo Mundi gignendi causam eße, quáque Deum præstare contendit, eandem a Mercurio pro Mundi causa in Cratere fuiße celebratam cum dixerit* ἀγαθὸς ὤν, μόνῳ γὰρ τούτῳ ἀνατέθεικεν, ἠθέλησε καὶ τὴν γῆν κοσμῆσαι. *idest.* Cúm esset bonus, hoc enim vnum in eo excellit; voluit terram ornare. *Addit etiam † Crateris dogma vtriusque fuisse, dum a Platone in Timæo animis repletur, a Mercurio autem mente & sapientia. Hoc ipsum de animi origine statuit.* Dum enim Plato (*inquit Steuchus*) cum anima Mundi in eodem Cratere reliquas fuisse temperatas affirmat, Mercurium sequutus est, qui ab anima Mundi cæteras omnes prodire voluit. *Timæi etiam* δημιουργὸν *vtrique fuisse communem tanquam certum relinquit. Præterea mentis vehiculos Platonem ex Mercurio vsurpaße vult. Plato enim in Timæo aßerit.* Hac quidem ratione mentem animæ, animam corpori dedit: totúmque ita Mundum constituit. *Trismegistus verò in libro qui Clauis inscribitur ait,* ψυχὴ δὲ ἀνθρώπου ὀχεῖται τὸν τρόπον τοῦτον. ὁ νοῦς ἐν τῷ λόγῳ, ὁ λόγος ἐν τῇ ψυχῇ, ἡ ψυχὴ ἐν τῷ σώματι. *hoc est.* Anima hominis vehitur hoc modo. Mens in ratione: ratio in anima, anima in corpore. *His addit animarū metempsychosi seu migrationi, quam Trismegistus in Asclepio attulit; omnino hærere Platonis Timæum. Ille enim ait.* Animarum variæ sunt mutationes: nam aliæ in sortem beatiorem: aliæ in peiorem statum recidunt: nam reptilium quædam humi repentes in aquaticas abeunt: aquaticæ in terrestres, terrestres in volucres: aëreæ in homines: humanæ factæ immortales in Dæmones mutantur, tum in Deorum choros abeunt. *Plato autem ex eodémmet Steucho existimauit puras animas reuolare ad astra, impuras in secunda vita reuerti ad corpora; primúmque eas fieri fœminas, ac si impuræ perseuerauerint; transire in corpora mutorum animantium. Quin etiam Deus (vt † idem scribit) Deos ex Platone creauit: quod & Mercurius asfirmauerat in Asclepio, nam cū pictores Deos facere posse statueret, Deum quoque Deos creare posse affirmabat. Ibidem ait Platonem in Timæo fecisse cœlum* ἀγήρω ἀθάνατον *hoc est citra senium atque interitum, quod ex Steucho significauerat Trismegistus in Asclepio cum diceret a Deo fieri in cœlo immortalitatem. Hæc fermè sunt quibus vsus est magnus hic author ad suam sententiam comprobandam. In quam sanè multò antea venisse Iamblichum, ex ijs quæ de mysterijs Aegyptiorum scripsit; facilè conijcio: tametsi enim Platonem in Timæo peculiariter Mercurij philosophiæ inhærere minimè explicat: cum tamen ex ipsius Mercurij columnis, quæ nobilissimarum disciplinarum mysterijs refertae eßent, sapientiam didicisse voluit. Neque fortasse ab hac opinione abhorruerunt Ficinus ac Carpentarius, quorum alter non vno in loco; † alter verò in Alcinoi † commentarijs Platonem ex Mercurio multa hausisse significauit. Quanquam ille in Theologia maximè significat Mercurij vestigijs insistisse Platonem, asserit enim vniuersam quorundam antiquorum, inter quos Mercurium*

Margin notes: † lib. 7. c. 9. — † lib. 7. c. 9. — † lib. 5. c. 2. — Iamblichus. — Marsilius Ficinus. — Iacobus Carpentarius. — † l. de Chris. relig. c. 22. et lib. 17. de ani. immor. c. 1. — † digres 2. & 3.

curium collocat; Theologiam Platonis libris contineri; hic verò Ideam Platonis Trimegisti fuiße, atque in multis, præsertim uerò in Verbi dogmate eum sequutum fuiße putat. Atque pro hoc etiam comprobando coniecturis vtitur, quarum prima est, quoniam, quae Plato de Verbo videtur vaticinari cum Mercurio, qui de eomet Verbo non obscurè omnino loquutus est, magnopere consentiunt. Altera verò inde desumitur, quòd Plato in Phædro scribit Theuth (hunc autem Trismegistum esse vult) Deum apud Aegyptios habitum, primúmque Geometriæ & Astronomiæ inuentorem fuisse. Et in Philebo addit, eundem artificiosè elementa sermonis distinxisse, ipsámque legendi artem confecisse. Hæc ex Carpentario. Qui sanè non iniuria fortaße Theuth non nisi Trismegistum esse vult: nam Mercurium quem authore † Eusebio Sanchuniatus Phænicum Theologus vocat Thoauthum, & Cicero tertio de Natura Deorum Thoyth appellat, θώυθ ab Aegyptijs appellatur. Hæc sunt quibus multi ac præcipuè Steuchus Platonis Timæum Mercurio non modò consentire, sed hærere etiam suadere conatur.

† l. 2. de præ paran. c. 7.

Authoris sententia.

Ego verò in eam sententiam deueni, vt existimem Platonem ex varijs sapientum decretis, quæ de rerum Vniuersitate extarent, ijs excerptis, quæ sibi nobiliora ac potiora viderentur; ea ad Timæum non secus retulisse, quàm apes efficere soleant, dum (vt ipsemet Plato in Ione significauit) per prata uolitantes, uarios flores seligunt ac delibant, ex iisque mel conficiunt. Ad quod credendum multa me impellunt, illúdque inprimis, quod multorum philosophorum auditor fuit, atque (ut uariæ tulerunt peregrinationes, quas sapientiæ studio suscepit) uarijs dogmatibus ac disciplinis imbutus est, ita ut clariora decreta summo studio expendisse ac se legiße credendum sit.

Non vnum authorem & sectam, sed varias, cum delectu tamen, secutum esse Platonem. Nimirum Locrum.

Sed qui tandem (inquies) sunt ij quorum decretis Platonicus Timæus addictus fuit? Pythagoreum Locrum præ cæteris sequutus est: præterea uerò Trismegistum Mercurium Orphei quoque, Hesiodi, Heracliti, Zoroastri, & Magorum sententias atque oracula quandoque sectatus est, & aliorum denique philosophorum, si qui fuerunt huius notæ, opiniones nō contempsit. Ac quod ad Locrum attinet, nihil est quod laboremus: nam ut paulò ante retulimus, & ipsius Locri monumentum cum Platonico Timæo conferenti constare facilè poterit, sæpius præssas Locri sententias dilatare potiùs uidetur Plato, quàm noui aliquid moliri. Quod uerò ad Mercurium attinet, non idcirco id existimo quòd Plato non secus ac Mercurius bonitatem tanquam Mundi causam celebrauerit: nam quemadmodum Deum esse optimum, & probitate excellere (nisi desipimus) Naturæ instinctu docemur: sic etiam dum Mundum a Deo prodijsse fatemur; eius bonitatem inter Mundi causas collocare cogimur: ita ut Platonem in hoc Trismegisti dogmati assentiri non mirum, sed potiùs necessarium uideri debeat. Idque ipsum sentio dum δημιουργὸν commune utrique fuisse ait Steuchus: nam in hoc etiam inter se consensiße nihil mirum. Etenim si Deum pro Mundi authore eorum quisque agnouit, Mundi molitorem

Trismegistū.

atque

atque opificem (id enim δημιουργὸς sonat) a Platone appellari fuit penè ne-
cessarium : sicut Mercurium (si non græcè scripsisse , sed translatum & a
veteribus & a nostris lectum esse velit) suis verbis eandem notionem ex-
pressisse & eo nomine quod τῷ δημιουργῷ responderet ; eum extulisse ne-
cesse fuit. Nihil ferè etiam moueor, quòd vterque Deos creari , seu condi
(non valde enim in præsentia de vocibus est laborandum) asseruit: siquidem
licet concedam Trismegistum quoque nomine Deorum astra ittelligere, quē-
madmodum & Plato fecit : tamen non est mirum conuenire in huiusmodi
Deorum creatione: nam Deo rerum omnium authore constituto, statim illud
consequitur vt qui tales Deos, astra inquam, in Vniuersitate intuetur, a Deo
conditos esse fateatur. Parum etiam adduci possum vt Steucho assentiar,
quòd Plato cælum faciat interitus expers . Trismegistus verò dicat in cælo
fieri immortalitatem: nam praeterquam quod hic non de cælo sed de naturis
mente praeditis loqui videtur, rem ipsi rationi expositam , atque omnium
propè gentium opinione firmatam potiùs , quàm nouam aut admirabilem
vtrique pronunciant. Certè Aristoteles cum assereret Deos in cælo , hoc est
immortale in immortali, collocatos esse, id omnium hominum consensu ra-
tum esse affirmabat: sic enim scripsit. † Omnes homines de Dijs habent
existimationem. & omnes eum qui sursum est locum, Deo tribuũt,
& Barbari & Græci, quicunque putant esse Deos: tanquam videli-
cet immortali immortale coaptatum sit. Neque etiam valde commo-
ueor , quia diuinum illud Verbum , quod adeò familiare Trismegisto fuit,
Platonicus Timæus memorasse, & in procreatricis Mentis loco habuisse vi-
sus sit: nam cum idem verbum alijs permultis , Orpheóque in primis fuerit
familiarissimum, nihil est quòd hinc Trismegisto hærere Platonem colliga-
mus. Neque verò omnino ad id suadendum accommodatus est Crateris vsus,
quia scilicet eorum quisque ad animi naturam explicandam illum retulerit.
Plato enim eo vtitur ad animorum temperationem, ac tradit in eodem Cra-
tere animos fuisse temperatos , in quo & Mundi anima temperata ac per-
mixta fuerat. Trismegistus verò (vt scribit Pimandri capite quarto) illum
ad animorum temperationem haud refert : aut si refert (ipsum enim ety-
mon, quod mixtionem temperaturámque representat, id quodammodo sua-
det) non eodem consilio quo Plato fecit : hic enim animos in huiusmodi
cratere coagmentatos ac conflatos docet: ille verò vt ostenderet hominum
alios mentis participes euasisse, alios verò minimè, craterem mente plenum
fuisse voluit: atque eos animos , qui sese in illo immergere potuerunt; men-
tem & sapientiam reportasse , cætera verò omnia sine ratione remansisse.
Quare non parum varius videtur crateris vsus . Aliquam vim habet quod
est apud Platonem ab opifice ex reliquijs animae Mundi animas caeteras
fuisse constitutas : apud Mercurium autem ab vna Mundi anima reliquas
existere vniuersas. Aliquid prætcrea efficere videtur id, quod Plato intelli-
gentiam per mentem aduenire homini contendit, mentémque per animam
in corpore insidere. Trismegistus verò Pinandri sermone decimo , mentem
per rationem, rationem per animam, animam per spiritũ, spiritum per cor-

pus

† l. 1. de cœl. t. 22.

pus inuehi dicit in hominem. Quanquam enim ille de anima Mundi, hic de anima hominis loquitur; de uectione tamen ac transitu mentis non uidentur discrepare. Apta etiam videtur Metempsycosis illa, qua Mercurius in Asclepio (vt vult Steuchus) humanos animos in ferarum corpora migrare contendit, ac tandem ad Angelos, Deorúmque choros reuocari: Plato autem ab astris in humana ferináque corpora commigrare, ab hisque ad astra, quæ Deos etiam appellat, reduci affirmat. Veruntamen magis commoueor propter ea quæ eorum quisque de opifice pronunciauit. τὸν μὲν ποιητὴν *(inquit Plato)* καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον. καὶ εὑρόντα, εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. *Mercurius verò.* Θεὸν μὲν νοῆσαι χαλεπόν. φράσαι δὲ ἀδύνατον. *Magis, inquã, ijs verbis cõmoueor. neque ob id quidẽ quòd vterque existimauerit difficile esse Deum vel inuenire, vel cum inuentus fuerit, aliquid de eo pronunciare: sed quoniam dum totidem ferè verbis Plato, quot Mercurius, aut saltem paulò latiùs, rem istam explicat, ex ipso Mercurio id omne visus est transtulisse. Ac quamuis in Mercurij monumentis quæ nunc siue Apuleij siue Marsilij industria latinè extant, ista Mercurij uerba non reperiantur: reperiuntur tamen in Græcis codicibus in quibus multa ad extremùm leguntur, quæ desiderantur apud illos. Quare* † *Iustinus ac* † *Cyrillus uiri sanctissimi locum istum ex Mercurij monumentis pari consensione, totidémque verbis proferunt. Vt omittam Iohannem Stobæum; apud quem tum eadem planè verba Mercurij nomine recitantur: tum duæ integræ disputationes quibus caret Appulei Poemander habentur ex veterum monumentis.*

† *Iust. in Ap.*
† *Cyr. cõ. Iul.*

Sed quoniam ipse alia permulta obseruaui, quibus nullo modo refragari possumus: reliqua omnia missa faciamus, atque ad hæc deueniamus. Trismegisto igitur Platonem fuisse addictum colligitur primò, quoniam non modò metempsycosim, seu animorum migrationem, id quod ex Asclepio obseruat Steuchus; sed etiam eorundem ortus, distributio, lapsus atque ascensus, quæ apud Platonem in Timæo habentur omnia, ex Trismegisti Pimandro desumpta sunt, ijsdémque penè verbis expressa: siquidem Mercurius sermone decimo (vt Marsilio interprete vtamur) ait. Num in i js, quæ generatim audistis, quemadmodum ab vna Mundi totius anima vniuersæ profluunt animæ per omnem Mundum tanquam distributæ circumcurrentes? Harum vtique animarum mutationes permultæ, partim sanè in melius, fœliciúsque: partim autem in contrarium. Nam reptilium quædam in aquatilia transmutantur: aquatilium in terrestria migrant: terrenorum in volatilia scandunt: aëreorum vertuntur in homines: hominum deinde immortales animæ in Dæmones transeunt: demum in Deorum chorum fœliciter reuolãt, Chori Deorum gemini: vagantium vnus: non vagantium alter. Atque hæc est suptema animæ gloria. Anima verò in corpus humanũ delapsa, siquidẽ mala perseuerauerit, nõ gustat immortalitatis quidquam, neque bono etiam fruitur: reuoluto autem itinere in reptilia præcipitãs. Hæc vtique adiudicatio prima est aĩæ malæ prauitas aĩæ

ignorantia. Anima naturæ rerum, boníque inſcia, orbata oculis, corporis ſeſe paſsionibus implicat. Anima mali dæmonis ritu corrupta ſe ipſam ignorans abiectis corporibus, monſtríſque deformibus ſeruit. *Hæc Triſmegiſtus. Quæ* Plato (*vt dixi*) *omnia ad Timæum, ne tranſuerſum quidem vnguem ab ipſo Mercurio diſcedens, retulit: nam humanos animos ex ipſius mundanae animae reliquijs conflatos ſignificauit: eoſdem præterea per aſtra diſtributos, ac quaſi diſſeminatos docuit: deinde ad corpus hoc quod humanum appellatur, proximo ortu traduci, indeque ſi peccandi finem fecerint; ad aſtra redituros: ſin minus, varijs mutationibus ſubijci, ita vt in volatilium, aquatilium, ac cæterorum denique animantium corpora pro flagitiorum conditione migrent: ex quibus denique cunctis erroribus expiati, ad diuinos choros reuertantur, atque beatam vitam conſequantur. Hæc inquam Mercurium ſequutus de animorum procreatione, diſtributione, lapſu, regreſſúque ſcripſit Plato: quem eidem Triſmegiſto hæſiſſe conſenſus etiam declarat, qui apud ipſos in rerum immortalium, mortaliúmque nominationibus obſeruatur: ſiquidem Mercurius mortales aſpectui ſubiectas, & ortui obnoxias appellat: phantaſiam circa eas ſolùm verſari docet, atque eaſdem ſemper fieri: immortales verò aſpectui latêre, nec generari, phantaſiáque nec apprehendi, nec affectionibus ſubijci. Plato autem affirmat immortales carere ortu, ſola intelligentia percipi, eaſdem eſſe ſemper: mortales verò gigni, neque vnquam eſſe, & opinione per irrationalem ſenſum attingi. Quid quòd* Plato *de Vniuerſitatis principijs diſputaturus, Mercurium non ſolùm imitatus, aut ſectatus eſt, ſed etiam ſententias vel earum dictionibus retentis, ex Triſmegiſto eſt mutuatus? Etenim Triſmegiſtus Pœmandri ſermone quinctodecimo de rerum natura diſputaturus, inprimiſque de earum principijs, ab efficienti exorſus, duas ad molitricem cauſam ſtatuendam ſiue dignitates, ſiue poſitiones præmiſit, quarum prima hæc fuit.* Quæ ſenſu apprehenduntur, omnia ſunt facta, & ſemper fiunt: quæ verò genita (*& hæc ſecunda*) non a ſe ipſis, ſed ab aliis generantur. *Et hinc collegit dari cauſam efficientem dicens.* Quamobrem, cum res quæ genitæ ſunt, ab alijs generari dictum ſit, datur harum opifex. Plato *autem, cùm hanc ipſam effectricem Vniuerſitatis cauſam ſtatuere vellet, has duas poſitiones præmiſit, primam cum diceret.* Id quod gignitur, neque eſt vnquam, per irrationalem ſenſum attingitur. *Secūdā verò aſſerens.* Quicquid gignitur, ex aliqua cauſa gignitur. *Ex quibus ſanè collegit quæcunque hoc Mundo continentur; cauſam efficientem habere, idque his verbis.* Quæ ſenſus mouent opinione per ſenſum percipiuntur.. Hæc verò talia eſſe conſtat, ut gignantur, & genita ſint. Quidquid autem gignitur, ex aliqua cauſa gigni aſſeuerauimus. *Hæc Plato: ex quibus perſpicuè videre eſt, ex ijsdem principijs eandem colligere concluſionem; atque a Triſmegiſto vix differre, quia ille duas huiuſmodi poſitiones ad concluſionem quoque iacens, rationem latiùs propoſuit: hic verò alteram earum tantùm repetens, paulò preſſiùs loquutus eſt.*

Orpheum.

Quod autem Orpheum ſequutus ſit, ex eo ſuaderi poſſet, quoniam cùm

hic

hic græcæ Theologiæ princeps atque Antistes haberetur, omnes penè Græcorum scholas ex huius fontibus hausisse apud locupletissimos authores legitur. Id quod ne ipse quidem Proclus, qui tamen Timæum facit Pythagoricum, nō agnouit: quandoquidem in sua Theologia sic † scriptum reliquit. Ἅπασα γὰρ ἡ παρ᾽ ἕλλησι θεολογία, τῆς Ὀρφικῆς ἐστὶ μυσταγωγίας ἔκγονος. πρώτου μὲν Πυθαγόρου παρὰ Ἀγλαοφήμου τὰ περὶ θεῶν ὄργια διδαχθέντος, δευτέρῳ δὲ Πλάτωνος ὑποδεξαμένου τὴν παντελῆ περὶ τούτων ἐπιστήμην ἔκ τε τῶν Πυθαγορείων καὶ τῶν Ὀρφικῶν γραμμάτων. Vniuersa enim Græcorum Theologia est fœtus Orphicæ mystagogiæ. primò enim Pythagoras ab Aglaophemo Orphica Deorū orgia edoctus est: deinde Plato horum omnium scientiam ex Pythagoricis Orphicísque monumentis excepit. Hæc Proclus, qui; ne quis interim nobis obijciat Theologica istiusmodi decreta in Timæum, quippe qui physicus est, conuenire non posse, ac proinde Platonem non ita in Timæo sed alijs in locis Orpheum secutum esse, subijcit statim. Ἐν Τιμαίῳ γὰρ περὶ τῆς ὑπὸ σελήνην θεῶν, καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς τάξεως ἀναδιδάσκειν ἐγχειρῶν, ἐπὶ τοὺς θεολόγους καταφεύγει. καὶ θεῶν παῖδας αὐτοὺς ἀποκαλεῖ. καὶ πατέρας ποιεῖται τῆς περὶ αὐτῶν ἀληθείας. In Timæo namque de Dijs qui infra lunam sunt, eorundémque serie cum docere aggrederetur, ad Theologos confugiebat: quos Deorum filios appellat: patrésque simul veritatis efficit quā de illis tradit. Verum authoritates mittamus vbi vtriusque doctrina, quod volumus, apertè docere potest. Etenim quæ de rerum origine, de procreatrici Vniuersitatis mente, de duplici Mundo, exemplari scilicet (quem vocant) & aspectabili, de confusa illa fluctuantíque mole, ac de Necessitate apud Platonē legimus; Orpheum multò antea decantauerat. Atque (vt in præsentia taceam, de Vniuersitatis origine, quam antiquißimus hic Theologus ac vates non modò constanter asseuerauit ac cecinit, sed vetustissimorum omnium Græciæ Theologorum ac Poëtarum qui rem hanc attigerunt vsquam, Coryphæus fuit ac princeps) de procreatrici quidem Mente constat: nam Verbum quod ad Mundi molitionem retulit Orpheus, nihil sanè est aliud nisi ædificatrix illa mens, quam Plato Vniuersitati præfecit. Quamobrem, cùm Vniuersi constitutionem sine vllo discrimine tum Verbo tum Menti tribuisset Mercurius: ac Verbi Mentísque nomine promiscuè vsus esset, nihil hac in re Orpheum ac Platonem differre inuenias, nisi quia hic Mentis, ille Verbi nomen plus adamauit. Atque ob id Orpheus Mundi procreationi præfecit Verbum: omnia ab eo voluit deriuare: hoc etiam tum κόσμοιο τυπωτήν, Mundi scilicet fabrum, tum αὐτοτελῆ, seipso perfectum esse dixit: atque ab ipso etiam πάντα τελεῖσθαι, omnia perfici commemorauit. Plato autem δημιουργὸν, τεχναινόμενον, alijsque huiusmodi nominibus νοῦν, mentem inquam appellat: quæ omnia in idem recidere satis constat. Immo verò (si † Theodoreto credimus) Verbi vocem non modò excepit, ac præcipuè ad Timæum eodem nomine retulit, quo & mentem familiarissimam habuerat: sed etiam mentem ipsam Verbum Dei diuinissimum definiuit. Vt hinc etiam appareat hos in ædificatrice illa Mente statuenda inter se conuenire. Aspectabilis verò Mundus, eiusdémque incorporeum exemplum Orpheo etiam fuit familiarissimum: nam cum duplicem rerum Vniuersitatem fecisset: alteram (diuiniorem scilicet) inter-

† l. 1. c. 3.

† l. de mat. & mun.

 ter-

terdum in opificis Iouis aula, nonnunquam in eiusdem ventre, interdúmque etiam in pectore extitiße: alteram ex ipsiusmet opificis pectore prodysse docuit. Quapropter cùm pronunciasset in opificis Iouis uentre atque aula terram, fluuios, tartara, atque omnia denique latitasse; hæc deinde ex eius pectore in hanc lucem fuisse edita, his carminibus cecinit.

Πάντα τὰ δὲ κρύψας αὖθις φάος ἐς πολυγηθὲς,
Μέλλεν ἀπὸ κραδίης προφέρειν πολυθέσκελα ῥέζων. *idest*

Quæ priùs omnigena ingenti sub pectore claudens
Seruabat, mirum, lætas eduxit ad auras.

Quamobrem tum mundani illius exempli, tum aspectabilis Mundi dogma, Orphei etiam fuiße non est cur dubitemus. Molem verò illam indigestam atque informem, necessitatémque etiam decantauit Orpheus. Nam quid aliud sibi vult Chaos illud, ex quo Mens (vt idẽ ait) cùm priùs omnia confusa essent, & indigesta, Vniuersum molita est, nisi vastã illã confusãque molẽ, quã a Mente ad ordinẽ redactam fuisse affirmauit Plato? Quid præterea Necessitas illa, quã Orpheus in antiquissimo Chaos tradit extitisse, nisi Necessitatẽ illã, quã Platonis Timæus Mundi exordio interfuisse, atque Mentis sapientiæ obtẽperasse scribit? Hæc Orpheũ sequutus Plato. Vt interim alia multa præpterea, quæ cũ subtiliore animaduersione egeãt, ac iam quod volumus, ex superioribus constet satis, ad commentariorum progressum reÿcienda sunt. Quanquam illud adhuc addi posse videtur, quod per se satis apertum est, nimirũ Platonem, quippequi Mentem voluit tum sapientia insignitam, tum bonitate ductam, ad Mundi molitionem descendiße, Orphicum illud prorsus expressisse, quo sapientiam Amorémque primum opificem fecit cum diceret.

Καὶ μῆτις πρῶτος γενέτωρ, καὶ ἔρως πολυτερπής.

hoc est. Prima fuit genitrix Sapientia, dulcis Amorque.

Hesiodum. *Sed & Hesiodo addictum fuisse Platonem, ex eo primùm colligitur, quòd dum in sermonem de Dæmonibus incidere solet, cum passim Hesiodi testimonÿs vtitur; quemadmodum in Cratylo atque alibi videre est: tum præcipuè in Timæo Dæmonum ortum ac propagationem ex illius Theogonia desumit. Deinde ex eo etiam ostenditur, quòd ab Hesiodo in eâdem Theogonia de Terræ, Cœli, astrorum, totiúsque Mundi origine ac molitione, de Chaos, de conditore Deo, déque huiusmodi alÿs, quæ apud Orpheum paulò ante obseruauimus, disputatur. Ex quibus Platonem multa ad suum Timæum ex Hesiodo, quemadmodum ex Orpheo, retuliße facilè deprehendas. Quod verò Heraclitum quoque sic interdum sequutus, suadere possunt* Heraclitum. *multa: atque illud inprimis quod Heracliteum illud dogma, in quo res corporeæ semper fluere, ac verè nunquam esse, immo continuò interire dicũtur, a Platone magna ex parte exceptum eße, & (vt in Physiologia patet quam latissimè) passim fuiße illustratum cum sæpè † ex Aristotele, tũ ex Platone ipso in Cratylo, Timæo, atque alÿs locis deprehenditur. Etenim hac ipsa de causa Heraclitus horum scientiam esse negabat: ac tum sensum, tum intelligentiã in his decipi, nihilque veri vnquam intelligere as-*

† l. 1. met. c. 5. & al.

firma-

firmabat: ac denique ex hoc principio alia multa statuebat, quæ apud Platonem illustria esse perspicimus. Vt quamuis† Carpentarij sententiam in præsentia non improbem, qui obseruauit Platonem in Theæteto atque in Cratylo non omnino aßentiri Heracliti opinionibus; Laërtio tamen, qui in Platonis vita hunc Socraticas, Heracliteas, ac Pythagoricas rationes permiscuisse tradit, atque in his quae sensibus subijciuntur, Heracliti partes tueri, libenter aßentiar: si tamen fateatur aliorum etiam multorum decreta quaedam amplexum esse: sicque interdum eiusdem Heracliti partes tueri, vt eam planè rationem sectetur quam nos tradidimus ab initio. Sed de hoc pluribus alibi non vno in loco. De Zoroastro autem & Magis praeter Psellum Plethon Platonicus testis est in ijs quae tum ad Bessariorem, tum aduersus Scholarium scribit. Monet enim hic author Platonem priuata Philosophia, quam ipse inuenerit, haud esse philosophatum: sed Zoroastris sapientiam esse sequutum, quae per Pythagoreos ad ipsum peruenerit: Pythagorámque a Magis, qui a Zoroastro descenderunt, ea omnia in Asia didicisse. Quae omnia ea sanè ratione confirmat, quòd eloquia quae a Zoroastro profecta sunt, mirificè consentiant cum Platonicis decretis. Atque huiusmodi quidem consensum vel ex ijs agnoscere possumus, quae vtrique de effectrice mente, de Daemonibus, ac præcipuè de Bono, quod supra mentem statuunt, tradidere. Verùm & de his, & de alijs quibusdam quæ Laërtius in hanc sententiam in Platonis vita statuere videtur, in progreßu opportuniùs. Iam enim ex ijs quæ hactenus collegimus atque obseruauimus, satis constare potest quibus fontibus Timæi campum irrigauerit Plato: quibúsue quasi Philosophiæ patribus in Vniuersitatis molitione ac natura declaranda vsus fuerit.

† Carp. digress. ne de Ideis in Alsin.

Zoroastrum & Magos.

Neque verò mirum videri debet in vna eadémque Philosophiæ parte explananda tot Philosophorum ac sectarum decreta permiscere potuisse. Nam ij ferè omnes eandem doctrinam veluti per manus traditam coluerunt. Cum enim celeberrimi illius Magorum principis Zoroastri sapientia tota Asia vagaretur: atque inde etiam fluxißet ad Græcos: cúmque Trismegistus etiã sapientiæ gloria non modò Aegyptijs, sed cunctis propè gentibus antecelleret quae per idem tempus floruissent: obídque etiam & sapientiæ Deus haberetur: & Termaximi nomen esset consequutus: (etenim, si Steucho credimus, non ob id dictus est Termaximus, quòd maximus tum Philosophus. tum Rex, tum Sacerdos extiterit, vt multi venditant: sed quoniam perfectum aliquid, atque omnibus numeris absolutũ sic appellaretur a Græcis. Ita enĩ Homerus perfectè beatos τρισμάκαρες, valde impiũ τρισκατάρατοι dixit: vt Mercurius ob inauditum ingeniũ ac scientiam Termaximi nomen inuenerit) factum est vt ante Platonem Græcis Philosophis ac Poëtis nihil esset antiquius, quàm Zoroastri Trismegistique decreta mysteriáque perdiscere, atque ad lucubrationes suas referre. id quod in rebus diuinis maximè ac naturalibus accidit: ex quibus ij multa (vt refert Iamblichus) tradiderunt literis: multa etiam (vt præter Iamblichum Proclus aliique testantur) in columnas atque huiusmodi monumenta retulerant.

Vnde factum sit vt tot authorum ac sectarum decreta in vna eademque Philosophiæ parte coniunxerit.

Vt

Vt propterea etiam variæ gentes, Græcíque in primis, cum in Asiam aliquãdo, tum præcipuè in Aegyptum tanquam ad sapientiæ mercaturam confluxerint. Quare præter Eudoxum, Cadmum, Solonem, Thaletem, de quibus Strabo, Orpheus etiam (quod ipsemet in Argonautica testatur) ad Aegyptios peregrinatus est. Pythagoras quoque (vt ex M. Tullio, Plutarcho atque alijs est animaduertere) in Aegypto fuit multis annis, séque, vt ferunt; Hebræorum more circuncidit. Plato etiam sapientiæ studio ad Aegyptios concessit, atque alij denique multi, quemadmodum Diodorus & Iamblichus inter cæteros testantur, illinc Philosophiæ merces in Græciam comportarunt. Atque hanc ob causam, si ea diligenter conferas, quæ adhuc ex Trismegisto, Orpheo, atque alijs omnibus habemus, quibus Platonem ipsum addictum fecimus; eádem instituta atque decreta posteris per manus quasi tradita ac consignata reperies. Quamobrem vt huiusmodi consensum ex aliquibus quæ ad Timæum pertinent agnoscamus, cum Trismegistus constantem suæ gentis sententiam sequutus, Vniuersitatis originem suis libris promulgasset: atque ad illius molitionem, Mentem, quam Verbum etiam sæpe appellat, retulißet (quemadmodum in Pœmandro cernitur, vbi hanc Vniuersitatem a diuina mente prodijsse ostendit, ac de eiusdem origine & ratione disputat) cúmque hoc ipsum iam antea Zoroaster fecisset, quemadmodum ex ijs siue oraculis, quæ vocant, siue logijs intelligitur quæ apud veteres dißeminata, a Francisco Patritio post alios quosdam diligenti sanè conquisitione ac studio collecta sunt; ecce tibi Caldæi reliqui & Magi, denique Aegiptij ac Græci Theologi poetæque propè omnes apud ethnicos apertè Mundi originẽ suis oraculis prædicauerunt: ac Mente in eius ædificatione vsi sunt: id quod percipi ex multis potest, sed inde in primis vbi & Pater (sic enim in dictis Zoroastri & Magorum apud Psellum & alios legitur) νῷ δευτέρῳ, *secundæ inquam menti, omnia tradidit: &* πατρικὸς νοῦς σύμβολα ἔσπειρεν ταῖς ψυχαῖς. Paterna mens signa inseruit animis. *Orpheus autem tum Oceani, Terræ, & ipsius denique Vniuersitatis ortum cecinit, omnia ex Iouis pectore ac ventre prodijsse statuens, (quemadmodum paulò ante ostensum est) tum Verbum illud quod a Mercurio pro Mente sine discrimine vsurpatur, ad huiusmodi molitionem eodem nomine retulit: atque vt Iustinus Martir de eo lõquitur,* ἔγνω ὅτι διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ πάντα ἐγένετο φύσις. Diuinum verbum omnia nouit condidisse. *Anaxagoras etiam Mundo & originẽ dedit, & procreatricem Mentem præfecit. Quanquam enim videtur hac mente Chaos fecisse antiquius, (quod ei Aristoteles, † & iniuria fortaße, tribuit) immo eádem sæpe etiam abusus esse; quemadmodum de eo in Phedone pronunciauit Plato; hanc tamen in Mundi molitione, tanquam rerum omnium causam introduxisse constat. Quare aßerebat (idque vel* Aristotele *ipso teste)* πάντων ἠρεμούντων κίνησιν ἐμποιῆσαι τὸν νοῦν, καὶ διακρῖναι. Vniuersis rebus quiescentibus, motum intulisse mentem: & res diuisisse: *fuißéque (ut Plato refert in Phædone)* διακοσμοῦντα καὶ πάντων αἴτιον. Exornatricem & causam omnium. *Quo etiam nomine ab eodem Anaxagora* νοῦς αὐτοκράτωρ, βασιλεὺς οὐρανοῦ καὶ γῆς *& denique* πρῶτη αἴτιος τῶν γινομένων *Mens inquam*

Ratio hactenus allata pro consensu proposito, cõfirmatur varijs Timæi decretis collatis cum Mercurij aliorũque authorũ qui paulò ante recitabantur, dogmatibus.

† *Ar. lib. 1. phy.*

inquam Dominatrix ac princeps, Regina cœli & terræ, ac prima rerum effectarum causa *appellatur. Atque eodem ferè pacto hac in re (si Plutarcho credimus) philosophatus est* Thales: *cum eam ipsam Mentem, quam Anaxagoras constituisse omnia statuerat atque exornasse; & νοῦν τοῦ κόσμου & θεὸν Mundi inquam Mentem & Deum appellans,* Mundi *constitutioni præfecisse videatur.* Pro *Pythagora autem &* Pythagoreis *vnus Locrus in præsentia satis esse poterit: apud quem Vniuersitatis ortum ac molitricis mentis dogma non minùs celebre est atque illustre, quàm apud Platonem. Vt cùm Plato procreatricem mentem illam non modò ex Anaxagora (vt in Cratylo legitur) introduxerit: sed modò ex sapientibus omnibus, modò ex ijs, qui antecesserant (vt cernitur in Philebo) eam promulgarit, satis indicarit se Pythagoram, Hesiodum, ac cæteros quos commemorauimus, sequutum eße. Sed & eiusdem procreatricis Mentis quibus eam celebrarunt appellationes, doctrinæ consensum ac successionem declarant. Siquidem νοῦς a Mercurio πάντων πατὴρ, ἀπλανὴς ἀπαθὴς, αὐτὸς σαυτῷ ἑστὼς, omnium pares, errore carens, perturbationis expers, seipsa permanens dicitur. Ab Anaxagora, ex Aristotele ἀμιγὴς καὶ ἀπαθὴς, ex Platone οὐδενὶ μεμιγμένος αὐτοκράτωρ πάντων αἴτιος, διακόσμησις: sine cõplexu, affectione carens, nulli rei admixta, imperatrix, omniũ causa, ornatus, appellatur. Ab* Orpheo *dicitur τυπωτὴς αὐτοτελὴς, θεῖος, λόγος, formatrix, per se perfecta, diuinum verbum: a Platone in* Philebo *cum Anaxagora vocatur* Βασιλεὺς οὐρανοῦ καὶ γῆς: κοσμῶν, συντάττων τὸ πᾶν: *in Timæo κόσμου ποιητὴς, δημιουργὸς, πατήρ. hoc est* Regina *rerũ omniũ, ornans, componens Vniuersitatẽ; effectrix, opifex ac parens Mundi: quae omnia in idem prorsus recidere nihil est cur dubitemus. Græcorum Chaos etiam ijdem ferè omnes tanto consensu amplexi sunt, vt dubitari non possit, quin veterũ hac de re opinio quasi permanus a posteris recepta fuerit. Etenim indigesta illa moles, quam Plato a Mente in Mundi molitione ad ordinem redactam fuisse docuit: quámque ostendimus nihil aliud esse, nisi informe Orphei Chaos; non modò ab his fuerat promulgata: verùm etiam ab Hesiodo, a Trismegisto, a* Pythagoricis, *ac denique a sexcentis ferè Ethnicorũ tum Poëtis, tum Theologis vsurpata. Quamobrem Hesiodus, cum rerum procreationem texeret, & Chaos meminit: & illud πάντων πρώτιστα, omnibus inquam antiquius, appellauit. Quod Trismegistus quoque humidæ naturæ nomine significauit: dum in huius visceribus (sicut Pœmandri capite primo scripsit) ignem, ac cætera huiusmodi prima corpora posuit: ex eiusdémque visceribus verbo ad molitionem accedente, humidámque naturam agitante, ignẽ atque aërem prodijsse, ac terram aquis vndique coopertam diu remansiße tradidit. Immo verò capite tertio &* Abyssi *& Chaos, in quibus tenebræ ac confusa elementa eßent, apertã mentionem facit. De Pythagoreis verò constat: nam Locrus, qui pro omnibus eße potest, cum Mundi molitionem traderet, molem illam ordine carentem, ac temere agitatam, a Deo siue a Mẽte in ordinem adductam fuisse pronunciauit. Denique alij etiam plurimi facilè occurrent, qui ante Platonem Chaos meminere. Vt dubitari non possit hac etiam in re Platonem veteres illos sequutum esse. Rerum quoque distributio,*

qua

qua sempiterna, sola intelligentia percipi, nunquam gigni, atque eodem modo se semper habere: quæ verò sub sensum cadunt, sola opinione attingi, semper fluere, ac nunquam esse, tam sæpe in Timæo affirmat Plato; Mercurij, Pythagorae, atque Heracliti fuit. Atque vt de Heraclito taceam, quem tum ex Platone in Cratylo, tum ex Aristotele octauo Physicae auditionis libro, rebus inferioribus atque corporeis perennem illam permutationem tribuisse constat; Mercurius, cum alibi sæpe, tum praesertim in sermone quintodecimo disertissimis verbis ea distinctione est vsus, dum de Vniuersitatis principijs disputaret: ac Mundum ostenderet ab effectrice causa deriuasse. Quod Pythagorici etiam fecerunt: nam ut omittam Pythagoricum† Numenium, Eusebio teste, hanc distinctionem quam habuit familiarissimam, ex veterum monumentis excepisse, eadémque Epicarmum (vt docet Laërtius) vsum esse frequenter, & cum Platone communicasse; Locrus res ad exemplũ effectas, aspectabiles scilicet ac sensibus expositas, semper gigni, perenniter fluere ac permutari, nunquam verè esse, ac sola denique opinione attingi, passim affirmat: contra verò exemplaria extare semper, immobilia permanere, sola intelligentia percipi, eiusdémque esse naturæ. Dogma etiam de Dæmonibus a Trismegisto ac Magis apud quos est celeberrimum, ad Orpheum, Hesiodum, Pherecidem, Empedoclem, aliósque tum Poëtas tum Philosophos esse deriuatum, atque a Platone cum alibi sæpe, tum præcipue in Timæo ex horum opinione retentũ (quanquã quo nomine atque assensu explicabimus suo loco) nemo vel mediocriter in antiquorũ monumentis versatus, poterit dubitare. Quid quod Timæi Metempsychosis nõ modò Pithagoræ ac Pythagoreis fuit familiaris; sed etiam a multis cum Poëtis tũ Philosophis vsurpata, qui ante Platonem longo temporis interuallo floruerunt? Quamobrem vt Trismegistum præteream, in cuius Pœmandro apertè ac fusè eam vulgari ostẽdimus, Ionius poëta, Locro ipso Pythagorico teste, eam cecinerat ante Pythagoram. Epicarmus etiam verbis illis quæ apud Clementem Alexandrinum leguntur ψυχαὶ ἀσεβῶν ὑπουράνιοι ἐπὶ γαίᾳ πεπότηνται ἄλγεσι φονίοισι, ὑπὸ ζεύγλαις ἀφύκτοις κακῶν. Animæ impiorum sub cœlo in terra volant, doloribus crudelibus cruciatibúsque ineuitabilibus pessimè, *Pythagoricam illam methempsychosim aliqua ex parte visus est expressisse. Immo verò (quod nos ex Herodoto atque alijs suo loco ostendemus) omnino ab Aegyptijs, quemadmodum errores alij plures, profecta est: vt iure quidem† Chrysostomus affirmet eam Platonis (quocunque tãdem consilio eam vsurpasset) non fuisse inuentum. Idipsum de Ideis, déque alijs multis ostendi posset. De quibus omnibus ne longiùs quàm institueram, præsens excurrat oratio, infra in Timæi commentarijs opportuniùs.*

† *Numen. li. 2. de bono teste Eusebio lib. 11. de præp. c. 6.*

† *hom. 4. in cap. 2. Act. Apost. ante finem.*

Ex lectione ipsa Platoni haud fuisse perspectaMosis oracula, suadetur multorum authoritate.

Verùm quid de Mose? An Platonem & sacra huius volumina perlegisse, & decreta aliqua ex ijsdem ad Timæum retulisse dicemus? Equidem cum Moysis Genesim cum Platonis Timæo contulerim diligenter, animaduerti sanè illos cum in aliquibus facilè inter se conuenire, tum in multis etiam quam longissimè discrepare. Ita vt consensum agnoscã quidem in aliquibus: at Platonis decreta ex Moysis sacrarijs prodijsse affirmare non ausim. Immo

(vt

ingenuè fatear) nihil unquam inueni apud Platonem, quod deprehendere potuerim ex vna Mosis historia fuisse expressum: in multa verò incidi, ob quæ existimem eam legisse nunquam: vt propterea ijs qui asserunt Moysis libros Platoni fuiße familiares (de libris verò loquor: nam vt eorundem decreta aliqua, aliunde quàm ex ipsorum librorum lectione perceperit, accidere potuit facilè, vt dicam paulò post) assentiri nullo modo possim. Atque hoc ipsum Lactantio† *(vt ab ipso incipiam) omnino probari animaduerto: qui non modò Platonem accessisse negat ad Iudæos: verùm etiam diuino consilio factum esse affirmat, vt ij qui tot sapientes adiißent sapientiæ causa, ad ipsos Iudæos nõ accesserint. nimirum quòd alienigenis Dei veri iustitiam ac religionem nondum fas esset cognoscere, sed vltimo tempore a Christo illis eßet reuelanda.*

†*l.4. de ver. sap. c.2.*

†*Th. in epit. diu. d. c.4. & 5.*

Sed & in eâdem opinione fuit † *Theodoretus Episcopus Cyrensis: qui cum moneret clariores Philosophos ac Socratem in primis & Platonem Deum effecisse Mundum ex materia subiecta.* Atque ijs, *subijciebat*, fortasse aliqua venia dari potest: cum nec quid dicant Prophetæ audierint: nec diuinos Apostolos doctores habuerint: solis autem rationibus eorum quæ sunt cognitionem permiserint. *Neque ab hac sententia discessit B. Chrysostomus, qui tametsi alicubi animaduertisset nõ deeße qui crederent Platonem Mosaycis fuisse eruditum, immo uerò* †*Græcos Philosophos Aegyptijs præceptoribus vsos esse constanter affirmet, attamen nullo modo concedit Platonem Moysis, Prophetarúmue decreta secutum esse, sed eos Aegyptios præceptores habuisse vult, a quibus Græci mutorum animantium imagines ac cultum retulissent: atque hac de causa his præceptoribus gloriari vult egregium Academicorum principem: ac Socratem inducere qui Aegyptiorum superstitionibus imbutus, per Canem Aegyptiorum Deum iuraret, atque Aesculapio gallum sacrificaret. Atque hanc ipsam sententiam Carpentario*† *non mediocris doctrinæ viro placuiße conijcio, qui cum obseruaßet Platonem de Dei verbo verba facere, asserebat hoc illum atque alia multa ex Mercurio potiùs quàm ex Moyse transtuliße. Idque etiam (vt Nicetam interim illustris eruditionis authorem, ac Franciscum Syluestrum Ferrariensem ac* †*Dominicum Sotum Segobiensem Theologos grauissimos omittam, quibus hanc opinionem persuasam esse, ex eorundem scriptis non obscurè animaduertes) Steuchum*† *ciuem meum sensisse arbitror: qui ex Mercurij potiùs quã Mosis, aut Prophetarũ fontibus hausiße affirmat. Quin etiã cũ de Mose loqueretur, qui a Deo, cælum, terram, aliaque dixerat procreata.* Quàm †(*inquit*) hæc Theologia probata fuisset Platoni atque Aristoteli si uidere eam potuissent? *Immo verò in hanc ipsam sententiã tandem disertissimis verbis discessit. Tradidit enim illum, cum ex multorum decretis atque consensu, tum præcipuè ex Trismegisti voluminibus Mundi molitionem agnouisse, è quibus etiam alia plurima transtulisset. Neque fortaße ab hac sententia abhorruit Numenius (quanquam nihil certi de hoc statuo) dum Platonẽ Atticum Mosem appellat. Etenim cum inter tot Philosophos, qui de Mundo egerant, aliqui casu ortum asseuerassent: alij a Dæmonibus, siue aëreis aethereísue quibusdam Dijs fabricatum, nonnullique sempiternum esse*

†*ho. 3. in c.1 ep. ad Rom.*

†*Car. dig. 3. in Alcin.*

†*Fer in phy.*
†*Sot. in 4. d. 43. d.1. a.1.*
†*l.1. de per. phil. ca.25.*

†*l.4. c.8.*

l.7. cap.7.

contenderent, nec a Deo, aut pẽdêre, aut gubernari faterentur; ac permulta alia; quæ Moysi præcipuè contradicunt, protulissent; Plato quippe qui Deum Vniuersitatem hanc non fabricasse solùm atque exornasse, verùm etiam eidem summa prouidentia prospicere statuerat, ac multa denique alia protulerat, quæ cum Moyse longè magis quàm Aristotelis, aut aliorũ Philosophorum decretis consentiunt, Atticus Moses hoc nomine potuit iure optimo appellari. Quin etiam, cum Numenius quemadmodum Mosem in Platone obseruarat, sic contra Platonem quoque se in Moyse agnouisse contendat: cùmque certum sit id postremum ob consensum tantùm dici ab eo potuisse, videtur satis constare Atticum Mosem ab eodem ob vnum consensum fuisse appellatum. Vt Moses hoc nomine Aegyptius Plato, Plato autẽ Atticus Moses diceretur. Neque verò nobis nõ fauet (si quis rem paulò attentiùs æstimet) Cyrillus Alexandrinus libro 1. contra Iulianum: etenim dum tradit Græcos ab Hebræis surripuisse multa, haud sanè affirmare audet Platonem siue Mosis historiam legisse, siue cum Hebræis versatum esse: sed tantùm fuisse in Aegypto perinde ac Pythagoras Thales, ac permulti alij: ac per hanc occasionem factum esse ut Mosaica quædam ad eius aures peruenerint. Nam hoc nomine & Timæi locum illum recitat, in quo Plato cum Aegyptio Sacerdote loquentem facit Solonem: & Diodori dicta quædam refert, quibus testatur apud sapientes Aegyptios Iudæum quendam, Mosem nomine, fuisse celeberrimum. Quibus Herodotum † addere potes, qui Pherecydem & Pythagoram ab Aegyptijs animorum transmigrationem & huiusmodi alia accepisse dictitat. Vbi sine vlla dubitatione Aegyptiorum nomine non Hebræos, sed germanos Aegyptios, hoc est idololatras Aegypti sacerdotes ac sapiẽtes intelligit. Quid multa? Plato ipse vsque adeò luculenter ad dogmata quædam confirmanda, Syrorum, Phœnicum, & Aegyptiorum mentionem † facit, rursúsque se Barbarorum nomine (vbi de doctrinarum inuentione loquitur) Aegyptios, Syrósque intelligere significat, vt de hac sententia vix ac ne vix quidem dubitare liceat.

† l. 2.

† l. 5. polit. in Epin. & al.

Demonstratur rationibus a Platone quod ex Timæo colligi possit, nõ fuisse lecta oracula proposita.

At dixerit quispiam, quæ sunt tandem illa ex quibus intelligitur Moysem haud fuisse a Platone lectum? Multa quidem sunt, atque ea grauia. Quorum illud primum sit, quod refert Saiticam regionem, quæ in Aegypto est, immo Aegyptum vniuersam ab aquarum eluuionibus tutissimam fuisse semper: nec supernè ibi vnquam descendisse aquam: nam quid quæso afferri potuit, quod magis pugnaret cum Mose, qui perspicuè refert, immensam penè aquarum vim è cœlo decidisse, atque vniuersam quoque terram ita obruisse, vt quindecim cubitis excelsiores montes superaret? Nam si generalem illam eluuionem Platoni cognitam affirmes, immo, quod suspicantur quidam, eius meminisse etiam, cum Solon in Timæo de Pyrra & Deucalione, & de Mundi eluuione tanquam de rebus antiquissimis loqueretur, iam quicquid sibi velit eo in loco (quanquam nihil minùs quàm Noëticum diluuium significasse, apertè demonstrauimus † libro octauo) certum est Platonem statim subdere illi multas alias

† vid. in dig. com. 8.

alias eluuiones ac clades antecessisse, quod ex Moyse ita falsum est quàm quod falsissimum. Pugnat *etiam ac mirificè quidem pugnat cum Moyse ingens ille annorum numerus, quorum monumenta a Saiticæ præfecturæ hominibus retulit asseruata.* Neque *enim rem adeò fabulosam aut excogitasset vnquam, aut etiam ab alijs excogitatam literis consignasset, si Moysem ita apertè Mundi originem ac temporum seriem narrantem audisset.* Nam *quod aliqui suspicantur annos illos de quibus meminit Plato lunares fuisse, aut menstruis confectos spatijs, inde falsum esse deprehenditur, quòd octo illa annorum millia, quorum memorias ab illis conseruatas scripsit, sexcentis circiter annis constitissent. At hoc pacto Solon, quippequi res longè vetustiores ex Græcorum monumentis repetebat, pueros appellare potuisset Aegyptios, qui sexcentorum annorum antiquitatibus gloriarentur: tantum abest ut Aegyptius ille Sacerdos Græcos hoc nomine iure insimulasset, dum diceret.* O Solon Solon vos Græci pueri semper estis: nullúsque inter vos reperitur senex. *Et rursus.* Apud vos quidem & alias gentes res gestæ nuper, litteris monumentísque traduntur. Sed certis temporum curriculis illuuies immissa cœlitùs omnia populatur. Ideóque qui succedunt, & litteris & musis orbati sunt. Quo fit vt quasi iuuenes iterum sitis & rudes, præteritarum rerum prorsus ignari. Nam & ea ipsa, quæ modò ex vestris historijs recensebas, a puerilibus fabulis Solon parum distant. *& huc etiam pertinet quod scribit † in libris de legibus hominum generationem uel nullum unquam initium habuisse, nec terminum habiturum: sed fuisse omnino semper ac fore: aut si cœpit, iam ab illius ortu immensam quandã temporis longitudinem præterijsse. Quid quod animos primùm per astra disseminatos facit* Plato: *tum uerò temporum interuallo ex ijsdem sedibus eos deturbat, atque ad humana hæc detrudit corpora, ac denique animum corpore antiquiorem esse pugnat? cum tamen Moyses disertè satis doceat humanos animos a Deo primùm corporibus ipsis inspiratos insertósque fuisse; ac corpus ante animum fuisse a Deo fictum ac procreatum. Atque huc pertinet quod indicat in Timæo, in Menexeno autem multis disserit, ac non paucis etiam confirmat in Critia: nam cum uideret uarias gentes de antiquitatis gloria decertare, séque certatim, ut Mundi ortum assumebant omnes, ac tanquam exploratum certúmque assumebant, contendere se primas ortas esse, ecce tibi* Plato *qui pugnauit in Attica regione primùm extitisse homines, indeque in cæteras regiones propagatos esse, ita ut ibi tantùm sint αὐτόχθονες & indigenæ: alibi incolæ & peregrini. Quod quãtopere contradicat Moysi nemo est qui non uideat. Huc pertinet etiam quod* Plato *astra facit animalia, eáque diuina: Moyses ab animalium ordine apertè satis (ut suo loco declarabimus) seiungit ea, tantum abest ut ullam diuinitatis partem impertiat illis.* Plato *hominẽ cõdit longè ante cæteras animantes, Moses post omnes.* Plato *suum illum Dimiurgum atque Vniuersitatis opificem a procreatione molitionéue humani corporis abstinere iubet: Moses Deum ipsum suis quasi manibus illum de limo terræ finxisse*

† l. 6. col pen.

memorat. Sed quoniam longum eßet percensere singula, ac quæ in ipsis veluti foribus Mosaicæ historiæ obseruauimus, satis ostendunt quod volumus; superest, vt ad ea veniamus quibus Eusebius atque alij multi permoti, videntur cõtrariam sententiam comprobasse. Qua in re, vt sentẽtiæ istius originem exploremus antea, reuocandæ sunt ad memoriam incensæ illæ disputationes, quas nascente Ecclesia aduersus Græcos pro Christianæ fidei defensione habuerunt maiores nostri. Etenim cum Ethnici ex altera parte sacrosanctis Christianorũ oraculis fidem haberent nullam: ex altera verò Homeri, Orphei, Trismegisti, Pythagoræ, Platonis, & huiusmodi aliorum decreta ac monumenta diuinis propè laudibus extollerent, ecce tibi Iustini, Clementes, Origenes, Minutij, Eusebij, aliíque complures, qui hinc fortissimum veluti arietem ad eorum superbiam expugnandam conflarunt. Is vero fuit eiusmodi: nam demonstrare conati sunt Græcos qui sibi omnium propè artium ac disciplinarum, Philosophiáeque inprimis inuentionẽ arrogarẽt, hæc ab Hebræis trãstulisse, ac fures potiùs fuisse quã inuentores. Quod argumentũ grauißimè & copiosissimè tractarunt multi: ita ut illud etiã liberatoris nostri, Quoquot uenerunt ante me, fures sunt & latrones huc uel maximè pertinere uellent. In qua sanè re multa præclarè ac sapienter. Tametsi dũ eò progrediũtur vt Platonẽ faciant Mosaicæ historiæ ac legis studiosũ, id verò mihi semper suspectũ fuit. Etenim si qui velint in Platonis libro de Vniuersitate varia decreta agnosci, in quibus cum Moyse consentit, hoc verissimum eße, & profiteor, & doceo. Quod si etiam addant aliqui, se ea ratione iudicasse Platonem Moysis lectione edoctum, quod multa primigeniæ illius veritatis decreta quæ complexus est Moyses, fuerint ad Platonem transmissa: idque per eos qui vel Mosẽ ipsum legerant; vel ab alijs qui illum legißent, exceperant aliqua; id etiam libentissimè concedam: ac fortasse hoc est quod sibi aliqui voluerũt. Quod si ipsos Moysis libros legisse velint, ac Mosaicas sententias lectione ipsa haustas ac delibatas in suos dialogos, maximè verò in Timæum, retulisse, id fateor mihi omnino suspectum esse: nam præterquam quod rationibus paulò ante allatis in contrariam sententiam adducor, argumenta ipsa, quæ ex Eusebio atque alijs attulimus, partim nihil planè efficiunt, ut ostendam, partim etiam nihil tandem euincunt, nisi quod nuper concedebam: nimirum Platonem in quibusdam consentire cum Mose, ac tum a Trismegisto qui Mosem legerat, tum ab Orpheo, Pythagora, atque huiusmodi alijs, ad quorum aures Mosaica facilè peruenerant, fuiße ad eum multa transmissa, quae antiquam illam veritatem præseferant. Sed iam propositis Eusebij aliorúmque argumentis respondeamus.

Ergo prima Eusebij ratio desumebatur inde, quòd dum Plato afferret eorum quæ sunt partitionem, statueretque immortalia semper & eodem modo esse, atque ortu carere: contra verò mortalia semper fieri, verè autem esse nunquam, sed occidere, atque haec rursus sensu comprehendi: ea verò ratione percipi; tum illud expreßerit Moysis dicentis ex Dei persona. Ego sum qui sum, sic dices filijs Israël. Qui est misit me

ad

Vt Eusebij atque aliorum qui in cõtraria opinione sunt, argumẽtis satisfiat, huius opinionis patefit origo.

† Io. c. 10.

Iam satisfit argumentis.

Ad Eusebiũ.

ad vos. *Tum illud Salomonis affirmantis.* Factum est quod fuit. faciendum quod factum est : neque nouum quidquam sub Sole. *Sed iam ostensum est has rerum mortalium & immortalium nominationes Trismegisto fuisse familiarissimas: immo hanc ipsam sententiam vna cum alijs multis quæ consequuntur, a Platone ex quinctodecimo Pimandri sermone ad Timæum eße relatam. De qua re proprio etiam loco constabit clariùs. Neque maiorem vim habent ea quibus Eusebius suadere conatur Deum singularem ex Moyse a Platone promulgatum esse. Nam, vt omittam Natura duce intelligi posse Deum esse singularem; tantum abest vt Plato Deum singularem eße prædicauerit, vt cùm reuera (quod paulò post etiam docebimus) vnum esse sentiret, id apertè omnino constantérque non sit ausus efferre. Quanquam non est negandum (id quod Eusebium decepit) a Platone tam Mundum illum exemplarem quem vocat, ac solo animo comprehensum; quàm aspectabilem hunc sensibúsque expositum, Deum fuisse appellatum: atque de vtroque hoc Deo* μοναδικὴν φύσιν, *siue vnitatem, vario tamen genere & natura contentam atque definitam, ab eo prædicari. Quare Eusebius haud sentiens vnitatem, quam tum de aspectabili hoc Deo, tum de exemplari promulgauit Plato, non eandem esse, quam Moses de summo Deo prædicauerat; ad hanc de Dei vnitate consensionem probandam ea Platonis attulit verba.* An igitur vnum cœlum esse dicemus, & Deum vnum, an multos, innumerabilésque dicere rectius erit? Vnum profectò siquidem ad exemplum creatum est. *quæ sanè verba non de summo Deo, sed de aspectabili* Mundo *proferuntur. Quòd autem Plato dum affirmaret Mundum fuisse a Deo conditum, rémque nefariam esse Mundum ipsum a Dei prouidentia haud procreatum existimare, expresserit illud Mosis dicentis,* In principio creauit Deus cœlum & terram, *nec assentio; nec quo pacto assentire possim, video. At Moyses (inquit Eusebius) eo maximè consilio, Deum pronunciauit eße Mundi authorem, quòd nefarium esse duceret arbitrari ab alio quàm a Deo diuináque prouidentia Mundum fuiße conditum. Sed neque id efficit quod ipse vult. Nam primò constat Deum à plurimis tum Poëtis tum Philosophis cœli ac totius Vniuersitatis authorem fuisse promulgatum, quos tamen ob id vnum Moysis Genesim legiße, ac de industria sequutos esse, affirmaret nemo. Deinde dixit quidem Plato in Timæo Mundum diuina prouidentia esse constitutum: nefas præterea esse efferre Mundi opificem in vulgus: nefas etiam eum qui est optimus res efficere nisi pulcherrimas; at nefas eße existimare a Dei prouidentia Mundum non fuisse conditum (id quod Eusebius conceptis verbis assumit) nequaquam affirmauit. Denique opinio de Mundi origine, quòd scilicet a Deo prodijßet, Moysis tempore fuerat a Maioribus quasi per manus tradita: cum Noë ad Abrahamum vsque eúmque iam sexagenarium fuißet superstes. Quare Deum eße totius Vniuersitatis opificem, ita Hebræis erat persuasum, vt mera expositione potiùs id illis proponendum eßet quod verè fecit Moyses; quàm vt oppositam sententiam tanquam nefariam, hoc quod Eusebius*

in

in Mose obseruauit, artificio, oporteret detestari. Quamobrem licet Timæus dixisset nefas esse existimare Mundum a Deo minimè conditum; cur tamen eum hac in re Moysi addictum faceret non habuit. Dum autem contendit Euebius Platonem *dicentem a Mente Solem, Lunam, & errantes stellas propter temporis ortum esse condita, atque in circulis collocata, Mosaicũ illud expreßiße,* Et dixit Deus fiant luminaria in firmamento cœli & stellæ, *profectò neque hæc ratio, si rem accuratè perpendamus; est vsque adeò verisimilis. Siquidem natura apud omnes gentes est comparatum, vt ex Solis, Lunaéque motibus variæ temporis partes notentur: atque ad earum similitudinem ac normam cætera temporis mensuræ a nobis conformentur. Quamobrem natura ipsa consequitur, vt qui Deum cœli, syderum, ac totius Vniuersitatis parentem fecerit, Solem ac Lunam eo potissimùm consilio fateatur eße constituta, vt temporis rationem habeamus. Et propterea apud Aratum vetustißimum Poëtam hoc ipsum legimus decantatum his versibus.*

Ille quidem cœlo defixit signa superno,
Partitis astris, stellísque prouidit in annum,
Quæ tempestates homines & signa docerent,
Vt fixa in terris essent certo ordine cuncta.

non igitur Platonem ex Moyse id vsurpaße potiùs quàm a Natura, commo níque etiam consensu atque vsu didiciße, & hausiße existimandum est. Ac præsertim quòd ibi Plato multa tum de tempore, tum de Sole ac Luna est persequutus, quæ Moyses omnino prætermisit. Adde hoc ipsum a Trismegisto, Orpheo, aliisque multis ante Platonem fuiße traditum: vt propterea longè probabilius sit ex istorũ potiùs, quibus veluti magistris vsus est, monumentis, quàm ipsa Mosis lectione hoc percepisse. Sed & dum asserit Plato, Si bonus est Mundus, & Creator bonus: *rursúsque.* Si mundus optimus, ille optima causarum, *non video cur Eusebius id totum ex Mosis historia prodijße velit, dum hic tum pro singularum rerum creatione earũ bonitatem proposuit: tum de omnibus tandem verba faciens, eas valde bonas fuiße subiecit. Nam illud primò certum est* Platonem *in hoc bonitatis dogmate exponendo per Mosis vestigia haud eße progressum: Moses enim mera expositione rerũ promulgauit bonitatẽ.* Plato *autẽ tũ ex simulachri tũ ex opificis probitate exemplarẽ causam cõprobauit: ac statim finẽ, quem bonum ipsum eße voluit, explicauit & statuit. Deinde quis egregiè de Mundi origine philosophari poterit, qui sibi aut opificis, aut rerum bonitatem, quasi obuiam prodeuntem aliqua ratione non obseruet & amplectatur? Certè apud Theologos nostros satis constat Natura duce cognosci Deum tum probitate excellere, tum in Vniuersitatis procreatione bonum pro fine sibi proposuiße. Atque hac de causa haec inter ea collocãt, quæ* Magistra *ac duce Natura siue humani ingenij lumine dignoscuntur. Vt propterea illos qui Platonem ideo suspiciunt, quòd cum causam inquireret, ob quam Deus molitus sit Vniuersum, tandem docuerit fuiße bonitatem, hac in parte nihil magnum attulisse putem. Quod verò vterque Dei vocem ad Vniuersitatis mo-*

vide Theod. in l. de mat. & Mundo.

litionem retulerit, haud sanè ostendit Platonem Moysis Genesim hac in re sibi imitandam proposuisse: nam in ijsdem tum vocis diuinae vsus, tum in loquendo consilium, tum denique eorum, quæ subsequuta sunt, varietas, Eusebij rationi refragatur. Moyses enim in singulis rebus condendis tam cœlestibus quàm inferioribus, Deum loquutum fuisse testatur. Plato autem semel tantùm: cum scilicet ad res terrenas atque caducas constituendas progrediendum foret. Moyses cum Deum loquutum esse narraret, res simul procreasse atque formaße docuit. Plato tunc planè Deum loquentem fecit, cum & ipse ab instituta creatione vacare decreuisset, et alijs quibusdam siue causis siue ministris cætera coagmentandi munus imponere. Ita vt dissensionem potiùs quàm consensum hoc in loco obseruare poßis. Adde Poëtas multos, Homerúmque in primis, Dei consilia ac decreta cum exprimerent, hunc sæpe loquentem introduxisse. Quare Plato cum ad disciplinas tradendas dialogo vteretur, quod scriptionis genus ob imitationem Poëticum redolet quasi morem, Poëtas potiùs imitatus videtur. Atque ex his Theodoreto etiam facile est respondere. Nam dum Platonem Moysi saepe consentientem facit, ac præ caeteris Philosophis quaedam veritatis lumina atque initia ex Moyse vult excepiße; hoc non improbamus; dummodo alia quauis ratione id factũ existimet, quàm quòd Moysem ipsum legerit, aut ex sacris planè fontibus hauserit. Quod si Eusebij argumentis, quem veluti testem producit, nostram opinionem conetur euertere; nos qui Eusebio respondimus, Theodoreto etiam satisfecimus. Iam verò ad Clementem deuenio; qui dum per montis fastigia ad quæ ascenderat Moses, intelligit contemplationem earum rerum quæ sola intelligentia percipiuntur: per caliginem autem in qua vidit Deum diuinam naturam, quæ ab homine neque percipi possit, neque efferri; equidem id acutè ab eo excogitatum non negarim: at quam verè, non satis video. Quis enim credat abstrusam hanc, quam hîc latêre sententiam voluit, & Platoni fuisse exploratam, & ab eodem verbis illis expressam, quibus affirmauit Mundi opificem inueniri difficiliter, efferri autem nullo modo posse? Nam vt omittam & ipsam hominis intelligentiam satis per seipsam experiri quanta quasi caligine Dei natura sit interclusa: & apud Mercuriũ, Orpheum, atque (vt vno verbo dicam) apud omnes sapientes illustriorem fuisse eam sententiam, qua Deum ob naturæ excellentiam animo comprehendi posse negarent, quàm vt Platoni ex Caligine illa intelligenda foret; Ego sanè libentiùs in hoc Platonis loco explicando † Iustino ac † Theodoreto, (vt interim omittam quæ ex † Nazianzeno atque alijs in Clementis opinionem afferri possent) assentior. Nam licet Plato intelligeret cogitatione Deum omnino comprehendi non poße, quoad tamen assequi poterat, longè aliter opinabatur, quàm Atheniensium religio profiteretur, quemadmodum cum alibi, tum Epistola quadam ad Dionysium significauit, vbi si quid seriò scriberet, Deum affirmabat a se præfigi epistolæ: si quid populariter, Deos. τῆς μὲν γὰρ σπουδαίας ἐπιστολῆς θεὸς ἀρχὴ, θεοὶ δὲ τῆς ἧττον. Nam cùm Socratem, quippe qui diceretur vnius Dei cultum introducere voluiße, aut aliter de Dijs sensiße quàm Athenienses præciperent, veneno interemissent.

Ad Theodoretum.

Ad Clementem.

† Ius. or. hor. ad gen.

† The. lib. de princ.

† Nazi. or. 2. de Theol. ad init.

vid. quæ fusiùs scripsimus in hac sententiã l. 3

emißent; Plato cum & ipse summum Deum singularem esse crederet, ac longè aliter sibi de eo persuaderet, quàm patria religione decerneretur; Socratis exemplo permotus, Areopagitásque veritus, quid de Deo sentiret haud facilè proferre audebat: & idcirco cum Deum Mundi authorem atque parentem fecißet: iámque illud superesset, vt quænam huius summi authoris natura esset, exponeret, affirmauit nec posse illum sine difficultate inueniri, nec in vulgus vllo modo efferri. Et idcirco etiam epistola secunda nō nisi per ænigmata de Deo sibi scribendum monebat. Vt si me audias, nequaquam sit verisimile Platonem montis illius fastigia intuentem, aut etiam caliginem illam spectantem apud Mosem, his velnti ænigmatibus res quæ solo animo percipiuntur, diuinámque naturam significari voluisse. In his verò quibus demonstrare conatur Clemens, Platonem Ideas ex Moyse desumpsiße, equidem illi aßentiri non possum. Etenim primò si (quod ipse † Clemens alicubi testatur) scriptum reliquit Pythagoreus Eurytus, Deum ad sui ipsius exēplum condidisse hominem, profectò fatendum est, Platonem etiam, si quid tale aut in Timæo, aut alibi scripserit, Pythagoreos potiùs, ex quibus tot ac tanta desumpsit, sequutum esse. Deinde dum Plato excelsam terram apud Moysem Abrahamo legit ostensam, ac die tertia eundem Abrahamum eminus inspexiße locum; quis terram quandam Idealem potiùs intelligat, quàm veram regionem, ac locum in montis vertice situm, quemadmodum exposita litteræ sententia persuadet? cùm præsertim ibi altare ab Abrahamo erectum, victimam mactatam, ac multa id genus alia gesta fuisse narrentur, quæ locum aut regionem illam mysticè, ac præsertim pro Ideis ab Ethnico accipi potuisse reclamant? Denique vbinam obseruauit Clemens Moysem de rerum creatione loquentem, lucem, Cœlum, ac terram proposuisse, quæ non oculis sed solo animo cernerentur? Nam vbi locus ille, Terra erat inanis & vacua, apud septuaginta interpretes legitur ἀόρατος, hoc est inaspecta-bilis & inuisibilis, certum est ibi terræ deformitatem & obscuritatem, quia scilicet luce careret, designari, non autem id pronunciari tanquam solo animo cerneretur: ac iuxta eam sententiam qua Deum ac res a materia solutas, non solùm Plato, verùm etiam † Apostolus ipse ἀοράτους seu inaspectabiles vocat. Et ideo statim ijdem Septuaginta vbi nos de eâdem terra legimus Vacua, habent ipsi ἀκατασκεύαστος, hoc est incomposita. Quod de terra, quæ Ideæ cuiusdam instar a materia eßet seiugata, ac sola cogitatione perciperetur, non potest intelligi: sed de ea solùm, quæ ob tenebras aspectum effugeret. Quamobrem vt innumeras fermè Patrum authoritates prætereā, quae hanc Clementis expositionem euertunt: ac multa alia taceam, quae ne locus ille hoc pacto a Platone exciperetur, impediunt, sat sit haec omnia ex Hebraica veritate intelligere: cuius verba quantumuis in eis torquendis sis audax, nihil minus significant, quàm quod Platonem intellexisse vult Clemens. Sic itaque habent hebraicae literae. Et terra erat תהו׃ ובהו׃ thohu, uauohu, quae verba nihil aliud significant nisi terram primò conditam fuiße inornatam ac deformem, quod ideo contingebat, quia nondum erat aut ab aquis distincta, aut in montes ac planicies distributa,

† lib. 6. Stromat.

† ad Tim. 1. ad Colos. 1. & alibi.

ta, ſimulque florum atque herbarum decore, plantarum varietate, cultura hominis, luce denique ipſa carebat: quæ tamen omnia paulò poſt eſt conſequuta. Et ideo non ſolùm Chaldaicis litteris hoc ipſum expreſſum legimus, quæ habent :: וְאַרְעָא הֲוָת עֲדִיָא וְרֵקָנְיָא & terra erat deſerta & vacua; verùm etiam Symachi & aliorum qui græcè hunc ipſum locum interpretati ſunt κένωμα ſiue ἀργόν, inanitatem inquam, ſeu ocioſam atque incultam reddentes. Vt apud Septuaginta, Clementis pace, illud ἀόρατος nihil planè aliud ſignificare poſſit. Dum verò ait Plato animum in terrenum tabernaculum à Deo introductum fuiſſe, neque id, ſi me audias, omnino reſpondet (vt exiſtimauit Clemens) Moyſi, dum animum diceret fuiße a Deo inſpiratum deſuper in faciem corporis, quod ex terra formauerat. Nam vt in præſentia oſtendere ſuperſedeam Platonis ſententiã paulò aliter afferri; quàm apud eũ legatur; immo humanos animos a iunioribus quibuſdam Dijs non autẽ a ſummo opifice in terrenũ tabernaculum fuiſſe traductos, quod Clementis rationem maximè vrget; Plato animum conſtitutum priùs voluit: tum verò corpus. At Moſes contra, priùs corpus, deinde animum. Moſes tum ex nulla planè materia effectum eſſe animum, tum eo tempore procreatum, cum ſimul in Adæ faciem eſt inſpiratus, ſiue in tabernaculum (vt Clementis vtar verbis) eſt introductus. At Plato animos, & ex reliquijs animæ Mundi coagmentatos, & iam multò ante corporis conſtitutionem per aſtra diſſeminatos eße voluit: atque inde temporis interuallo detruſos in hæc corpora: idque tanquam ad carcerem, atque ad luendas anteactae vitæ ſcelera: quod cum Moyſe non conſentit. Plato corpus non a ſummo rerum opifice Deo, ſed a iunioribus illis Dijs, idque ex omnium elementorum coagmentatione voluit inſtitutum. Moſes עָפָר. haphar, ex puluere, ſeu quòd puluis fueris cum aqua admiſtus, ex limo terræ: neque ab alio quàm ab ipſos Deo narrauit fictum & conſtitutum. Nam quod Hebræi quidam (falsò tamen ut alibi oſtendimus) opinantur, ac Philo præſertim contendit, Deum vſum eße Angelis, in humano corpore formando, cum diceret, Faciamus, id ſanè non eſt veriſimile (quicquid exiſtiment aliqui) hic fuiße expreßum, dum iuniores illos Deos alloqueretur. Nam Plato cenſuit ab his iunioribus Dijs res mortales eſſe conditas: eáſque nulla ſummi opificis opera, quòd mortalia condere recuſaret. At Moſes contra tot tantarúmque rerum planè mortalium procreationi neminem vnquam præter Deum adhibuit: nec ab vlla re mortali procreanda illum abſtinere voluit. Denique quod rem maximè continet, cum Trimegiſtus ac Locrus hac planè ratione animum corpore concluſum faciant: ac caetera quae apud Platonem hac in re obſeruauit Clemens, explicatè ſatis exponant: immo (quod ſupra docuimus) Plato dum traderet hominis procreationem, integra ex illis dogmata ac ſententias tranſtulerit ad Timaeum, profectò cur hac in re Clementi aſſentiar non habeo. Idque ipſum poſtremò de prima materia exiſtimo. Nam cum Locrus quoque materiam qualitatibus

experiem, necessitateque conclusam fecerit, atque huius generis alia de ea pronunciarit quæ reperiuntur apud Platonem, quis obsecro hæc ex illo Mosis, Terra erat inuisibilis & incomposita, potiùs quàm ex Locro, hoc est ex exemplari ipso fluxiße velit? Et quãuis non facilè negarim ea, quæ Orpheus atque vetustiores illi de Chaos cecinerunt, aliqua ratione deriuaße ex hoc Mosis loco, cuius sententiam ij non commodè assequuti erant, quæ tamen ita articulatim de materia prima disseruit Plato, & ab ipso Chaos differre, & ex Locro planè desumpta eße, (si loca diligenter conferantur) dubitari non potest.

Ad B. Iustinũ.

Esto autem (vt B. Iustino respondeam) Deus a Platone singularis fuerit iudicatus, etsi Areopagitas veritus, & Socratis, addo etiam Democriti aliorúmque multorum permotus exemplo, non nisi occultis rationibus ac dissimulanter suam pronunciauit opinionem: quod etiam in Dæmonum natura explicanda illi contigisse etiam monuimus, & opportuniore loco ostendemus. Verùm cur hanc de singulari Deo sententiam ex Moyse potiùs, quàm ex Socrate, Locro, Mercurio, ac Natura ipsa hauserit, non video. Nisi tamen Homerum etiam & Aristotelem, vt alios multos prætercam, ex Mose quoque id didicisse affirmemus, dum verbis illis Deum vnum tantùm eße decernunt. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος, Multos principes esse bonum non est. Vnus ergo princeps. Dum verò addit Platonem, quippe qui Moysi hæreret, feciße Deum ποιητὴν, hoc est factorem, non autem δημιουργὸν, hoc est opificem: quia scilicet non ex materia sicut cæteri artifices, operatus est; equidem nullo modo assentiri poßum, tum quia molitor Mundi Deus, frequenter in Timæo δημιουργὸς dicitur, ac promiscuè ποιητὴς, δημιουργὸς, τεκταινόμενος appellatur: tum quia ex subiecta materia voluit condidisse Mundum: vt legenti facillimè constare potest. Quod si Deos quos ortos fecerat, interituros negauit; cum tamen omnem generatam naturam dissolubilem prædicasset; id sanè illi (vt ego opinor) non propter religionem contigit, aut Areopagitarum metu: tunc enim non de Dijs præcipuè loquebatur, quos Athenienses præcipuè venerabantur (vt suo loco explicabitur) sed de astris in vniuersùm, ac de Mundo ipso, quæ omnia quadam diuinitate donarat. At verò vbi apud Platonem legitur παλαιὸς λόγος, hoc est, Antiquus sermo, nõ est existimandum Moysem hac ratione a Platone fuisse indicatum: nam vt omittam quod † Iosephus recitat libro xij. antiquitatum, & † Eusebius in commentarijs de præparatione, ideo veteres Poëtas atque historicos a diuinorum librorum tractatione & vsu abstinuisse, quòd multi, qui id temerè ausi essent, diuinitùs percussi dicerentur, (quanquam an verè id dicatur, & quàm secum ipse consentiat Eusebius qui diuinorum librorum mysteria in Platone sparsa esse tradit tam fusa disputatione, non disputo in præsentia) id sanè inde primùm intelligitur quòd Plato (vt eum diligenter legenti, præsertim in Menexeno, Cratylo, decimo de legibus, & alibi obseruare licet) per veteres aut veterum sermones, intelligit suæ gentis maiores, eorundémque monumenta: aut eos certè, qui non magna generis differentia a Græcis distabant. Cæteros verò aut generali.

† li. 12. ant. cap. 2.

† Eus. l. 8. de præp. c. 1.

uerali quodam nomine barbaros, aut etiam propria cuiusque gentis appellatione nuncupauit. Deinde illæ loquendi formulæ κατὰ παλαιὸν λόγον, καθάπερ οἱ θεόθεν ἡμῶν ἔλεγον, atque aliæ huiusmodi, promiscuè (ni fallor) solent a Platone vsurpari. At in Timæo cum de Dæmonibus ex antiquorum sententia (vt ipsemet ait) loqueretur, ex antiquis illis Theologis Hesiodo & Orpheo, seu (vt cum Proclo loquar) ex Orphicis genealogijs Dæmonũ ortũ tradit. Quare ex Terra & Cælo Oceanum & Thetyn natos affirmauit: ex his Phorcyn, Saturnum & Rheam; atque ita cæteros illos Ethnicorum Dæmones recensuit, quos ne somniare quidem potuit apud Mosem. Atque hoc ipsum in Philebo etiam cernitur: vbi cum eorundem veterum decretis vteretur de quibus dixerat. οἱ παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες. Antiqui meliores nobis fuerunt & propiùs Dijs ætate accesserunt; ex ijs quædam de Vnitate, termino, et infinito protulit, quæ in Moyse ne fingere quidẽ audeas. Sed eũdem Platonem audiamus IV. de legibus: vbi cum de Deo loqueretur, ipse (inquit) vt habet παλαιὸς λόγος, initium, finem, medietatémque omnium rerum continet: rectáque peragit secundum naturam circuẽs. At hic per παλαιὸν λόγον sine dubio intelligit Orpheum qui ea cecinerat his carminibus.

> Ζεὺς πρῶτος γένετο. Ζεὺς ὕστατος ἀργικέραυνος·
> Ζεὺς κεφαλὴ, Ζεὺς μέσσα. Διὸς δ' ἐκτέτυκται.

Quid plura? Eædem formulæ dicendi non rarò apud Aristotelem inueniũtur, qui in medium profert quorundam dogmata, quos † παμπαλαίους ἀρχαίους, † θεολόγους, ac denique † πρώτους θεολογήσαντας, antiquissimos, inquam, priscos, theologos, ac primos Theologos: nec tamen ad Mosem nos hac loquendi ratione reuocari, quispiam, vt arbitror, affirmaret: ac si affirmaret, ab eodem Aristotele redargueretur statim: qui † ijsdẽ fermè in locis satis declarat se Hesiodum intelligere, Orpheum, Pherecydem, Magos, & horum similes. Vt hinc etiã conijcere liceat Platonẽ eorum nomine, quos Deo charos esse dixit, non Moysem & Prophetas, sed alios intelligere: quod & nos adhuc in Timæo fusiùs explicabimus. Quod autem pertinet ad Ideas, quas Platonem ex diuinis litteris retulisse iudicat B. Iustinus, ego sanè non possum non magnopere dissentire: cum a Trismegisto, & Pythagoricis, & præsertim a Locro in Mundi molitione passim ac splendidissimis verbis vsurpatae fuerint. Ac primùm vt sigillatim huius dubitationis capitibus satisfaciam, tabernaculum quod Deus in monte ostendit Moysi, vt ad illius exemplum aliud effingeret, non est verisimile Platoni ad Ideas rerum naturalium excogitandas occasionẽ dedisse, cùm Ideas ipsas vulgatas in Locro, atque alijs animaduerteret: cũ præsertim apud Mosem ex rebus quae arte viderẽtur elaboratae, ad naturales fuissent transferendae: apud Locrũ in rebus ipsis naturalibus, Mundique molitione iam vsurpatae inuenirentur. Dum verò ait terram, quae Genesis exordio creata dicitur, visam esse Platoni terram hanc aspectabilem: eam verò quae statim ἀόρατος, siue aspectum fugiens, atque inuisibilis appellatur, ab eo in Ideae siue exempli loco fuisse habitam, iam satis (vt opinor) hunc locum paulò supra explicauimus. Quod verò addit tertio loco Moysis firmamẽ-

† lib. 1. met. c. 3.
† lib. 2. met. ad init.
† l. 2. met. c. 4. & al.
† lib. 1. met. c. 3.
† uide l. 2. met. c. 4. ci. l. 12. c. 6. & al.

tum pro cœlo corporeo a Platone excipi: contra verò cœlum quod Propheta cœlum cœli appellat, Ideam siue cœlum iudicari, quod sola intelligentia percipitur, non libenter probarim. Ac primùm optaßem quidem vt potiùs ex cœli nomine, quàm ex firmamento aspectabile cœlum statuisset apud Mosem. Ita enim hoc non potuißet in controuersiam reuocari: cum tamen contra firmamenti vox magnam dubitationem habeat. Immo ex Hebraica veritate quæ habet רקיע *rachia, ac dilatationem (ut ita dicã) seu extensionem significat, videtur intelligendum spatium, quod aut inter cœlũ & terram intercedit: aut supra terram non modò aspectui, sed Soli ipsi patet, quocunque etiam corpore repleatur: sic enim & aues in firmamento volare, & astra in eodem collocata dicuntur. Quanquam cum deinde* רקיע *seu firmamentũ Cœli nomine appelletur a Mose, ac Plato cœli nomen non solùm cœlestibus corporibus, verùm etiã interdũ Mundo vniuerso tribuat, cõcedamus in præsentia B. Iustino firmamenti nomẽ Platoni cœlũ hoc corporatũ, ac sensibus expositum significasse. Verùm quis nisi aegrè concedat unquam cœlum cœli, de quo Regius Vates loquitur, cœli huius corporei eße Ideam? Aut quis non libentiùs fateatur longè probabilius eße Platonem, si tamen eum locum verè legißet aliquando, accepiße hoc cœlum cœli pro octauo ipsius cœli globo, quem reliquos omnes complecti atque arcere censuit? cum præsertim dum cœlum cœli Domino datum caneret ibi sanctissimus vates, ipse quoque Plato in extima cœli parte Deos commorari sæpissimè in Phædone & alibi affirmaßet? Denique (vt postremæ huius rationis parti respondeam) non dubito hominis nomine, quem de limo terræ formatum memorat Moses, terrenum hunc hominem atque corporeum intelligendum eße: sed illum, de quo priore capite mentionem fecit, Ideam quandam hominis Platoni uisam eße, mihi certè persuaderi non potest. De eodem enim homine corporeo Mosem vtrobique loqui, atque posteriore in loco illius procreationem repetere, quòd eiusdem statum, domicilium, peccatum, uitam, posteritatem denique ipsam cæteris rebus omissis narrare aggrediebatur, clarius mihi videtur, quàm vt ad Ideam illam commentandam Ethnico potuerit argumentum præbere. Demum quod proxima ratione contendit, ideo Platonem voluiße tempus ortum esse simul cũ cœlo, quoniã apud Mosem obseruarat statim postcœlũ conditum primam diem, quæ & ipsa tempus est, fluxisse; equidem vt me paucis expediam, cum tempus ex cœlo præcipue pendeat, atque ex eiusdem motu notetur: idque Natura ipsa cunctos doceat, quibus & cernendi & intelligendi vis in est, vt ipsemet Plato satis declarat in Timæo, ac Locrus quoque ipse scriptum reliquerat, non facilè auderem tam longè huius rei originem repetere. Postremò, quod tum de Crucis mysterio tum de Trinitate una cum Athenagora obseruat, id verò (ne inutiliter repetere cogamur) quam vim habeat ibi † ostendemus, vbi disputabimus de Platonis Deo. Interim sat sit ea non de filio Dei proferri, sed de Mundi anima cuius vim atque naturam, dum toto Mundo fusam eße decernit; non cum Mose explicat, sed Pythagoricis numeris atque figuris conflat atque componit.*

† *Vide lib. 2. decadis 2.*

Nunc.

Nunc ad B. Augustinum deuenio : cuius admirabilem pietatem, ac diuinum propè ingenium doctrinámque ita suspicere soleo, vt dum hîc, nescio quo pacto, dißentire ab eo cogor, non possim non molestissimè ferre, quanquam cum ipsemet multa se ex opinione aliorum, ac dispu:ando etiam & inquirendo protulisse testetur, minus grauatè ferendum erit : idque ea præsertim de causa, quòd nos quippequi Trismegistum atque huiusmodi alios Mosis quasi interpretes fuiße Platoni, libenter concedimus : ab Augustini sententia uix ac ne uix quidem fortasse absumus. Ergo dum refert ex Platone Deum primò creasse seu iunxisse ignem ac terram ; præterquam quod ignem a Platone cœli nomine vsurpari non vsque adeò verisimile alicui videri poßet, quod tamen B. Augustinus Græcum aliquem (ni fallor : nam apud † Theodoretum etiam hoc scriptum reperias) sequutus tradidit ; id sanè cum Platonis oeconomia atque sensu non facilè consentit. Nam de cœli constitutione iam multò antea, & copiosißimè quidem disputauerat. In eo autem loco quem refert Augustinus, de elementorum constitutione ac positione loquebatur. Atque ob id dicebat. Quoniam verò corporeus (*Mundum verò intelligebat*) spectabilísque & tractabilis erat futurus : ac sine igne videri nihil potest : nihilque sine solido tangi : & solidum absque terra nihil: ideo in operis huius exordio *Deus ignem* primò terrámque creauit. *Hæc Plato. Qui protinus de constitutione cæterorum quoque elementorum egit. Ita vt ignem cœli nomine hic accipere, aut cœlum terræ iunctum fuisse (sic enim illud* συνιστάναι, πεποίει, *quod Cicero vertit composuiße, legerat Augustinus) affirmare non audeam. At uerò dum scripsit Platonem, quippe qui inter ignem ac terram aërem collocauerat, aëris nomine spiritum illum significasse, de quo Moyses dixerat, &* Spiritus domini ferebatur super aquas, *profecto hic spiritus pro spiritu sancto potius, quā pro aëre accipiendus videtur Quare apud Hebræos in* בְּרֵאשִׁית רַבָּה *hoc est in magna Genesi dicitur spiritus Messiae. Trismegistus etiā qui eundem spiritū super aquas induxit, vocat eū* πνεῦμα νοερόν, *spiritum intelligentem. Denique sanctissimi viri Basilius, Ambrosius, atque (vt vno verbo dicam) omnes ferè Ecclesiae patres, tam Latini quàm Graeci, idque ne ipso quidem Augustino dissentiente ; Spiritum sanctum intelligi volunt. Vt propterea Ecclesia in benedictione fontis de eo tanquam de Spiritu sancto loquatur. Optimè enim spiritus Domini, a quo etiam Iob cœlos dicit ornatos, Sapientia orbem terrarum repletum, & cui denique sanctißimus vates creationis munus tribuit, & ab ore domini prodire canit, idem Domini spiritus videtur de quo Moses loquutus est. Quod si dicas, non animaduertisse Platonem ibi de spiritu sancto sermonem haberi : & ideo pro corporeo spiritu illum accepiße : quod † Hebraei multi † Tertulliano, † Theodoreto, atque aliјs quibusdam minimè dissentientibus fecerunt, neque hoc valde refert : nam primò non videtur verisimile, spiritum hunc qui domini diceretur, pro aëre a Platone vsurpari potuisse. Deinde esto in aëris loco fuerit:*

ab illo

Ad B. Augustinum: quanquā ab eius sententia nihil propè discedimus, dū saltē per Trismegistum Mosaica cognouisse fatemur.

† Theo. in qq. super Genes.

Bas. & Ambr. in hunc locum. Hier. in qq. Heb. Diod. Tars. Ruper. & alij alibi August. 11. de ciuit. D. ca. 32.

Iob. cap. 26.

Sap. cap. 1.

Dau. ps. 103 & 32.

† Hebraei, ut Auen Esdra hic, & alij.

† Tert. lib. con. Herm.

† Theod. in Gen.

ab illo acceptus; quid præterea? Num asseremus hunc ob id Moysis locum fuisse a Platone expreßum, quòd de aëris constitutione atque ordine mentionem fecerit? minimè verò. Nam cum de Vniuersitate disputaret, necesse fuit agere de singulorum elementorum natura: atque hac de causa in aëris atque aquæ sermonem non potuit non incidere, déque elementorum situ ac proportione non disputare. Huc accedit, quòd Moses dixit spiritum illum agitasse, vel certè fouisse aquas (id enim Mosi significat hic vox illa מְרַחֶפֶת *merachepheth, quam noster interpres vertit* ferebatur) *quia scilicet cum Deus Naturam tunc institueret, aquas ineffabili quadam ratione confouebat, vt naturalem illis vim atque efficacitatem tribueret ea generandi, quæ mox ab illis debebant permanare. At Plato de aëre loquens, tum hunc, tum aquam inter cælum & terram mediũ locum obtinuiße contendit. Ita vt Platonem longè aliò spectare constet, quàm vt voluerit Mosaycũ illud exprimere. Quod autẽ Hebraica illa uox* מְרַחֶפֶת *merachephet, fouere significet & incubare, non inde solùm constat, quod & magna Rabbinorum pars ita sentit, & vox* רָחַף *rachaph, vnde prior formata est, significat confouere, vt ex Hebraica veritate patere omnibus potest, verùm etiam quia inter Græcos Diodorus & Basilius hanc expositionem probant qua spiritus aquas fouisse dicitur, atque Hebræorum esse fatentur. Immo verò B. Hieronymus, qui hoc in loco vertebat,* ferebatur, *Septuaginta facilè sequutus, qui & ipsi* ἐπιφέρετο *interpretati sunt, tãdẽ in quæstionibus Hebraicis in hanc Hebræorum sententiam discessit. Quod si alteram expositionem sequaris, quæ spiritus domini aquas agitasse dicitur, (sic enim præter similia quædam scripturæ loca suadet editio Chaldaica, quæ habet.*

וְרוּחָא דַיְיָ מְנַשְּׁבָא עַל אַפֵּי מַיָּא׃

Et spiritus Dei flabat super faciem aquarum.

Atque huc commodè referri potest tum Septuaginta ipsorum vox, ἐπιφέρετο, *quasi spiritus ille non nisi agitando ferretur super aquas, tum verbũ ipsum paulò ante propositum* רָחַף *rachaph: nam cum interdum in diuinis literis significet* se mouere *optimè vox altera* מְרַחֶפֶת *significare potuit spiritum se super aquas mouisse: ac proinde eas agitasse) consimili planè ratione ostenditur longè aliò spectasse Platonem, qui aërem non agitasse aquam, sed medium locum inter aquam & ignem obtinuiße tradit.*

Ad Vyelmũ

At dices cum Vyelmo. Si spiritus ille Mosis (quod facilè concedis) est Spiritus sanctus; certè de hoc mentionem fecit, vt Dei amorẽ ac bonitatẽ ostenderet. Quare Plato dum aßerit Deum bonitate ductum ex rudi illa ac temerè agitata elementorum mole omnia constituisse, Mosaycum illud expressit Spiritus domini ferebatur super aquas. *Acutè quidem, sed quàm verè, iam videbimus. Nam primùm Domini spiritum sic accipio pro Spiritu sancto, vel (vt Chrysostomus facit) pro singulari quadam, ac planè*

diuina

diuina vi & efficacia; vt uelim Deum, quippe qui naturam instituebat, aquis, immo terræ etiam, quæ aquis obruta erat & admixta, impressisse naturalem uim, vnde statim ac reliquo etiam tempore animalia, ac cætera omnia gignerentur ac præstarentur, propter quæ ab authore illa suo condebantur. At tu ad Dei amorem ac bonitatem promulgandam id effectum statuens, iam aliò transfers sententiam: atque ea elicis quæ tibi, si velis a Moyse hoc in loco spectari, comprobanda essent. Deinde si Plato consensit cum Moyse, dum Dei bonitatem pro Mundi causa statueret, adhuc tamen ostendendum esset Platonem ex Moyse id desumpsisse. Nã (ut paulò ante Eusebio opponebam) quis est qui sentiat Deum probitate excellere, qui si Deum Mundi authorem faciat, non eâdem bonitate ductũ esse arbitretur ad illum moliendum? Adde bonitatis dogma illustrius esse apud Locrum, Orpheum atque alios multos, quàm ut credi possit Ethnicũ hominem a Moyse, & præsertim ex hoc loco illud transtulisse. Itaque potiùs confugere debuisset Vyelmus, si tamen optasset aliqua veritatis specie suam opinionem quasi aspergere, ad animam, quam Plato per Mundũ uniuersum peruadere, eundémque coërcere dixit: aut saltem ad Mentem illam, quam Plato Mundi procreationi præfecit. Nam procreatricẽ hanc Platonis Mentem aliqua ratione Spiritui sancto respondere † Nazianzenus inter alios tradidit: quanquam Platonem ex Moyse transtulisse illã nõ affirmauit. Animam quoque Mundi (ut alibi † dicam) qui eodem modo cũ Spiritu sancto contulerint, non defuerunt.

† Naz. or. 5 de Theol.
† l. 2. Dec. 2

Ad Ficinum.

Dum uerò hanc opinionem ea ratione confirmat Ficinus, quòd Deus tũ ex Mose, tum ex Platone bonitate ductus condiderit Vniuersum; iam ex ijs, quibus Eusebio atque Vyelmo satisfacere contendimus, patere responsio potest. Aut enim Natura duce Dei bonitatem inter Mundi causas retulit, aut ex Mercurio, Locro, atque alijs, quos sequutum esse docuimus, id totum excepit. Quod uerò tradit Ficinus, cum apud Moysem, tum apud Platonem legi Deum ab exordio Terra, Cœlóque condito, aëreo spiritu aquas circumfudisse; haud sanè efficit, quod opinatur. Primùm etenim (sicut luculenter paulò ante ostendimus) longè differunt spiritus ille quẽ Moses aquas siue agitasse, siue fouisse scribit, atque aër quem Plato medium inter ignem & aquam affirmat constitutum. Deinde quis possit Ficino assentiri, dum ait Mosem ac Platonem eodem planè ordine post cœli, terraéque molitionem ad aëris constitutionem deueniße, cum Moses breuissimis quidem uerbis cœli ac terræ procreatione, eiusdémque terræ statu propositis statim de hoc spiritu meminerit: Plato autem non antea ad aëris constitutionem descenderit, quàm prolixa oratione multa ac uaria de eâdem Vniuersitate disputauerit? Denique uterque Mundi tradebat ortũ, utrique igitur de cœlo atque elementis tanquam de præcipuis Mundi partibus primò erat agendum. Quis igitur miretur si utrunque de aëris procreatione meminisse inuenerit, ubi uterque de cœli ac terræ constitutione egisset? Quanquam (si me audias) neque est concedendum uerè spi-

ritus nomine potuisse ibi aërem a Moyse significari, ac proinde a Platone eodem nomine intelligi. Nam רוח ruach, (sic enim est Hebraicè, vbi spiritum vertit interpres) etsi quam plurimas quidem habet significationes in diuinis literis, ac præcipuè accipitur pro corporeo spiritu, propriè tamen non verum aërem significat, quíque veri elementi nomen meretur, sed mixtum, atque ex exhalatione ortum: cuiusmodi est ventus. Moses enim aëris orbem, seu potiùs immensum hoc supra terram spatium in quem non modò aspectus ferri, sed Sol ipse permeare potest, non רוח sed רקיע rachia nominauit: & ideò dixit aues volare super faciem רקיע & stellas in רקיע esse collocatas, nunquam verò aues dixit volare in רוח. Quamobrem si halitus & aër quem spiramus, רוח aliquãdo appellatur in diuina scriptura, id (ni valde quidem fallor) effectum est potiùs, quia est instar venti, quàm quòd meri aëris aut naturam retineret: aut ratio (vt ita dicam) illi conueniret. Nam quod Rabbi Dauid illud † Iobi. Coarctauit me רוח ruach uteri mei, & alterum eiusdem † Iobi, & רוח non ingreditur inter eas, exponit de aëre, id fecit, vel aërem pro uẽto sumens, vel certè deceptus est: nam præterquam quod in loca illa (ut consideranti patêre satis potest) optimè quadrat, fauent etiam nobis Septuaginta interpretes, qui vbique τὸ πνεῦμα verterunt, & B. Hieronymus qui illis hærens priore in loco spiritum, in posteriore spiraculum legit. Quare ipsemet Rabbi Dauid (quod ipsum apertè coarguit) cum aërem ibi intelligi vellet, aërem ea voce expressit (אוחר auher enim dixit significare) quæ in diuinis literis nunquam inuenitur: sed est Rabbinorum propria. Ergo dũ Moses hoc in loco dicit רוח, spiritum inquam, agitasse aquas, non potuit significare aërem qui est elementum: ac proinde Plato dum loquitur de aëre, quem in elementi loco habuit, longè a Mosaicæ sententiæ significatione abest. Neque uerò dubium est Platonis sententiæ nullo modo aduersari cœlum atque astra tandiu permansura, quandiu diuinæ placuerit uoluntati; apertè enim testatus est, ea ex sui natura esse dissolubilia: voluntate autem diuina forè, vt perpetuò conseruentur. Verùm ubinam apud Mosem id legit Ficinus, qui rem hanc apud eum perspicuam esse affirmat? Immo uerò Plato existimauit non modò cœlestia corpora, uerùm etiam eorum opera & effectus, cuiusmodi est motus, tempus, & huiusmodi alia, nunquam interitura: cum tamen Christiana ueritas constanter doceat si non ipsi coelo, at certè eius conuersionibus ac tempori certos ac definitos terminos impendêre. Denique dum asserit Platonem affirmasse Deum sibi adeò similem fecisse hominem, ut unicum sui cultorem rerúmque terrenarum dominum eum in terris collocauerit; profectò diuinissimum mysterium, nec omnino fortasse sentiens, profudit hîc Ficinus. Verè enim ut alibi ostendemus, Dei imago ac similitudo, ad quam homo dicitur conditus, potissimùm in dominatu atque imperio posita est, quod in cæteras corporatas creaturas accepit homo. Verè

† cap. 32.

† cap. 41.

etiam Platonis Deus dum de condendo homine cum iunioribus illis Dijs loqueretur, dixit hominem non solùm futurum fuisse eum, qui diuino cultui deditus esset, uerùm etiam qui principatum inter cætera animantia cõsequeretur, idque his uerbis. Atque eius quidem animalis, quod tale futurum est, vt cũ immortalibus appellatione conueniat, diuinúmque vocetur, principatúmque teneat, & iustitiam simul ac vos vltro colat; ego vobis semen & initium tradam. *Et rursus paulò post.* Satis autem & quasi sparsis animis per singula singulis conuenientia tẽporum instrumenta fore, vt animal nasceretur, quod omnium animalium maximè esset diuino cultui deditum. *Verùm hæc aut ex Moyse sũpsisse Platonẽ, aut etiam Moysi ualde consentire (si me audias) nũquã concedes. Primùm quidẽ quia dũ ait Ficinus Platonẽ affirmasse Deum sibi adeò similem fecisse hominẽ, ut eũ sui cultorẽ, & rerũ mortaliũ dominũ faceret, priorẽ huius effati partẽ, quæ totũ Ficini argumentũ sustentat, nunquã in Platone inuenies: nam scribit quidem Plato, & rerũ mortaliũ dominum, & Dei cultorem fuisse constitutum: at has ob causas Dei similem esse, quod eum cum Moyse consentientem maximè uidebatur efficere, ne indicauit quidem. Deinde dum Plato simul cum hominis imperio eiusdem hominis cultum erga iuniores illos Deos prædicit, an hoc etiam ex Moyse fluxisse dicemus? Minimè uerò: nam ex Moyse contrarium planè didicisset, cum disertissimis uerbis † prohibeat Israëlitis ne Solem, Lunam, ac reliquam militiam cœli colant. Hi enim iuniores Dij, ut hoc eodem in loco ipsemet Plato explicat, Dij præsertim sunt qui cœlo uoluuntur oculis nostris manifesti, astra uidelicet: quibus Aegyptiorum siue opinionem siue errorem sequutus, animum, & (quod deterius est) diuinitatem tribuit. Quamobrem cum Moyses Hebræis prohibuisset hunc cultum, præcipuè uerò quod eos in Aegypto natos, atque in Aegyptiorum idololatriã aliquando lapsos uiderat, Plato (nisi aliunde nobiscum coniungi possit, atque ad meliorem sententiam reuocari) a Moyse quamlongissimè recessit. Quid plura? Trismegistus uir quidem inter Ethnicos insignis, sed Etnicus tamẽ, hæc ferè ipsa, quæ ex Platone de homine attulimus, frequenter inculcat: præsertim uerò (quod rem maximè continet) ipsum affirmat, tum ad rerũ diuinarum atque adeò ipsius Mundi Deíque contemplationem effictũ ac procreatum esse, tum ad imperandum ijs omnibus quæ continentur sub cœlo. Quamobrem in hoc Platonis dicto id unum reperitur, quod cum Mose consentiat: nempe hominem esse rerum terrenarum dominum: quod præter Mercurium, M. Tullius etiam atque alij Ethnici multi affirmarunt, qui tamen, uno fortasse Mercurio excepto, Moysem legerunt nunquam. Quãobrem Basilius, Nyssenus alijque nonnulli sic tractant locum istum, quo homo harum rerum efficitur dominus, ut naturalibus rationibus rẽ totam euincant. Vt propterea mirandum sit Aristotelem (Epicurus enim cæterique huiusmodi Philosophi non est cur nos ualde commoueant) uix quidem homini nisi rerum artificiosarum dominatum (sic enim Simplicius ac plerique alij docent) penitus † adiudicasse: quando nos quodãmodo earũ*

† Ex.c. 20. Deu. 17. & al.

Poem ser. 3. & 4.

Basi. in Hex. sæpè. Nysse. l.1.phil.c.4.

† 2.ph.t.24.

contendit esse finem. Sed de hoc (quoniam quæstio est nobilis ac Timaei propria) suo loco disseremus. Nunc sat sit potuisse Platonem homini rerum terrenarum dominatum concedere, nec tamen ex Mosaicis libris id vsurpasse.

Ad Steuchũ.

Ad Steuchum verò, etsi iam exposui quo consilio ea protulerit; idque vel eius testimonijs confirmarim; si quis tamen pertinaciter eius rationibus vti velit, sic respondendum putarim. Ac primò dum aßerit Platonem cũ affirmaret Vniuersitatis parentem difficiliter inueniri posse: ac si inueniatur, nefas esse in vulgus illum efferre, Moysem fuisse sequutum, qui de Mundi creatione dißerens, eâdem de causa nihil planè de Deo efferre ausus est, profectò esset primùm ostendendum ea cogitatione atque consilio Moysem voluisse de Deo disputare. Deinde probandum quoque esset hoc Mosis consiliũ fuisse Platoni perspectum. Denique cum apud Trismegistrum, cuius sectatorem demonstrauimus fuiße Platonem, perspicuis verbis hoc ipsum effatum reperiatur, quo Deum inuenire difficile, efferre autem nefas indicatur; nescio cur id eam ob causam ex Moyse fluxiße coniectet, quòd de Deo non disputarit. Dum verò addit Steuchus vtrunque Vniuersitatis parentem fecisse Deũ: Solem præterea conditum fuisse, vt euidens esset caeterorum luminum mensura; Lunam etiam simili quadam ratione procreatam: ac temporis partes, tempúsque ipsum, ac circuitus cœli fuisse à Deo vnà cum Mundo constitutos, satis quidem ijs factũ existimo, dum in eandem ferè sententiã aduersus Eusebium disputauimus. At dum contendit Deum ex Platone creasse animum ex diuiniore substantia, quam ταὐτὸ, hoc est indiuiduam, sempérque eandem appellant; eandémque creatam alteri naturæ, corporeae scilicet, tradidisse: Mosaicúmque illud expressisse, quo Adae spiritum tum a Deo procreatum, tum ab eodem in corpus insertum voluit, decipitur profectò: primùm quia Plato animos ex subiecta materia conditos dixit: ex substantia inquam diuidua & indiuidua, vt suo loco docebimus: Moses verò nihil tale pronunciauit unquam. Deinde Moses fecit Deum corporis etiam opificem: Plato nõ a Deo, sed a iunioribus Dijs affirmauit constitutum. Plato animum antiquiorem iudicauit corpore, atque in hoc ob peccata tanquam in carcerem fuiße detrusum. Moyses corpus primò conditum docet; animum postea in illud insertũ atque spiratum. Denique tantam in animi atque hominis ipsius constitutione dissensionem reperias inter ipsos, vt ab ijs qui Platonem Moysi addictum faciunt, omnino dissentias necesse sit. Haec ad Steuchum. Nam reliqua quae ab ipso aliunde, quàm ex Timæo desumpta sunt, partim nihil aduersus nos faciunt, partim in superioribus diluimus, dum de bonitatis dogmate, de agriculturae origine, de cœli, syderum, atque huiusmodi aliarum rerum creatione loqueremur.

Ad Aristobulum, Numenium, & alios

Ad Aristobulum verò nihil dicam, cum nulla alia ratione suam opinionem muniat, nisi ea, quam vsurpauit Eusebius: cui sanè iam pro uirili mea satisfeci: quemadmodum etiam exposui quae hac in re de Numenio sentiebam. Atque eodem planè nomine alios, quos commemoraui, omnes præteribo. Vnum tamen, quod ad Philonem attinet, non omittam. Nam dum de Mundi procreatione dißerit, optassem equidem vt potiùs vetustiorum Hebræorum

braeorum sententias in Mosis oraculis explicandis retulisset, quàm vt se in Graecis ostentans, ac Platonica cum Mose pro libidine miscens, Mosis Genesim in Platonis Timæum conuertisset. Pulchriora enim sunt Mosis ac diuinae legis oracula, quã vt tam arcta egeãt profanorũ scriptorũ necessitudine. Quod philosophandi genus eò magis nobis est detestandum, quòd ex liberiore hac atque coacta dogmatum coniũctione, Christianorum deinde culpa multæ inter fideles irrepserint opiniones, quæ Ecclesiam non mediocriter labefactarunt. Vt ipse hac etiam de causa nunquam sim concessurus, Platonem quem alioquin suspicio, diuinarum litterarum mysteria introspexisse, nisi res diligenter rationum momentis fuerit æstimata ac comprobata.

Quantopere a Mose superetur Plato in conditi orbis narratione, si authores, quos sequuntur spectemus.

Atque hæc de authoribus, quibus in Mundi molitione explicanda vsus est Plato. In quibus quàm longo interuallo relinquatur a Mose, dum Mundi originem & creationem tradit, nihil atttinet commemorare. Hic enim Dei afflatu excitatus, ille humanis persuasionibus imbutus, ad Vniuersitatis procreationem narrandam accessit. Ex quo etiam est consequutum, vt purissimã alter, alter non sine cœno hauserit veritatem. Quanquam non est negandum Moysem hominum quoque testimonijs de Mundo condito fuisse edoctum. Adam enim, vt ex sacris literis intelligitur, septimam prolem cognouit. Quare optimè potuit posteritatem illam omnem de Mundi creatione docere. Mathusala verò longæuus ille senex, qui ab Adamo fuit septimus, ac si rectè subduxi annorum rationem, ante Adæ mortem ducentos iam annos natus erat, haud dubiè Adamum communem parentem & præsentem videre, & loquẽtem audire potuit. Quocirca omnino credendum est cum Noëmo, ac tribus illius filijs, quæ a maioribus, atque inprimis ab ipso Adamo acceperat, cõmunicasse: attigit enim sexcentesimũ fermè ipsius Noëmi annum. Noë verò, quippequi trecentis ac quinquaginta annis Mundi superfuit eluuioni: ac propterea non solùm superstes fuit tempore Tharæ Abrahami patris, verùm etiã non antea decessit è vita, quàm Abraham ad sexagesimum fermè annum peruenisset, facilè ad Abrahamum proindéque ad Isaac & Iacob totam conditi orbis veritatem quasi per manus transmittere potuit. Atque ita necesse est a Iacob ad filios, ac tribus vniuersas, Mosémque inter cæteros deriuasse. Quãobrem dubitandum non est quin Moses a suis etiam maioribus totam conditi orbis, rerúmque gestarum memoriam exceperit. Quanquam hæc quoque testimonia, vt a sanctissimis viris profecta sunt, quíque Dei ipsius consuetudine vsi fuerant, ac diuinitùs ipsi etiam edocti, non tam humanum quàm diuinum eiusdem Mosaicæ historiæ veritati pondus authoritatémque tribuere debent. Interim verò (vt ad Platonem redeam) quæ ex Trismegisti, Hesiodi, Orphei, Pythagoræ, Locri, omnium denique, quotquot recensebam, siue monumentis fragmentisue superest, siue ab alijs authoribus quoquomodo litteris consignatum vsurpatúmque deprehenderimus, agnoscendum erit nobis magna cum diligentia. Tametsi in Aristotele in cuius libris Platonis decreta disseminata ferè sunt omnia, præcipuo quodam studio versandum est.

FINIS LIBRI DECIMI, AC DECADIS PRIMAE.

SERIES CHARTARVM.

*†ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ&**
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz
Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz
Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo.

*Omnes ſunt duerniones, præter * qui eſt ternio, & Zzz, & Oooo, ſemis.*

ROMAE

APVD GEORGIVM FERRARIVM, 1594.

005644062

H